A. R. P. BARTHOLOMÆI
DE BARBERIIS
A CASTRO VETRO
PROVINCIÆ LOMBARDIÆ
CAPUCCINI DEFFINITORIS,
ET SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIS,

CURSUS THEOLOGICUS,
Ad mentem Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ.

IN DVOS TOMOS DISTRIBVTVS.

TOMVS SECVNDVS,

Continens tertium & quartum Librum Sententiarum.

SERENISSIMO PRINCIPI RAYNALDO ESTENSI
EMINENTISSIMO S. R. E. CARDINALI DICATVS.

LUGDUNI,
Sumptibus FRANCISCI COMBA, viâ
Mercatoriâ, ſub ſigno trium virtutum.

M. DC. LXXXVII.
CUM PRIVILEGIO REGIS.

INDEX GENERALIS DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM tertii Libri Sententiarum.

DISPVTATIO VII.

DISPVTATIO VIII.

DISPVTATIO IX.

DISPVTATIO X.

DISPVTATIO XI.

DISPVTATIO XII.

DISPVTATIO XIII.

DISPVTATIO XIV.

INDEX GENERALIS
DISPVTATIONVM, ET QVÆSTIONVM
quarti Libri hujus curſus Theologici.

DISPVTATIO PRIMA.

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO III.

De Miſſa.

DISPVTATIO IV.

Finis Index Disputationum & Quæstionum.

FACVLTAS REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS.

FRATER CAROLVS MARIA A MACERATA Ord. Minor. S. Franc. Capucc. Minister Generalis. Dilecto nobis in Domino P. Bartholomæo à Castro Vetro Capuccino olim sacræ Theologiæ Lectore, nunc verò Guardiano, & Diffinirore hujus Provinciæ Lombardiæ.

Opus à te elaboratum, cui titulus est (Cursus Theologicus, seu Lectura ad quatuor annos, in quatuor partes distributa, in qua disputantur, & resolvuntur ad mentem Seraph. Doct. S. Bonavent. Quæstiones, quæ nunc in scholis communiter agitantur) cum ex relatu duorum nostri Ordinis PP. Theologorum, quibus ipsum commisimus lustrandum, nil à Catholicis dogmatibus dissonum, nil Christianis moribus contineat adversum, ut in commune studiosorum commodum, ac utilitatem prælum subeat, nec non publicam lucem videat, servatis servandis, præsentium virtute facultatem impartimur. In quorum fidem, &c. Datum Mutinæ die 23. Julii 1686. Loco † sigilli.

F. CAROLVS MARIA MACERATENSIS
Minister Generalis Capuccinorum.

Approbationes Theologorum Ordinis.

OPus, cui titulus est: Cursus Theologicus, seu lectura ad quatuor annos in quatuor partes distributa, in qua disputantur, & resolvuntur ad mentem Seraph. Doct. Sancti Bonavent. quæstiones, quæ nunc in Scholis communiter agitantur: ab A.R.P. Bartholomæo à Castro Vetro Mutinensi Capuccino, olim sacræ Theologiæ Lectore præstantissimo, & nunc in Provincia Lombardiæ Deffinitore meritissimo, summo ingenii acumine elaboratum, singulari judicio conscriptum, & solida doctrina refertum, nutibus R.P. Caroli Mariæ Maceratensis vigilantissimi Minoritanæ Religionis Capuccin. Gener. Ministri studio solerti perlegimus nos infrascripti, cumque, in eo nihil orthodoxæ fidei contrarium, nihil veritati dissonum, nihil morum probitati invenerimus adversùm, imò omnia, & singula sint, & Doctoris Seraphici doctrinæ conformia, & clarissima methodo enucleata, dum D. Bonav. perspicuo calamo exponit, & abscondita quæque tanta aperit claritate, ut quæ sublimiora torquere consueverant ingenia, nunc delectabilia reddantur; idcircò, sicuti opus istud planè divinum nullam promeretur exceptionem, utpotè tanto dignum authore, ità ad orthodoxæ veritatis propugnaculum, scholarum decus, & Religionis Seraphicæ ornamentum dignissimum censemus, quod inscribatur æternitati, nec minus omnium oculis quàm præli sudoribus committatur. Datum Parmæ die 23. Maii 1686.

F. LAVRENTIVS A ZIBELLO Exdeffin.
& Guard. Capucc. exlect. S. Theol.
F. JOACHIN A SORANEA Lector S. Theol.
in Conventu Capucc. Parmæ.

APPROBATIO.

EGo infrascriptus Doctor Theologicus, socius Sorbonicus, & primus Custos Sanctæ Crucis in Ecclesia Lugdunensi, LIBRVM (cujus titulus est) Cursus Theologicus ad mentem sancti Bonavent. Authore R. P. Bartholomæo à Castro Vetro Mutinensi Concionatore Capuccino, sacræ Theologiæ Exlectore, & Provinciæ Lombardiæ Deffinitore, non sine maxima animi lætitia, propter singularem ejus doctrinæ pietatem, & eminentiam, perlegi, necnon prælo donandum dignissimum censui: In cujus rei fidem manum libentissimè apposui. Lugduni die 29. Julii 1687.

COHADE.

SVMMA PRIVILEGII REGIS CHRISTIANISSIMI.

CAVTVM est authoritate Regis, ne quis in suo regno, aliisque locis suæ ditioni subjectis intra decem proximos annos librum, qui sic inscribitur, *Cursus Theologicus ad mentem Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ,* Authore A. R. P. Bartholomæo à Castro Vetro Mutinensi, Provinciæ Lombardiæ Concionatore Capuccino, sacræ Theologiæ Lectore, necnon Deffinitore, absque Francisci Comba Lugdunensis Bibliopolæ permissu imprimere, aut divendere audeat, à die publicationis horum exemplarium: qui secus fecerit, pœna indictâ, prout amplius in diplomate Regio continetur, mulctabitur. Datum Versaliæ die 5. Decembris anno Domini 1686.

De mandato Regis, Signatum JVNQVIERES.

Prima Editio absoluta fuit die 26. Augusti 1687.

A.R.P.BAR

A. R. P. BARTHOLOMÆI DE BARBERIIS ORDINIS CAPUCINORUM S. FRANCISCI THEOLOGIA.

Ad mentem Seraphici D. S. Bonaventuræ.

TERTIA PARS.

SEU TERTIUS LIBER ſententiarum de Incarnatione Verbi.

PROEMIUM.

1 PER duos integros elapſos annos, Ducem Seraphicum Doctorem Bonaventuram ſequentes primam, & ſecundam partem Sacræ Theologiæ reſpicientis Deum Unum, & Trinum, & ſucceſſivè, quæ ab ipſo Deo Trino prodeunt creata, ipſorum varios ſtatus, naturas, diſcrimina, caſuſque exnodavimus, nunc ad tertium annum, & tertiam partem advocamur expendendam, quæ eſt de Incarnatione Verbi, & de iis, quæ fecit Dominus Noſter Ieſus Chriſtus, ut nos redimeret à peccato, & à morte. In quorum myſteriorum explicatione Seraph. D. communi omnium ſententia cæteris omnibus Theologis, & doctrina, & facilitate ita excelluit, ut vix verbis explicari, aut compræhendi queat: Nam primus Liber ſententiarum Scoto D. ſubtili: ſecundus Ægidio Columnæ Romano D. fundatiſſimo: tertius Bon. D. Seraph. quartus autem Ricardo de Mediavilla Ordinis Minorum D. & ejuſdem Seraph. Diſcipulo fidiſſimo auctorato quadam peculiari ratione adſcribi ſolent. Meritò igitur Seraph D. hic tertius Liber, ſeu tertia pars Sacræ Theologiæ adſcribitur; nam licèt quodcumque fidei noſtræ Arcanum pellucidiſſimis cæleſtis mentis ſuæ radiis luſtraverit Seraph. D. de Verbi tamen Incarnatione acturus, ſe continere non valuit, quin Spiritus Seraphicus ipſum invaderet, inflammaret, ac ità conflagraret, ut Seraphicos illos ardores, quos æneo pectore continebat, ejaculando, divini potiùs amoris ſapientiſſimus exararet artes, quàm ſcholaſticas concinnaret doctrinas; ideo igne totus accenſus, & involutus paucos paſſus eſt ad ſe accedere, & quotquot accerſere interceptos in ipſa ſuperficie radios, tamquam rutilantes gemmulas ſibi inſcripſere: Nos autem ut cui honor debetur, honorem, & cui tributum, tributum perſolvamus, ea, quæ tradidit Seraph. D. de hoc dulciſſimo, & ſublimiſſimo Incarnationis Myſterio tradidit, per ordinem exarabimus: Et quia in opulentiſſimis his myſteriorum Theſauris exerendis Deipara Virgo magna ex parte concurſum ſuum præbuit; hinc juxta correlativorum regulam, nec Matrem à

Prole, nec Filium à Matre separabimus. Et quia ex Philosopho, scire, est rem per causam cognoscere; tuncque res scitur, cum ejus causæ, & principia prima usque ad prima elementa cognoscuntur, nos secundùm ordinem quatuor causarum procedemus tractantes hoc ineffabile Mysterium Incarnationis. Hinc 1. quid nominis, & quid rei, ejusque ratio finalis, simulque formalis. 2. materialis. 3. efficiens, & deindè modus à nobis exagitabitur.



DISPVTATIO I.

De Causis Incarnationis Dominicæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit Incarnatio quoad Nomen, & quoad rem.

2 Quoad nomen non defuerunt Hæretici, qui deriserunt hoc nomen Incarnationis, ab omnibus Catholicis, à SS. Patribus, & Theologis, Conciliisq. usurpatum, tamquàm improprium; Cum enim Caro sit pars in homine infirma, & ignobilior, videtur etiam ex hac parte malè usurpatum hoc vocabulum, quare propriè deberet appellari inhumanatio, vel, per synecdochen, inanimatio, contrà quos sit.

Concl. 1. Convenientissimè nomen Incarnationis usurpatum est à Catholicis; sic cum communi S. Bon. *l.3. d.2. a.2. q.1. ad 2.4. op. Brevil. p.4. c.2. & op. Comp. Theol. l.4. c.4.* quo nomine utitur Concilium Nicenum in Simb. & probatur; tum quia tale nomen habetur ex sacra Scriptura Ioan. c.1. & Verbum Caro factum est, non dicit homo, sed Caro pro toto; tum quia cum Deus per Incarnationem factus fuerit nobis visibilis, etiam aptiùs significatur per id, quod nobis notum est; tum quia in S. Script. per carnem significatur tota humana natura. Gen. *c. 6. Omnis caro corruperat viam suam*, & Lucæ *c. 3. Videbit omnis caro salutare Dei nostri*; eò quia in assumptione carnis clauditur animæ rationalis assumptio. Tum ut magis nota nobis fieret divina dignatio, quia, ut ait Seraph. D. cum caro à Deo magis distet, quàm anima, & corruptionibus sit magis obnoxia, demissiùs Deus magis inclinatur, dum dicitur Incarnatus, quàm si diceretur inanimatus.

Dices: denominatio fieri debet à nobiliori, ergo, &c. R. Seraph. D. id verum esse, quandò alia ratio oppositum non dictat, ut est in proposito, & hoc quoad nomen, quoad rem verò.

3 Concl. 2. Incarnatio quoad rem multipliciter potest definiri, & 1. sic: Unio carnis ad naturam divinam in persona distinctam. 2. Unio naturæ humanæ cum Verbo in unitate Personæ. 3. Incarnatio est actio Dei transiens, qua Deus univit humanitatem Christi cum persona Verbi; vel est Assumptio humanitatis ad personam Verbi. Dices: quomodo, cum Incarnatio sit unica res, potest admittere multiplicem definitionem. R. per multiplicem definitionem indicantur etiam variæ formalitates concurrentes ad hoc opus, ut autem dignoscantur, cum sint scitu necessariæ ad infra tradenda.

Advert. 1. quòd Incarnatio, cum sit actio Dei ad extra, consequenter potest considerari, primò in ordine ad principium efficiens. 2. in ordine ad terminum; hinc 1. modo definitur: Actio Dei transiens, &c. & dicitur propriè Unitio, quia ad ipsam concurrit tota Trinitas, quatenus est actio: & quia potest considerari conjunctim cum principio terminante talem actionem, quod est Persona Verbi, sic definitur: Assumptio humanitatis ad Personam Verbi, per quam explicatur id, quod tantùm est proprium Verbi; Assumptio enim dicitur ad se sumptio, sic Verbum solùm terminavit in hac actione hoc opus suppositando humanitatem, obidq. solùm ad ipsum Verbum spectans, & tali pacto talis assumptio duplicem respectum importat, nempè ad personam terminantem, & ad naturam terminatam, ob id dicitur conjunctio resultans ex illa actione. Et quia ex hac conjunctione resultat quædam relatio transcendentalis inter extrema unita, hinc definitur: Unio naturæ humanæ cum Verbo in unitate Personæ; sic ex D. Seraph. *d.1. & 2. sparsim.*

4 Advert. 2. quòd, cum in composito rationali adsint primò duæ partes essentiales, nempe Corpus, & Anima. 2. tertia entitas resultans ex unione ipsarum partium tribuentium ipsi composito suam existentiam, simulq. esse individuum, ad quam individualitatem resultat postea suppositalitas, seu personalitas, quæ est ultimus terminus individui, hinc tali ordine ista sunt disposita; quod partes sic divisim sumptæ habent communicabilitatem, ut quo, & ut quod; idest communicantur ut quid quod, & ut partes constituentes essentialiter tertiam entitatem, & ut ipsius ratio formalis, & ut quo; & hinc individuum coalescit ex unione, & recipit existentiam extra suas causas, quodq. caret communicabilitate ut quo, nam amplius non potest esse pars constituens cum alio aliam tertiam entitatem, & retinet communicabilitatem ut quod, quia ulteriùs indiget ultimata terminatione, scilicet personalitate, vel suppositalitate, per quam advenientem, & resultantem individuum tale redditur omninò incommunicabile ut quod, & ut quo. Hinc cum humanitas Christi fuerit facta in instanti opere Spiritus sancti, & habuerit existentiam propriam, & individualitatem; dicitur enim hic Homo; loco propriæ suppositalitatis, quæ est modus perfectivus substantiæ completæ, advenit per assumptionem Verbi personalitas ipsius Verbi, ipsam humanitatem totaliter complens, & ultimatè terminans; & quia unita est humanitati, & hæc unio est substantialis, hinc Christus est unus continens humanitatem, & divinitatem unitas hypostaticè, & in hoc stat unio hypostatica & personalis; per quam doctrinam remanent sufficienter declaratæ dictæ definitiones.

QUÆSTIO II.

An fuerit possibilis Incarnatio.

5 Videtur quidem superflua hæc Quæstio, cum nobis de fide pateat de facto factam fuisse Incarnationem, attamen est summopere ejus solutio necessaria, ut meliùs dignoscantur ejus convenientia, & modi, quibus facta est. Non igitur procedit quæstio: an de facto fuerit facta, id enim certum est de fide; sed quæritur de rationibus talis possibilitatis, & an lumine naturali potuerit cognosci.

Concl. 1. Solo lumine naturali non potest evidenter cognosci possibilitas Incarnationis; ratio est, quia ad hoc tria sunt cognitu necessaria; primum, quod natura individua possit separari à propria subsistentia. 2 quod possit uniri alienæ, & divinæ subsistentiæ. 3. quod, cum sint tres subsistentiæ divinæ, uni tantùm possit substantialiter conjungi; & hæc tria lumine solo naturali non possunt cognosci, ergo, &c. Minor prob. quia, cum omnia sint supernaturalia, ad ea lumen naturale non potest pertingere, nec hominum, nec Angelorum præcisa revelatione, quæ istis in principio mundi facta fuit de hoc mysterio, ergo, &c.

6 Concl. 2. supposito lumine fidei, possibilitas Incarnationis potest probari. Est S. Bon. *d.* 1. *q.* 1. & communis: Thomistæ probant hanc possibilitatem, ex eo quod Deus continet eminenter perfectiones omnium creaturarum, quas potest supplere, quæ ratio tamen indiget majori explicatione, nec plenè convincit. Prob. à Scoto hac ratione, quam & tangit Seraph D. *q.* 1. *in corp. & ad* 1. quia personalitas Verbi est independens essentialiter; sed quodlibet independens, ut tale, potest alterius dependentiam in tali genere terminare, ergo & Verbum potest terminare naturam personaliter, & maximè quia id nullam importat imperfectionem. Prob. 2. Aut repugnat ex parte assumentis Verbi, aut ex parte naturæ assumptæ; sed nullo ex his modis repugnat, ergo, &c. Prob. minor: non ex parte Verbi, tum ratione independentiæ valentis terminare dependentiam alterius, eò quia persona divina, ut independens, potest supplere vicem personalitatis creatæ, scilicet reddere eam incommunicabilem: tum quia ista terminatio nullam imperfectionem Verbo infert, quod infra patebit: nec ex parte creaturæ, quia pendet à Deo, & est in perfecta potentia obedienti ali, ergo, &c.

Objic. 1. uniri est pati, sicut unire est agere; sed impossibile est, Divinam naturam pati, ergo, & uniri humanitati. R. S Bon. quod hoc Verbum uniri naturam divinam, significat in voce passiva actionem, non inhæsionem, tum quia uniri significat relationem, quæ non dicit dependentiam nisi in creatura. Objic 2. quæ sibi invicem uniuntur, componuntur, sed compositio abest à Deo, ergo, &c. R. Seraph. quod unio est plus, quam compositio, unio enim dicit conjunctionem duorum in tertio, sive interveniat compositio, sive non, at compositio dicit conjunctionem duorum in constitutione tertiæ entitatis, in qua unum se habet ut materiale, aliud ut formale, non sic semper unio, ut in proposito.

Objic. 3. hæc non potest intelligi sine mutatione, & novitate in extremis, ergo non potest inesse in Deo; Verbum enim substantialiter unitur humanitati non minùs quàm humanitas Verbo, & est substantialiter homo, cum anteà non esset, & hoc fit, non per meram denominationem extrinsecam, sed unione physica substantiali; ergo in utroque novitas, & mutatio advenit. Ut respondeant 7
Theologi huic difficultati, quam maximam appellat Suarez *d.* 8. *s.* 4. valdè insudant, ex eò quòd difficile est eximere Verbum à ratione subjecti talis unionis; undè aliqui dicunt advenire Verbo solùm denominationem extrinsecam. R. S. Bon. optimè quod datur duplex unibile: aliud est, quod habet perduci ad actum unionis per aliquid acquisitum in ipso de novo: aliud est, quod est tale per aliud acquisitum in altero, & talis est ista unio, quæ cum sit relatio potest advenire in extremo, alio permanente immutabili; sic huic albo advenit similitudo per aliud album de novo adveniens, absque eo quòd primum album mutetur; & ratio est, quia, cum Verbum sit independens absolutè à quacumque creatura, & ens infinitum, nullam potentialitatem habet ad perfici à creatura; hæc verò ex opposito habet hanc potentialitatem ad talem unionem, ideo mutatio non est inhæsivè in Verbo, sed in humanitate, in Verbo autem est ab eo, ut à termino suo; sicque Verbum unitur humanitati de novo physicè intrinsecè per modum termini, non autem ut subjectum inhæsionis, sicut fit in humanitate.

Objic. 4. Finiti ad infinitum nulla est proportio, ergo nec inter Verbum, & humanitatem quoad unionem. R. conced. antecedens de proportione quantitativa, non de proportione ordinis dependentiæ, & terminationis. Contra, ergo humanitas erat capax perfectionis infinitæ, scilicet personalitatis divinæ, quæ est infinita. R. negan. consequentiam; nam ejus dependentia terminat finito modo, non enim exhauritur vis terminativa personalitatis divinæ, sicut fit in productionibus divinis ad intrà.

Objic. 5. quia ex hac unione sequeretur, personalitatem humanam non fuisse curatam à Christo, quia solùm curatum est, quod à Verbo fuit assumptum. R. neg. conseq. fuit enim curata humanitas cum omnibus rebus ad ipsam consequentibus, non verò humanitas Christi fuit curata, quia non indigebat. Objic. 6 Humanitati Christi deerat propria personalitas, ad quam quælibet habet suam inclinationem, ergo erat sub perpetua violentia. R. neg. conseq. quia perficitur eminentissimè maxima perfectione.

QUÆSTIO III.

An congruum, & conveniens fuerit Verbum incarnari. S. Bon. d. 1. a. 2.

Nota 1. quòd convenientia hæc potest sumi 8
primò ex parte Dei. 2. ex parte secundæ Personæ Verbi. 3. ex parte nostri, an fuerit utilis, & necessaria: Hinc concl. 1. Convenientissima fuit incarnatio ex parte Dei; prob. à S. Bon quia per ipsam Incarnationem maximè manifestata est divina potentia, sapientia, & bonitas: Potentia, quia unita sunt infinitè distantia, sapientia, quia reduxit, & univit primum scilicet Verbum, per quod facta sunt omnia cum ultimo, scilicet cum homine, bonitas per infinitam communicationem sui factam homini. Dices: non decuisse humiliationem tantam divinæ Majestati. R. imò

decuisse tantam humiliationem divinæ Majestati non in se, sed in humanitate unita, & hoc ex excessu charitatis divinæ.

Concl. 2. conveniens, & magis congruum fuit Verbum incarnari, quàm aliam personam; probat Seraph. Doct. *d.1. art.2. q.3.* hanc conclusionem quoad decentiam in ordine ad incarnationem Filii, tùm ex ratione incarnationis in se, tùm quia Filius est Imago, & Verbum, & Filius Patris; ut imago, quia homo est imago Dei, ideo imago imagini copulata est; tum quia sicut Verbum est manifestativum prout unitur voci sensibili, sic Verbum unitum est exteriùs humanitati ad Divinitatis manifestationem; item ut Filius, ut etiam esset de genere hominum, Filiusque Matris, qui in Cælis erat Filius Patris; tum ut tolleretur confusio, & æquivocatio in nomine Filii Dei; si enim Spiritus sancti persona fuisset incarnata, ei competeret hoc nomen Filii Dei Dei. Prob. 2. ex comparatione ad generis humani redemptionem, ut scilicet repararetur per Filium, cui attribuitur æqualitas, lapsus factus per appetitum æqualitatis Dei; tum quia magis competit Filio supplicare Patrem pro subditis,&c. tum quia ordinata fuit redemptio ad hoc, ut simus Filii Dei, ergo per Filium magis congruum fuit id acquirere. Vide S Bon. in citato loco,ubi pulcherrima ad hanc materiam adducit.

Concl. 3. Convenientissima fuit Incarnatio Filii Dei respectu nostræ utilitatis, & indigentiæ. Est S. Bon. *locis citatis, & d.20. q.1. & 6.* Prob. 1. ex summa Dei stabilitate, cum enim decreverit producere hominem ad beatitudinem, non decrevit, ut tota posteritas perderetur ob peccatum unius hominis (nota, quod ex hac ratione patet, quare angelica natura non fuit reparata, cum omnes mali Dæmones peccato proprio, & actuali fuerint damnati;) item nec decuit summam sapientiam permittere universaliter nobilissimam creaturam fine suo fraudari, &c. item nec decuit summam ejus benignitatem, item ob suam summam virtutem permittere suos ob peccatum alterius captivos sempiternaliter teneri.Prob. 2. ex modo labendi: Homo enim per alium cecidit, & per Christum resurrexit.

QUÆSTIO IV.

An si homo non peccasset, Verbum incarnatum fuisset? S. Bon. *l.3, d.1. art, 2. q. 2.*

9 Quæstio hæc inter omnes est celeberrima hujus tertii libri, quæ non procedit de possibili, quia certum est, Deum id potuisse, sed de facto; cum autem certum sit, Christum venisse in carnem ob salutem nostram, quæritur, an ex vi præsentis decreti jam conditi, & non alterius, quod potuisset facere, Adam non peccante, ita venerit, quòd non venisset, si Adam non peccasset, quæ quæstio est utilissima, cum hac occasione explicetur causa finalis Incarnationis; in qua prima opinio est affirmativa; ita censent Alensis 3. *p. q.2.* Alb. Mag. Scotus *d 7. q. 3. & d.19.* cum suis Discipulis, plurimiq. alii ex variis scholis, quos citatos habebis ad principium quæstionis apud S. Bon. à Marginista ejusdem apud Mastrium, Gaud. aliosque recentiores. 2. sent. est opposita, & negativa D. Thomæ, plurimorumque aliorum apud citatos auctores. 3. sent. est Suar. Hurtad. aliorumq. media asserentium, Verbum incarnandum quidem ex vi alterius decreti, non verò præsentis. S. Doct. fusè, & doctissimè agitat hanc quæstionem, & posita prima opinione cum validissimis rationibus, (quam postea Scotus desumpsit,) eam appellat magis subtilem, & rationis judicio magis conformem; sed secundam magis consonam sacræ Script. & SS. Patribus, & Doctoribus; additque quod utraque mirabiliter excitat animam ad devotionem; attamen hanc secundam Thomistarum videtur amplecti tamquam magis piam, cum autem Seraph. D. se profiteatur ancipitem in hac materia, nos ipsum sequentes, utramque problematicè defendemus. Hinc pro affirmativa Scoti opinione.

Not. 1. Quod solutio hujus quæstionis depen- 10
det ex ordine prædestinationis Christi, scilicet, vel facta antè prævisionem, vel post prævisionem peccati Adæ, Scotus enim, & sequaces defendunt Christum prædestinatum fuisse antè prævisionem peccati, ita quòd post actum simplicis intelligentiæ, quo vidit omnia possibilia cum omnibus circumstantiis, primus actus divinæ voluntatis fuit electio prædestinatorum, quorum Caput decretus fuit Christus, postea in 2. signo vidit peccatum Adæ, & in 3. ordinavit redemptionem pro peccato, & ob id adventum Christi ad reparationem hominum. Ambros. Catharinus vult, primum actum voluntatis divinæ fuisse sese communicandi creaturis. 2. electionem Incarnationis. 3. decretum creandi hominem, & per Christum dandi ipsi justitiam originalem. 4. permittere peccatum, & consequenter illud prævidere de facto; & ultimo decretum redimendi à peccato.

Not. 2. quòd faciliùs ex doctrina Granadi, Sa- 11
vedræ, aliorumque possunt conciliari omnes opiniones diversificantes in hoc ordine, quod sic explicatur: Divina voluntas ob sui eminentiam, & efficaciam potest mutuò connectere ea, quæ inter sese nullam habent connexionem, ideóque potest velle unum absque alio, vel propter aliud pro libito; hinc potuit velle incarnationem secundùm se ad sui gloriam tantùm, absque connexione cum peccato, & absque eo quod decreverit modum, potuit & ipsam velle ob remedium peccati, nihil enim impedit in divina voluntate independente à quacumque creata, & hoc in opinione omnium.

Not. 3. Deum sua scientia necessaria vidisse ab æterno infinitos modos, quibus potest condere mundum, aliosque mundos, disponere creaturas pro libito, decernere Adam ut Caput naturale, & morale omnium posterum, & si peccasset, posse peccato remedium afferre tali, vel tali modo, vel absque ordine ad peccatum velle Incarnationem Verbi ob multiplices fines; primò ob sui gloriam, & bonitatem communicandam infinito modo. 2. ob remedium peccati, licèt nullam connexionem haberet peccatum ad tale remedium, & Incarnationem. His omnibus visis, scientia simplicis intelligentiæ vidit & quod eventurum erat in Adam, & posteros; deindè unico decreto decrevit Incarnationem futuram, primò ob sui gloriam. 2. ut Christus esset Caput omnium Prædestinatorum. 3. in remedium peccati prævisi, & hoc unico decreto, vel signo.

Concl. 1. Verbum incarnandum fore, etiamsi 12
Adam non peccasset. Pr. 1. ex S. Script. docente, Christum

Christum prædestinatum fuisse ante decretum producendi mundum, ac proinde ante permissionem peccati. Prob. ex Prov. c. 8. ubi Christus loquitur secundum humanitatem: *Dominus possedit me in initio viarum suarum*, ubi SS. Patres docent, Christum appellando Dominum ipsum Deum loqui secundum humanitatem, nam ut Deus non habet Dominum; sic S. Ambros. Athanasius, & Augustinus, &c. Afferuntur alii textus, qui possunt videri apud recentiores; item ex SS. Patribus; Tertullianus autem dicit, Adam creatum fuisse ad exemplar Christi; sed exemplar est prius exemplato, ergo, &c. Divus Augustinus *l. de nuptiis*, dicit: Sacramentum magnum de Christo, & Ecclesia etiam fuisset in statu innocentiæ; idem & alii SS. Patres, & S. Franciscus Salesius *l. 2. de Amore Dei c. 4.* fatetur se collegisse veritatem hujus conclus. ex S. Script. & SS. Patribus. Prob. deinde ratione, quia Deus, ordinatè volens, priùs vult finem, quàm media: & inter ista priùs illud, quod est propinquius fini; sed gloriam Dei est finis omnium suorum operum, & incarnatio, & Christi volitio est medium omnibus aptius, & propinquius, & remedium peccati remotius, & occasionatum, ergo. Incarnatio est prius volita, propter se, quàm propter aliud. Seraph. D. tangit supra positas rationes, & ulteriùs explicat hanc convenientiam ex hoc, quod quatruplex est modus educendi hominem; 1. virum sine muliere; 2. mulierem sine viro; 3. hominem ex muliere, qui tres modi fuerunt in statu innocentiæ; ergo, & quartus modus, scilicet educendi ex muliere sine viro superaddendus erat ad perfectionem universi; prob. etiam, quia ante peccatum Adæ, & Angelis revelatum fuit Mysterium Incarnationis, ut tradunt SS. Patres.

Objic. Thomistæ: multa loca Sacræ Script. apertè dicentia, Christum venisse propter salutem nostram: sed facilè resp. id totum esse verum, non tamen quod iste fuerit primarius finis. Ob. 2. finis non est volitus, nisi propter executionem; sed in executione incarnatio est ad remedium peccati, ergo, &c R. fuisse volitam secundariò, & occasionaliter, non primariò. Objic. 3. si Adam non peccante advenisset Christus, aut venisset passibilis, aut impassibilis; non hoc secundum; alioquin adveniente passibili mutatum esset decretum; ergo passibilis; sed passibilitas non est conveniens statui innocentiæ; ergo, &c. R. quod advenisset impassibilis extrinsecè, & in causa, nam decretum fuit de adventu Christi in carnem præscindendo ab utraque ratione, nec sequuta esset mutatio in decreto, sic nec mutatum est decretum Dei circa Adam factum impassibilem voluntate antecedente, sed consequente voluit passibilem ipsum, & hoc patet ex independentia voluntatis divinæ valentis connectere unum cum alio; ut dictum est.

13 Concl. 2 Opposita, si Adam non peccasset, Verbum non fuisset incarnatum; est S. Bonav. D. Thomæ, & plurimorum aliorum, & magis consona Sacræ Script. & SS. Patribus; & licèt Scotistæ respondeant, talia testimonia exprimere causam incarnationis in carne passibili, non autem incarnationem quoad substantiam, tamen hæc responsio non enervat textum Sacræ Scripturæ, quæ absolutè semper loquitur de hoc misterio. Prob. etiam rationibus primo incarnatio est maximum opus misericordiæ, & charitatis excessus; sed divina charitas magis enitet in incarnatione facta pro redemptione à peccatis, quàm pro innocentibus, ergo, &c. Beneficium enim confere indigno majus est, quàm non indigno, & quo magis est indignus, eo est major misericordia; ergo (infert Seraph. Doctor.) hunc misericordiæ excessum non faciendum, nisi excessus peccatorum opponeretur.

Prob. 2. Quia hic modus magis concordat pietati, fidei, quia Deum magis honorificat, quàm prædictus; probatur assumptum; modus præcedens dicit, quòd Deum congruebat incarnari ad perfectionem universi; ergo Christus prædestinatus est ad complementum universi; at hoc est ponere Deum intra perfectionem universi, sed hoc est contra ordinem rectum etiam apud Philosophos gentiles, nam Imperator non dicitur de exercitu, sed supra exercitum; ergo multò minùs Deus debet poni intra perfectionem universi, sed suprà; tùm quia sequeretur Deo volenti mundum creare perfectum, necessarium fuisse incarnari, quod est absonum, sic enim aliter non potuisset mundus ad perfectionem reduci. Pr. 3. quia talis modus magis affectum inflammat; audiens enim Deum incarnatum fuisse ad delenda scelera, quàm ad consummandum opera sua inchoata, magis excitatur ad fidem, & pietatem, ergo, &c.

Objic. 1. Omnis ordinatè volens priùs vult finem, quàm media, & inter media id, quod est 14
propinquius fini, sed finis ultimus est gloria Dei, medium propinquius, & aptius est incarnatio, & remotius est reparatio hominum, ergo, &c. Resp. conced. majorem de volente naturali, & necessario; non de volente libero, qualis est Deus in operibus ad extra; & eo maximè, quia, ut dictum est in fundamento, potest pro libito velle unum sine alio, & unum propter aliud, & medium minùs propinquum ante propinquiores; imo si valeret hæc maxima in volitionibus Dei, sequerentur multa absurda; debuisset enim velle incarnationem, & unionem hypostaticam non in uno homine, sed in omnibus, & singulis, & Angelis, & hominibus, debuisset mundum alium perfectionum, imò plures alios condere, aliaque similia.

Objic. 2. Prædestinatio Christi antecedit prædestinationem omnium hominum, & Angelorum; ergo fuit ante decretum creationis hominis, & Angeli. R. conced. antecedens de prioritate dignitatis, non durationis: voluit enim omnia simul; eaq. pro libito ordinavit secundum suam infinitam sapientiam.

Objic. 3. Priùs prædestinatus est Christus, quàm Adam; ergo & ante peccatum: alioquin non esset finis nostræ gloriæ, ut decrevit Concilium Toletanum, vel esset medium prædestinationis hominum, sicq. posterior homine. R. disting. antecedens; priùs prædestinatus est Christus absolutè, nego; conditionatè, concedo, ita ut unico actu decretum divinum ad utrumq directum est prævia scientia media; & dato etiam decreto de adventu Christi, liberum fuit Deo ipsum ordinare ad salutem hominum, & ut finem gloriæ nostræ, ut supra dictum est in fund. Cætera vide apud S. Bon. ubi habebis sublimissimè solutas omnes objectiones Adversariorum.

QVÆSTIO V.

An venerit Christus principaliùs ob peccatum actuale, an ob originale.

15 Suppon. 1. tanquam certum de fide, Christum venisse ad delenda omnia peccata tam actualia, quàm originalia, quod probatur à Theologis pluribus textibus S. Script. & præcipuè à Seraph. *l.* 3. *d.* 9. *q.* 2. sed quæstio est, an principalius venerit pro peccato originali delendo; an pro actuali; & an dato quod homo incurrisset solùm in peccatum actuale, vel mortale, vel veniale tantùm, etiam Christus incarnatus fuisset, in qua alii sustinent affirmativam alii negativam; pro solutione.

Not 2. Quòd solutio hujus quæstionis pendet à duabus aliis, quas proponit Seraph. *l.* 3. *d.* 19. *cit.* An per passionem Christi deletum fuit chirographum peccati, & *d.* 20. *q.* 4. an purus homo potuerit satisfacere Deo pro peccato sive originali, sive actuali, quibus resolvitur primo, quod per passionem Christi Chirographum peccati deletum fuit, scilicet memoriale, seu scriptura applicationis contractæ ab homine principaliter per peccatum originale, minùs principaliter actuale: 2. quod nullus homo purus potuit satisfacere pro peccato originali, nec pro actuali, quantùm ad injuriam, & damnum; sed tamen remissa injuria per Christum, potest homo purus adjutus à gratia habituali Deo satisfacere pro damno, & reatu pœnæ, quæ gratia tamen fundatur in meritis Christi. Hinc.

Concl. 1. Solo peccato originali existente, Christus advenisset in carne: sequitur ex traditis in præced. quæstione pro sent. Seraph. nam Christus prædestinatus fuit occasione peccati Adæ; sed hoc est originale; ergo, &c. ratio etiam potissima est, quia (ut ait Seraph. D.) originale inficit totam naturam, actuale verò solam personam; ergo illud est gravius, & perniciosiùs, & origo omnium malorum; ergo propter ipsum principaliter venit Christus. Nota tamen, quod hæc quæstio nulla est in Schola Scoti ex traditis in præced. quæstione.

Concl. 2. Si non transfusum esset peccatum originale, sed tantùm peccatum actuale mortale, Christus etiam advenisset in carnem, non verò pro veniali; est Seraph. D. Suarez, pluriumque aliorum, contra Vasquez, aliosq. & P. Gaudent. ratio primæ partis de peccato mortali est, quam adfert S. Bon. quia pro injuria illata Deo, fuit necessaria redemptio facta per Christum, cum sit injuria infinita; ratio verò secundæ partis, idest de veniali est, quia ejus injuria non est infinita, nec damnum nisi temporale, ergo, &c.

QVÆSTIO VI.

An Incarnatio necessaria fuerit ad redimendum genus humanum. S. Bonav. l. 3. d. 20. q. 1. & 6.

Raimundus Lullus respondet, supposito, quod 16 Deus decreverit mundum producere necessariam fuisse incarnationem Verbi, aliàs careret nobilissimo ornamento, nempe illo ente, quod esset simul Deus, & Homo, hoc autem non debuit fieri, quia opera Dei debent esse perfecta D. Anselmus *l.* 1. *cur Deus c.* 16 existimat, Incarnationem fuisse necessariam, supposito peccato Adæ, nec potuisse aliter reparari, qui tamen sunt interpretandi secundùm germanum sensum aliorum SS. Patrum, ut infrà exponit S. Bon. *d.* 20. *q.* 1. Quæstio igitur ad tria capita reducitur; 1. An necessariò Deus hominem reparaverit; 2. An simpliciter fuerit necessaria incarnatio ad redemptionem: 3. & an ad redimendum hominem justa solutione.

Concl. 1. Deus liberè è sola misericordia, & charitate venit ad redimendum hominem. Est de fide, ut patet ex pluribus locis Sacræ Script. ex 2. Ephes. Coloss. 1. Phil. 2. ratio est, quia sicut liberum fuit Deo creare mundum, ita & reparare; sic S. Bon. *Brevil. p.* 4. *c.* 1. Tùm quia Deus circa opera ad extra non potest ullam necessitatem contrahere.

Concl. 2. Incarnatio non fuit absolutè necessaria; 1. nec supposito decreto creandi mundum; 2. nec supposito quod vellet reparare peccatum; 3. potest tamen dici necessaria, supposito decreto de hac incarnatione in tempore; sic communis sent. omnium Theolog. & SS. Patrum, cum Seraph. cit. Prob. 1. pars: si fuisset necessarium, Verbum incarnari, vel esset in carne impassibili, vel passibili; sed neutro modo, ergo, &c. Prob. minor, non primum, Adamo non peccante, quia poterat stare ejus gloria sine tali manifestatione, quæ est finis præfixus à Scoto, vel ipsam manifestare: Prob. 2. pars infinitis aliis modis; nec secundum, quia non erat necessaria reparatio hominis, ergo, &c. si incarnatio est necessaria supposito decreto creandi mundum, Deus non esset liber ad extra, quod est hæreticum, sicque necessarium fuisset facere mundum, & quamlibet creaturam ita perfectam, ut nihil perfectius esse posset, quod est inconvaniens: & ad rationem Raimundi resp. sufficere, mundum esse perfectum negativè, id est, non quod habeat imperfectionem, sed sufficit perfectio in suo ordine. Prob. 3. pars, quia supposito peccato Adæ, poterat non reparari, sicut nec reparavit Angelos; poterat & sola misericordia condonare peccatum, non exigendo satisfactionem, in quo casu nulla facta esset injuria; non quidem Deo, quia volenti non fit injuria; non diabolo, de cujus potestate homo eriperetur, quia diabolus dolo detinebat hominem peccatorem. Prob. 4. pars, quia supposito decreto incarnationis non potuit non evenire.

Objic. 1. Contra tertiam partem conclus. textum D. Anselmi dicentis; supposito peccato, fuisse necessarium, quòd Deus incarnaretur ad satisfaciendum justitiæ de toto rigore: Hic multi multa dicunt, & respondent ad sententiam D. Anselmi, sed Seraph. D. *d.* 20. *q.* 1. ait, ipsum loqui de necessitate

cessitate decentiæ, & convenientiæ, seu honestatis, qualis, ut qui creaverat hominem etiam ipsum repararet, non de necessitate consequentis, scilicet supposito decreto, ut dictum est. Objic. 2. D. Ambrosium asserere tantum fuisse peccatum Adæ, ut salvari non possumus absque Incarnatione, & Morte Filii Dei, ergo, &c. R. hoc esse verum, loquendo de satisfactione in toto rigore justitiæ, non verò de satisfactione justitiæ simpliciter; hæc intervenisset, si Deus condemnasset peccatum per gratiam habitualem sequendo suam voluntatem, quæ est regula omnium. Ob. 3. sicut justum est punire reum, sic injustum est non punire; ergo Deus egisset injustè, si non incarnatus fuisset, & pœnam pro peccato sustinuisset. R. esse verum antecedens in eo, qui tenetur observantiæ legis, non in Deo summo legislatore.

17 Concl. 3. Ad redimendum hominem æquitate, & rigore satisfactionis necessaria fuit incarnatio personæ divinæ, ratio est, quam affert Seraph. D. *d.* 20. *q.* 3. quia in peccato fuit injuria illata Deo, & damnum illatum toti generi humano, sed nulla pura creatura potuit æquivalenter tribuere satisfactionem infinitam Deo, nec ullus homo posset æquivalere toti generi humano, maximè quoad regenerationem spiritualem; ergo solùm id competere potuit capiti.

Concl. 4 Convenientissima fuit Incarnatio Verbi Dei ad reparandum genus humanum; & prob. à Seraph. *l.* 3. *d.* 2. *q.* 2. 1. ex parte Dei, cujus viæ misericordia, & veritas sunt; cum autem Deus exigat ex justitia satisfactionem ab homine, convenire fecit misericordiam dando homini mediatorem, qui integram satisfactionem daret: 2. ex parte nostri, nam cum reparatio esset, nos reducere à culpa ad gratiam, & à miseria ad gloriam, sic decens fuit, ut Deo honor condignus tribueretur contra inhonorationem factam per culpam per tollerantiam pænæ, & hoc est ad justitiæ normam, & sic ad gloriam perveniret per merita Christi.

DISPVTATIO II.

De Incarnationis Natura, & secundùm se, tum phisicè, tum moraliter.

EXplicatis his, quæ ad existentiam, convenientiam, & necessitatem Incarnationis conducere solent, superest, ut quidditatem, naturam, & qualitates ipsius indagamus; in qua disputatione expendemus, quid sit unio hypostatica, an in una, an in duabus naturis consistat; ipsiusque effectus.

QUÆSTIO I.

Quid sit unio hypostatica; & qualis ejus terminus.

17 PRimò certum est in hoc mysterio, præter utramque naturam humanam, & divinam, intervenire propriam, & veram actionem realem, nihil enim de novo potest esse in rerum natura, quod non producatur verè, & realiter; cum igitur fiat compositum ex divinitate, & humanitate, sive, ut loquitur S. Bon. hoc totum Christus in eadem Persona Verbi, oportet, ut detur productio realis, quæ secundùm communem sensum Theologorum est distincta à productione ipsius humanitatis, de qua Suarez *d.* 8. *sect.* 1.

Q. *Quis sit terminus hujus actionis, seu productionis, & assumptionis?* Et, quia duplex terminus potest excogitari; alius à quo; & de hoc est discrimen solùm de nomine; nam vel est carentia unionis Verbum venisse hominem, vel negatio personalitatis Verbi in humana natura; alius ad quem, & iste ad quem, est duplex, alius est totalis, alter formalis; totalis est compositum resultans ex unione duarum naturarum in supposito Verbi, qui est Christus, & in hoc nulla est difficultas; formalis est id, cui propriè, & immediatè applicatur ut termino mutatio, de qua loquimur, & ratione cujus reliqua denominantur ab illa mutatione, sic color est quod formaliter attingitur à visione; paries coloratus dicitur terminus totalis, qui denominatur visus ab illa visione, dicitur autem terminus formalis, quia forma est, quæ dat esse rei, & ob id terminus formalis transfundit, & communicat talem denominationem composito, & hac ratione quasi format, & ornat illud.

Q. Igitur hic, *Virum per hanc actionem assumptivam producatur aliqua unio realis distincta ab extremis unitis?* Prima opinio est Nominalium negantium aliquid de novo produci, nisi denominationem unitorum extremorum, quæ est ipse Christus; hæcque communiter rejicitur ab omnibus. 2. Est Scoti asserentis, hunc terminum esse relationem extrinsecus advenientem ex actione assumpsiva. 3. Est plurium Thomistar. affirmantium terminum formalem hujus actionis esse humanitatem, prout existentem, quatenus est unita Verbo; 4. Est asserentium, esse qualitatem absolutam superadditam extremis. 5. Est Seraph. D. infra citati, & communior, terminum formalem esse modum substantialem includentem habitudinem transcendentalem ad extrema; & ad quem resultat postea relatio prædicamentalis.

Not. 1. ex Seraph. *l.* 3. *d.* 21. *a.* 1. *q.* 3. quod unio potest sumi tribus; 1. pro unitione, seu actione, qua humanitas efficienter unita fuit personæ divinæ, & quia est actio ad extra, ideo est communis tribus personis, & quia est in unitate personæ Verbi, dicitur Assumptio; 2. Stat pro unione, passione, seu termino proximo formali unionis activæ, estque conjunctio substantialis, per quam formaliter humanitas Christi manet unita illi personæ, 3. pro relatione resultante ex tali conjunctione inter extrema unita; unionem hanc, 3. modo assignant Scotistæ pro termino formali, secundam assignat Seraph. D. 18

Not. 2. & suppon. ex traditis in Logica; & Physicis;

Physica, unionem substantialem esse quid superadditum extremis unitis, & nunc addimus in hac assumptione esse quid supernaturale creatum, & productum.

19 Not. 3. & suppon. ex Philosophia, quod hoc discrimen est inter relationem transcendentalem,& prædicamentalem, quod prædicamentalis ita denominat subjectum accidentaliter, ut totum ipsius esse nullum aliud munus exerceat, nisi referre ad aliud, sic Filius, ut Filius, refertur ad Patrem, non verò ut genitus, quia generatio, quæ est forma geniti, ut geniti, habet aliud munus, scilicet dare esse termino: ut Filius verò addit coexistentiam Patris, per quam ut additam supra generationem præientam, nullum munus exercetur, sed completur solùm illa denominatio Filii, seu termini geniti coexistentis ei, à quo genitus fuit, unde fit, quod relatio prædicamentalis semper completur per ipsam coexistentiam termini; transcendentalis verò numquam: Dicitur autem transcendentalis, quia transcendit, & imbibitur in essentia aliqua, nec est aliquid admixtum de denominatione extrinseca, sic denominatio agentis est relatio transcendentalis, quia tota provenit à sola actione, & nullo modo à termino, actio enim se sola dat totam illam denominationem, eo quod in sua entitate habeat respectum essentialem ad terminum, sic etiam denominatio uniti non est relativa prædicamentalis, quia provenit à respectu quodam, qui adæquatè, intrinsecè, & essentialiter est, & imbibitur in ipsamet unione, & non completur ullo modo à termino, neque ab aliquo alio, quare illa denominatio non est purè ad terminum, sed importat aliquod munus, scilicet unire intrinsecè humanitatem cum Verbo. Itaque unio ipsa non solùm transcendentaliter refertur ad extrema unita, sed etiam ipsa extrema per eamdem unionem referuntur ad invicem substantialiter, transcendentaliter. Not. 4. quod disquirunt Theologi: an præter istum modum substantialem, & relationem transcendentalem resultet alia relatio prædicamentalis, per quam referantur extrema jam unita ad invicem prædicamentaliter, aliqui negant, ut Nominales, Seraph. Doct. supra cit. affirmat cum communi, ut in solutione quæstionis patebit.

20 Concl. 1. Humanitas Christi, vel ejus existentia non est terminus præcisus, & formalis Incarnationis, seu Unionis cum Verbo; est contrà Thomistas, & communior Theologorum cum Seraph. D. *d.2. art.3. q.4. ad ultim.* & prob. quia humanitas præcisa est terminus Creationis, ita ut adhuc existeret; imò, ut ait Seraph. D. *in corp.* subsisteret, etiamsi non esset unita Verbo; existentia enim non est terminus unionis, sed productionis, ergo, &c. tum quia humanitas præsupponitur saltem prioritate naturæ ad unionem, quæ omnia, & sequentia fusiori calamo tradit P. Gaud. *d.3. q.5.*

Concl. 2. ultra hoc totum adæquatum, Christus, aliquid aliud in unione repetitur superadditum: Est contra Nominales, communior omnium realium Theologorum, & S. Bon. cit. & prob. Non possunt contradictoria de eodem rectè enunciari, nisi propter mutationem aliquam sive intrinsecam, sive extrinsecam, sed de humanitate Christi possunt enunciari contradictoria, nempè non unitam esse, & unitam Verbo; ergo facta est aliqua mutatio in ea, & non sufficit extrinseca. v.g. loci, quia per hanc nullam affinitatem acquirit cum Verbo, ut ab eo sustentari dicatur, quia ubique locorum potest sustentari; neque sufficit mutatio temporis præcisa, quia humanitas Christi semper hodie, & cras comparatur ad Verbum sustentans; neque sufficit destructio subsistentiæ propriæ, cum numquam emanaverit à propria essentia, ergo priùs facta est mutatio in unione ad alienam personam, sed ista mutatio præsupponit ipsum compositum,ergo,& in composito aliquid de novo additur per unionem.

Concl. 3. unio non est aliqua qualitas absoluta, quæ dicatur gratia unionis. Est S.Bon. *dist.2. citati*, & prob. quia unio est substantialis, qualitas est accidens, & est separabile, ergo non potest esse: tum quia unio non facit quale, sed tantùm unit substantialiter, &c. 21

Concl. 4. Unio relatio pura non est terminus formalis hujus incarnationis: Est S. Bon. & communior contra Scotum, & sequaces. Prob. à S. Bon. ad relationem non est motus, vel actio, ex Arist. 5. *Physic.* ergo, Incarnationis actionis terminus formalis non est relatio. Resp. Scotistæ verum esse antecedens de relationibus intrinsecis, non de extrinsecùs advenientibus. Contra: non potest aliqua relatio nova insurgere inter extrema, & inter quæ non erat, nisi addatur aliqua mutatio nova pro fundamento alicui extremorum, qua posita necessariò resultat relatio; sed ante unionem humanitatis, & Verbi, item & Corporis, & Animæ, vel materiæ, & formæ sejunctim priùs existentium non erat relatio, ergo requiritur aliqua mutatio in ipsis, ut inde redundet, ergo aliquod fundamentum absolutum prærequiritur. Prob.2. non potest consequi relatio inter humanitatem, & Verbum, nisi ut unita, ergo. Unio relatio præsupponit unionem, seu modum substantialem pro fundamento relationis. Prob.3. Relatio extrinsecus adveniens est accidens, ergo non potest unire substantialiter extrema: prob.antec.quia talis relatio advenit humanitati accidentaliter, potest enim adesse, & abesse ab ea.

Concl. 5. terminus formalis, & præcisus Incarnationis, & Unionis est modus substantialis de novo adveniens humanitati: Est S. Bon. *loco citato, & d.6. art.1. q.3. & art.2. q.1. fund.3.* Prob. 1. à S. Bon. terminus formalis debet esse proportionatus, ut adæquatus ponatur in esse; sed hic terminus adæquatus est Christus substantialiter homo, qui ponitur in esse; ergo terminus formalis debet esse aliquid substantiale: non est autem humanitas, nec personalitas Verbi, ergo est unio, seu modus substantialis uniens extrema. Confirmatur: unio necessariò terminatur per mutationem ad aliquam unitatem, ergo ille erit terminus formalis, qui additur alteri extremo, ut fiat unum illa unione, sed quod additur humanitati est aliquid constituens eam de novo substantialiter unum cum Verbo in hypostasi, quæ est substantialis, ergo debet esse additus novus modus substantialis: Explicatur hæc veritas, & confirmatur à Seraph. D. *d.2. art.3. q.2.* ad penultim. Sicut se habet linea producta ad aliam lineam, cui unitur, sic se habet suo modo proportionato humanitas Christi ad Verbum, cui unitur, sed linea jam producta unita alteri lineæ acquirit novum modum essendi proportionatum, scilicet accidentalem, ergo & humanitas unita Verbo acquirit novum modum proportionatum, scilicet substantialem essendi. 22

Concl. 6. iste modus substantialis, licèt sit absolutus, involuit tamen relationem transcendentalem ad Verbum. Est S. Bon. *l.3. d.2. cit. q.1. ad ultim. & d.6. art.2. q.1. ad 1.* in quibus locis notat involui relationem humanitatis ad Verbum in

in mutatione facta, scilicet per novum modum substantialem superadditum, unde ait addi in humanitate quid creatum non absolutum, sed relatum, idest absolutum quidem, sed non omnimodè, sed includentem respectum realem ad Verbum.

Nota autem, quod dicit relatum, non relativum, & si relatum, ergo ultra rationem aliquid aliud continet scilicet modum, quo constituitur substantialiter in esse hoc totum, nempe Christus: alioquin, si esset totus relatus, & ad aliud, seu relatio, constitueret in esse accidentali, quia proprium est relationis accidentalis esse totum ad aliud accidentaliter. Pr. autem concl. quia si talis unio positiva, seu modus consistit in esse substantiali ad Verbum, debet involvere relationem.

23 Objic. 1. Iste modus à nobis positus advenit enti jam completo, potestque abesse sine naturæ corruptione, ergo est accidentalis. R. Seraph. *l. 3. d. 6. a. 1. q. 3. ad 2. & 3.* accidens advenire enti completo ab extrinseco, & inhæsivè, & accidentaliter omnino, non sic unio ista, seu modus, quia pertinet ad primam radicem constituendam substantiæ quæ est perseitas, ob idque quid intrinsecum primæ substantiæ; idem & dicendum proportionaliter de humanitate, quæ ut unita Verbo non adjacet exteriùs, nec dicit modum inhærendi, sed ipsius hypostasis naturam, & substantiam. Resp. 2. modum substantialem positum naturaliter non esse separabilem, & præcipuè, quia non est naturæ, ut naturæ, sed ut suppositi, ideo non est separabilis, ut sit.

Objic. 2. Modus iste est entitas absoluta; ergo quid creatum, ergo & unitus Verbo; ergo per aliam unionem, sicque dabitur processus in infinitum. Resp. S. Bon. esse entitatem absolutam includentem relationem, quo humanitas unitur Verbo, non verò aliquam entitatem; cum autem iste modus non sit formaliter unio, sed id, quo fit unio & unitas, & resultat in natura assumpta, hinc dicitur modus substantialis.

Objic. 3. implicat dari substantiam supernaturalem; ergo & dari hunc modum substantialem, qui nihil aliud est, quàm substantia. Resp. 1. non implicare dari substantiam naturalem, sed habentem modum supernaturalem uniendi, ut est in nostro casu. 2. Resp. hunc modum non esse substantiam in recto, sed spectare reductive ad substantiam, & cum recedat ab entitate in recto substantiæ, non currit paritas de substantia, & modo essendi substantiæ, & maximè quia est supernaturalis ratione extremi divini, cui unitur substantia humanitatis.

24 Concl. 7. Ultra modum substantialem supra positum resultat relatio prædicamentalis disquiparantiæ inter extrema unita. Est Seraph. D. *l. 3 d. 21. citati*, & communis. ratio est, quia data unione substantiali inter humanitatem, & Verbum, redundat coexistentia terminorum unitorum, scilicet naturæ divinæ, & humanæ, per quam denominantur relativè inter se; & ad invicem, ut patet etiam in unione materiæ, & formæ, ad quam resultat ab extrinseco relatio, & denominatio accidentalis; quòd unio sit disquiparentiæ patet, quia non est ejusdem rationis in extremis, nam ex parte Verbi est relationis, ex parte humanitatis est realis.

Dices cum Suarez; unica est substantia, qua terminantur natura humana, & divina; ergo fundamentum est idem in utroque extremo, ergo non potest resultare relatio prædicamentalis, ut si unica albedo numero esset in duobus parietibus, ibi non resultaret relatio nisi rationis, quia requiritur duplex fundamentum. Resp. conced. antecedens, & prima sequela, negaturque secunda, ratio est, quia illæ sunt duæ naturæ, verè coexistentes, & ob id media unica actione referuntur ad invicem; & ad id de unica albedine existente per divinam potentiam in duobus extremis, negatur non respicere se mutuo relativè per unicam relationem, quod alias probatum est.

Q. *An ista unio, seu modus dicendus sit omnino substantialis.* Resp. fuisse opinionem hæreticam Nestorii negantis unionem personalem Christi, asserentis hanc unionem factam esse solùm per habitum gratuitum, & accidentalem, contra quem scribit Seraph. D. *d. 6. a. 2. q. 1.* Inter Catholicos autem, qui omnes fatentur unionem hanc factam esse in persona; Durandus eam appellat accidentalem, & rejicitur ab omnibus Theologis, cum in Conciliis, & S. Script. dicatur patenter Verbum factum Carnem, & hominem, ideo communis sensus Catholicorum est, quòd talis unio debet dici omninò substantialis, quia terminat ad substantiam; unde vera est prædicatio: Christus est Homo. Sic S. Bon. *d 6. a. 1. q. 3.* quòd probat ex decretali Alex. III tùm ratione, quia substantia nulli est accidens ex Aristotele 1. Physicorum, sed humana natura in Christo est substantia: ergo prædicatur de Christo, secundùm quod humana substantia nec accidit personæ; ergo & modus dicitur substantialis. 25

Objic. Apostolum Phil. 2. dicere quod Deus habitu inventus est ut homo, sed habitus est qualitas accidentalis; ergo, &c. Resp. S. Bon. quod, ly, habitus, indicat aliquam proprietatem accidentis, quatenus homo advenit supposito Verbi jam completo ad modum accidentis, quod substantificatur in subjecto, sed quia addit Apostolus: inventus est homo: indicare vult, dici hominem secundùm substantiam: Vide S. Bon. cit. ubi altissimè ista explicat. Dices: humanitas advenit enti jam completo; ergo per unionem accidentalem, id enim est proprium accidentis: Resp. advenire quidem enti completo, sed substantificari in illo tanquam in proprio supposito, sic negatur conseq.

Objic. 2. humana natura prædicatur de Christo denominativè; Filius enim Dei, ut talis, non est homo, sed per unionem tantùm denominatur; ergo accidentaliter. Resp. prædicationem denominativam esse accidentis, quando est per modum inhærentis, ut: iste est albus: non verò quando est per modum unionis, & relationis in supposito, ut corpus animatum; in qua unione non accidit mutatio in Verbo, sed in humanitate. Dices: Impossibile est, diversa genera prædicari de eodem; ergo, & in Christo, &c. R. quando genera habent oppositionem, & distinctionem, v. g. animatum, & inanimatum, verum est antecedens, non sic autem natura divina, & humana, hæc enim est in omnimoda potentia obedientiali ad divinam potentiam.

Q. 2. *An iste modus sit quid creatum, vel increatum?* Resp. Seraph. D. *d. 2. a. 1. q. 2. ad ult.* quod ex parte personæ Verbi, est quid increatum, ex parte naturæ humanæ, est quid creatum non absolutum, sed relativum, idest involvens relationem transcendentalem; ratio est, quia est terminus productionis divinæ de novo productus. 26

Q. 3. *An productio humanitatis, & unionis sit una, an duplex?* Resp. alia actione productam esse humanitatem, alia unionem; Ratio est, quia diversitas

diversitas actionum desumitur saltem à posteriori ex diversitate terminorum, tum quia prius est productio humanitatis, quàm unio.

Objic. Si distinguerentur inter se productio humanitatis, & unitio ejus, & cum productio humanitatis sit prior, sequeretur, Deum non esse conceptum ex Virgine, sicque non esset Mater Dei, quod est hæreticum. Pr. sequela, quia conceptio priùs esset terminata ad entitatem humanitatis, quàm humanitas fuisset unita Deo, in illo enim priori instanti non erat unita Verbo. R. productionem humanitatis præcessisse in instanti naturæ, non temporis, sed utraque facta fuit in tali instanti temporis. sic negatur conseq.

27 Q. 4. *Quomodo possit dari ista unio absque mutatione in Verbo, cum de novo terminet?* R. Unionem esse colligantium duorum extremorum, & quia unio est phisica, etiam hæc unio est talis, cum autem afficiat ambo extrema, hoc discrimen tamen est inter ipsa, quòd ex parte Verbi, nulla adest receptio, cum præsupponatur de se integrum, & completum, sed tantùm ex parte humanitatis indigentis compleri per adventum terminationis Verbi ad complendum unum compositum, hinc patet ait Seraph. D. mutationem tantùm inesse in humanitate, non in Verbo.

Dices: Verbum de novo recipit terminationem, ab ipsaque afficitur, ergo mutatur. R. quòd diversa est affectio redundans in Verbo, & in humanitate nam Verbum dicitur affici tantùm, quatenus unitur, & alligatur ad aliud extremum ex vi alicujus modi id proximè postulantis componendo aliquod totum simpliciter unum, sed affici, & recipere dicit compleri per id, ad quod erat in potentia, & ei deficiebat, cum enim sint duo extrema, unum completum, aliud incompletum, dum uniuntur, tunc fit unum.

Q. 5. *An hæc unio creetur, an educatur de potentia subjecti, & humanitatis.* R. communiter Thomistæ educi de potentia obedientiali humanitatis à Deo, cum produci habeat dependenter ab ipso subjecto, à quo est, sic communiter Theologi.

QUÆSTIO II.

An unio Hypostatica sit omnium maxima.

28 Solvenda est hæc quæstio necessariò ad hoc, ut cognoscantur natura, & quidditas hujus altissimæ unionis per comparationem ad alias: Aliqui Theologi affirmant esse maximam: aliqui negant in ratione unionis, de quorum vario modo dicendi agunt recentiores. Pro solutione quæst. quam Seraph. D. acutissimè solvit quicquid dicant malè Suar. & Vasq.

Notand. 1. ex Seraph. D. *l. 3. d. 6 q. ult.* quòd unitas potest considerari in ordine ad convenientiam in natura humana, vel in ordine ad personam, in qua plura conveniunt, quia verò in Christo est ipsa natura divina, & humanitas, & in hac est corpus, & anima, sic si comparentur simul duæ naturæ, humana, & divina, sic nulla est quæstio, cum impossibile sit, istas duas naturas convenire in unam, si autem loquamur de natura Christi ex parte corporis, etiam ista unitas est pauca propter partium multiplicationem, quibus constat corpus, si quantum ad animam, sic in eo est magna unitas propter animæ simplicitatem, licèt enim ad aures Seraph. Doct. anima constet ex materia, & forma, tamen coalescit una entitas simplex ob carentiam partium quantitativarum, & totum hoc verificatur ratione humanitatis: comparando vero istam unionem ex parte alterius extremi, scilicet divinæ naturæ, quia illa est simplicissima, uniturque mediante personalitate humanæ naturæ, sic ex hac parte est maxima ista unitas, unde secundùm diversas considerationes ex parte naturarum est maxima, pauca, & nulla, ut qui super omnes est exaltatus, appareret etiam infra omnes humiliatus.

Not. 2. Quod unio potest considerari penes unitatem personalem, & tali pacto, quia quæstio procedit secundùm istam unitatem, est omnium maxima, ut patebit in conclusionibus.

Not. 3. ex eodem Seraph. Doct. *loco citato, q. 2.* 29 quod cum in creatis sit multiplex unitas, ideo ista unio habet aliqualem similitudinem cum ipsis; sed postea essentialiter excedit omnes aliàs; quia enim unibilia extrema sunt infinitè distantia, simulque uniuntur, habet aliqualem similitudinem cum unione votiva, & spirituali, qua per gratiam anima unitur creatori; quia verò principium uniens est persona infinita, ideo habet similitudinem cum unitate potestativa, qua Deus sibi unit ex virtute, & gratia creaturam: quia verò unionis nativæ terminus, & naturalis est ipsa persona, ideo etiam isti assimilatur; quia verò vinculum est perpetuum, ideo assimilatur unitati conjugali, sed postea ab istis omnibus discrepat à 1. quia unio hæc est physica; item à 2. quia potestativa non habet similem terminum, nec vinculum, item à 3. quia in naturali unione personali non adest distantia talis in extremis, nec tale vinculum, sicut in ista; item à 4. conjugali, quia adest dissimilitudo quantùm ad terminum, & distantiam unibilium. Hinc sequitur, quòd ista superexcedit omnem naturam, & omnem aliam gratiam communem, hinc infertur, quòd ratio philosophica sine fidei lumine ad istam non potest pervenire.

Concl. 1. Unio hypostatica hæc est super omnes alias singularis. Est communis omnium Theologorum, & patet ex traditis in 3. Notabil. quia in nulla unione naturali concurrunt conditiones omnes, sicut in ista, ergo, &c. 30

Concl. 2. Unio hypostatica hæc in ratione personali est omnium maxima. Est S Bon. & communior: Prob. 1. quia in nulla alia creata unibilium tanta dignitas, non concurrit, nec potest concurrere, nempe simplicissima persona, & natura humana Christi omnium excellentissima; 2. quia unibilia sunt inseparabilia, nec ista inseparabilitas potest ab ulla creatura superari, sicut in cæteris creatis; ergo, &c. 3. ratione singularitatis, cui nulla alia est comparabilis, cum fiat communicatio idiomatum utriusque naturæ, ergo, &c.

Objic. 1. quo magis aliqua sunt distantia, eo minus sunt unibilia, sed divina natura personaque, & natura humana sunt infinitè distantia, & magis distantia, quam quæcumque creata ad invicem, ergo, &c. R. Seraph. Doct. divina natura, & humana maximè distant quantùm ad entitatem, & naturam, sic enim impossibile est, quod una fiat altera, sed quoad influentiam, & quantum ad sustentationem creaturæ maximam habent approximationem, & quo ad hanc partem negatur paritas; sic etiam in creatis materia, & forma concurrunt ad constitutionem tertii ratione potentialitatis materiæ ad formam, & actualitatis istius ad materiam, multò magis creatura habet potentialitatem in ordine ad sustentari à Deo; unde licèt ad constitutionem unius naturæ unio

hæc

hæc non valeat aptari, tamen ratione unionis hypostaticæ major est ista unio.

Objic. 2. Quantò unum paucioribus constat, tantò magis est unum, sed in Christo reperitur maxima naturarum diversitas, corporis, animæ, & divinitatis, quàm v.g in Cœlo; ergo, &c. R. verum totum esse quoad unionem naturarum, non verò quoad hypostaticam. Objic. 3. Angelus, & homo est unum, & natura, & persona, non verò Christus; ergo minor est ista unio. R. neg. paritatem; magis enim est unum aliquid, quando unitas personæ sequitur unitatem naturæ, tunc enim compositio in natura facit compositionem in persona; in Christo vero unitas personæ non sequitur, sed præcedit unitatem naturæ assumptæ, ita quod nullam inducit compositionem in natura assumpta. Objic. 4. Vnitas, & punctus non est multiplicatus, nec multiplicabilis, non sic Christus, in quo est duplex natura; item & corpus, & anima; R. Seraph. D. unitatem, & punctum admittere compositionem per additionem naturarum, non sic personam Verbi.

QVÆSTIO III.

An Christus sit compositus.

31 QUæstio hæc inserviet ad intelligentiam eorum, quæ in antecedenti tradita sunt. 1. op. affirmat absolutè, posse dici Christum compositum, sic Suarez, Medina, & alii. 2. negat, estque antiquorum Theologorum; S. Bon. *d.6. q.2.* D.Thom & aliorum.

Not. ex Seraph. D. *l.1. d.6. p.2. d.1. q.2* quod compositio alia est ex his, alia cùm his, prima est alicujus ex aliquibus; 2. alicujus cum altera: prima autem est propria, & essentialis, quæ in componentibus requirit differentiam, dependentiam, imperfectionem, & difformitatem; *ibidem d.8. p.2. dub.1.* unde exigit semper actum, & potentiam convenientes in tertiam entitatem: istam autem abesse ab hac unione, omnes Theologi fatentur, cum involuat imperfectionem; alia verò compositio cum his dicitur largè compositio, quatenus dicit simul cum alio positio.

Concl. 1. In persona Christi non est compositio propriè dicta, est Seraph. *D. l.3. d 6. q.2.* & communis, imò de fide: Ratio est, quia sequeretur mutatio temporalis in persona Verbi, nec posset dari communicatio idiomatum, ut patet in compositione hominis, ob quam non potest dici, homo est anima, est caro: at in ista dicitur: homo est Deus, & Deus est homo, ergo.

32 Concl. 2. Compositio largè sumpta pro positione plurium naturarum in simul absque interventu unionis ex actu, & potentia verè datur in Christo: Ratio est, quia cum ante incarnationem suppositum Verbi esset in una natura simplici, post incarnationem persona fuit suppositum divinæ, & humanæ naturæ, & hoc absque ulla mutatione facta in persona, sed solùm ex parte naturæ humanæ, ut suprà probatum est; ergo concurrit aliqualis compositio largè sumpta.

Objic. 1. ex Symbolo D. Athanasii dicentis: nam sicut anima rationalis,& caro unus est homo, ita Deus, & Homo unus est Christus: sed homo est compositus ex anima, & carne; ergo Christus ex divinitate, & humanitate: R. hanc similitudinem non esse omnimodam, sed solùm per hoc, quod anima, & caro concurrunt ad unitatem personæ, non verò quoad extremorum compositionem, ut dictum est suprà: sic etiam resp. aliis auctoritatibus SS. Patrum.

Objic. 2. Ratio personæ præsupponit rationem naturæ, & si in natura adest compositio, etiam in persona necessariò consequitur; sed natura humana est verè composita; ergo & persona, quæ consequitur in unione cum ipsa. R. Seraph. D. verum esse de natura, quæ dat primum esse personæ, qualis est divina natura respectu personæ divinæ, nec tamen hinc sequitur idem de natura humana, cum ista non det tale esse personæ Verbi, sed imò recipit ab ipsa sustentationem.

Contra: Si Christus esset solùm ex anima rationali, & carne haberet personam compositam: ergo multò magis id dicendum per additionem naturæ divinæ. R. Seraph. D. concedendo antecedens, quia tunc haberet primum esse personæ ab illa natura, sed cum non habeat à natura humana tale primum esse, hinc nec compositionem.

Objic. 3. Christus est homo compositus ex anima, & corpore; sed homo non prædicatur de Christo, nisi ratione suppositi; ergo suppositum est compositum. R. S. Bon. hunc terminum Homo, non prædicari, sed subjici sub ratione personæ, prædicari verò ratione naturæ, sic hoc prædicatum (compositus) non dicitur ratione suppositi, sed ratione formæ, seu naturæ; quæ licèt sit composita, non reddit personam compositam: patet id ex regula logicali, quamvis terminus subjiciatur ratione suppositi, prædicatur tamen ratione formæ, hinc est, quod adjectivum, compositus, circa istum terminum, Homo, non nominat compositionem circa suppositum, sed circa formam, & naturam humanam.

Dices: Patres in Concilio Lateranensi, & Constantinopolitano determinasse Christum esse compositum: R. determinasse contra Nestorium qui asserebat naturam humanam, & divinam transiisse in unam naturam divinam; ideoque ibi esse naturam humanam non verè, sed metaphoricè tantùm per gratiam; unde determinaverunt de fide, ibi esse duas veras naturas, ob idque compositum Christum ratione unionis hypostaticæ modo supra tradito. Ex quibus omnibus patet, Christum esse unicam personam, ad quam terminata est unio Incarnationis, quod patet ex pluribus locis S. Scripturæ, & Sacris Conciliis, & Patribus, quos fusè expendit P. Gaud. *d. 5. q. 2. & 3.*

QVÆSTIO IV.

An Personalitas addat aliquid positivum, an negativum.

SUppono tradita in disputatione 1. quæstione 1. de suppositalitate, & personalitate, nempe 33
ipsam dicere duplicem incommunicabilitatem, ut quo, & ut quod. Suppono 2. certum esse substantiam, suppositalitatem, & personalitatem eandem formalitatem significare, solumque differre penès connotata, & naturas, quas afficiunt; nam ex eo quod hæc formalitas afficit naturam ut sic, sive sit rationalis, sive non, dicitur substantia, & suppositalitas; si verò sit rationalis, dicitur personalitas, quæ dicit dignitatem peculiarem,

ut aliàs ex S. Bon. in primo libro agentes de personalitatibus divinis notavimus. Suppon. 3. ex traditis, personalitatem superaddere aliquid reale ipsi individuæ naturæ, ejusque præexistentiæ; nam reddit ipsam naturam ex communicabili incommunicabilem omnino.

Quæstio igitur solùm est, an hoc supra additum sit quid negativum, an quid positivum, in qua. Prima opin. est Scoti, & sequacium consistere formaliter in negatione communicabilis ut quo, & ut quod 2 Est D. Thom. cum sequacibus, & Seraph. Doct. *l.3. d.5. a.2. q.2. & a. 2. q.2. & l. 1. d.35. q.1. & l. 2 d.3. q.4.* asserentium dicere aliquid positivum, & hæc est communior, & verior.

34 Unica concl. Personalitas de se, & formaliter dicit quid positivum, negationem verò solùm ex consequenti. Prob. 1. Adest Divinitas inter personam, & personam; ergo & relatio positiva; sed relatio positiva habet fundamentum positivum, & hoc nihil aliud est, nisi persona, vel personalitas, ergo, &c. alioquin relatio esset majoris entitatis extremis ipsis. Prob. 2. Individualis discretio est positiva, ergo & personalis; antecedens est omnium Philosophorum; conseq. prob. individualis discretio est talis propter existentiam formæ talis in materia; sed personalitas est propter existentiam naturæ nobilis in supposito ex Aristotele, ergo adest consimilis ratio positiva. Confirmatur, quia alioquin, si suppositum diceret puram negationem, inepta esset similitudo inter materiam & suppositum, quam tradit Aristoteles cum tota Philosophia.

Prob. 3. Persona est suppositum, in quo totum esse rei sustentatur, *l. 1. d.6. q.1. & d.10. q.2. & 3.* ergo si dicit negationem puram, affirmatio, & entitas positiva fundabitur super negationem contra doctrinam philosophicam Arist. *5. topicorum c.30.* ubi ait, quod negationi affirmatio omnino non inest; negatio autem affirmationi inest, non tamen ut proprium, ex quo textu sic efformatur argumentum pro confirmatione: Natura singularis prædicatur de supposito, ut tali, in primo modo dicendi per se, ut Petrus est homo; sed nulla entitas per se prædicatur ratione totius subjecti de ente accepto sub negatione, ut Petrus est nihil, & cæcus, ergo si prædicatur persona de toto subjecto, non erit quid negativum. Prob. 4. nulla relatio positiva habet pro termino formali puram negationem (est enim relatio utroque extremo debilior) at suppositalitas terminat relationem communicationis, & receptionis quidditatis communicatæ ipsi supposito, fundaturque talis relatio super quidditate communicabili terminata ad suppositum incommunicabile, ergo non potest esse pura negatio. Prob. 5. Unitas, & numerus dicunt entitatem positivam, licèt innotescant per negationem, sed suppositum in essendo, & substantificando est tale, ut secundùm unitatem, & numerum suppositorum res sit una, vel multiplex, ergo, &c. Sic S. Bon. *l. 3. d.6. q.1.*

Objic. 1. Si personalitas est quid positivum, ergo est inassumptibilis à Verbo, consequens est falsum, cum creatura sit in perfecta potentia obedientiali ad Deum (quod & à nobis probatum est in Philosophia) nempe creaturam esse in potentia obedientiali passiva ad quodcumque. Resp. conced. sequelam majoris, ad minorem respondent communiter Doctores, quod licèt suppositalitas non sit assumtibilis à Verbo, attamen est in potentia obedientiali ad alios effectus ex repugnantia intrinseca, quam secum adfert, quam responsionem rejicit Meldula *d.1. n.88* & in Metaph. *d.11. n.88. seq.* sicut & aliam responsionem, quam assignant, nempe esse assumptibile à Verbo quidquid spectat ad unitatem humanæ naturæ, qualis non est suppositalitas: Nos autem ex principiis Seraph. D. & traditis in Philosophia dicimus, creaturam esse in potentia obedientiali ad quodlibet ratione materiæ, ergo ubi deficit materia, deficit ista capacitas, ut in nostro casu; unde ista potentia obedientialis debet mensurari secundùm capacitatem rei: cum igitur suppositalitas de sua ratione formali dicat incommunicabilitatem, & non involuat in se formaliter materiam, hinc nec potest assumi, quia sic esset formaliter communicabilis, & simul incommunicabilis. R. 2. quod potentia obedientialis activa non est in quolibet ad quodlibet, ut probavimus in Phisica, & cum hæc terminatio, vel actualitas ultima reduci habeat ad activam, hinc negatur minor.

Objic. 2. Persona definitur per negationem, ergo &c. R. Seraph. Doct. definiri per negationem à posteriori; quia nobis faciliùs innotescit per istas negationes, sicut incorporeum, irrationale, &c. Objic. 4. Suppositalitas potest separari à natura, ergo est quid accidentarium, obidque negativum. R. S Bon. *l. 2. d.1. p.2. a.2. q.1. & l. 3. d.10. q.2. ad 1.* esse quid substantiale, sed habere modum accidentarium, quatenus ipsa natura substentificatur in hypostasi alterius naturæ, sed non sequitur, quod sit accidens, vel negatio.

QUÆSTIO V.

De ratione formali morali Incarnationis: an unio naturarum sit facta per gratiam.

Explicata natura unionis secundùm entitatem phisicam, superest, ut ipsam explicemus quoad entitatem moralem, & gratuitam; hinc potest institui quæstio: an unio requisierit aliquam gratiam, ut fieret unio hypostatica: & in sequenti: an ipsa unio fuerit formaliter gratia, vel qualitas de natura sua, præcisa gratia habituali, sanctificans humanitatem Christi. In hac quæstione 1. opinio Alens. & Gabrielis asserit fuisse necessariam gratiam habitualem ad disponendam humanitatem, ad Incarnationem; citaturque pro ista Seraph. Doct. Vasq. sed malè. 2. docet non esse omnino necessariam aliquam gratiam ad unionem, cum ex unione consequantur omnes gratiæ; ita D. Thomas, & sequaces: Seraph. D. addit congruè fuisse ornatam humanitatem aliqua gratia, ut esset dispositio aliqualis ad ipsam; sic *l. 3. d.2. a.3. q.2.* sed in quo sensu id asserat, mox dicemus. Pro solutione. 35

Suppon. 1. ex traditis *in l. 2.* in Tractatu de Immaculata Conceptione Mariæ Virginis, dari duplicem gratiam, & sanctitatem, aliam corpoream, aliam spiritualem, primam probavimus fuisse in carne Beatæ Virginis ante animationem; secundam cum prima in instanti Conceptionis; cum autem illa sanctitas corpora præparaverit decenter carnem, & consequenter totum conjunctum B. Virginis, à fortiori hæc eadem præsupponi debet ad Conceptionem Christi ex eadem carne, quod & docet, & probat Seraph. D. *l. 3. d. 15. a. 1. q.* . Suppon. 2. dispositionem causalem ad formam esse in ordine entis ipsius formæ, ut sit proportionata ipsi formæ; cum autem unio hypostatica infinitè improportionabiliter excedat ordinem omnis gratiæ spiritualis, hinc ista non potest esse propriè dispositio ad ipsam, &c.

Concl.

36 Concl. 1. nulla gratia fuit necessaria, ut unio hypostatica fieret, est S.Bon. & communior. Pr. 1. ratione, quam S. Bon. adducit *d.2. art.3. q.2. in corp.* quia gratia unionis, & gratia creata habitualis sunt diversi ordinis, & proportionis; unio enim est ex parte Verbi quid increatum, & ex parte sui supremum, & quid substantiale inter omnes gratias, & dona; gratia verò habitualis est accidentalis, & inferioris ordinis, ergo hæc non potuit esse causa dispositiva ad unionem substantialem hypostaticam, dispositio enim, & introductio formæ debent esse in eodem ordine proportionis; tum quia gratia habitualis respicit tres personas à quibus influitur, gratia unionis respicit unicam personam, ergo sunt diversi ordinis; tùm quia unio hypostatica attingit etiam carnem, & corpus; gratia verò solùm animam, ergo hæc non potest esse causa dispositiva ad unionem, tum quia posset Verbum sibi relinquere humanitatem absque assumptione, & tamen illa humanitas haberet gratiam habitualem, ergo non habent connexionem essentialem ad invicem.

37 Concl. 2. ad unionem hypostaticam congruum fuit, ut concomitaretur gratia habitualis, tamquam ornamentum ipsius animæ. Antequam probemus hanc concl. notandum, quod videtur S. Bon. asserere, gratiam habitualem præcessisse natura gratiam unionis tanquam dispositionem congruam, sic etiam interpræratur P Gaud. *d.6. q.2.* sed tamen talis non est sensus germanus ejus; nam ad finem corp. assignat tantùm concomitantiam istarum gratiarum his verbis: Hoc totum Deus gratuita bonitate facit, scilicet unionem, ideò maxima gratia dicitur esse in unione divinæ naturæ ad humanam; non quod illa unio perficiatur, vel compleatur per aliquam influentiam creatam, sed quia fit per gratuitam Dei bonitatem simul coexistente influentia doni gratuiti ad gratuitatem, non ad causalitatem; hæc Seraph. Doct. Patet igitur, quod gratia unionis est maxima, & suprema, & fons, origoque omnium aliorum donorum gratuitorum, & quòd infusio gratiæ habitualis concomitanter se habet veluti proprietas concomitans, seu potiùs consequens ipsius unionis. Et hinc ex doctrina quam citato loco in corpore ad argumenta; & præcipuè ad 3. & 4. Probatur concl. quia natura humana unita est divinæ absque actu suo, solumque se habuit per modum passivi, & non activi; sed gratia habitualis datur in ordine ad actum, ergo ista non præcessit; tùm quia unionis gratia est supremi ordinis, antecedens omnem aliam gratiam, ergo, &c. Tum quia unio substantialis præcedit accidentalem, ergo, &c. tum quia gratia habitualis data est Christo ratione unionis, ergo ista debet præcedere.

Objic. cum Gaud. humanitas Christi priùs natura extitit, quàm assumeretur, ergo potuit aliquo ornamento ornari, & disponi. Hoc argumentum conficitur à dicto Auctore veluti ad mentem Seraph. sed verè decipitur, nam Seraph. D. ibid. dicit, totum hoc fuisse factum in unico instanti, nempè unionem, & infusionem gratiæ, sed tamen unionem tamquam quid substātiale præcessisse gratiam, ideóque dicitur ornata gratia, quia assumpta, & ex assumptione, & unione consecuta est gratia habitualis. Contra urget P. Gaud. non repugnare eamdem qualitatem secundùm esse morale manare ex forma, & simul ad eam disponere, atque adeò posteriorem esse in genere causæ efficientis, & priorem in genere causæ materialis. R. negando hanc præcessionem causatum tamquam superfluam, sufficereque concomitantiam, quam adducit Seraph. D.

38 Concl. 3. Incarnationis unio fuit maximum omnium donorum, & gratiarum: Est S. Bon. D. Thomæ, & communis contra Durandum, & Marsilium, & prob. quia dando Filium suum, omnia cum illo nobis donavit *ex Rom. c.8.* Tum quia Incarnatio est finis omnium meritorum, & donorum, in quo omnia habent suam vim, ergo, &c.

Objic. D. Augustinum asserere, majus esse concipere Deum mente, quàm ventre, & Christus *Luc cap.11.* dixit post verba mulieris: Beatus Venter, qui te portavit, &c. *Quinimo Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*; ergo videtur postponi maternitatem Dei corpoream conceptioni per gratiam. Resp. Gand. *ibidem q.1. ex S. Bon.* hîc fieri comparationem præcisivam inter concipientem Corpus Christi, si esset absque gratia Spiritus S. & extraneum habentem gratiam adoptivam, & hoc illi præponit, Matrem autem laudat superaddendo: quinimò, &c. quasi dicat non modò beata, quæ concepit Verbum carnem factum, sed etiam Spiritu fovens, non tamen comparat justum cum humanitate unitā sibi hypostaticè; quæ in ipsa unione sanctificatur. Dices: Unio hypostatica potest communicari bruto, non autem gratia, vel gloria, ergo hæc est major. R. 1. neg antecedens, ut infrà patebit. R. 2. Unionem hypostaticam trahere secum sanctificationem, & glorificationem, ideò in Brutis non posse habere suum effectum completum, sed solùm sustentationem; hinc negatur antecedens, & consequentia. Q. *An majus donum sit Eucharistia, an unio hypostatica?* Resp. Eucharistiam esse majus donum extensivè, unionem verò intensivè, quia ex hac oriuntur cætera omnia.

QUÆSTIO VI.

An Unio Hypostatica sit forma sanctificans.

39 PRo explicatione tituli quæstionis, supponendum hîc non sumi Unionem Hypostaticam, prout compræhendit etiam extrema, sed sumitur præcisè prout distinguitur realiter ab extremis, & prout dicit nexum inter extrema, sed tamen ut compræhendit ordinem transcendentalem ad divinam Personam, quatenus dicit nexum divinæ Personæ cum humanitate, & quæritur, an non solùm sit via ad sanctitatem, sed an sit formaliter sanctitas, & forma sanctificans humanitatem Christi; sicuti est gratia in Anima.

Opinio 1. est Suarez *tom. 1. d. 18. s. 1.* Turriani Lugo *d.16. s. 2.* aliorumque asserentium, unionem esse viam, vel modum, quo humanitas personalitate, & divinitate sanctificatur, non verò esse formam sanctificantem. 2. Opinio est affirmativa, estque Cumel. Grannad. Nazarii, Vasquez, aliorumque plurium recentiorum apud Lugo, & Savedram *d.13. sect.1.* quam & esse S. Bon. infra ostendemus.

Not. 1. ex supra traditis in q.1. unionem esse modum, seu qualitatem substantialem creatam, seu eductam ex humanitate afficientem ipsam humanitatem absolutè cum ordine transcendentali ad personam Verbi, sed quia est medium, quo extrema uniuntur, obidque est unio formæ, per consequens videtur, quod non possit esse forma, & hoc est unum ex fundamentis adversariorum;

 hinc

hinc ut omnis difficultas de medio tollatur. N. 2. ad hoc, ut aliqua forma sit sanctitas formaliter, & formaliter secundùm se sanctificans, requiritur, ut sit entitas, & participatio imitativa divinæ naturæ, qualis est gratia divina; cum autem unio hypostatica sit entitas divina, & imitativa unitatis, quæ est inter divinam naturam, & personalitatem, per consequens nihil impedit, quin possit dici forma sanctificans, vel sanctitas formalis, quod & innuit Seraph. *lib.* 3 *d.*1. *art.*1. *q.*2. *ad* 1.

40 Not. 3. quod ista unio potest considerari, non ut præcisè modus est substantialis, sed quia est talis modus, nempè nexus divinitatis cum humanitate; sic enim ejus perfectio ultima desumitur ex extremis, quæ unit, ad quæ, & præcipuè ad personam divinam dicit intrinsecè ordinem transcendentalem, ob id ab ipsa desumit denominationem, & specificationem, extrahiturque à ratione modi communiter sumpti eo modo, quo rationale extrahit animal à propria ratione, & elevat ad gradum altiorem; nam, ut docetur in Logica, & Metaphisica, differentiæ non limitant genus, sed ex genere extrahunt ipsam rationem genericam ad altiorem gradum, & statum.

41 Not. 4. quod est in quæstione apud Philosophos, & Theologos, quid sit propriè emanatio proprietatum à suo subjecto, an scilicet tales proprietates fluant à subjecto per unam actionem distinctam ab actione, qua producitur subjectum; an eadem actione, & an ad ipsas efficienter concurrat subjectum: aliqui enim admittunt duplicem actionem, ut Suarez; alii negant, & asserunt solùm effluere à subjecto ex hoc, quod subjectum producitur, & hæc est communior, & verior, sic & Angelicus, & Scotus, cum suis sequacibus, sic ad cre tionem animæ effluunt potentiæ absque nova actione, sed producens subjectum priùs natura, dicitur producere proprietates posteriùs natura; ratio est, quia agens dans formam, dat & consequentia ad ipsam, quæ sunt de complemento ejus in ordine ad operationes, quas essentia rei petit ex propria natura. Cum igitur à nobis *in* 2. *Libro disput. de Conceptione*, probatum fuerit infusam esse ante animationem Mariæ in carne sanctitatem corpoream, quæ posteà complementum habuit quoad intensionem in instanti Conceptionis, & huic dono Maternitatis debebatur omnium gratiarum infusio, per consequens etiam dicendum est, ipsas emanatas fuisse, veluti proprietates, & perfectiones condebitas tali sanctitati: idemque dicimus de unione hypostatica tamquam forma sanctificante, nempè ipsi debitas esse veluti proprietates connaturales emanantes omnes gratias, & dona.

42 Not. 5. tres esse ordines rerum; primus est rerum naturalium; secundus est supernaturalium elevantium ad Dei fruitionem; tertius est ordinis hypostatici, includitque Deum, & Creaturam evectam ad unionem humanitatis, qui ordines sic se habent, ut secundus continet primum, & secundum, cum enim Deus factus fuerit homo, necessariò assumpsit res naturalis ordinis scilicet corpus, & animam, & ut esset illa humanitas congruè ornata, talis unio exigebat ex sui natura res supernaturalis ordinis, & gratuiti tamquam perfectiones sibi condebitas.

43 Concl. 1. Unio hypostatica sumpta præcisè est forma sanctificans humanitatem Christi. Hæc concl. est plurium recentiorum Cumel, Grannad. Turriani, Savedræ, Nazarii, & plurium antiquorum Patrum, & Theologorum Alens. 3. *parte*, *q.*1. *memb.*1.*art.*2. ubi dicit: & sic gratia unionis creata est perfectissima assimilatio creaturæ rationalis ad Deum, quæ possit esse; sic & Ochamus, Hurtadus, D. Thomas 3. *p. q.*7. *art.* 13. Seraph. D. *l.*3. *d.*2.*art.*3.*q.*1. *ad ult.* ubi quærit: an sit quid creatum, an increatum, & respondit, quod gratia unionis potest dici illud, per quod efficitur anima gratis congrua ad unionem, & sic dicit donum gratiæ creatæ, per quod anima habuit excellenter deiformitatem. 2. dicitur gratia unionis, gratia effectiva unionis, & sic dicit donum gratiæ increatæ. 3. potest dici gratia unionis ipsa unio gratuita, sivè gratis facta, ut *l.*3. *d.*13. *q.*3. *&* *d.*2. *art.*2. *q.*1. *ad* 4. ait, quòd gratiæ unionis debebatur deiformitas omnis gratiæ quantùm est possibile, ergo si ei debebatur gratia, ad ipsius integritatem spectat, obidq se habet, ut proprietas. Prob. 1. evertendo fundamentum contrariæ opinionis; si unio non est forma sanctificans, ideo est, quia unio non est ipsa forma, sed via ad formam; sed hæc ratio nulla est, ergo ex hac ratione non efficitur unionem hypostaticam non esse formam sanctificantem; major est adversariorum; minor prob. unio immediatè facta est inter divinitatem, & humanitatem Christi, ergo cum non sit extremum, quod unit, sequitur, quod sit quid distinctum ab extremis, sed unio est entitas absoluta involuens relationem transcendentalem ad extremum, scilicet ad personam, ergo est forma distincta, & forma sanctificans propter ordinem, qui attingit personalitatem Verbi. Prob. 2. & confirm. ex discrimine inter inhærentiam gratiæ habitualis, & unionem hypostaticam, nam inhærentia non est ratio, ob quam justus diligatur à Deo, vel Deo consecretur, sed unio est ratio, ob quam Christus, ipsiusque humanitas sunt objectum congruum divinæ dilectionis, & peculiari modo consecretur, ergo intrinsecè est forma sanctificans; prob. consequentia, simulq. minor, quia, illud est ratio formalis constituendi objectum congruum dilectionis divinæ, quo stante, non potest subjectum odio haberi à Deo, nec ullum committere peccatum, sed unio est hujusmodi, ergo, &c.

Dices, id competere unioni ratione termini personalitatis divinæ. R. conced. totum, & hoc idem & nos supponimus admittentes cum Seraph. D. ordinem transcendentalem intrinsecum ad divinitatem in unione hac.

Objic. 1. via ad formam non est ipsa forma; sed 44 unio est via sanctificandi humanitatem Christi per divinitatem, ergo non est forma sanctificans. R. viam ad formam non esse ipsam formam, ad quam terminat, concedo, secundùm aliam rationem genericam, nego: ad minorem: unio est via, concedo, sed cum hoc stat, quòd & ipsa est forma, sicut unio accidentis est accidens, & unio formæ supernaturalis est forma supernaturalis, & inhærentia accidentis, est accidens; hinc non sequitur, quod non possit esse sanctitas, si non secundùm speciem athomam cum sanctitate increata; quia divinitas non est, saltem secundùm aliam specificam rationem; ratio hujus doctrinæ est, quia unio ordinatur ad sanctificationem humanitatis, non tanquam extremum, sed tanquam radix, ex qua pullulat sanctitas, & gratia, ob idq. non est unio sanctitatis, sicut est unio gratiæ cum anima, sed est id, quo formaliter humanitas est sancta sanctitate promanante effectivè à personalitate, ideóq. unio se habet, ut forma uniens, & per ipsam unionem

unionem humanitas eſt Deo chara. Dices : Unio eſt cauſalitas, ergo non habet rationem cauſæ. R. unio actio eſt cauſalitas, concedo, unio paſſio, nego; eſt enim forma ſubſtantialis, & prima, & potior participatio ſanctitatis, quam ſit conjunctio per gratiam.

Objic. 2. cum Lugo citato, ut aliquid ſit forma ſanctificans, requiritur, ut ſit entitas divina, & participatio divinæ naturæ imitativa; ſed unio non eſt hujuſmodi, ſed ſolùm conjunctio cum divinitate, ergo non eſt forma ſanctificans, major eſt communis Theologorum; ſic enim charitas, & gratia ſanctificat, quia eſt entitas divina participata, aut imitativa, & relatio, perſonalitaſque divina ſanctificat, quia eſt entitas divina imparticipata; minor verò patet, quia non eſt aſſignabilis ratio, quam imitetur in Deo hæc unio hypoſtatica. R. conced. majorem, & neg. minorem, ut traditum eſt in 2. notabili, eſt enim entitas divina imitativa unitatis, & identitatis exiſtentis inter divinam naturam, & perſonalitatem, imò eſt imitativa unionis, quæ eſt inter divinas perſonas.

Objic. 3. cum Vaſquez : ſi unio hæc ſanctificaret formaliter, ſequeretur Deum non poſſe aſſumere naturam irrationalem, cum hæc non poſſit eſſe ſancta, nec Deo amica, conſequens eſt falſum, & contrà communem Theologorum, & implicantiam involuit, ergo, &c. R. conced. ſequelam majoris, & neg. minorem, horret enim animus Deum unitum belvinæ naturæ, idque indecentiſſimum eſt, ut infrà probabitur ex Seraph. Alenſe, Henrico, Mirandul. Riccardo, Gabriele, & aliis. Addimus, quod data iſta poſſibilitate, talis unio cum natura irrationali non ſanctificaret ipſam, ſed ſola unio cum natura rationali, quæ differt ſpecie ab illa ratione ſui termini; ſic & Lugo *num.* 28.

Objic. 4. cum Suarez : ab unione iſta non poteſt provenire impeccabilitas, infinitas valoris in ſanctificatione, & merito Chriſti, ergo, &c. Et confirm. quia talis unio non eſt in linea gratiæ ſanctificantis, ſed in linea conjunctionis ad divinitatem, ergo licèt ſecundùm rationem gratuitam ſit in linea gratiæ, non tamen ſanctificantis. R. neg. antec. ex parte impeccabilitatis, quæ ex hac unione provenit : tranſeat, quoad infinitatem valoris, & meriti actionum Chriſti; præcisè enim non eſt neceſſe, ut proveniat ex ipſa unione, ſed debetur ipſis actionibus Chriſti; addimus tamen, quod etiam talis valor exigitur ad complementum Chriſti ratione unionis. Ad confirmationem. R. unionem eſſe in linea conjunctionis, ſed ſimul etiam formæ ſanctificantis, ut ſuprà probatum eſt, nec enim ſanctificatio eſt ita propria gratiæ habitualis, quin etiam aliis rebus poſſit competere.

Objic. 5. cum Ovatio : monſtruoſum eſt ponere in Chriſto Domino tot formas ſanctificantes, nempè divinitatem, perſonalitatem, ſeu relationem, gratiam habitualem, & modum ſubſtantialem, qualis eſt unio. R. non ſolùm non eſſe monſtruoſum, imò & decentiſſimum recognoſcere in Chriſto ornatum omnis ſanctitatis, illam ornatam, & pulchram valentis reddere ſine confuſione : quæ quidem interveniret, ſi ponerentur alia forma ſanctificans in linea gratiæ habitualis, non verò recognoſcendo unionem in linea ſuperiori ſanctificantem. Imò addunt plures Theologi apud Lugo *cit. n.* 46. *&* 47. Chriſtum non ſolùm ſanctificari his omnibus, ſed etiam ex mediata conjunctione, quam ratione divinitatis habet cum Patre, & Spiritu S. hoc enim dicit maximam dignitatem in humanitate, ſcilicet conjungi mediatè cum perſonalitatibus divinis Et hinc ſequitur, quod etiam data tali unione ſanctificante admitti debet ſanctificatio in humanitate Chriſti ratione perſonalitatis divinæ, quia ipſam conſtituit participem entitatis divinæ verè, & realiter, ubidque & divinizat humanitatem, & reddit eam conſortem divinarum perfectionum.

Concl. 2. Unio hypoſtatica eſt radix phyſica habitualis gratiæ, & donorum ſupernaturalium, atque adeò hæc comparantur ad illam, ut proprietates connaturales illius : Eſt Seraph. D. ſupra cit. D. Thomæ 3. *part. q.* 7. *art.* 13. Granad. Durandi, Medinæ, Toleti *annotat.* 4.. aliorumque : partem oppoſitam ſuſtinent Suarez, Vaſquez, Alenſis, Lugo cit. aliique. Prob. 1. Unio hypoſtatica comparatur ad gratiam ſanctificantem, & dona ſupernaturalia ea ratione, qua divina natura comparatur ad divina Attributa, ſed iſta ſe habent veluti proprietates emanentes ab ipſa, licèt in rigore non ſint proprietates ob carentiam diſtinctionis à parte rei inter ipſa, ſe tamen habent ut tales, ergo, &c. Prob. major : Unio hypoſtatica eſt ſubſtantialis participatio divinæ naturæ ſecundùm entitatem, & ob id imitativa divinæ naturæ, ut comparatur ad divina attributa, ergo cum ſit prima radix perfectionis divinæ exiſtentis in humanitate ſe habet ad dona ſupernaturalia, ut fons radix, & origo ipſorum. Prob. 2. Ideo in Chriſto Jeſu requiruntur gratiæ, & dona ſupernaturalia, ut habeat in ſe principium proportionatum talium operationum, ſed talis exigentia reducitur ad unionem hypoſtaticam tamquam ad radicem talis exigentiæ, ergo unioni debentur gratia, & dona, veluti proprietates connaturales. Prob. conſeq. quia omne principium operandi fundatur in propria eſſentia, cui condebitum eſt; ſic intellectus, & voluntas debentur Animæ, calor igni, lux ſoli; ergo, & gratia, & dona ſupernaturalia debentur unioni, ut propriæ radici, & eſſentiæ, veluti proprietates connaturales.

Dices : refundi in humanitatem, vel perſonalitatem, vel in compoſitum, non in unionem. Contra non poſſunt refundi in humanitatem, quia eſt naturalis, non in perſonalitatem, quia eſt relatio, & per conſequens nec principium actionis; nec in compoſitum, quia in illo debet ſupponi aliqua forma, ratione cujus ſit principium emanationis, ergo nulla alia res poteſt aſſignari præter unionem, veluti principium, & radix emanationis iſtorum donorum.

Prob. 3. & explicatur, ratio ſupra tradita : gratia habitualis eſt debita unioni hypoſtaticæ, pertinenſque ad ejus integritatem, ut eſt principium actuum ſupernaturalium, ergo ab unione emanat, veluti proprietas : anteced. admittitur ab omnibus; conſequentia prob. ex philoſophia, quia quæ ſunt rei debita, & pertinent ad illius integritatem, ſunt proprietates conſequentes ad illam, ut ſupra in Notab. 4. dictum eſt, ut primæ qualitates in elementis, potentiæ in anima, ergo, &c. confirmatur, quia ſi Anima Chriſti non haberet ſanctitatem niſi ex gratia habituali, ſequeretur ejus opera non habere infinitum valorem meriti, quem tamen habent ex unione, ergo, &c.

Objic. 1. principium radicale alicujus proprietatis per ſimplicem emanationem debet eſſe entitas perfecta in ſua ſpecie; ſed unio hypoſtatica non eſt talis, cùm ſit modus potiùs, quàm ſit entitas,

titas, & natura perfecta, ordinaturque enim ad conjunctionem tantùm duarum naturarum, ergo, &c. Confirm. ratio: modus de se non est activus, & multo minus unio est vel activa, vel se habere potest ad modum actus primi respectu alicujus actionis vitalis, quæ ab illa procedat, ergo non est physica radix, &c. R. huic argumento Suarez disting. majorem: principium proprietatis debet esse entitas perfecta, si intelligatur de perfectione completa, nego, materia enim est de se imperfectissima, & tamen est principium emanationis proprietatum, sufficit enim, ut habeat propriam entitatem absolutam, licèt diminutam, in quo sensu negatur major, & minor, & maximè loquendo de unione hypostatica, cum sit perfectissima, & excellentissima, omniumque donorum maxima, & supræma excedens gratiam habitualem; unde si charitas, quæ est entitas inferior est principium proprietatum; multò magis hæc unio, quare licèt videatur ut modus imbecillis secundùm rationem genericam, per ordinem tamen ad terminum, & extremum ad divinam personalitatem, qui est illi intrinsecus, & substantialis est entitas perfectissima. Ad confirm. R unionem non esse activam, ut modus est, aliàs omnes modi essent activi, sed ut forma absoluta, & sanctitas est substantialis. Ad aliam rationem de principio actuum vitalium, negatur hoc esse necessarium, sic etiam charitas, fides, spes sunt principia formalia actionum vitalium, quæ dimanant à gratia habituali, & tamen gratia habitualis non est principium actionis vitalis, neque actus primus comparatus ad illam; sic negatur conseq.

Objic. 2. Res diversorum ordinum ita comparantur inter se, ut una non possit esse alterius proprietas naturalis, & physica; gratia enim non est proprietas naturæ, nec natura gratiæ; sed unio, & gratia sunt diversorum ordinum, ergo neutra potest esse alterius proprietas. R. neg. gratiam habitualem, & unionem esse diversorum ordinum, sunt enim omnes ordinis supernaturalis; undè unio, cum sit supernaturalis, complectitur etiam res naturales, ut corpus, carnem, animam, quatenùs sunt unita cum Persona divina.

Objic. 3. Major proportio est inter gratiam, & personalitatem Verbi, quàm inter unionem, & gratiam, ergo si gratia debetur unioni, erit tantùm ratione personalitatis, quam unio nectit. R. conced. antecced. neg. conseq unde gratia debetur humanitati ratione personalitatis, sed unitæ, obidque ratione unionis, cui debetur.

Objic. 4. si gratia habitualis dimanaret physicè à gratia unionis, dimanaret in certo, & determinato gradu; gratia autem non habet certum, & determinatum gradum, ergo si dimanaret physicè ab unione, dimanaret infinita; natura enim non impedita agit quantum potest, quod impedimentum non adest in unione; sed in Christo non est gratia hæc infinita, ergo non dimanat ab unione. R. gratiam Christi non esse infinitam simpliciter, & physicè, sed tantùm moraliter, vel extrinsecè dicimus ergo, gratiam hanc in Christo dimanare ex unione in certo, & determinato gradu, & non vago à Deo præfixo illi humanitati, quæ determinatio non provenit ex extrinseca Dei ordinatione, sed ex natura unionis sic creatæ à Deo.

Objic. 5. Principium emanationis proprietatum est etiam subjectum, in quo recipiuntur, sed gratia, & dona supernaturalia non recipiuntur in unione, sed in anima, ergo, &c. R. principium emanationis proprietatum est etiam subjectum receptivum illarum, vel mediatum, vel immediatum, scilicet totum conjunctum, & suppositum, sic potentia vegetativa emanat ab anima, & in corpore recipitur; dotes corporis gloriosi dimanant item ab anima, & tamen recipiuntur in corpore; sic gratia est ab unione, & recipitur in anima, & potentiis, sufficit autem, ut non fluant in alterum suppositum.

Objic. 6. si unio destrueretur, tamen gratia remaneret in Christo, ergo non est illius proprietas, gratia enim illa dependeret à solo Dei beneplacito. R. in tali casu etiam destruendam esse gratiam, quia eadem actione effectiva, & conservativa producta est, & conservatur gratia, cum unione, &c. Posset etiam Deus conservare illam gratiam, & tollere dependentiam priorem ab unione.

QVÆSTIO VII.

An humanitas Christi emerita sit unionem cum Verbo.

Quæstio hæc spectat ad rationem moralem 47
Incarnationis, ideo hoc loco solvenda est, & potest proponi in duplici sensu, nempè: an per gratiam, & actus antecedentes saltem prioritate naturæ incarnationem Christus potuerit mereri, vel saltem per opera consequentia, & futura; quæstio autem potest moveri, an de facto, an verò de possibili.

Not. 1. quòd à Fabro *d.44. n.34.* & à Suarez *d.10. s. 3.* citatur S. Bon. quasi asseruerit humanitatem Christi antè unionem informatam fuisse gratia, ob idque potuisse mereri ipsam incarnationem, quod nec somniavit Seraph. Doct. Not.2. & suppon. humanitatem Christi nunquam suppositum suum habuisse, sed tantùm alienum Verbi, & hoc est de fide. Suppon. 3. commune axioma receptum communiter in scholis nempè: Actiones sunt suppositorum: desumptum fuisse ab Arist. ex 2. *Met. tom.* 10. sed ab ipso diversis terminis prolatum tali pacto: Actiones sunt singularium, quia non cognoverat intercedere distinctionem realem inter suppositum, & individuum, vel naturam, quod nobis tantùm innotuit per hoc mysterium Incarnationis; unde communiter tali pacto pronuntiatur hoc axioma: Actiones sunt suppositorum, & ratio est, quia actio non tribuitur naturæ, nisi sit in supposito, ut notat Seraph. D. *d.3. q.4. corp.* ideóque actio est quidem formæ, sed ut in supposito, & ratio est, quia res debet esse priùs perfecta in esse suo, quàm operetur, operari enim sequitur ad esse, tanquam accidens ad substantiam.

Concl. 1. nec humanitas, nec Anima Christi 48
meruit de facto Incarnationem per opera, quæ vel tempore, vel natura præcederent ipsam: Prima pars est de fide; nempe Christum priùs tempore non meruisse Incarnationem; estque contra Euthichem, quia totum fuit factum in eodem instanti temporis, ut ait S. Bon. cum communi. 2. pars de prioritate naturæ prob. quia ante operari est esse completum, ergo priùs facta fuit incarnatio quàm Christus posset operari, tum quia omne meritum est à gratia habituali, sed ista non præcessit, quia alioquin fuisset Christus Filius adoptivus, ergo. Tum quia principium meriti non cadit sub merito, sed unio hypostatica principium est

est omnis meriti, quia ratione unionis omnes actiones Christi fuerunt meritoriæ, ergo, &c. tum quia actiones sunt suppositorum, sed natura humana in Christo non habuit unquam aliud suppositum, quàm divinum, ergo ante unionem non potuit facere opera meritoria.

Objic. 1. illud Psalm. 41. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus oleo, &c.* idest te incarnari fecit; sed, ly, *propterea* notat causalitatem; ergo, &c. Resp. juxta phrasim hæbraicam, ly, *propterea* non dicit causalitatem efficientem, vel meritoriam, sed solùm finalem, quo pacto sensus est: ad hunc finem unxit te Deus, ut diligeres justitiam. Objic. 2. ex Apoc. *cap. 5. Dignus est Agnus, qui occisus est accipere divinitatem*; sed hoc est mereri Incarnationem, ergo, &c. Resp. quòd accipere divinitatem significat ibi manifestationem Divinitatis, & exaltationem sui Nominis: vel etiam dici Christum meruisse unionem hypostaticam, quæ facta est in resurrectione, sicque est idem ac dicere, Christum meruisse suam resurrectionem.

49 Concl. 2. de potentia Dei absoluta potuit Anima Christi, & ejus humanitas mereri de congruo Incarnationem, per opera, quæ ipsam præcederent reali duratione, non verò de condignò: ratio primæ partis de merito congruo est, quia potuit Deus facere humanitatem cum propria substantia, & ipsam replere gratia, sicque actibus meritoriis potuisset ipsam de congruo mereri: ratio secundæ partis de condigno est, quia nullum opus potest æquiparari Incarnat. Verbi Dei.

Concl. 3. De potentia Dei absoluta non potuit Christus mereri Incarnationem per opera solùm prius natura facta, est communis: ratio est, quia licèt priùs natura fuerit producta humanitas, quàm assumpta, tamen fuit ista productio tam connexa cum productione unionis; sicuti est connexa productio formæ Leonis cum productione unionis cum sua materia; sed inter istas duas actiones non potest mediare aliquid, quod sit prius natura actione posteriori, & posterius priore, ergo nec inter actionem illam productivam humanitatis, & inter aliam ejusdem unitivam cum Verbo.

Objic. S. Bon. *lib. 3. dist. 18. q. 1.* admittere tanquam probabilem opinionem asserentium Christum in primo instanti habuisse habitum gratiarum, & earum usum, & meritum; hinc & Thomistæ asserunt, Angelos creatos in gratia in primo instanti habuisse gratiam, habitum, & simul usum, & meritum, ergo multò magis id debet concedi Christo. Resp. neg. paritatem de Angelis, & de Christo, nam productio humanitatis Christi habuit immediatam, & necessariam connexionem cum ejusdem unione ad subsistentiam, ut posset agere, non sic in Angelis in quibus potuit intercedere meritum de congruo inter productionem, & receptionem gratiarum.

Concl. 4. Christus non meruit, nec mereri potuit Incarnationem per opera subsequentia etiam de potentia absoluta, nec quoad intentionem, nec quoad executionem; prima pars de ordine intentionis patet, quia Incarnatio est principium omnis meriti; ergo non posset cadere sub merito: secunda pars contra Suar. etiam patet ex eadem ratione. 50

Q. *An Sancti Patres potuerint, vel de facto meruerint Incarnationem Verbi?* Seraph. D. *lib. 3. d. 4. art. 2. q. 1.* Resp. quòd Incarnatio, quoad substantiam, non potuit cadere sub merito, cum excedat omnia merita, & sit fundamentum totius meriti, quoad efficaciam verò in ordine ad liberationem à culpa, nec potuit cadere sub merito: quantùm verò ad liberationem à carentia Visionis divinæ, & captivitatem Diaboli potuit cadere sub merito congruo; quantùm ad circumstantiam temporis potuit cadere sub ratione meriti, fundati tamen in meritis Christi: de hac materia vide Vegam in Theologia Mariana à *n.* 1702.

Q. 2. *An B. Virgo meruerit Incarnationem, & Maternitatem Dei?* Nota, quòd hic ex professo non agimus de meritis B. Virginis, nam istam materiam expendemus post tractatum de meritis Christi, fusè, & ex professo, sed solùm tangimus ea, quæ respiciunt rationem formalem moralem Incarnationis. Hinc cætera remittentes ad citatum locum. Resp. ex Seraph. D. supra cit. q. 2. Mariam Virginem meruisse merito digni Incarnationis accelerationem, aliasque plures circumstantias; declarat autem Seraphicus D. quid sit meritum congrui, quid digni, quid condigni: Primum non habet proportionem ad præmium, sed tantùm aliquam convenientiam, ut est dispositio per gratiam prævenientem in peccatore: secundum habet dignitatem quandam ex parte merentis, licèt ex altera parte deficiat; ut si Justus oret pro peccatore. 3. de condigno est quod ex gratia procedit, & ex rigore æquatur ad præmium, illudque meretur, ut est in Justo operante. Hinc ait S. Bon. Mariam non meruisse de condigno divinam Maternitatem, quia hæc excedit omne meritum adoptionis, cum sit ordinis hypostatici, sed meruit ante Incarnationem ipsam maternitatem merito congrui, quia præ suâ nimia humilitate, & benignitate idonea erat ad ipsam: post annuntiationem angelicam habuit & dignitatem, digna enim fuit, ut Mater Dei efficeretur, non verò meritum habuit condignum, quia non potuit ejus meritum æquiparari tantò mysterio; sed hæc satis sint, nam de hac materia aliàs agemus.

DISPVTATIO III.

De Causa efficiente, & Materiali Incarnationis, seu de Natura assumente, & assumpta.

INcarnationis unio mediat inter duo extrema, aliud est Persona assumens, aliud est Natura assumpta, illud est Persona Verbi, istud humanitas ipsius, hinc majoris brevitatis gratia de hoc duplici extremo agendum est in hac disputatione, & primò de Persona assumente. 2. de assumpta. Et quia ad Personam assumentem spectat etiam causa efficiens, hinc in prima parte primò de causa propriè efficiente agendum, posteà de Persona assumente, & hinc posteà transiemus ad causam materialem, quæ omnia exagitabimus & de possibili, & de facto.

QUÆSTIO I.

An unica Persona, an potiùs tota Trinitas fuerit causa efficiens Incarnationis, & cur, & quomodo attribuatur Spiritui sancto.

51 COncl. 1. tota Trinitas fuit causa efficiens Incarnationis: Est Seraph. Doct. *lib.* 3. *d.*4. *q.* 1. *& in Brevil. & in Centiloq.* Estque de fide; & ratio est, quia opera Dei à dextra sunt indivisa, procedunt enim à tribus Personis, & sunt unum in voluntate, potentia, sapientia, bonitate, & operatione, ergo, &c. An verò possit fieri à Creatura tantum opus tamquam causa principali, vel instrumentaria, est in quæstione; communiter negatur, quoad causam principalem, quia sic haberet actionem super divinam Personam, quod est impossibile; quoad causam instrumentalem, multi admittunt talem concursum in B. Virgine, de quo plura infrà tractanda ad gloriam B. Virginis.

Concl. 2. Incarnatio, licèt fuerit actio totius SS. Trinitatis, convenienter Spiritui S. attribuitur. Est S. Bon. *dist.*4. *q.*1. & est certum apud Chatolicos. Prob. & explicatur à Seraph. D. opus divinæ Incarnationis potest considerari. 1. quantum ad unibilia, sic est manifestativum divinæ potentiæ valentis unire infinitè distantia. 2. in ordine ad unionis modum, sic est manifestativum divinæ sapientiæ ob maximam congruentiam talis modi ad reparationem hominis. 3. in ordine ad unionis fructum, sic manifestativum est divinæ bonitatis, Misericordiæ, & Charitatis, ob quam Filius se obtulit Patri in odorem suavitatis, nec despexit infirmitatem nostram; item est manifestativum Divinæ Justitiæ, quoniam homine victo, per illum, & non per alium fecit vincere Tirannum; & hinc ratione horum appropriatorum potest tantum opus appropriari tribus Personis Divinis, sed magis tamen convenienter Scriptura appropiat Spiritui S. tum ad exclusionem erroris, ne diceretur Christus conceptus ex fœditatis, & commixtionis carnalis concupiscentia; tùm ad veritatis manifestationem, ut innotesceret amorem divinum præparasse Virginem ad Filii Dei Incarnationem, & hinc ut patesceret non solùm amor infinitus Dei, sed etiam amor Mariæ.

Concl. 3. Licèt Christus sit conceptus de Spiritu S. non tamen potest dici Filius Spiritus S. sicut nec Filius totius Trinitatis. Est de fide, & S. Bon. *dist.*4. *art.*1. *q.*2. *&* 3. Prob. quoad primam partem, quia à Spiritu S. non producitur similis in natura per istam missionem, sicut procedit de Maria Virgine: tum quia per hoc vitatur error, ne credatur Christus conceptus ex Maria tanquam Matre, & ex Spiritu S. tanquam Patre: tum etiam ne confusio sit æternarum relationum, cum proprium sit Patris generare Filium, ideò nullatenus admittitur Christum esse Filium Spiritus S. in quo Christo non est alia Persona, quàm illa, quam ab æterno Pater genuit. Et quoad 2. partem non dicitur Filius SS. Trinitatis, ad evitandos errores Hæreticorum, & primò Sabellii, qui posuit proprietatem Patris in tribus Personis. 2. Arii, qui dicebat, Christum esse creaturam factam à tota Trinitate. 3. Nestorii, qui ponebat in Christo duas naturas & personas, divinam, & humanam, hancque esse Filiam Dei per gratiam: Vide S. Bon. qui in solutione tradit pulcherrima ad mores & usum Concionatorum.

Q. *Quomodo tota Trinitas sit in Christo.* Resp. communiter Theologos, exceptis aliquibus paucis, asserere, Patrem, & Spiritum sanctum esse in humanitate per concomitantiam, quod & probatur ex pluribus textibus sacræ Scripturæ à Seraph. D. expensis apud P. Gaud. *dist.* 6. *quæst.*5. ratio est, quia cum in humanitate per se sit Verbum unitum personaliter, & immediatè, mediatè verò etiam ejus divinitas, per consequens etiam est ibi Pater, & Spiritus S. & hinc inferunt Doctores, quod si per impossibile Divinæ Personæ non essent ubique per immensitatem, ratione tamen hujus unionis essent in humanitate hac, Verbum quidem per se, & immediatè, & cæteræ Personæ per concomitantiam.

De Persona Assumente.

QUÆSTIO II.

An Persona creata possit terminare alienam naturam.

52 PRima opinio, seu potiùs error id affirmat, ideóque asserit, Angelos, cum assumunt corpora, ea sibi hypostaticè unire, sic Tertull. & Origenes voluit, Malachiam fuisse Angelum incarnatum, & Joannem Baptistam, aliosque Sanctos: rejicitur tamen hæc sententia communiter à tota Caterva Theologorum. 2. Opinio id admittit de potentia Dei absoluta, sic Ochamus *l.* 3. *d.* 1. Gabr. Major, Faber, aliique. 3. Opinio est negativa, & communis cum Seraph. D. D. Thoma, aliisque.

Not. 1. & supponendum, quod traditum est ex Seraph. *d.* 1. *q.* 2. ubi probata fuit possibilitas Incarnationis: & hoc, quia ex parte Dei adest omnimoda independentia, obidque valens terminare dependentiam quamcumque in eo genere; tùm ex eo quod Creatura sit in omnimoda potentia obedientiali in ordine ad Deum, hinc nulla repugnantia adest (ait Seraph. D. *d.* 6. *q.* 5. *ad* 5.) quin possit subjici divinæ omnipotentiæ.

Concl. Implicat contradictionem, aliquam personam creatam assumere sibi alienam naturam in unitate personæ. Prob. ex doctrina Seraph. *d.* 1. *q.* 1. *& d.* 6. *citat.* Vt aliqua persona se extendat ad alienam naturam, debet habere ad eam aliquam ordinationem, aut naturalem, aut supernaturalem, cui passiva obedientialis respondeat; sed persona creata nullam habet similem ordinationem ad alienam naturam, ergo, &c. Major est evidens, quia talis unio importat excessum subsistentiæ super aliam naturam; minor prob. quoad potentiam naturalem; nam illa potentia esset substantialis excessus subsistentiæ suprà propriam naturam, ita ut non adæquaretur à natura, & ita appeteret naturaliter extendi, & habere suum actum adæquatum, & ad eum tenderet naturaliter, ergo posset ad actum reduci talis potentia, & aliquandò fuisset factum, sicque non posset appellari miraculum miraculorum unio Verbi hypostatica, nec indigeret alià potentia majori, ut advertit S. Bon. *d.* 1. *q.* 1. *& in Luc. c.* 1. ad illud Verbum: *Non erit impossibile apud Deum omne Verbum;* Tum etiam quia daretur in Personis creatis aliquid substantiale superfluum; tùm quia ad talem unionem requiritur (ait Seraph. *l.* 3. *d.* 1. *q.* 1. *ad* 4.) proportio ordinis; sed iste ordo consistit in dependentia essentiali, & potentia obedientiali ad divinam potentiam; & cum non adesse possit talis ordo inter substantias creatas; sequitur nec posse fieri talem terminationem, & unionem: Tum quia quælibet substantia creata habet personalitatem commensuratam ad unguem suæ naturæ, nec illi excedentem; ergo non potest se extendere ad alienam: tum quia persona creata aliam sustentans, debet hanc prævenire, eique dare esse in alio per potentiam superiorem, & independentem; sed hoc est contra naturam substantiæ, sicut esse in se est contrà naturam accidentis; & probatur, quia de ratione personæ est incommunicabilitas, quæ est in qualibet natura creata: *Vide d.* 1. *q.* 1. in textu Seraph. *Vbi tangit omnes istas rationes fundamentales.*

Objic. 1. Major est proportio naturæ creatæ ad suppositum creatum, quàm ad increatum, ergo sicut increatum potest terminare alienam naturam, à fortiori poterit creatum. R. Major proportio naturæ creatæ ad suppositum creatum, quàm ad increatum, distinguo; in ratione entitatis limitatæ, & finitæ virtutis, concedo; in ratione sustentantis, & sustentabilis, nego: ratio est, quia ad talem sustentationem requiritur virtus infinita, & independens, qua caret suppositum creatum: Instant Scotistæ: independentia necessaria ad sustentationem non est necessarium, quod sit illimitata, & absoluta, sed sufficit, ut sit apposita dependentiæ naturæ, ergo nulla responsio. R. nos assignasse propriam rationem talis impossibilitatis, nempè limitationem suppositi non excedentis propriam naturam, obidque redditur alteri incommunicabilis. Instas iterum: suppositum creatum supponit accidentia extranea, v. g. aqua calorem, ergo & potest sustentare substantiam extrinsecam. R. negando paritatem: accidentia enim dicunt ordinem ad quodcumque subjectum, non sic verò suppositum, & substantia, quæ inter se habent propriam limitationem, & ordinationem.

QUÆSTIO III.

An natura divina possit terminare naturam creatam, vel ipsam assumere?

QUæstio ista procedit de Natura divina, abstractis personalitatibus; in qua pro solutione quæstionis notat Seraph. D. *l.* 3. *d.* 3. *q.* 1. quòd tàm per verbum uniendi, quàm assumendi importatur unio Divinæ Naturæ ad humanam, sed differunt quantùm ad modum significandi, quia verbum uniendi dicitur ab unione, quæ magis importat relationem, quàm actionem; verbum autem assumendi dicitur ab assumptione, quæ principaliter importat actionem; & hinc sequitur quod dato, quod Divina Natura uniat sibi humanam naturam, nullo tamen modo conceditur, quod assumat ipsam, quia assumere est ad se sumere terminum tàm actionis, quàm relationis, quod non importat præcisè unio; potest enim aliquis unire sibi, vel alii; hinc sequitur, quod assumere propriè dicit ad se sumere aliam naturam in unitatem naturæ, quod non conceditur. 53

Concl. 1. Divina natura non assumpsit sibi naturam humanam, nec potuit assumere in unitatem naturæ; & probatur à Seraph. D. quia alioquin tres Personæ manerent unitæ cum humanitate, quod est falsum, est enim natura divina una in tribus; & probatur sequela, quia si aliquod unum, in quo plura uniuntur, simpliciter unitur alteri, oportet, ut istud uniatur, ut si punctum, in quo lineæ tres uniuntur, unitur alteri, oportet & tres lineas manere unitas; sed Personæ divinæ magis uniuntur in essentia, quàm tres lineæ in puncto, ergo, &c. Hoc verò non sequitur in unione facta in Persona, quæ ab aliis realiter distinguitur.

Concl. 2. Divina natura potest dici assumpsisse hominem prout dicit actionem uniendi, quia ad actionem concurrit divina Essentia, terminando ipsam ad unam personam.

Objic. 1. Concilium Toletanum determinasse, quòd licèt tota Trinitas operata sit Incarnationem; solus Filius tamen assumpsit hominem in unitate Personæ, non naturæ, ergo si hoc Filio soli convenit, non potuit convenire naturæ; tùm etiam quia Pater, & Filius, & Spiritus S. nullo modo differunt in natura; sed assumptio non convenit Patri, nec Spiritui S. ergo, nec naturæ. R. S. Bon. quòd, ly, solus, non excludit naturam, quæ est in Persona, & prædicatur de persona, sed excludit alias duas personas; præterea auctoritas illa non dicit simpliciter, quòd solus Filius susceperit, sed quòd susceperit in unitatem personæ. Ad aliud, licèt sit eadem natura in tribus, non per hoc tollitur differentia inter illas realis; & in eadem persona natura, & personalitas differunt ratione, vel attributione, scilicet ex natura rei, aliquid enim attribuitur Personæ, quòd non naturæ, & è converso, ideò non sequitur divina natura est in tribus, ergo Pater est in tribus, sic nec divina natura unit sibi humanam naturam; ergo Pater sibi univit, sic enim esset fallacia accidentis, quæ doctrina debet diligenter adverti ad solvenda alia objecta, in quibus fit communiter transitus ab unitate secundùm naturam, ad unitatem personæ; essentia enim sibi unit humanitatem, non in sui unitate, sed in unitate personæ.

Concl. 3. Assumptio, & Unio propriè convenit Personæ divinæ prout dicit actionem, & relationem inter extrema, soli verò personæ prout dicit terminationem: Est S. Bon. citati *q.*3. ratio primæ partis est, quia assumptionis nomen involuit actionem, relationem, & terminationem; prima competit personæ ratione naturæ, quia dicit actionem, quæ ab essentia originaliter procedit; relatio competit & naturæ, & personæ, nam divina natura, & divina Persona unitur humanæ, & humana natura unita est divinæ naturæ, & personæ, & ad utramque habet ordinem, & distinctionem formalem, & gratuitam conjunctionem, quæ involuuntur in illa relatione: ratio secundæ partis est, quia terminatio convenit naturæ ratione personæ, & ipsa persona terminus est assumptionis propriè, & per se.

Concl. 4. Abstractis per intellectum proprietatibus relativis in Deo, non potest intelligi Divina natura uniri humanæ: Est S. Bon. & communis *lib.*3. *d.*5. *q.*4. ratio est, quia natura non potest intelligi agens nisi ut in supposito, actiones enim sunt suppositorum, & agens esse debet ens completum in se, & ideò subsistens: tum quia talis natura, præcisis personalitatibus, non habet in quo possit uniri cum humana natura; non enim petit uniri in forma, &c. ut suprà probatum est: tùm quia assumere est ad suam unitatem sumere, & abstractis personis, remanet sola natura, quæ non potest fieri una cum humanitate, ergo, &c.

Dices: abstractis personis, divina natura intelligitur ut summè potens, summè sapiens, & summè bona, ut creaturarum effectiva; sed opera Dei sunt ad extrà indivisa, ergo intelligitur ut potens assumere carnem. R. S. Bon. primò neg. majorem: nunquam enim intelligitur aptus operari ad extra, antequam sit in se perfectè ad intra subsistens per relativas proprietates; necessariò enim qui cogitat Deum, cogitat ut aliquem habentem deitatem, sive naturam intellectualem. R. 2. transeat major de causa efficiente, sed negatur consequentia, quia ad assumptionem requiritur non solùm causa efficiens, sed etiam illud, in quo fiat unio, quod deficit in natura divina, abstractis personalitatibus. Addit Seraph. Doct. quod abstracta distinctione personarum, & supposita ipsarum unitate, & identitate, ita quod per impossibile esset in divinis una Persona, v. g. Patris, tunc etiam posset intelligi possibilis incarnatio, sed non ità congruè, ut facta est in secunda persona, ratio est, quia adesset personalitas terminans naturam humanam.

QUÆSTIO IV.

An una persona possit uniri humanæ naturæ sine altera? & an una Persona possit uniri pluribus naturis? item an possit uniri cum alia in eamdem naturam numero.

Quæstio hæc est tripartita, partes tamen habent maximam connexionem ad invicem. 54
Et quoad primam & secundam partem non est discrepantia inter Theologos, cum sit de fide, Verbum solùm assumpsisse humanam naturam; & cum non possit afferri repugnantia in personatione, & unione plurium naturarum in una persona; sed difficultas est in 3. parte. In qua. Prima opinio est Alberti, Riccardi, Scoti, plurimorumque aliorum, implicare, eamdem numero naturam diversis personis proximè uniri. 2. Opinio est Alens. D. Thomæ, aliorumque plurimorum admittentium, tres Personas posse simul assumere eamdem numero naturam. Seraph. D. *dist.*1. *a.*1. *q.*3. citatur ab assertoribus utriusque sententiæ: nam in corpore quæstionis negat id posse fieri, in fine quæstionis se explicat loqui secundum modum, quo facta est unio de facto, sed addit, quod fortè alii modi essent possibiles Deo, & hac ratione invitus trahitur Seraph. D. à Gaud. *dist.*8. *q.*7. ad partes Thomistarum, qui ad id probandum plures rationes affert tanquàm Seraph. D. quas nec ipse somniavit, quod etiam notavit Mastrius *num.*300. nam expresè stat cum prima sententia.

Not. 1. quòd in tantùm non potest Verbum, vel alia Persona assumere plures naturas, in quantum terminatio ejus activa fuisset expleta in ordine ad unicam, simulque potentia obedientialis cum sua dependentia alterius naturæ: Cum autem Personalitas Verbi sit illimitata, & æqualis potentiæ ad omnes alias naturas creatas, nec exhauritur per unicam terminationem, hinc nulla repugnantia sequitur, quin posset assumere plures naturas creatas. Not. 2. S. Bon. *cit. q.*2. quod unio hypostatica, in qua persona divina fit suppositum humanæ naturæ, duo continet, primum est comparatio creaturæ ad Deum secundùm susceptionem alicujus completionis, & hoc pacto importat habitudinem Dei ad creaturam per modum causæ, & tali pacto est quid commune tribus: secundum est comparatio secundùm habitudinem relationis, & suppositi, & hoc pacto potest esse alicujus Personæ determinatè, & distinctè sine alia, cum relationes differant inter se, & cum divinæ Personæ, licèt conveniant in natura, differant per relationes;

hinc sequitur posse naturam humanam sustentari ab una persona absque alia.

Not. 3. Difficultatem potissimam circa tertiam quæstionis partem esse in assignanda contradictione talis possibilitatis trium personarum in una natura. Seraph. D. *q.* 3. citatus assignat hanc contradictionem, nam talis assumptio unius hominis ad unitatem talem, quæ faceret communicationem idiomatum: vel esset ad unitatem, quæ se teneret ex parte assumentis, vel assumpti: si ex parte assumentis, cum in ipso non sit nisi unitas naturæ, & personæ, & per consequens assumeretur natura humana vel ad unitatem naturæ, vel personæ, & utrumque est impossibile simpliciter, nam plures personæ non possunt convenire in una persona, nec natura creata, & increata possunt transire in unam naturam; si autem assumeret in unitate, quæ se tenet ex parte naturæ assumptæ, cum illa sit unitas individualis, assumerent in unitatem individui, sed adhuc hoc est impossibile, quia assumens non trahitur ad unitatem assumpti; nam assumere est ad se sumere; sicque talis assumptio fit in unitatem personæ, sicque tres personæ coalescerent in unum, quod est impossibile: si verò assumptio fiat ex parte assumpti, scilicet individui; cum unitas stet ex parte assumpti, non assumentis, sic assumens, non assumet ad sui unitatem, sed ad aliam, scilicet cum alia persona: & quia assumere est subsistere humanitatem in Verbi supposito, hinc subsisteret in se, & non subsisteret, quia subsisteret in alio.

55 Concl. 1. Una divinarum personarum sine altera potest uniri naturæ humanæ: Est communis, & de fide ex S. Bon. *ad* 1. *q.* 2. Prob. ex Joan. c. 1. Verbum caro factum est, sed Verbum nominat secundam personam; ergo, &c. 2. quia Incarnatio est in carnem Missio, sed una persona sine altera potest mitti, quia nunquam Pater legitur missus; ergo, &c. 3. Incarnatio est unio in persona; sed alia est persona Patris, &c. ergo, &c.

Objic. 1. ex Damasceno: In divinis omnia sunt unum præter ingenerationem, generationem, & processionem; sed incarnatio non est aliquid horum, ergo, &c. R. Seraph. D. incarnationem non esse aliquid horum, sed tamen aliquid horum, includit, nempe personalem distinctionem, ad quam terminat unio. Objic. 2. opera Trinitatis sunt indivisa; ergo, & incarnatio. R. Seraph. D. pro ut dicit actionem, concedo, pro ut relationem, & terminationem, nego, & hac distinctione solvuntur cætera objecta.

Concl. 2. Nulla implicantia adest, quòd eadem persona divina non possit uniri pluribus naturis: Est communis omnium Theologorum; & S. Bon. *d.* 1. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 2. Ratio est, quia per unam unionem non exhauritur potentia terminativa personæ, quæ est infinita, nec tollitur dependentia, & potentia obedientialis in aliis naturis; tum quia in triduo Verbum unitum fuit duabus naturis.

Dices: Virtus generativa in Patre est infinita, & tamen terminatur ad unicum Filium; ergo licèt Persona divina infinitam habeat terminandi virtutem, non potest nisi unam terminare. R. negando conseq. & paritatem: Ratio est, quia si virtus generativa in Patre est infinita, etiam Filius est infinitus, & proinde terminus adæquatus potentiæ generativæ, at independentia Verbi non adæquatur per solam terminationem dependentiæ unius naturæ creatæ, quia in infinitum excedit.

Q. *An in tali casu talis persona diceretur unus homo, an plures homines?* R. ex doctrina Seraph. D. *d.* 6. *a.* 1. *q.* 1. *&* 2. quòd minus propriè potest dici plures homines, propriè verò unus tantùm homo; sic etiam Scotus ibidem; nam ad multiplicationem concretorum substantialium non sufficit sola multiplicatio formarum, sed requiritur etiam multiplicatio suppositorum, quæ regula non currit in concretis accidentalibus, quæ numerantur ad multiplicationem subjectorum, quæ sola terminant dependentiam adjectivi numeralis; quæ regula logicalis currit in concretis numeralibus substantialibus in ordine ad multiplicationem, non verò in ordine ad unitatem, quæ potest determinari ab adjectivo unitatis per solam dependentiam ad formam sine ulteriori dependentia ad suppositum, adeò quod certum sit, solùm unitatem formæ inferre unitatem concreti substantialis, etiam si supposita sint plura, qua ratione tres personæ dicuntur unus Deus ob solam unitatem naturæ: ratio est, quia unitas pertinet ad naturam, multitudo ad supposita, ob idque adjectivum multitudinis tribuitur naturæ pro ut supponit personaliter, adjectivum unitatis pro ut supponit simpliciter; vide quæ tradit Seraph. D. *d.* 6. *q.* 1. *& l.* 1. *d.* 11. *q. ult.*

Concl. 3. Implicat contradictionem plura supposita divina posse assumere eandem numero naturam. Est S Bon. *d.* 1. *a.* 1. *q.* 3. Scoti, & sequacium, 56
& communior & patenter Divus Anselmus apud S. Bon. idem affirmat: ratio verò implicantiæ adducitur à S. Bonav. ex hoc, quod talis unio non posset verificari nec in natura divina, nec in personis: in natura quidem, quia natura divina, & humana non possunt convenire in unum: in Personis, quia tres Personæ in Persona non conveniunt, sed distinguntur personaliter. Scotus affert aliam rationem, quia non possunt dari ejusdem effectus plures dependentiæ totales ejusdem rationis, etiam de potentia Dei absoluta, alioquin simul dependeret essentialiter, & non dependeret; sed si eadem natura à pluribus personis simul assumeretur, haberet simul plures dependentias essentiales totales, & ejusdem rationis: major supponitur à Mastrio probata in Philosophia, quam tamen nos non admisimus: ex eo quod potentia obedientialis in ordine ad Dei potentiam non evacuatur per dependentiam unicam. Unde patitur ista ratio varias difficultates, nec certè probat talem implicantiam, quod & fusè expendunt Suarez, Caspens. Beccanus, & alii; dicentes, quod in tali casu non sequeretur, eundem effectum pendere à pluribus causis totalibus, sed potius plures terminationes unius naturæ dependere à pluribus personis. Probat 2. Seraph. D. conclusionem, quia si talis unio tribueret communicationem idiomatum, sicque in tali casu homo idem esset Pater, & Filius, & Spiritus S. sed ratione communicationis idiomatum Pater esset Filius, & Spiritus Sanctus, & è cònverso, sicque in tali casu periret personalis distinctio. Pr. 3. Si plures personæ assumerent unum, & eundem hominem, id esset vel unica actione, vel pluribus; si unica actione, ergo cum Pater, & Filius, & Spiritus S. non communicent, nisi in essentia, unio illa esset in aliquo essentiali, quod est impossibile; si pluribus actionibus; ergo plures essent incarnationes respectu unius carnis, sed hoc est impossibile, ergo, &c. Prob. minor, quia incarnatio non habet inceptionem, nisi ratione carnis; ergo numerari debet tan-

tùm ratione carnis, ſed unica eſt caro, ergo eſſet multiplex, & unica incarnatio. Pr.4. à Scoto, & eſt etiam D. Anſel. qui arguit, infinitatem non poſſe communicari creaturæ, ſed poſſe eſſe in pluribus ſuppoſitis, ſimul arguit in natura infinitatem: ergo, &c. Major eſt certa, minor prob. à ſimili, ideo natura divina poteſt eſſe eadem ſine ſui diviſione ſimul in tribus ſuppoſitis, quia eſt infinita ex S. Bon. *l.*1. *d.* 8. *p.* 2. *q.* 1. Pr 5. à Scoto: Si natura humana poſſet habere plures perſonalitates perfectas increatas: ergo multò magis poſſet etiam propriam perſonalitatem finitam cteatam habere, & ſimul increatam alienam, vel plures creatas. Patet conſequentia: Si poteſt habere plures terminationes alienas, poteſt habere etiam propriam, cum non ſit major ratio de una, quàm de alia, ſed conſequens eſt falſum, quia quælibet reddit naturam incommunicabilem, ut quo, & ut quod: ergò, &c.

56 Objic. 1. Humana natura idoneitatem habet ad hoc, ut aſſumi poſſit à Verbo in quantùm eſt imago Dei: ſed una, & eadem anima eſt imago trium perſonarum ſimul, & ſemel: ergo & poteſt aſſumi ſimul, & ſemel à tribus. R. S. Bon. neg. paritatem de imagine, & unione; anima eſt quidem aſſumptibilis ratione imaginis repræſentantis tres perſonas non ſecundùm id, vel illius, in quo eſt imago, ſed ſecundùm aliquid ſui, ſcilicet potentias rationales: Unio verò hypoſtatica totam humanam naturam in atomo, & ſecundùm totum facit unire divinæ perſonæ, ita quod tota ſuſtentificatur in una tanquàm in una propria hypoſtaſi; unde anima poteſt quidem repræſentare plures perſonas ſecundùm differentes proprietates, non verò una natura uniri ſimul pluribus perſonis.

Objic. 2. una perſona poteſt aſſumere plures naturas: ergo & poteſt una natura aſſumi à pluribus perſonis: R. neg. conſeq. & paritatem: ratio diſparitatis eſt ſuprà aſſignata, quia unio incarnationis fit in unitatem perſonæ, non naturæ, ideo pluralitas naturarum non ſic repugnat unioni incarnationis, ſicut pluralitas perſonarum.

Objic. 3. plures perſonæ poſſunt communicari in eadem ſubſtantia divina; ergo, & per unionem gratuitam poterunt communicare in eadem natura creata: hoc eſt argumentum, quod pro ſe conficit Suarez R. S. Bon. neg paritatem: ratio diſparitatis eſt, quia unitas perſonarum in una ſubſtantia dicit convenientiam in natura, quæ non repugnat diſtinctioni perſonarum, ſed unio gratuita dicit convenientiam non in natura, ſed in perſona, ideoque pluralitas perſonarum repugnat unitati unionis: vide Maſtrium *n.*292.

Objic. 4. Si adeſt impedimentum, quin una natura à tribus aſſumatur, hoc erit vel ex parte naturæ creatæ, vel ex parte Perſonæ divinæ; non primum, quia creatura eſt in perfecta potentia obedientiali ad Deum; nec ſecundum, quia inter divinas perſonas nulla eſt reſiſtentia, vel repugnantia, cum habeant circuminceſſionem ad invicem: ergo, &c. R. Seraph. D. quod repugnantia non eſt ex parte perſonæ per ſe, neque ex parte naturæ per ſe, ſed ex modo unionis, nempe quia divina natura unitur humanæ in unionem perſonæ; incompoſſibile eſt, quod in illa unione ſit entitas extremorum, & pluralitas ex parte medii, in quo attenditur illa unio, unde ſicut incompoſſibile eſt, quòd plures perſonæ ſint una perſona, non propter repugnantiam perſonarum, ſed propter implicantiam duorum oppoſitorum, ſic in propoſitio incompoſſibile eſt, quod ſint una perſona, & plura, unus homo, & plures.

Concl. 4. Satis probabilis eſt ſententia oppoſita affirmativa, ſi ſumatur ſecundùm aliquem alium modum diverſum ab unione, quæ facta eſt ſecundum communicationem idiomatum, per quem modum Filius Dei factus eſt homo. Sic S Bon. ad finem quæſt. qui talem limitationem aſſignat, nempe in dato caſu, quod tres perſonæ aſſumerent eandem naturam individuam, tunc non coaleſceret ex tribus perſonis una perſona, ſed coaleſceret unus homo aſſumptus à tribus, ita quod in illis tribus perſonis eſſet communis unitas ſingularis naturæ aſſumptæ, non unitas perſonæ; cum natura creata ſit in perfecta potentia obedientiali ad Deum: Subdit autem Seraph. D. ſed cum id rationabiliter ſit ab aliquibus dictum tamen quicquid ſit de hoc, illud pro indubitanti habendum eſt, quod modo aſſumenti prædeterminato impoſſibile eſt, unum, & eumdem hominem aſſumere propter multiplicationem implicitæ contradictionis, quia ſequeretur, quod Filius eſſet Pater, quod & notavit Maſtrius *n.* 300. & hinc patet, quod Seraph. D. appoſuit hanc limitationem ob ſuam modeſtiam addendo, quod fortè non deeſt alius modus omnipotentiæ divinæ fiendi hanc aſſumptionem in tribus perſonis, ſed tamen non recedit à ſua opinione, & contradictione, quam cognoſcit in modo unionis, quo nunc natura fuit Verbo unita. Unde etiam patet, quàm fruſtratoriè laborat P. Gaud. trahendo violenter Seraph. D. ad partes Thomiſtarum, & hoc nimis confusè. 57

QVÆSTIO V.

De natura aſſumpta, & cauſa materiali. An Verbum aſſumpſerit hominem, vel humanitatem?

MUltiplex ſenſus involuitur in hoc titulo: 1. an Verbum aſſumpſerit hominem, ſcilicet cum propria perſonalitate: 2. An verè poſſit dici: homo aſſumptus à Verbo: 3. An idem ſit dicere Verbum aſſumpſit humanitatem. Pro qua N. quod aliud eſt dicere hominem in concreto, aliud humanitatem in abſtracto, homo enim ſtrictè ſumptus dicit naturam exiſtentem in ſuppoſito; humanitas verò dicit ipſam naturam ut ſic. 58

Concl. 1. Propriè, & verè loquendo concedi debet, quod humana natura tota aſſumpta eſt à Verbo; eſt de fide, & habetur in pluribus textibus Sacræ Scripturæ; & ratio eſt, quia natura ex Ariſtotele, & philoſophia ſumitur pro vera materia, & vera forma; ſed Deus aſſumpſit carnem, & animam humanam, & caro eſt principium hominis materiale, anima formale: ergo Verbum aſſumpſit, & humanam naturam, & totam.

Objic. 1. Omne quod aſſumitur eſt antequàm ſit aſſumptum; ſed humana natura Chriſti non fuit ante unionem ipſius cum Verbo: ergo non fuit aſſumpta. R. S. Bon. *d.* 5. *a.* 2. *q.* 1. omne, quod aſſumitur eſt ens ante aſſumptionem diſtinguo, eſt ens in potentia, concedo: in actu, & antecedenter tempore, nego, quia humana natura ſimul habuit eſſe, & eſſe aſſumptum.

Objic. 2.

Objic. 1. Omne quod assumitur ab aliquo fit aliquo modo unum cum eo, à quo assumitur, assumptio enim ordinatur ad unionem; sed humana natura non est facta idem cum Deo; nec potest dici humana natura est Deus: ergò, &c. Et confirmatur, quia nullam proprietatem Verbi acquirit in hac unione humana natura, sed remanet in suo esse: ergo, &c. R. Seraph. D. conced. quod assumptio ordinatur ad unionem aliquam, sed non ad omnimodam, sed secundùm comparationem assumentis ad assumptum; cum autem hæc unitas admittat differentiam in omni creata natura, unde de nulla hypostasi, cujus sit natura creata conceditur, quòd sit sua essentia, vel natura in abstractione, sed solùm in concreto; non enim dicitur, quòd Petrus sit humanitas, sed quòd sit homo; hinc in hac unione sequitur unitas in concreto, Deus est homo, non tamen est humana natura; & ad confirmationem. R. quòd omne, quod assumitur ab aliquo, acquirit aliquam proprietatem, & hoc vel in recto, vel in obliquo, vel ratione suppositi, vel formæ, in hac autem unione acquiruntur proprietates in ratione suppositi in obliquo.

59 Concl. 2. Verbum divinum non assumpsit humanam personam. Est de fide, & prob. à Seraph. *ibidem q.* 2. si enim dicatur Verbum assumpsisse personam, hoc intelligi potest, quod vel fuerit persona ante assumptionem, & hoc non, quia B. Virgo non diceretur concepisse Deum: si quod fuerit persona in ipsius assumptione, secuta fuisset consumptio personalitatis humanæ, potiùs quàm assumptio: si post; ergo in Christo essent duæ personæ, quod est hæreticum. Vide ibid. S. Bon.

60 Concl. 3. Propriè non potest dici, quod Verbum assumpserit hominem. Est S.Bon. *cit.q.*4. ratio est, quia homo signat humanam naturam, seu formam in concreatione ad suppositum, de quo verè prædicatur secundùm quandam identitatem, sic dicitur de isto supposito: iste est homo: sed assumptio de sua ratione plus importat, nempè distinctionem assumentis ad assumptum, ex eo quod importat relationem, & ordinem ad id, quod antecedit, & consequitur, nempè antecedit res assumpta prius natura, & unio consequitur, sed in eodem instanti temporis; & hinc sequitur, quod sit falsa ista propositio: Verbum hominem assumpsit: tum propter defectum distinctionis, quia homo prædicatur de Filio Dei: tum ob defectum ordinis, cum unio consequuta sit posterius natura, è contra verò natura antecesserit: ergo implicat dicere: Verbum assumpsit hominem, cum homo antecedenter ad unionem non esset persona: Notat tamen S. Doct. ibidem aliquando SS. Patres dixisse, Verbum assumpsisse hominem, sed tamen locutio talis fuit cum aliqua improprietate, & exponenda est de homine in abstracto, non in concreto.

Objic. Corpus, & anima unita faciunt hominem; sed Verbum assumpsit corpus, & animam unita; ergo, &c. R. Seraph. D. quod duplex unio consideratur in humanitate: alia est corporis, & animæ ordinata ad naturam, & humanitatem constituendam: altera ad constituendam unam personam; in unitate hypostatica præcessit unio naturæ prioritate naturæ: & in secundo instanti consequuta est hypostatica. quia homo supponit aliquem hominem in persona; ideoque unio corporis, & animæ facit quid, unio hypostatica facit quis.

Objic. 2. Filius Dei est homo, aut homo, quem assumpsit, aut homo, quem non assumpsit; si primum: ergo assumpsit hominem; si est homo, quem non assumpsit, aut ergo Petrus, vel Paulus, vel alius in particulari; sed hæc secunda pars est falsa. ergo primum verum est, non enim datur medium in contradictoriis. R. S. Bon. quod contradictio non fertur super negationem, nisi in ordine ad principale prædicatum, unde ista non est recta divisio; aut est homo assumptus, aut non assumptus: sed ista, aut est homo assumptus, aut est homo non est assumptus, cum tem infertur; sed iste vel est Petrus, vel Paulus. R. quod non est nec Petrus, nec Paulus, sed Jesus, & Jesus non est homo assumptus à Filio Dei, quamvis natura sit assumpta: Jesus autem est nomen impositum non naturæ, sed supposito, unde cum, ly, *homo*, stet pro persona, & assumptio stet pro natura, hic deficit lex contradictionis, mutatur enim quid in quis.

Concl. 4. Vera & propria est hæc propositio: Verbum assumpsit humanitatem. Est S.Bon. *cit.q.*5. 61 Explicat, & probat Seraph. D. hanc concl. Nomen humanitatis potest sumi pro principiis constituentibus hominem, nempe corpore, & anima, & in hoc sensu vera est conclusio: 2. potest sumi pro tertia entitate, seu forma resultante ex unione corporis, & animæ, prout dicit ipsam naturam, & hoc modo verè assumpsit humanitatem: 3. modo potest sumi pro proprietate consequente ipsum hominem, pro ut homo est, & in hoc sensu assumpsit proprietates hominis.

Objic. 1. Humanitas consequitur unionem animæ cum corpore: sed anima, & corpus non fuerunt prius unita, quàm assumpta: ergo si assumptum secundum ordinem naturalem præcedit ipsam assumptionem, videtur falsum, quod Filius Dei assumpsit humanitatem. R. S. Bon. quòd humanitas consequitur unionem animæ ad corpus, secundùm quod uniuntur in constitutionem naturæ, non verò pro ut uniuntur in unitate personæ: unde licèt unio animæ ad corpus præcesserit ad constitutionem naturæ, non tamen ad constitutionem personæ, quia simul in eodem instanti totum factum est. R. 2. quòd corpus, & anima, & humanitas fuerunt primo, & per se assumpta, proprietates verò dicuntur coassumptæ in eodem instanti.

Objic. 2. Humanitas significat in abstractione; sed non assumpsit humanitatem in universali; sed in atomo; ergò magis est propria hæc: Filius asumpsit hominem. R. quod ex tali abstractione significatur diversitas à supposito; & ideo negatur consequentia. Objic. 3. si asumpsit humanitatem, ipsam numquam deposuit: ergo fuit homo, sed in triduo non fuit homo: ergo non asumpsit humanitatem. R. quòd numquam deposuit humanitatem quoad principia constituentia primò asumpta, & in hoc sensu dicitur homo; licèt quoad consequentia coasumpta deposuerit aliqua in illo triduo.

QUÆSTIO

QVÆSTIO VI.

De Assumptione partium humanæ naturæ, solvuntur plura dubia.

61 Quæritur 1. *An Verbum assumpserit verum corpus simile nobis?* R. esse de fide, Verbum assumpsisse corpus non phantasticum, ut docent impiè hæretici; sed verum, & reale, & ejusdem naturæ cum nostro, & habetur ex pluribus locis Sacræ Script. Verbum caro factum est: palpare & videte: Joan. c.1. & Luc. cap.24. quia quod fuit curabile, fuit & assumptibile; sed corpus est hujusmodi: ergo, &c.

Q. 2. *An verbum assumpserit immediatè partes essentiales humanæ naturæ, scilicet corpus & animam, vel ut unita, vel ante unionem.* Quæstio hæc versatur circa unionem immediatam, nempe, an priùs assumpserit partes, quàm formam totius, scilicet tertiam entitatem. Prima opinio est plurium Scotistarum; Fabri, Centini, Pontii, aliorumque asserentium, Verbum priùs assumpsisse humanitatem, & formam totius, postea partes mediatè, & secundariò, non per propriam unionem, sed per unionem in humanitate fundatam, nempe assumptam fuisse humanitatem, & coassumptas partes secundariò. 2. opinio sustinet prius ordine executionis, assumptas fuisse partes essentiales, ut unitas ad invicem, & formam totius coassumptam: ordine verò intentionis, prius humanitas fuit assumpta; sic Major: Lichetus, Fetchius, & communiter cæteri Theologi, & Thomistæ cum Seraph. *l.3.a.2.q.3.ad ult. & d.5.a.2.q.2.*

Nota tamen, quod unio alia est per modum simplicis sustentationis, alia per modum personationis, hinc dicendum est, quod Christus assumpsit prius ordine executionis partes, & posterius natura ipsam humanitatem per modum personationis, cum hoc tamen stat, quod partes non fuerunt personatæ nisi in personatione humanitatis: non enim partes nec prius personantur, quàm tota natura mea, & idem dicendum est de personatione extranea, quod totum factum est in unico instanti temporis: ratio est quia partes quidem sunt priores natura ipsa forma humanitatis, sed tamen in ordine ad personationem priùs est ipsa humanitas redundans ex unione partium, ex qua resultat personalitas, unde in hoc sensu dixit S. B. *cit. d. 6.* quod partes fuerunt assumptæ, & humanitas coassumpta, scilicet prius natura, & simul tempore; sicque hoc pacto melius salvatur axioma Theologicum: quod semel assumpsit, nunquam dimisit, scilicet vel per modum sustentantis, qualis fuit in triduo, vel personantis. Pr. igitur 1. pars de partibus, quia istæ sunt priores toto: ordo enim executionis incipit ab imperfectionibus: tum quia quod primum est in intentione, est ultimum in executione: tum quia assumptio per modum sustentationis non pendet ab assumptione ad personalitatem, ut patet in triduo mortis; & hinc magis relucet gloria B. Virginis, nempe quod Verbum per aliquod instans naturæ intelligatur prius unitum carni, & sanguini B. Virginis, antequam esset caro Christi; de quo vide Vega *a.*1565. Pr. 2 pars de toto, quoad personalitatem, quod sit prior ordine intentionis, & executionis. Dices: partes sunt prius composito: ergo prius fuerunt personatæ. R. conced. antecedens, neg. conseq. non enim erant capaces personatione, nisi ratione totius; & hac distinctione solvuntur omnia objecta.

Q. 3. *An natura humana in Christo habeat propriam existentiam; an verò existat existentia Verbi.* 63
Thomistæ sustinent, humanitatem existere præcisè per unionem, non per propriam existentiam, unde dicunt assumptam esse, non solùm ad substantiam, sed & existentiam. 2. op. opposita est Seraph. D. *l.3.d.5.a.2.q.1. ad ult. & aliis pluribus locis.* Scoti, sequacium, & plurimorum aliorum affirmantium humanitatem assumptam habere propriam existentiam creatam, qua existit: Nam licèt fuerit assumpta ad subsistentiam Verbi, non tamen ad existentiam: Suppon. 1. ex traditis à Seraph. D. *ibid. & per totum, & alibi d.1. & 2.* Actionem assumptivam, & incarnandi fuisse tantum unitivam, non productivam humanitatis, si enim productio humanitatis fuit ad existentiam ipsius terminata, sequitur necessariò, ut prius habuerit existentiam saltem natura, quàm fuerit unita personalitati; unde alia actione fuit producta, alia unita, sed tamen in eodem instanti temporis. Pr. autem ista concl. quia unio, sive sit relatio, ut dicunt Scotistæ, sive modus substantialis, necessariò supponit fundamentum, & rem, cujus est modus, qui ab extrinseco advenit: ergo, &c. tum quia humanitas Christi est entitas realis distincta ab unione, & à personalitate, ergo prius est ens actu, & extra suas causas: tum quia humanitas verè est producta: ergo cum existentia propria: hæc enim facit transire rem ex potentia ad actum extra suas causas: tum quia corpus, & anima per generationem transiit de non esse ad esse, & esse creatum: ergo, &c. Tùm quia, si unio facta est ad existentiam divinam, ergo facta est ad aliquid absolutum competens, toti Trinitati.

Objic. Thomistæ; aliquas auctoritates Concil. sextæ Synodi ex Sophronio, dicentes, humanitatem Christi non existere in semetipsa, sed in Verbo, quæ tamen nihil urgent, cum verum sit humanitatem Christi nunquam habuisse existentiam, nisi unitam Verbo; & ideo nihil contra nos.

Objic. 2. Existere convenit primariò supposito, quia hoc est quod primò fit; ergo est proprietas personalis, ergo ubi unum tantum suppositum est, unica potest esse existentia; ratio est, quia primum susceptivum existentiæ est suppositum. R. neg. anteced. & conseq. falsum est enim, existentiam esse proprietatem personæ, sed est proprietas naturæ, imo ipsa natura singularis; suppositum verò est quid consequens: hinc est, quod duplex existentia assignari debet in duplici natura Christi. Dices: si humanitas Christi propriam habuit existentiam, sequitur B. Virginem propriè non esse Matrem Dei, cum generatio terminetur ad existentiam creatam; ergo præintelligitur existens, & producta ante unionem Verbi. Resp. 1. sequelam, quia in eodem instanti temporis fuit producta humanitas, & unio: 2. imo ex sententia Thomistarum, sequitur Mariam non esse veram Matrem Dei, cum negent ejus productionem non terminasse ad existentiam propriam, sed ad essentiam tantum, ut sic.

Q. 4. *An Verbum immediatè assumpserit omnes partes integrantes corporis humani, etiam sanguinem, & alios humores?* Suppon. tanquam de fide, Verbum assumpsisse omnes partes corporis integrales, quæ sunt formaliter, & intrinsecè de constitutione integri corporis, ut sunt omnia membra, caro, ossa, nervi, & similes partes anima informatæ: difficultas, 64

ergo

ergo est de quibusnam partibus corporis, præsertim de sanguine, & aliis tribus humoribus; constat autem, hæc omnia habuisse Christum in suo corpore: sed quæritur, an ista assumpserit immediatè ad sui subsistentiam, sicut assumpsit carnem, & animam: An verò mediatè tantùm, scilicet mediante unione totius corporis, vel totius humanitatis, & eo maximè, quia hujusmodi partes, secundùm communiorem sunt fluidæ, nec informantur anima: Tres opiniones circumferuntur in hac quæstione. Prima universaliter negat, sanguinem fuisse immediatè à Verbo assumptum, & à fortiori alios humores, &c. estque Gabr. Gallii, Durandi, &c. 2. Universaliter affirmat, sanguinem fuisse semper unitum Verbo tam ante separationem, quàm post, quod etiam affirmat de sanguine in terris relicto, quæ non sunt corpori reunitæ: sic Valentia, Centinus, Merat. aliiq. 3. procedit cum distinctione, licèt non eodem modo; nam aliqui admittunt unionem in sanguine vitali, & animato, non verò in nutrimentali, sic Caiet. Silvester, &c. Alii id asserunt de toto sanguine ante separationem, sed post fuisse dimissum à Verbo in triduo, & postea reassumptum in resurrectione; sic Riccardus, Mairon. Alii tandem affirmant semper fuisse unitum Verbo, excepto illo, qui in terris remansit: sic Suar. Lugo, Casp. Becan. & S Bon.

Suppon. 1. ex traditis in tractatu de Anima ex Seraph. D. quod partes corporis, aliæ sunt primariæ de constitutione corporis, ut caro, & sanguis, qui est sedes humidi radicalis, & ob id & vitæ: aliæ sunt succedaneæ, sed integrales necessariæ ad vitam corporis, & sunt humores & sanguis nutrimentalis: primæ sunt essentiales ad hoc, ut corpus sit humanum, & tale: secundæ sunt disponentes ad vitam: Aliæ sunt ad decentiam, suntque effectus habentis vitam, ut pili, ungues, &c. & istæ aliæ sunt disponentes ad vitam, ut sunt spiritus vitales, lac, semen, humores, ob idque non animatæ; aliæ sunt verè viventes, de quo vide, quæ diximus in tractatu primo de anima *q.* 8. Adsunt postea aliæ partes excrementitiæ, ut sudor, & urina.

Not. 2. ex traditis à Seraph. D. quod partes aliæ sunt immediatè & primariò acceptæ, aliæ coassumptæ, deinde aliæ sunt assumptæ mediatè, ut lacrymæ sudor, &c. aliæ immediatè. Sic *l.* 3. *d.* 5. *q. ult. & l.* 4 *d.* 44. *a.* 1. *q.* 1. *&* 2. Ulteriùs est notandum, quod cum sit maxima ab omnibus Theologis recepta, quod id, quod Verbum semel assumpsit, nunquam dimisit; quæstio maxima est, quomodo sit intelligenda: S. Bon. *l.* 3. *d.* 5. *a.* 2. *q.* 5. *ad* 3. *& Brevil. p.* 4. *c.* 9. *& Centil. p.* 3. 5. 32. dixit verificari de partibus primariò assumptis necessariis ad constitutionem hominis; non verò de assumptis secundariò, seu coassumptis: sic enim in triduo dimisit humanitatem scilicet tertiam entitatem.

55 R. Verbum assumpsisse immediatè partes essentiales corporis, modo, quo supra dictum, & probatum est: coassumpsisse verò sanguinem, & alias partes immediatè animatas. Inanimatas verò alias coassumpsisse immediatè, ut sunt humores: Alias verò mediatè, nempe eas, quæ necessariæ sunt ad decentiam hominis, & corporis, vel ad aliquam remotam integritatem, ut pilos, sudorem, lacrymas, sic ex Seraph. D. supracit: 1. pars supra est probata de assumptione partium: 2. de assumptione, Pr. quia sic decernunt Concilia apud Suar. *d.* 15. *s.* 6. Lugo *d.* 14. *sect.* 2. Meld. *d.* 1. *n.* 174. & habetur in Clementina unigenitus de pœnit. remiss. ubi ait unam guttam sanguinis Verbi sufficeisse pro redemptione mundi ob unionem cum Verbo; nec valet responsio Pontii, aliorumque posse intelligi pro unione mediata; nam sic etiam lachrymæ, sudor, humores essent ejusdem virtutis, & pretii infiniti, quod tamen non admittitur à Pontifice: Tum quia communiter docent Theologi, quòd, si in triduo facta esset consecratio, fuisset res eadem ex vi consecrationis, ac nunc est, & tamen hæc concomitantia non fuisset ratione corporis, dato quod totus sanguis effluxisset è corpore, vel dato quod Eucharistia consecrata fuisset ante mortem, & conservata in triduo mortis, ibi fuisset ex vi verborum Corpus Christi, & Sanguis, & non fuisset per concomitantiam corpus, & anima, sicut prius erant, tunc essent separata corpus, & anima; ergo cum ibi fuisset divinitas absque nova mutatione, ibi adfuit ob unionem immediatam; tum quia sanguis non est parum alimentum, sed de constitutione corporis humani primaria: tum quia sanguis ille fuit assumptus, ut permaneret divino Verbo unitus, cum post resurrectionem fuerit reassumptus; ergo immediatè unitus est: & idem dicendum est de aliis tribus humoribus cholera, phlegmate, & malencholia; sunt enim de constitutione corporis vivi, & etiam ipsius sanguinis. 3. pars etiam patet de partibus mediatè tantùm assumptis, cum non spectent ad constitutionem essentialem, & integritatem primariam corporis, sed tantum remotè ad quandam decentiam, quæ omnia reassumpta sunt à Verbo in resurrectione, ut notat S. Bon. *l.* 4. *d.* 44. *cit.*

Objic. 1. Si sanguis esset assumptus immediatè à Verbo potest dici, Verbum est sanguis, quod non admittitur, quia sic etiam posset dici, Verbum est aqua, est humor, vel terra, ex quibus coalescit corpus, posset etiam dici Verbum est effusum ob sanguinem effusum. Huic objectioni varias adhibent expositiones; & Meldula respondet usum esse in contrarium, quæ responsio non evacuat difficultatem, quia hic disputatur de propria, & vera prædicatione terminorum. R. S. Bon. *l.* 3 *d.* 7. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 2. *& d.* 22. *q.* 1. quod non valet ista prædicatio; nam communicatio idiomatum fit ratione Personæ unitæ, non ratione partium, & maximè sumptarum in quadam abstractione, ut caro, anima, sanguis, non valet enim dicere, Christus est caro, licèt dicatur: Verbum caro factum est; sed Christus habuit carnem, &c. & hinc non sequitur non fuisse assumpta immediatè.

Objic. 2. Verbum assumpsit tantùm naturam humanam: ergo tantùm corpus, & animam ut unita; ergo non sanguinem; sanguis enim non est pars hominis; tum etiam quia subsistentia terminat ad totum hominem, non ad partes, ergo, &c. R. conced. primum anteced. assumpsit quidem corpus, sed secundùm suam totam integritatem, ob idque & sanguinem, cum sit pars animalis completi; & hinc subsistentia terminata est ad totum, & partes: tum etiam quia istæ partes fuerunt assumptæ per modum simplicis sustentationis, ut supra dictum est.

Objic. 3. Verbum non reassumpsit post resurrectionem totum sanguinem, nec omnes partes, cum sint in Ecclesia variæ Christi reliquiæ; & cum non sint unitæ Verbo, sequitur, nunquam fuisse unitas. R. ex Seraph. *l.* 3. *d.* 5. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 1. *&* 3. Verbum non dimisisse eas partes, quæ sunt de essentiali constitutione; quantùm verò ad partes coassumptas; non est inconveniens dicere aliquas à Verbo dimissas fuisse, sicut dimisit in triduo humanitatem, sed in hac re potiùs est divinare, quàm certitudinaliter discurrere, vide Lugum *d.* 14. *s.* 5. Meld. *n.* 182.

QUÆSTIO VII.

An qualibet natura, præter rationalem, potuerit à Verbo assumi, & hypostaticè uniri.

66 Triplex opinio circumfertur: 1. est absolutè affirmantium de qualibet natura, estque communior. Pro hac citatur à P. Gaud. Seraph. sed malè. 2. affirmat de quacumque natura substantiali, negat de accidentali. 3. negat de quacumque alia, præter rationalem; citatur Henricus, Alensf. & S. Bon. Vasq.

Not. 1. quod tota difficultas in hac quæstione, quæ est causa discriminis sententiarum inter se pugnantium, provenit ex duplici capite: 1. ex potentia obedientiali passiva, quæ supponitur in quacumque creatura in ordine ad divinam Omnipotentiam, quam ex Seraph. in Phisica, & nos recognovimus in ordine ad omne id, quod Deo placeat, & hinc Theologi asserentes, Deum potuisse assumere creaturam irrationalem, fundantur in hac potentia obedientiali: alterum caput est circa hoc nomen congruitatis; qui enim negant, Deum potuisse assumere beluam, afferunt pro ratione istam incongruitatem; & hinc videtur absque fundamento solido negare hanc possibilitatem: aliud enim est, esse incongruum, aliud impossibile, & implicatorium, & cum Seraph. D. sicut & Angelicus procedant in tali negativa ratione incongruitatis, & indecentiæ, nobis superest id fusiori calamo declarare, & ostendere implicantiam provenientem ex ipsa incongruitate.

67 Not. 2. ex traditis in superioribus, suppositum dicere ultimam terminationem primæ substantiæ, ut sic, sed personalitatem rationalitatis dignitatem, nempe, ait Seraph. *l.* 3. *d.* 2. *q.* 1. *corp.* rationem imaginationis in creatura: Imago autem ex Seraph. D. *l.* 1. *d.* 3. *p.* 2. *per tot.* & *l.* 2. *d.* 16. *q.* 1. & *l.* 2. *d.* 2. *q.* 1. importat & personalem dignitatem, & similitudinem, & expressam conformitatem, secundùm rationem intrinsecam, nempe potentiarum intellectus, memoriæ, & voluntatis, & secundùm operationes proportionatas, nempe per cognitionem, & amorem. Cum autem in Deo & in creatura rationali suppositum, & persona sint unica omninò ratio formalis simplicissima; hinc nec possunt separari in terminatione, sive activa ex parte Dei, sive passiva ex parte creaturæ: Verum tamen hoc est, quod cum personalitas in Deo sit infinitæ virtutis, potest se extendere ad plures terminationes differentes, ideo non potest assignari implicantia, qua Deus possit terminare subsistentiam etiam aliarum substantiarum, sed tamen talis terminatio propriè non potest dici hypostatica, scilicet in unitatem personæ ob deficientiam dignitatis creaturæ rationalis.

68 Not. 3. quod cum dictum sit in Philosophia in qualibet creatura esse potentiam obedientialem ad quodlibet, quod placuerit Deo, id tamen intelligendum sano modo; nam licèt quælibet creatura possit à Deo transmutari in aliam pro libito, non tamen ipsa eadem remanens in suo esse, habet capacitatem passivam ad omne aliud nisi habeat aliquam convenientiam, vel congruitatem, & cum ista tria per ordinem se habeant, ordo rerum naturalium, ordo gratiæ, & ordo unionis hypostaticæ: in ordine rerum naturalium non potest uniri ordo gratiæ, nisi ad gratiam habeat conformitatem, & congruitatem, vel secundùm se, vel secundùm operationes, vel secundùm conjunctum: unde sanctitas corporea, & gratia non possunt collocari in ligno, in asino, in terra, in aqua, cum nullum ordinem habeant, vel congruitatem, vel capacitatem ad ordinem gratiæ, & per consequens multò minùs ad unionem hypostaticam: & hæc est doctrina D. Thom. 3. *p.* *q* 4. *a.* 1. & hinc infertur ad unibilitatem naturæ irrationalis nihil juvare potentiam passivam obedientialem, quia cum congruitas fundetur in ratione attingendi Deum per operationem intellectualem, & ad hanc non sit potentia passiva obedientialis in bruto ad assumptionem, quia illi deficit proprietas naturalis, scilicet ratio intellectualitatis, in qua fundatur hæc congruitas, & consequenter ipsa potentia obedientialis, cum talis creatura naturalis nullum ordinem habeat ad ordinem gratiæ. Eamdem doctrinam aliis terminis tradit Seraph. *q. cit. ad* 1. ubi ait, quod duplex est ordo: alius est causalitatis respectu Dei operantis, cujus virtus est in finem: alius est congruitatis respectu suscipientis creaturæ; quæ congruitas, & capacitas, cum deficit in creatura tunc ad ipsam non potest extendi virtus Dei.

Not. 4. ex suprà traditis, quod unio hypostatica est de sui natura forma sanctificans eminentialiter, & consequenter, cum sit participatio divinæ naturæ, prout dicit rationem intellectualitatis, hinc tantum in natura intellectuali potest inesse talis unio. Cum autem ista unio, licèt sit una in se, sit ob eminentialem dignitatem multiplex in potentia, ob idque potest dicere unionem Verbi cum humanitate in recto, & cum corpore in obliquo, seu virtualiter unionem cum anima, & cum corpore; hinc data cessatione unionis ad humanitatem, ut fuit in triduo mortis, adhuc remanet eadem potestativè in ordine ad corpus, & animam, ex eo quod corpus dicit ordinem ad animam, & viceversa, & utraque ad humanitatem. 69

Not. 5. ex S. Bon. *d* 37. *p.* 1. *a.* 3. *q.* 3. quod Deus diversimodè dicitur esse in rebus ob diversos effectus, sed cum subordinatione; nam dicitur esse in rebus omnibus secundum præsentialitatis indistantiam, quatenus res comparantur ad Deum per modum exeuntis, taliq. pacto est in omnibus rebus naturalibus, & hinc est ordo naturæ supra positus: 2. per virtutis influentiam, quatenus res comparantur ad Deum per modum redeuntis, scilicet per cognitionem, & amorem, & hic est ordo gratiæ, & gloriæ. 3. secundùm intimitatis existentiam, quatenus res comparatur ad Deum ut perveniens, & efficiens; & hic est ordo unionis hypostaticæ, qui alios duos supponit; & hinc per hunc effectum, & modum ponitur res assumpta in actu primo pro actibus secundis spectantibus ad esse naturæ, & gratiæ. Et hoc fundamento nititur sent. Seraph. *l.* 3. *d.* 21. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 3. dicentis, quod licèt caro Christi, cum careret sensu, & ratione, ut caruit postea in triduo, non esset capax assumptionis passivæ in principio, nisi simul cum anima assumpta fuerit, in triduo tamen mortis potuit esse divisa ab anima ad ministerium redemptionis consumandæ, & tunc sufficiebat ei unibilitas ad animam loco congruitatis reddentis eam idoneam ad unionem cum divina natura; idem & innuit *l.* 3 *d* 2. *q.* 1. Ex quibus supra positis rectè infertur id, quod etiam docuit Suarez de divina gratia, *tom.* 3. *l.* 7. *c.* 20. *n.* 33. *seq.* quod cum gratia unionis constituat Filium Dei naturalem, & suppositum, quod per se est principium operationis proportionatæ, & cum infinita rectitudine voluntatis, hinc natura, quæ per assumptionem fit natura, & suppositum unum cum Verbo substantialiter, debet esse capax operationum

num Sanctarum, & excludere omne peccatum.

70 Concl. Implicat contradictionem unio hypostatica cum alia creatura præter rationalem. Est S. Bon. *l.3. d.2. q.1. ad ultim.* licèt à P. Gaud. de more trahatur ad partes adversariæ sententiæ, ex eo quod Seraph. D. ait, facere per unionem, quòd asinus sit Deus, vel aliquod aliud brutum potiùs dedeceret divinam potentiam, sapientiam, quam commendaret, ubi utendo hoc termino dedeceret, vult dictus expositor, quod Seraph. D. loquatur tantùm de congruentia majori, non de potentia absoluta, in quo ipse valde decipitur, ut patet ex contextu Seraphico, cum supponat id, quod suprà à nobis in fundamentis notatum est, nempe unionem hanc hypostaticam formaliter facere naturam unitam deiformem, & cum similitudine, & conformitate propria imaginis, quæ solùm est in creatura rationali, ut absolutè repetit S. Bon. *d. 21. a.1. q.2. ad 3.* est & aliorum Theologorum, supra cit. pro tertia opinione. Pr. 1 quia unio hypostatica ex suprà probatis est forma sanctificans formaliter naturam unitam, eamque reddens sanctam, & aptam ad operationes sanctitatis requisitas in habente imaginem Dei, ob idque capaci cognitionis, amoris, gratiæ, & gloriæ; sed bruta carent tali capacitate, ergo, &c. Major supponitur probata in superioribus, minor est evidens.

Dices, falsum esse, unionem hypostaticam esse formam sanctificantem formaliter, & ut quod; sed tantùm esse viam ad sanctificationem, ut quo, ut communior fert opinio. Contra: dato etiam hoc prob. implicantia ex Seraph D supra cit. Personalitas Verbi etiam prout condistincta à natura divina est entitas divina: ergo ut sic participem reddit naturam assumptam entitatis divinæ verè, & realiter: ergo ut sic formaliter divinizat & deificat illam, & reddit eam consortem divinarum perfectionum; ergo sicut gratia habitualis sanctificat formaliter, quia est quædam entitas divina participata, & imitativa, à fortiori personalitas, quæ formaliter, & verè divinizat naturam assumptam, sufficit ad eam formaliter sanctificandam meliùs, quàm gratia habitualis. Et confirmatur, quia si per impossibile sola personalitas Verbi uniretur, adhuc tamen humanitas esset impeccabilis ratione suppositi, sicut nunc est; ergo haberet quid essentialiter repugnans peccato; ergo per aliquid, per quod sanctificaretur, quæ omnia brutis repugnant. Pr. 2. ex eadem doctrina Seraphica: Personalitas Verbi etiam, ut condistinguitur à natura, est quidditativè filiatio, & denominat illud suppositum Filium Dei, ergo solùm potest competere capaci talis denominationis: ergo non potest competere Bruto.

Dices: In tali casu persona Verbi denominaretur Filius Dei, non illa natura brutalis: Contra quia neque natura humana est Pater, neque filiatio, sed solum suppositum. sicut etiam gratia habitualis inhærens humanitati sanctificat formaliter humanitatem Petri, licèt humanitas Petri non sit Filius Dei adoptivus, sed Petrus, seu suppositum, ergo à simili denominatio filiationis competens supposito imbibit etiam naturam unitam, eique participat filiationem. Prob. 3. ratione ducta ex doctrina D. Thom. *3 p q.4.a.1. in corp* & ferè incidit in supradicta tradita ex Seraph D. Illa sola natura est assumptibilis à Deo, quæ nata est attingere Deum per suam operationem; sed creatura irrationalis non habet talem aptitudinem: ergo, &c. min. est certa, quia ista attingentia per operationem est solùm per cognitionem, & amorem: Major prob. ex responsione ad 1. illa creatura solum est assumptibilis à Deo, illique unibilis, quæ unione inferioris ordinis per operationem potest attingere Deum, scilicet per intellectionem, & amorem; sed sola creatura rationalis id potest, ergo, &c. Major prob. quia si natura assumpta non habet capacitatem ad id, quod minus perfectum est, quale est esse naturale, & gratuitum, multò minùs ad id, quod est supremum in eodem ordine gratuito. Pr. 4. ex indecentia, & incongruitate, quam secum adfert talis assumptio cum natura brutali, quæ horrere faciunt prudentem audiendo Deum factum asinum, quæ indecentia sufficit ad inferendam talem impossibilitatem. Addimus talem indecentiam, & incongruitatem pertraxisse gravissimos Theologos, & Patres in hanc sententiam, nempe D. Bon. D. Thom. Alens. *3.p. q. 2.* Mirandulanum in sua Apolog. in defens. 4 propos. Carthusianum *l.3.q.2. a.4.* Henricum quolib. 13. *q.5.* aliosque plurimos, & Gabr. *l.1.d.1 a.2.* ex Argentina ait, esse Magnorum virorum; idem, & Petr. Hurtad. *3.p.d.43. & d. 1. de an. n. 43.* illamque probat auctoritate D. Aug. *tom. 3. l. de spir. & an. c.14.* & Savedra *v. 2. d.2. sect. 2.* citatque etiam Tertullianum, ejusque auctoritatem expendit contra Suar. Vasq.

Objic. cum P. Gaud. aliisque tanquam ex mente Seraph. D. qui citans S. Aug. ait, hujus, & aliorum mirabilium totam rationem facti esse potentiam facientis: cum ergo potentia Dei sit infinita, nihil obstat, quin potuerit etiam alias naturas assumere; sed tamen hæc ratio nihil valet contra nostram conclus. dicimus enim ex parte Dei nullam implicantiam esse, sed ex parte rei, & unionis, & incapacitatis creaturæ. 71

Objic. 2. quæcumque creatura capax subsistentiæ potest à Deo terminari, eique uniri; sed omnes naturæ substantiales sunt capaces subsistentiæ, ergo & Deo uniri; major patet ex eo quod omnes creaturæ sunt in potentia obedientiali ad Deum, omnes sunt æquè in infinitum distantes; ergo si potuit ex his rationibus terminare subsistentiam humanitatis, potest & alias substantias. R. omnis natura capax subsistentiæ potest à Deo terminari, eique uniri, distinguo: potest terminari, unirique hypostaticè Deo, nego absolutè; potest terminari alio aliquo modo per aliquem concursum extrinsecum, qui non faciat unionem hypostaticam cum Deo, transeat; & cum eadem distinctione resp. ad minorem, negando conseq. Ad probat. majoris. R. quod omnis creatura est in potentia obedientiali ad Deum, dummodo habeat capacitatem, concedo; ad aliud, quod omnes creaturæ, sicut & natura humana sunt in infinitum distantes à Deo, resp. S. Bon. *ad 2.* quod omnes sunt æqualiter distantes à Deo, loquendo de distantia per recessum ab æqualitate, & participatione divinæ naturæ, quia nihil est univocum Deo, & creaturæ, sed loquendo de distantia, quæ attenditur per oppositionem ad convenientiam secundùm rationem ordinis, & imitationis, nego: cum autem talis ordinis convenientia (ait Seraph. D.) sit solùm in rationali creatura, quæ immediatè in Deum ordinatur, & expressissimè inter creaturas Deum imitatur (quodque imputatur per imaginem) hinc & hæc sola dicit capacitatem ad unionem.

Objic 3. quodlibet summè independens potest terminare dependentiam oppositam cujuscumque dependentis in eodem ordine, ergo & quælibet creatura substantialis poterit terminari à Verbo summè independente. R. conced. anteced. dummodò non adsit implicantia ex parte creaturæ, ut in nostro casu, ut dictum est.

Instabis: Personalitas Verbi est eminentialis, & infinitæ virtutis: ergo potest in ratione terminationis producere varios effectus diversos: ergo poterit terminare subsistentiam alicujus substantiæ, & personalitare rationalem creaturam. R. hoc argumento potissimùm reddi probabilem oppositam sententiam; videtur enim satis probabile, quòd personalitas divina, cum sit virtutis infinitæ, potest exhibere suam terminationem cuicumque substantiæ secundùm capacitatem, quam in se habet, scilicet personalitationem naturæ rationali, & suppositalitatem cæteris, quod & fusè probat Mastrius n. 212. ex Scoto; attamen sistendo in nostra doctrina, & principiis respondemus, implicare contradictionem, quòd ratio terminandi unionem sit personalis proprietas, & quod natura, cujus dependentia terminatur per illam, non personetur, quod & notavit Rada: cum autem natura irrationalis non sit capax personalitatis propriæ, nec erit alienæ, & eo maximè, quia personalitas est in ratione terminandi, & subsistentia tribuendi, & simplicissima formalitas, & entitas.

Dices cum Gaud. Seraph. D. loqui de congruitate, & non de potentia absoluta: sustinet enim fuisse tantùm incongruum, & indecens assumere naturam irrationalem, & probatur ex sententia D. Aug. supra allati in prima objectione, quod in mirabilibus tota ratio facti est potentia facientis, & cum incarnatio sit assumptio creaturæ, & sit opus mirabile; ergo videtur, quod tota ratio assumptionis sit mensuranda ex potentia facientis. Cui argumento nititur tanquam de mente S Bon. P. Gaud. sed in contrarium est ex *q. 1. ad 1. & q. 2. ad 1.* R. S. Bon. quod duplex est ratio, nempe causalitatis, & congruitatis, causalitatis in efficiendo, & congruitatis in suscipiendo, & D Aug. loquitur de ratione causalitatis, non congruitatis. Ex qua doctrina eruitur patenter, quod licet potentia Dei se extendat ad infinita, tamen requiritur in creatura capacitas, quæ est congruitas dicta, & cum non adsit capacitas in bruto, hinc nec est assumptibile, cui & additur etiam indecentia, & inordinatio, quæ longè est à Dei operibus.

Objic. 4. In triduo mortis Verbum remansit unitum corpori separato: ergo potuit, & uniri alteri corpori naturæ irrationalis. Prob. conseq. quia illud corpus carebat sensu, & ratione. R. S. Bon. *d. 21. a. 1. q. 2. ad 3.* neg. paritatem, & conseq. ratio disparitatis est, quia Corpus Christi, licèt esset sine vita, habebat tamen ordinem ad animam, quæ rationem, & sensum in se habet.

Instas: ergo si potuit Verbum tunc unitum remanere post separationem animæ, potuisset etiam ante incarnationem, vel in incarnatione assumere corpus sine sensu, & ratione. R. S. Bon. neg. conseq. & paritatem de incarnatione, ex primordio, & post mortem de unione ad corpus: In primordio enim corpus sine anima non erat capax, & aptum ad unionem hypostaticam ex rationibus adductis, quia unio exigebat rationem imaginis, &c. at nunc post mortem ad ministerium nostræ redemptionis, quod debebat consumari post mortem, & ratione cujus congruum fuit, ut illa quæ prius valde conjuncta erant, non minùs congruè essent ad tempus divisa; caro videlicet & anima redimenda postea in resurrectione, & pro illo tempore benè sufficiebat ipsi carni unibilitas ad animam loco congruitatis reddentis eam idoneam ad unionem cum divinitate; unde semper stat firma nostra concl. quòd in sola creatura rationali erat idoneitas ad unionem.

QVÆSTIO VIII.

An congruentiùs fuerit angelicam naturam potiùs, quàm humanam assumi à Verbo.

Supponit quæstionis Titulus, Deum potuisse 72 assumere naturam Angelicam si voluisset, nec enim ulla adest repugnantia, & cum potuerit, quæritur; cur magis ad naturam humanam respexerit, quàm ad Angelicam? R. S. Bon. *d. 2. a. 1. q. 2.* congruentius fuisse assumere naturam humanam, quàm Angelicam: 1. prob. ex parte facti: cum enim id factum fuerit à Deo, ideo congruentius est credendum: 2. ratione congruitatis in ordine ad institutionem humanæ naturæ, & ejusdem reparationem: Congruitas ex parte institutionis humanæ naturæ desumitur ex triplici capite: 1. ob personalem distinctionem, quæ quidem reperitur in humana natura, non in Angelica; cum enim persona Filii distinguatur per originem à Patre, magis congruum fuit, ut qui Filius erat ab æterno Patris fieret in tempore Filius Matris. 2. ob majorem expressionem exemplaris, quæ est in homine; nam homo non solùm ratione essentiæ animæ repræsentat Deum, sed etiam quatenus anima unitur corpori, & est in toto corpore, sicut Deus in universo: 3. quia homo est parvus mundus in quo veluti comprehenduntur omnia creata tam spiritualia, quàm corporalia: ex capite etiam reparationis tripliciter id probat: tum quia homo magis indigebat, cum tota natura lapsa esset, non sic Angelica: tum quia homo minùs indignus erat, quia per alium tentatus corruerat: 3. quia plus ei proderat, cum non esset tam obstinatus in malo, quæ omnia tamen è divinæ misericordiæ divitiis vim obtinent: & hæc de unione in ordine ad assumptam naturam.

DISPVTATIO IV.

De modo Conceptionis Christi, & de concursu B. V. Mariæ.

QUÆSTIO I.

An corpus Christi ad perfectum statum organizationis, & molis productum fuerit subitò? An verò successivè? S. Bon. l. 3. d. 3. a. 3. q. 2.

73 Advert. 1. Seraph. D. ut procederet ordinatè in hac materia *in d. 3. p. 1.* primò præmisisse considerationem de Conceptione V. Matris, ejusque condigna præparatione in Matrem Dei; 2. probasse, carnem Christi non fuisse decimatam in lumbis Abrahæ, quando scilicet in Gen. c. 14. decimas distribuit Melchisedech, &c. in signum curationis peccati originalis omnium descendentium; & hinc probat in *a. 2.* carnem Christi non fuisse obnoxiam peccato originali, ex hoc quod fuerit materialiter, & naturaliter ex Adam propagata, cum modus traductionis non fuerit naturalis, & exempta fuerit,

nec

nec inclusa in pacto facto à Deo cum Adam (idem & probavimus in fine secundi libri sententiarum de Beata Virgine,) quibus probatis de Christo, & suppositis tamquam de fide, descendit Seraph.D. in articulo tertio duo quærit: primò, an Corpus Christi productum fuerit ad perfectam molem subitò, an successivè. 2. an in Conceptione ipsius membrorum distinctio, & organizatio fuerit subitò, & successivè, quæ per sequentes conclus. resolventur.

Concl. 1. Corpus Christi ad perfectam molem quantitatis congruæ per temporis successionem deductum fuit. Est S. Bon. ibid. *q.* 1.& de fide determinatum ex pluribus locis sacræ Script. in quibus modò ostenditur Natus est Puer: modò grandior factus: modò vir, & grandis vir ostensus, & hoc operatione naturæ, & non per miraculum: ratio autem, quare voluit Deus deducere illud corpus ad quantitatem virilem successivè, & media operatione naturæ, & non miraculosè adducitur multiplex. Primò ad confirmandam fidei veritatem, sic enim voluit ostendere ipsum assumpsisse non phantasticam, sed veram carnem similem cæteris hominibus, quia sine fidei veritate nullus est incarnationis fructus. 2. ad commendandam humilitatis Virtutem: dum enim nobis apparuit Dei Filius, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium prius factus parvulus, & qui nullo indigebat, indigens lacte materno, sicut alii parvuli, ipsoque nutritus, pannis involutus, aliisque indigentiis subjectus, voluit suo exemplo nobis commendare humilitatem ad extirpandam nostram superbiam, & ad hoc principaliter descendit. 3. ad conservandam legem universitatis, & ordinem; talis enim lex, & ordo conservatur, dum Deus unicuique naturæ concessit propriam operationem, nec utitur miraculis, ubi natura per se sufficienter potest operari; miracula enim sine necessitate non sunt facienda; cum ergo natura Christi sufficienter posset corpus ejus ad perfectam quantitatem deducere, ità quod in nullo derogabatur ejus dignitati, ideo noluit tempus anticipare, ut tanquam administrator justus universitatis unumquodque juxta virtutem sibi competentem operari sineret: quodque valdè conveniens fuit, quia naturam nolebat perimere, sed reparare. Et per hoc morale documentum voluit superioribus præbere, nempe majorem potestatem, usum inferioris potestatis non debere absque causa privare. Sicque patet quàm rationabiliter Deus Corpus Christi ad perfectam quantitatem molis successivè deduxerit. Probat deinde directè hanc concl. supposita veritate fidei nobis in Evangelio dictante, Christum lactatum, & nutritum fuisse, sicut alii parvuli nutriuntur; agumentum sequitur nutrimentum, ergo & successivè, sicut & in aliis. Tum quia Christus assumpsit naturam passibilem, & mortalem; sed omnis talis natura aut decrescit, aut crescit, aut proficit, aut deficit (numquàm enim ferè in eodem statu permanet) sed Christo non competebat decrescere, ergo crescere; ergo successivè.

Objic. 1. in Hieremia *c.* 21. Christus existens in utero B. Virginis appellatur vir: Mulier circumdabit virum; sed vir importat perfectam molem corporis, ergo, &c. R. S. Bon. appellari virum à vigore animi, quia ab instanti conceptionis fuit plenus scientia, & virtutibus, in eodem ferè sensu dicitur novus, novum faciet Deus Pater, novus, inquam, non in hoc augmento corporis, sed in virtutibus.

Objic. 2. in formatione corporis Christi concurrit divina Virtus summa, & perfecta, ergo operabatur subitò, quia perfecta virtus nata fuit educere operationem perfectam, ergo in instanti totum operata est. R. concedendo secundùm concursum virtutis summæ, & perfectæ; sed non secundùm totalitatem suæ potentiæ, quia voluit, ut etiam natura, & virtus creata concurreret.

Objic. 3. In instanti unico facta est unio Verbi cum corpore, & anima unitis, sed in eodem instanti anima repleta fuit omni gratia, & virtute, ergo & pari ratione corpus debuit esse perfectum in quantitate, & figura. R. neg. paritatem de corpore, & anima: ad redemptionem enim nostram decuit, ut assumeret nostras pænalitates, & imperfectiones corporales, non autem in anima decebat assumere culpam, ignorantiam, aliasque imperfectiones spirituales.

Concl. 2. Corporis Christi organizatio, & membrorum distinctio facta fuit in instanti: Est Seraph. 74
D.& communissima Sanctorum Patrum, & Theologorum, qui in hoc discriminant organizationem Corporis Christi ab organizatione Corporis Mariæ, quod illam asserunt, factam fuisse in instanti, non verò istam; quicquid dixerit circa organizationem corporis mariani Joannes Baptista Poza condemnatus à Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis. D. Thomas videtur negare hanc organizationem Christi fuisse factam in unico instanti ob motum localem prærequisitum ad talem organizationem, sed tamen dato etiam isto motu locali, non implicat totum factum esse in instanti, nempe generationem; sic docent Thomistæ. Prob. verò concl. à S. Doct. rationibus deductis: Primò ex parte Verbi assumentis, quia non decebat, Verbum assumere partem humanæ naturæ, quia tali pacto fuisset tantùm homo secundùm quid; ergo ut esset homo perfectus, debuit assumere totam humanam naturam, ergo & animam, & corpus simul; sed corpus non fuisset aptum in instanti, nisi ut unitum animæ, & anima non potest uniri corpori, nisi formato, & organizato, ergo in primo instanti Conceptionis fuit perfecta organizatio corporis. 2. ex parte virtutis efficientis, quia Incarnatio dicitur Miraculum Miraculorum, ergo ad hoc ut manifestatio mirabilis fieret suæ virtutis, & potentiæ, formatum fuit in instanti, quod natura non poterat, nisi successivè. 3. ex parte Virginis concipientis; nam statim ac consensit, repleta fuit Spiritu S. & Mater Dei effecta actualiter juxtà illud, quod Angelus annunciabat: sed Mater Dei non esset actu, nisi Deus unitus esset Carni, quam conceperat, & caro nec Deo, nec animæ congruebat absque organizatione: ergo organizatio facta est in eodem instanti.

Objic. 1. Conceptio non potuit fieri in instanti 75
interventu motus localis sanguinis, & partium; motus enim exigit successionem, ergo, &c. Resp. Thomistæ motum factum fuisse successivè, & brevissimo tempore, sed generationem in instanti, unde ad organizationem exigunt successionem. R. S. Bon. talem successionem in nobis concurrere, non in Christo, nec illa successio fuit temporis, sed tantùm instantium naturæ, nec ulla implicantia potest afferri ad motum localem factum in instanti absque transitu per medium, quod à multis ipsis Angelis conceditur,& omnes fatentur de præsentia corporis Christi in Eucharistia.

Objic. 2. ex Augustino *lib. de Trinit.* in illud Jo. *cap.* 2. 40. diebus dicente, Verbum factum esse

Carnem, servata proprietate Naturæ, & perfectum hominem factum in veritate carnis, & animæ, scilicet spatio quadraginta dierum, ergo si factum est corpus Christi secundùm proprietatem naturæ, exigit, ut spatio quadraginta sex dierum fieret. R. Seraph. D. S. Aug. loqui secundùm morem S Script. quæ sæpè dicit aliquid fieri, cum innotescit, talique pacto corpus Christi, licet in instanti fuerit factum, tamen esse apparuit, nec percipi potuit, præ parvitate quantitatis molis, sed post 40 sex dies ad tantam quantitatem perfectionis deductum est, quod aspectibus hominum patere potuisset; unde corpus Christi in augmento similitudinem habuit cum cæteris non in formatione, quæ subito facta est.

Dices ex Apostolo: debuisse per omnia nobis assimilari; Hæbr. 2 R. verum esse quantùm ad ea, quæ faciebant ad reparationem generis humani, scilicet tentari, pati, conversare, sed non in modo corruptionis, quæ in nobis habet annexam traductionem peccati originalis, ideò modum supernaturalem exigebat; & per hoc resp. alteri objectioni de augmentatione, & nutritione simili nobis, quia nec ista habet connexionem cum culpa, sicut generatio naturalis. Quare conclusio sit, quod licet in nobis concurrant conversio, consolidatio, & formatio successu temporis, in Christo totum factum est in unico instanti temporis, secundùm præcedentiam tamen plurium instantium naturæ.

QVÆSTIO II.

De concursu B. Virginis ad Conceptionem, & Incarnationem Christi.

76 Ante omnia de B. Virgine infrà promenda, præmittimus regulam à nobis observandam à D. Thoma, Bon. & Anselmo assignatam, nempe nullum terminum laudationem B. Virginis habere, dummodo non adversetur statui puræ creaturæ, sed solùm posse assignari ex una parte potentiam Dei, dicente ipsa: Quia fecit mihi magna, qui potens est; & ex alia Maternitatem ei, qui termini sunt de se sine termino: ideoque eadem regula à nobis practicanda est, ut maximè observemus monitum Seraphici Patris Francisci, qui apud Bustum *serm.* ..*p.* 1 de B Virgine præcipiebat suis Fratribus, ut omnia privilegia communicabilia puræ creaturæ ei attribuerent, quod & mirabiliter fecit ipse Seraphicus Pater, aliique SS Doctores, & Patres, & inter omnes maximè excellit Seraph. qua supposita doctrina. Tria sunt, quæ discutienda, à nobis proponuntur sub titulo quæstionis de concursu B. Virginis ad opus Incarnationis Primum est, an B. Virgo concurrerit passivè tantùm, an etiam activè ad generationem Christi. 2. an ejus concursus fuerit naturalis, an supernaturalis. 3. an etiam concurrerit saltem instrumentaliter ad productionem unionis hypostaticæ; prima duo quæsita in præsenti solvemus ad gloriam B Virginis Mariæ. 3 verò in sequenti quæstione: In hac igitur quæritur, quomodò B. Virgo concurrit ad Conceptionem Christi: passivè tantùm, an activè etiam certum enim est ad generationem perfectissimam viventium concurrere matrem, & fœminam, & ex illorum congressu Filium produci; ideoque comparantur inter se ut principium activum, & passivum; sed quia multiplex concursus requiritur etiam activè ex Matre, nempè ad generationem necessaria est ministratio materiæ, ex qua fœtus saltem partialiter construitur, organizatio, fœtus nutritio, & cætera, quæ inveniuntur usque ad unionem animæ cum corpore; necessaria etiam est decoctio, & confectio sanguinis, deportatio ad locum generationis, calefactio, & conservatio fœtus, & alia hujusmodi, & ad aliqua horum B. Virgo concurrit activè, & de hoc nullum est dubium; tota difficultas reducitur ad hoc; an fœmina concurrat activè ad introductionem formæ substantialis, & consequenter ad organizationem perfectam Arist. 1. *de gener. anim. c.* 19. & 20. & alibi non semel, quem secuti sunt Divus Thomas, Cajetanus, & cæteri Thomistæ negavit, matrem concurrere activè ad generationem Prolis.

E contrà Galen. Hipocrat. cum aliis primoribus Medicis, quos sequuntur plurimi Philosophi, ac Theologi ex omnibus scholis, S. Bon. *d.* 4. *a.* 3. *q.* 1. Scotus, Ocham, Suarez, & innumeri ferè Jurisconsulti docent, matrem concurrere quidem passive, sed etiam activè, quam quæstionem physolophicè, simulque Theologicè fusè tractavimus in Phylosophia, ad quam remitto Lectorem, pro nunc examinabimus ea, quæ ad gloriam B. Virginis in tali concursu conferunt.

Not. 1. quòd cum certum sit de fide, quòd in generatione Christi adfuerit concursus Spiritus sancti peculiaris, & miraculosus, simul cum concursu B. Virginis, qualiscumque ille fuerit: quæstio celebris est inter Theologos, quid operatus fuerit talis influxus Spiritus S. cum B. Virgine; Seraph. D. *d.* 4. *art.* 3. *q.* 1. & 2. proponit tres opiniones; primam, quæ est Thomistarum admittentium tantùm concursum materialem in B. Virgine, sicut solent aliæ matres; Spiritum S. verò præbuisse totum concursum activum respicientem influxum viri: Hancque sententiam rejicit Seraph. eo quod nimis parum dicit agendo de Matre Dei. 2. opinionem proponit dicentem, B. Virginem cooperatam fuisse quoad initium generationis, scilicet ministrando materiam, non verò medium, scilicet organizationem instantaneam, quæ fuit à Spiritu S. sed quantùm ad ultimam consummationem, quæ fuit generatio hominis Dei, totum ipsa Virgo fecit; sed, & hanc sententiam rejicit, eo quod nimium admittit in Virgine Matre, scilicet dicendo generationem humanitatis unitæ factam per virtutem solam Matris absque cooperatione Spiritus S. ratio est, quia in generatione ejusdem est factum esse, cujus est fieri; sed conceptionem fieri est etiam virtutis increatæ, ergo, & factum esse: Tum quia nobilius est formam inducere, quàm præparare, ergo non est decens, quod Spiritu S. præparaverit, & non concurrerit ad generationem formæ: Tum quia non est assignabilis pro hac ultima forma generata anima, quæ à Deo creatur, nec organizatio, quia hæc naturali virtute solùm potest fieri successivè, qualis ergo est? Sed ista est humanitas unita Verbo, & hæc introductio, seu generatio est supernaturalis, ergo non solùm Maria, sed & Spiritus S. concurrit. Nota hic Savedram non satis percepisse mentem Seraph. D. dum *vestig.* 1. *section.* 4. *n.* 683. *seq.* putat Seraph. negare ex rationibus adductis in Virgine concursum activum ad generationem Dei hominis, quod est falsum: nam ex ipsis rationibus, & ex decursu quæstionis patet. S. Doctorem admittere concursum activum. Rejectis igitur duabus supratraditis sententiis; tandem suam promit Seraph. sustinens sententiam mediam, nempe, B. Virginem habuisse eamdem potentiam, sicuti cæteræ Matres

tres naturalem præparandi materiam pro formatione Corporis Christi, & ultra alias Matres potentiam supernaturalem, & elevatam ad organizationem subitam, & ad generationem Christi, & iste est sensus germanus Seraph. D. etiam in sequenti quæstione magis expressus.

77 Not. 2. quòd cum dictum sit, B. Virginem habuisse potentiam naturalem ad hanc generationem, simulque supernaturalem, quæstio potest proponi, quæ nam fuerit hæc potentia naturalis, & supernaturalis, nempe, an fuerit duplex; an eadem naturalis elevata ad statum supernaturalem; & an ratio agendi fuerit illa supernaturalitas; an naturalis virtus: quam & ipse Seraph. D. soluit in quæstione 2. dicens, quòd, cum Maria fuerit fæmina, etiam simul habuit potentiam naturalem generativam communem omnibus mulieribus, sed supra omnes excitata fuit à Spiritu S & fuit supra suum posse elevata: excitata quidem quatenus erat potentia passiva ad hoc, ut passivè præpararet materiam conceptui, secundùm quod competit sexui muliebri; sed supra naturam fuit elevata, dum data est ei potentia præparandi materiam, prout competebat tam nobili, & tam perfectæ Conceptioni, nempe concurrendo ad organizationem subitam corporis, & complendo totum opus conceptionis, & generationis Christi. Qua doctrina supposita, huc advocare debemus, quæ à nobis tradita sunt in libro 1. in Disp. de Visione Beata, ad quam concurrit potentia viralis, & naturalis, sed elevatam per lumen gloriæ supernaturale, in qua Visionis vitalitas adscribi debet principaliter potentiæ intellectivæ, & minùs principaliter lumini gloriæ; & ratio supernaturalitatis è contra principaliter est à lumine gloriæ, minùs principaliter ab intellectu; sic in hac generatione Christi ratio naturalitatis principaliter adscribitur potentiæ generativæ, superadditæ verò virtuti à Spiritu S. minùs principaliter; è contra supernaturalitatis magis principalis adscribitur virtuti superadditæ, & infusæ à Spiritu S. in potentia B. Virginis, & minùs principaliter virtuti virali animæ vegetativæ Mariæ: quæ doctrina est ipsissima, licèt aliis terminis, quam Seraph. D. tradit ibidem *q.* 2. maximè in responsione ad arg. Idem, & clariùs repetit *in Brevil. l.* 1. *p.* 4 *cap.* 3. dicens in Conceptione completio debita fuit in prole, fuit in conceptu, fuit & in virtute recipiente: in prole fuit completio, ideo in instanti Conceptionis non tantùm fuit seminis decisio, verum etiam consolidatio, configuratio, vivificatio per animam, & deificatio per deitatem unitam, ut sic Virgo Dei Filium conciperet per unionem carnis ad deitatem, mediante anima, per quam congruè caro erat idonea ad unionem: Conceptio item fuit completa in conceptu, ut ad complementum universi tribus aliis modis jam præcedentibus producendi hominem adderetur quartus, scilicet Conceptio viri sine virili semine per virtutem divinam. Et quià completio debita debuit esse in virtute, hinc est, quòd in Conceptione Filii Dei simul concurrit virtus innata, virtus infusa, & virtus increata: virtus innata excitata à Spiritu S. (ut ait *d.* 4. *art.* 3. *q.* 2.) præparavit materiam: virtus infusa purificando segregavit, & virtus increata totum perfecit subitò, quod non potuerat à virtute creata, nisi successivè fieri: & sic Beatissima Virgo Maria fuit completissimo modo Mater, ipsum Dei Filium concipiendo absque viro, fæcundante Spiritu S.

78 Concl. 1. B. V. Maria concurrit, non solùm passivè, sed & activè ad generationem Christi: Est S. Bonav. Scoti, aliorumque supracit. quod verò sit sententia Seraph. D. patet ex locis adductis; tum *in lib* 3. *d.* 15. *art.* 1. *q.* 3. *Resp.* ubi dicit, quòd Christus fuit conceptus non secundùm propagationem legis naturalis, nec secundùm corruptionem libidinis: subdit ad rem; sed Spiritus S. adveniens in ipsam Virginem, & ipsam fæcundans, scilicet sua virtute infusa, carnem ejus ab omni fæditate corruptionis purificavit, passibilitatem tamen reliquit: Ex illa autem carne Filius Dei sibi corpus immaculatum ædificavit, & illud corpus immaculatum univit sibi cum anima rationali: in quo textu habes sanctitatem infusam antecedenter in carne Virginis & deinde concursum Spiritus S. cum fæcunditate, & actione Virginis. Prob. à Seraph. 1. auctoritate D. Damasceni, & Magistri, dicentium, Spiritum S. Mariam purgasse, & potentiam receptivam, & generativam simul præparasse; ergo non solùm habuit potentiam receptivam, sed & generativam, ergo & activam: tum quia cæteræ Matres concurrunt effectivè ad generationem Prolis; ergo multò magis B. Virgo; antecedens jam probatum fuit à nobis in Philosophiæ 3. parte ex eò quod Mater secundùm Medicos emittit prolificum semen; tum ex eo quod licèt Pater principaliter habeat rationem activi, id non officit, quin Mater cum passivitate non possit habere rationem activam: tum quia Ecclesia dicit, quod Maria verè genuit Deum; sed generare est agere, ergo, &c. Tum quia si Maria non esset activè cooperata fætui, ergo se habuisset ut materia limi ad compositionem Adæ, & costa in formatione Evæ, ex quo concursū passivo nulla affinitas orta est; ergo nec in Maria ad Christum: Tum quia veritas debet respondere figuræ; sed Virgo Maria figurata est per Virgam Aaron, & hæc fronduit, & floruit, & fructum fecit, ut in num. 17. & Virga ad fructum pervenit per virtutem activam; ergo multò fortiùs B. Virgo.

Prob. etiam ex doctrina tradita à Seraph. in superioribus aliis mediis: ideo negatur activitas in Matre ad generationem Prolis, ex eò, quod ad ipsam requiritur principium activum, & passivum, illudque tribuitur Patri, istud Matri, sed hæc ratio nulla est; ergo, &c. Major est Thomistarum: Minor prob. quia etiam si Mater concurrere dicitur activè, non deficit principium passivum, atque id probetur, nempe Matrem, & fæminam comparari ad fætum in omnibus statibus, in quibus reperitur, cumque necessariò foveatur, formetur, & generetur, necessariò etiam habet rationem principii, seu subjecti passivi; sicut enim generare est agere, ita etiam generari est quoddam pati; inde etiam Mas, & fæmina comparantur ad fætum ut ad subjectum passivum, ita ut realiter hæc tria inter se distinguuntur & sint tria supposita, Mas, fæmina, & fætus generandus: Materia enim, ex qua fætus formatur ex parte fæminæ est realiter distincta à materia Maris, & utraque est idem realiter cum fætu, qui producitur hac ratione ex substantia utriusque parentis, qui in illam agit suo modo: ex quo colligitur evidenter, Marem non solùm respicere fæminam, ut subjectum passivum; sed etiam ipsum fætum, & in utramque suam exercere actionem: Ad hæc addimus, quòd etiam Pater se habet ut principium passivum, simulque activum, dum in semine virili partes, subtiliores, & igneæ agant in non calidas, & crassiores, ergo & Mas etiam patitur in generatione, aliàs Filii nullam haberent substantiam Patris: ex qua doctrina patet sequela argumenti, quia si ex aliqua passivitate

tate deberet inferri negatio activitatis, deberet inferri ea in Patre, & in Matre, quod est absurdum, &c. cum igitur in generatione ex parte Matris, Patris, & fœtus adsit principium passivum, hinc non est, cur deneganda sit activitas Matri, si admittitur in Patre.

Objic. 1. ex Coloss. c.2. & ad Rom.1. quòd Dei Filius factus est ei ex semine David, non dicit natus; sed factus importat tantùm ministrationem materiæ, non activitatem, ergo, &c. Resp. S.Bon. Apostolum removere per illud nomen virilis seminis commixtionem, nec negare potentiam generativam in Virgine, sed ponere vim suprà vim naturæ, ideóque sic dicitur factus, & etiam natus.

Objic.2. in Virgine Christus fuit eodem modo, quo in parentibus; sed in istis fuit tantùm secundùm corpulentam, & materialem substantiam, ergo & in Virgine. R. S. Bon. fuisse quidem in Virgine tali pacto, sed etiam cum virtute innata, & supernaturali elevata, ut jam supra dictum est.

79 Concl. 2. Virtus, qua B. Virgo Maria concurrit ad generationem Verbi partim fuit naturalis quoad substantiam, & supernaturalis quoad modum, partim fuit supernaturalis quantùm ad substantiam, simulque ad modum: Est Seraph. D. cit. Explicatur simulque prob. prima pars conclusionis: illa dicitur virtus naturalis quoad substantiam, & supernaturalis quoad modum, quæ est innata, & propria naturæ, simulque operatur ut elevata suprà exigentiam naturæ; sed virtus generativa Mariæ fuit innata, & similis omnibus aliis fœminis, fuitque elevata à Spiritu S. supra id, quod possunt aliæ Matres naturaliter ad attingendam generationem hominis Dei, qui est Christus, ergo, &c. Major est omnium Theologorum; aliásque sæpè *in* 1. *&* 2. *sent.* à nobis probata: Minor est suprà in Conclusione antecedenti probata: Prob.2. pars de supernaturalitate, quoad substantiam: virtus supernaturalis fuit infusa in Virgine à Spiritu S. ex traditis, ad hoc ut naturalis elevaretur supra suum posse, & ut simul posset agere completè id, ad quod non potest pertingere pura natura, ergo, &c. Confirmatur ex traditis in tractatu de Conceptione B Virginis, ubi probatum est, potentiam susceptivam B. Virginis elevatam fuisse à Spiritu S. per sanctitatem corpoream existentem in carne priùs natura antè animationem; ergo illa potentia naturalis ratione obedientialitatis passivæ excitata à Spiritu S. facta est per excitationem, & elevationem supernaturalem potentiæ supernaturalis; sed tali potentiæ nova est superaddita à Spiritu S. activa, & infusa in Maria, ut simul posset activè attingere productionem Christi, ergo vera utraque pars Conclusionis.

80 Objic. 1. Si elevata fuit potentia generativa B. Virginis; ergo intensior facta est additione alterius virtutis, ergo erit plusquàm Mater, quod est absurdum, sed potentia vegetativa semper est ejusdem rationis, & in ordine naturali in quacumque fœmina, ergo non potuit elevari ad statum supernaturalem. R. ex doctrina S. D. illam potentiam vegetativam excitatam fuisse à Spiritu S. non intensiorem factam, sed tamen elevatam, & corroboratam, constitutamque in genere, & ordine supernaturali, quod non fit per intensionem majorem illius, sed per additionem virtutis, & qualitatis supernaturalis, ea quidem ratione, qua intellectus, & voluntas elevantur per habitus supernaturalis, absque eo quod eorum virtus intendatur, solùm enim illis additur forma activa ordinis supernaturalis, ex quo non sequitur, Mariam esse plusquàm Matrem, sed solùm esse Christi Domini Matrem perfectissimam.

Dices: quia ex ista Conclusione sequeretur, sacram Deiparam non ita per se, & verè egisse in formatione Christi, sicut aliæ Matres; sed hoc est maximum absurdum; ergo, &c. Prob. sequela, quia si per virtutem superadditam suæ potentiæ generativæ attigit generationem Christi, illa virtus esset accidens, id est nullo modo debita naturæ, ergo si per talem solam virtutem attigit terminum productum, non ita perfectè egit, sicut aliæ Matres: non enim ita convenit lapidi albo disgregare visum, sicut ei convenit ferri in centrum, & deorsum, hoc enim convenit ei per naturam suam, illud verò per accidens; sic & matri convenit per suam naturam generare magis, quàm per aliquid superadditum ab extrinseco, & per accidens. R. neg. sequelam majoris, ad prob. R. neg. per solam virtutem superadditam attigisse Mariam generationem Christi; attigit quidem istam generationem per virtutem suam propriam innatam (ait Seraph.) similemque cæteris Matribus, sed non nudam, & nudè sumptam, sed ut confortatam, & elevatam per supernaturalem virtutem, quæ est ejusdem lineæ cum naturali virtute, sic intellectu videt Deum sua virtute, sed elevata per lumen gloriæ.

Concl. 3. Sacra Deipara fuit causa adæquata quantùm ex parte sua, (non excludendo mirabilem Spiritus S. influxum) generationis Christi Domini proximè, & immediatè per utramque potentiam naturalem, & supernaturalem, ex quibus resultabat unica, & adæquata ratio generationis Christi Domini: Est Seraph. D. supra cit. estque debet ad mentem omnium Theologorum, asserentium, Visionem beatam produci per intellectum, & lumen gloriæ tamquàm per unicam rationem coalescentem ex virtute naturali, & supernaturali, de quibus jam in tractatu de Visione beata egimus, sequitur ex supradictis, & patet, quia neutra potentia sejunctim sumpta potest producere, & generare Christum sine concursu alterius, sicut & lumen gloriæ, & intellectus.

Q. *An potentia, quæ elevatur per gratiam, & qualitatem superadditam sit obedientialis? an ipsa propria formalis animæ vegetativa?* R. quòd sicuti dictum est de Visione beata, & de intellectu elevato per lumen gloriæ, sic hæc potentia obedientialis, est eadem entitas potentiæ sua propria vi concurrens ad generationem, quæ à virtute infusa Spiritus S. dicitur supernaturalis, & valens attingere productionem termini supernaturalis: ratio est, quia potentia obedientialis passiva est non repugnantia creaturæ ad Deum ad effectus supernaturales; ponitur autem in creaturis talis potentia obedientialis, ut in illis, & de illis faciat Deus, ut suprema causa, & nullis legibus alligata, quicquid non implicat contradictionem: Vel quia ratione illius aliquid recipitur in naturali potentia, vel quia illa elevatur ad eliciendas actiones supernaturales, & miraculosas per aliquam formam supernaturalem, quæ est ratio agendi formaliter illos supernaturales effectus; at Maria Virgo concurrit ad generationem per suam potentiam naturalem, sed ut supernaturali virtute elevatam.

Concl. 4. B. Virgo Maria ut causa principalis 81
simul cum Spiritus S. Virtute activè concurrit potentia supernaturali ad instantaneam formationem, & organizationem Corporis Christi: Nota autem hîc ante omnia, triplicem actionem in hac Conceptione, sicut & in reliquis concurrisse: prima est trajectio, seu positio seminis in utero. 2. formatio

fœtus

fœtus quasi remota. 3. & ultima dispositio, & informatio fœtus: Prima fit per naturalem facultatem ipsius vulvæ, quæ attrahit semen, & sanguinem formandæ proli necessarium: Hæcque actio fuit in Virgine, ita ut modo hoc semen, & sanguinem administraret non tamen sine miraculo, quia absque virili semine, & absque fœditate voluptatis hoc perfecit, pro quo supplevit Spiritus sanctus elevando illam facultatem Virginei uteri, ut suam actionem produceret. Deinde illa attractio seminis breviori spatio temporis peracta est, quàm ut naturali modo effici potest, talisque modus miraculosus non pugnat cum ratione veræ generationis: nihil enim immutavit de essentia illius actionis, nec sustulit vitalem operandi modum, quin potiùs illam actionem perfecit; & in hac prima actione illa secunda consecuta est, qua formatur fœtus remotè; nunc ergo præcipuè agimus de actione illa, quæ versatur circà ultimam fœtus dispositionem, & organizationem usque ad unionem cum anima, quæ cum in aliis fœminis exigat spatium vel quadraginta, vel octoginta dierum facta est in instanti opere Spiritus S. concurrente ad id Beata Virgine, & de hoc est ista conclusio. Prob. igitur conclusio ex doctrina Seraph. *d.4. art.3. q.1. in corp.* ex qua potest confici hoc argumentum: Maria habuit potentiam naturalem, & supernaturalem in ordine ad conceptionem Christi; ergo rationem virtutis supernaturalis operata est differenti modo à naturali, & cum naturalis operetur successivè, sequitur, quòd supernaturalis operata fuerit instantaneè. Prob. 2. Major distantia est, & repugnantia inter fœminam generantem, & Deum generandum, quàm inter ipsam, & virtutem formativam instantaneam corporis; sed illa repugnantia sublata est virtute supernaturali; ergo multò fortiùs ista: Major, & minor est certa, & de fide, conseq. Prob. & paritas, sive sequela à fortiori, quia & cæteræ matres non solùm activè concurrunt ad generationem fœtus, sed & ad delineationem, formationem, & organizationem; ergo multò fortiùs B. Virgo. Prob. 3. quia illa forma organica educta est, non creata ex materia fœtus disposita; ergo virtus activa Mariæ ad ipsam potuit se extendere, & cum fuerit supernaturalis super alias Matres concurrente etiam virtute Spiritus S. ergo potuit totum fieri in instanti. Prob. conseq. quia repugnantia successionis talis actionis stat solùm in modo præparandi materiam & educendi formam; sed ista potest tolli per virtutem supernaturalem infusam divinitùs in Maria, cum ad id non requiratur virtus infinita; ergo potuit, & de facto concurrit ad hoc opus instantaneum; alioquin illa successio non posset pertransiri à quoquam, quod est falsum, cum consistat in transmutationibus dispositivis intermediis, obidq. possunt etiam fieri instantaneè absque præjudicio essentialis generationis. Prob.4. B. Virgo fuit verior Mater Christi, quàm cæteræ matres suorum filiorum; sed istæ attingunt organizationem corporum ipsorum; ergo & B.Virgo. Prob.5. Ad potentiam naturalem B. Virginis superaddita est (ait Seraph. D.) virtus generandi Deum hominem. at virtus differt à potentia per id, quod virtus absolutè dicitur illa, quæ secundùm ultimum potentiæ attingit effectum, ut est virtus ignis ad octo gradus; sed in Virgine Maria fuit potentia naturalis, simulque virtus supernaturalis infusa à Spiritu S. ergo secundùm ultimum potentiæ attigit conceptionem, ergo & organizationem subitam. Et hoc est, quod dicit B. Albertus Magnus, in missus, super illud: ideo quod ex te nascetur: ideo enim quod potentia Dei se in te ultimat, & ad virtutem se contrahit, & se urget, summam, & de altissimis Dei sumit operationem, & ad similitudinem Dei educit effectum sola carne obumbratam, ideò, inquam, quod nascetur ex te vocabitur Filius Dei. Prob.6. hæc virtus supernaturalis addita Mariæ fuit ad perficiendam suam naturalem; tum ut suppleret concursum viri; tùm ut potentiam ad actum reduceret, sicut lumen gloriæ ad vim intellectus, ergo ut suum haberet effectum debuit concurrere ad actum generationis, & ad modum. Hæc omnia confirmant S. Joan. Damasc. *lib.3. de fide Orthod.c.2.* Ochamus, aliique Patres à Savedra *cit.1.dist.11.sect.5.*

Objic. 1. Organizatio instantanea possibilis est 82
agenti infinito, non autem finito, & creato corporeo, ergo falsa conclusio. Prob. anteced. non de agente infinito, quia nulla est illi assignabilis resistentia, sed de finito corporeo; quia de ratione causæ principalis activæ corporalis est, quòd agat in tempore, nec potest agere in instanti, dependet enim in operari à loco, & tempore, ergo sicut non potest operari, nisi extendatur in loco, sic nec potest, nisi extendatur in tempore; operari enim sequitur esse, & modus operandi modum essendi, ergo implicat operari instantaneè in agente corporeo. R. neg. antecedens; ad probati. R. repugnare agenti corporeo agere in instanti ex viribus propriis naturæ, transeat, licèt etiam id possit negari, cum sol instantaneè illuminet: per virtutem supernaturalem sibi infusam, & continentem talem modum, nego; nec enim repugnat talis modus operandi instantanèe agenti corporeo etiam naturaliter, ut patet in sole, in generatione corporea, in unione animæ ad corpus; tum etiam quia ratio successionis in qualitatibus est resistentia, quæ per virtutem superiorem tolli potest.

Objic. 2. Fieri non potest, ut mobile quiescens. v. g. una hora moveatur in instanti, ergo partes corporis organici non possunt moveri in instanti; ergo nec organizatio fieri potest in instanti. Objectio hæc tangit quæstionem philosophicam de termino inceptionis, & desitionis rerum, in qua communiter dicitur, quòd ratio, quare v. g. Angelus quiescens in hoc instanti non potest se movere in instanti, quia duo instantia essent immediata: in qua quæstione varii varia: nos autem ex doctrina, quam ex Seraph. pluriès in Philosophia tradidimus, negamus, duo instantia intrinseca contigua immediata non posse dari in mutationibus, quæ respondent uni temporis extrinseci; sed tamen in sententia aliorum. R. transeat antecedens, & neg. conseq. ratio est, quia, licèt verum esset antecedens in mobile verè quiescente toto tempore antecedenti, atque adeo in ultimo instanti temporis, adhuc negari non potest, quòd si moveatur ante illud tempus, & instans; ut potest fieri successivè, non possit moveri in illo instanti sequenti, quia quies non præcessit; sic potuit contingere in formatione Corporis Christi; sanguis enim Deiparæ motus est successivè, licèt brevissimè ad locum generationis, & absque eo quòd in ultimo instanti temporis illius potuerit esse sub alia forma organica; scilicet in instanti, atque adeo moveri de una forma in aliam, non successivè, & absque eò quod duo instantia immediatè, sibi succedant.

Q. Quænam fuit materia à B. Virgine exhibita ad formatio

formationem Corporis Christi? Aliqui dicunt, semen fuisse emissum, sed absque voluptate, quod tamen reprobat Seraph. tanquam impropriè dictum; alii dicunt Carnem; alii de aliquibus gustis sanguinis è corde emissis dicunt fuisse organizatum, quæ tamen dicta communiter rejiciuntur, sic enim non fuisset propriè Mater, sicut cæteræ Matres. Communior est, materiam hanc fuisse sanguinem proximum, & defæcatissimum, & ex ipso fuisse eductam formam organizationis. Notat tamen Seraph. *lib.3. a.3. d.3.* quod talis materia aliquando vocatur sanguis in comparatione ad illud, unde provenit; aliquando caro in comparatione ad id, quod de ea fit, & semen quantùm ad formam, quam habet, sed propriè dicitur humor, qui tamen ante organizationem, & unionem fuit purgatus, & sanctificatus à Spiritu sancto *lib.3. d.15. art.1. q.3. ad ult.*

QUÆSTIO III.

An Beata Virgo Maria effectivè saltem instrumentaliter attigerit productionem unionis hypostaticæ.

83 PRo complemento quæstionis de concursu B. Virginis ad Conceptionem Christi JESU superest enodanda hæc celeberrima quæstio, quæ summopere conducit ad exaltationem tantæ Virginis: hinc, supponend. ex supra traditis, unionem inter Verbum Divinum, & humanitatem esse modum substantialem absolutum, simulque formam sanctificantem humanitatem substantialiter, & eminentialiter, quod suprà probavimus fusè: nunc quæritur: an ad productionem istius unionis concurrerit B. Virgo Maria, saltem ut causa instrumentalis; nam certum est non potuisse id, ut causam principalem etiam de potentia Dei absoluta, quia nulla vis creata potest communicare substantialiter divinam naturam, & personam naturæ creatæ: sed de instrumentaria quæstiò nunc proponitur, nempè, an de potentia absoluta id potuerit, & an de ordinaria: In qua, prima opinio est negativa plurimorum Theologorum, Gabr. Scoti, Ochami, Vasq. Palatii, Medinæ, aliorumque. 2. Opin. admittit talem concursum instrumentarium in B. Virgine, non quod sine ipso non potuerit verè esse Mater Dei, sed quia per hanc communicationem major exaltatio redundavit in eam, sic Suarez *tom.1.d.10.s.1.* Granad. Novatus, aliique plurimi Theologi antiqui, & recentiores, & Sancti Patres; estque magis conformis principiis Seraph. ut parebit.

Not. 1. & suppon. quòd in disput. de Immaculata Conceptione B. Virginis fusè probavimus, in B. Virgine in primo instanti fuisse infusum donum maternitatis, quod est qualitas, & forma supernaturalis eminentialis, per quam & sanctificata fuit Caro ejus ut esset apta generationi Christi, & elevata fuit ad statum supernaturalem, ut docet
84 S. Bon. *d.4. art.3. q.1.* ad hoc ut posset attingere generationem Christi, ejusque organizationem, & formationem corporis. Not. 2. quod est in quæstione, quisnam fuerit terminus elevationis supernaturalis factæ in potentia naturali Virginis: sed ex præjactis in citata disputatione de Conceptione B. Virginis patet, terminum hujus elevationis esse in Virgine Beatissima virtutem realem, & physicam primò, & per se ordinatam ad generandum Deum hominem, illæsa virginitate sine virili semine de Spiritu S. conceptum; & ratio est, quia modus causandi per principium intrinsecum est conformior, & connaturalior potentiis vitalibus, ut jam in primo libro probatum à nobis fuit ex doctrina Seraphica de lumine gloriæ necessario ad visionem beatam; & cum fides doceat, generationem humanam Christi fuisse, non ex virili semine, sed de Spiritu S. ita ut Mater sanctissima semper Virgo permanserit, consequens omninò est, terminum hujus elevationis esse virtutem, per quam hæc omnia, illæsa Virginitate, tanta Mater pertingere potuerit, & fines deitatis propria operatione attingere, quæ doctrina est Seraph. sæpè citati, & plurium Sanctorum Patrum, & Theologorum. S. Athanasius Homilia 4. de Virgine clarè loquitur ad rem. Damasc. *l.3. de fide orthodox. cap.2.* S. Basilius Seleucus homil. de Annunciatione, & communior scholasticorum, quos citat, & expendit Savedra *sect.1. d.5. s.1. & seq.*

Not. 3. & suppon. ex traditis in cit. disputatione, terminum hujus elevationis potentiæ Mariæ, 85
seu qualitatem supernaturalem infusam in Virgine esse formalem participationem naturæ divinæ, pro ut fœcunda ad generationem reperitur in Patre divino, eo modo, quo dicitur de gratia, quòd sit participatio divinæ naturæ prout fœcunda est ad intrà, & communis in tribus personis, & de lumine gloriæ, visione Dei, amore divino, prout habent convenientiam formalem cum Deo; sic & ista qualitas est formalis participatio divinæ naturæ, prout reperitur in Patre, & consequenter potentiæ generativæ, qua Pater Filium producit, & ideò Virgo Beatissima habuit consortium divinæ naturæ secundum hanc rationem, & convenientiam formalem cum Patre in hoc prædicato generandi Deum, non substantialem, & univocam, sed accidentalem omninò, & merè analogicam: & cum collata fuerit B. Virgini, ut poneretur in actu primo valens generare Deum hominem, hinc est participatio divinæ perfectionis in linea fœcunditatis. Ex qua participatione oritur, quod Maria perfectissimo modo possibili puræ creaturæ constituta dicitur in ordine divino, & supernaturali, atque adeò intra celsissimam Trinitatis spheram, non solùm quia mirabili modo sponsa facta est Sanctissimæ Trinitatis, ut eam appellat S. Epifanius, & ut sponsa transit in familiam sponsi, requiriturque forum, & leges illius, sed etiam ratione fundamentalis dignitatis, & participationis divinæ dicit ordinem ad SS. Trinitatem: ad Patrem, quia participat naturam fœcundam illius: ad Filium, quia substantialiter generat illum: & ad Spiritum S. quia virtus illa materna essentialiter ex natura sua, & propriis principiis respicit ut sponsam Spiritum S. tanta connexione, ut impossibile esset, illam virtutem, & potentiam generandi reduci ad actum nisi per Spiritum S. & hoc est, quod dixit S. Bon. *in Brevil. part.4. c.4.* habuisse Mariam potentiam innatam, potentiam infusam, & potentiam increatam: & hoc est quod innuit Angelus in illis verbis: *Et virtus altissimi obumbrabit tibi:* ait Seraph. D. *lib.3. d.3. part.1. dub.2.* ubi per *nomen Altissimi* intelligitur Pater, cui appropriatur potentia, vocatque ipsum nomine Altissimi, ut ostenderet in hoc opere, miram fuisse dignationem; per virtutem intellexit Filium, qui est virtus, & sapientia Patris; & quia sermo præcesserat de Spiritu S. hinc tres personas in hoc opere adducit, & addit: *obumbrabit tibi*

tibi, non dicit illuminabit te, ſed *obumbrabit*: obumbrare enim viſum adjuvat, & calorem refrigerat, & in adventu Filii Dei Virgo Maria refrigerata fuit fomitis extinctione, & adjuta ad Dei conceitum per carnis conjunctionem cum Verbo.

86 Not. 4. quòd eſt in quæſtione apud Theologos: an negato hoc concurſu inſtrumentario Mariæ ad unionem hypoſtaticam, poſſit dici verè Mater Dei: aliqui negant: ratio eorum eſt, quia ſi generatio activa Mariæ non terminat ad iſtam unionem, nihil plus facit, quàm cæteræ Matres, quæ gignunt unionem animæ cum corpore, & humanitatem, quæ tamen ratio eſt falſa, & inanis: nam etiam negato iſto concurſu nec plus, minuſvè dicenda eſt Mater Dei: ratio eſt, quia producendo unionem inter corpus, & animam, & humanitatem oritur aliquod totum, & unitum Verbo, cum in eodem inſtanti unionis animæ, & corporis, fiat unio Verbi, ex eò maximè, quia unio Verbi ordine executionis priùs fiat cum partibus unitis, quàm cum humanitate, ut ſuprà traditum eſt; unde talis concurſus phiſicus ad unionem hypoſtaticam non eſt omnimodè neceſſarius, qui tamen ſi ſuperaddatur, tunc verior, & perfectior Dei Mater appellanda eſt, de qua materia fusè agunt ſcholaſtici apud Vegam *à n.*1541.

87 Not. 5. & ſuppon. ex Philoſophia cauſam principalem eſſe illam, quæ producit effectum, ut quod, qui ſecundùm ultimam, & perfectiſſimam rationem illi attribuitur: Inſtrumentalem verò, quæ in actione non quæritur propter ſe ipſam, ſed propter actionem principalis agentis, ſicut calor requiritur in igne, non ut agat ut quod, neque illi attribuitur actio productiva ignis; neque per ſe quæritur in illa actione, ſed propter ignem, unde inſtrumentum non eſt quod operatur, ſed eſt principium operandi: ſic Calamus non ſcribit, calor non producit, ſed ignis, cum autem inſtrumentum operetur virtute agentis principalis, ſequitur, quòd inſtrumentum ratione potentiæ obedientialis, poſſit elevari ad effectum excedentem proprias vires per unionem ſuperadditam: Et talis modus operandi in ordine ad unionem hypoſtaticam recognoſcitur in Virgine, tum ratione potentiæ ſuæ naturalis, ſed magis ratione ſupernaturalis ſuperadditæ, & infuſæ, & utraque eſt ratio agendi, atque adeò verè, & propriè eſt inſtrumentum; cauſa verò principalis Spiritus ſanctus, & ipſa Deipara, proportionaliter tamen loquendo, & limitatione infrà adducenda.

88 Concl. 1. Nulla creatura, ut cauſa principalis, potuit attingere productionem unionis hypoſtaticæ: Eſt communis, & ratio eſt manifeſta, & ſupra tacta, quia nulla creatura poteſt habere ſuperioritatem ad Deum, & propria voluntate unire illum naturæ diſtinctæ, idque pugnat manifeſtè cum Dei dominio: tum quia, cum unio ſit ordinis ſupernaturalis, & perfectiſſima Dei participatio, ideo non poteſt eſſe à Creatura.

Concl. 2. Nulla implicantia poteſt adferri, quin creatura pura poſſi aſſumi ad efficiendam unionem hypoſtaticam Verbi cum humana natura, tanquam cauſa inſtrumentaria; Eſt contra Gabrielem, Scotum, Ocham, Vaſq. aſſerentes id involvere repugnantiam intrinſecam, ſed noſtra eſt communior, ut infra, &c. & probatur ex deſtructione rationis, quam contra nos affert Gabriel: Non implicat contradictionem aliquam putam creaturam habere ordinem innatum ad unionem ſaltem inchoatam; ergo ſuperadditione altioris virtutis poterit compleri ad unionem perfectam, ſaltem inſtrumentaliter: antecedens fundatur in ratione potentiæ obedientialis, tum paſſivæ, tum activæ; in paſſiva adeſt capacitas entitativa creaturæ ad quodcumque Deus voluerit: in activa requiritur aliquod principium activum talem inchoatum, & incompletum, dicens ordinem ad talem effectum; ſed creatura pura, ut eſt Beata Virgo habet virtutem efficientem: poteſt & ei ſuperaddi virtus ſupernaturalis ordinata ad unionem hypoſtaticam, ad quam habeat inclinationem intrinſecam, ergo per talem virtutem innatam, & ſuperadditam poterit reduci ad actum. Tum quia unio eſt quid creatum finitæ, & limitatæ virtutis, potens ex natura ſua educi de potentia ſubjecti, quod modificat, & cujus eſt nexus; ergo non implicat inſtrumentaliter in creatura: patet conſequentia, quia ſolùm infinitas, & creatio poſſunt fundare talem implicantiam.

Concl. 3. B. Virgo verè, & phyſicè inſtrumentaliter attigit productionem unionis hypoſtaticæ: 89
eſt plurimorum Theologorum ſupra cit. & Savedræ *d.12.ſect.2.* & Vegæ in Theologia Mariana *n.*1541. Prob. primò: Quotieſcumque datur virtus inchoata ad productionem alicujus effectus, illa, ex potentia obedientiali per ſuperadditam virtutem, poteſt compleri à Deo; ſed in B. Virgine aderat hæc virtus inchoata ad unionem hypoſtaticam, aderat & donum maternitatis ſupernaturale ſuperadditum, ergo, &c. Major eſt certa ex Philoſophia, minor prob. Homo vim habet generativam ad producendum alium hominem, ac proinde ad producendam unionem Animæ cum corpore, & ipſum cum ſua ſubſiſtentia, & quidem tanquàm cauſa principalis; ſed in ordine ad unionem ſuperioris ordinis, nempe cum perſona divina talis virtus eſt inchoata, & incompleta, cum ſit ejuſdem ordinis generationis, ergo poterit compleri per novam virtutem ſuperadditam, & in Virgine completa fuit per virtutem infuſam, ergo, &c. Prob. antecedens, ſimulque conſeq. jà pari: homo habet virtutem principalem ad videndum alium hominem, & in ordine ad videndum Deum eſt inchoata, & incompleta complebilis per lumen gloriæ, ergo & in Virgine in ordine ad unionem hypoſtaticam; prob. conſeq: quia virtus innata hominis eſt ad producendam unionem in ſubſiſtentia, vel cum ſubſiſtentia creata, ergo erit inchoata ad producendam ſubſiſtentiam, ſeu unionem hypoſtaticam alterius ordinis. Prob. 2. Maria Virgo ex dono Maternitatis, ſeu virtute, & qualitate ſupernaturali infuſa habet ex ſuo conceptu formali totam rationem ſupernaturalem generandi Deum hominem, & ad ipſam inclinationem, & ordinem intrinſecum, ergo & ad iſtud myſterium, & ad alia, quæ antecedenter, vel concomitanter ſe habent ad ipſum, ergo ſicut habuit inclinationem, & capacitatem ad organizationem inſtantaneam, ſic & ad efficiendam unionem, quæ veritas tamen magis prob. ex variis dictis SS. Patrum, quæ fusè expendit Savedra, & magis explicabitur ſolutione objectionum.

Objic. 1. Unio hypoſtatica eſt infinita ex parte 90
Verbi divini, ergo non poteſt produci etiam inſtrumentaliter à creatura. R. primò, quia virtus obedientialis creaturæ eſt etiam infinita ex parte agentis divini, quia talis eſt rationis, ut quicquid non implicat contradictionem, aut indecens eſt, poſſit fieri media potentia obedientiali, quæ reperitur in illa virtute ſupernaturali. Reſp. 2. neg. antecedens; quia abſolutè hæc unio eſt finita, cum ſit creatura, realiterque, diſtincta à perſonalitate Verbi: R. 3. etiam Charitatem, vel actum ipſius dici poſſe,

 infinitum,

infinitum, quia terminus, & objectum sunt infinita. Objic. 2. nulla actio creaturæ potest super Deum, ergo nec producere unionem cum Deo R. sufficere potestatem circa assumendam, & uniendam naturam, quæ extrinseca est ipsi Verbo. Objic. 3. nullum est subjectum, in quod operetur Creatura, ut producatur unio: probatur assumptum, quia hoc subjectum non est ipsum Verbum, quod non immutatur, nec ipsa natura humana, cum non existat antè unionem, sed existit existentia Verbi. R. neg. conseq. ad probat. R. subjectum hoc esse partes humanitatis unitas, & ipsam humanitatem priùs natura existentem.

Objic. 4. Aut sacra Deipara concurrit sola virtute infusa in ipsa ad unionem, aut per illam elevatam ad actionem, quam non poterat attingere illa qualitas, aut dignitas ex natura sua; neutrum potest dici; ergo, &c. non primum, quia illa virtus scilicet Maternitas solùm ordinabatur ad generandum Deum, ergo in illa non potest inveniri proportio ad tantum effectum: nec secundum, tum quia una forma, natura sua elevans, non elevatur per aliam, nec una qualitas per aliam; sic enim esset abire in infinitum; tum quia aliàs sequeretur dari in rebus (quæ est confirmatio prioris rationis) formam, quæ ex natura sua inclinaretur ad unionem hypostaticam, essetque naturale instrumentum ad illius productionem; quod non est dicendum. Augetur difficultas; quia aut illa virtus est completa ad hanc efficientiam, vel incompleta: sed completa esse non potest, quia non indigeret ulla elevatione; idque est manifestum, si enim voluntas esset virtus completa ad actum charitatis non indigeret ulla elevatione: sicut etiam, quia si completa est ad actum amoris naturalis, nulla indiget elevatione, ergo erit incompleta; sed incompleta esse non potest, ergo est impossibilis utroque modo. Prob. minor, quia ut sic ex natura rei peteret compleri; sed hoc in rebus creatis non datur, nempe virtus incompleta ad actus supernaturales; ratio est, quia ratiò supernaturalitatis est supra exigentiam rei naturalis, at si existeret incompleta, peteret ex natura compleri, sicque non esset supra exigentiam suæ naturæ. R. huic difficillimo arg. facillimè, primo negando, quod una qualitas non possit per aliam elevari, sive supernaturalis sit, sive naturalis. v.g. Charitas in Christo elevatur per unionem hypostaticam: in nobis fides, & spes per charitatem: in homine calor elevatur per aliam qualitatem vitalem ad producendam carnem. 2. neg. quòd si illa virtus esset incompleta, non posset petere complementum supernaturale ex alio superaddito in eodem ordine supernaturalitatis; nec ista sunt absurda; sed ratio præcisa, ob quam illa virtus esset instrumentum Dei in productione unionis, quia talis virtus si superaddetur, esset donum non collatum B. Virgini, sed rei, & creaturæ inanimi, licèt excellentissimæ; hincque non tribueretur propriè talis efficientia B. Virgini, quam ex tali assertione intendimus pro posse illustrare; ideo nos tali modo non procedimus.

Respondemus igitur, Mariam concurrisse per virtutem innatam, elevatamque & aliam infusam Maternitatis, per quam fuit elevata ad generationem Dei hominis, absque eo quod per aliam qualitatem elevaretur illa virtus, sed tantùm superadditum illi fuisse peculiarem, & extraordinarium, singularissimumque concursum Spiritus sancti, cui Virgo Deipara, ut instrumentum subordinabatur tanquam principali agenti. Dicitur ergo, quòd licèt in generatione Dei assumentis humanitatem non solùm Spiritus sanctus, sed etiam B. Virgo Maria fuerunt causæ principales, at verò ad unionem hypostaticam producendam cum Verbo solus Spiritus S. fuit causa principalis, & Mater Sanctissima Causa instrumentalis præcisè ratione Maternitatis elevantis ipsam ad talem unionem producendam absque eo quod alia elevatione indigeat. 91

Dices: Generatio Dei hominis non habet naturalem, & necessariam connexionem cum efficientia unionis, ergo utraque causalitas est disparata, nec potest ab una procedere. Resp. transeat antecedens; nego conseq. affero instantiam manifestam: causalitas formæ vegetativæ non habet necessariam connexionem cum forma sentiente, nec ista cum rationali, quia verè separatæ existunt in plantis, brutisque & tamen propter eminentiam animæ rationalis ab ista procedunt omnes istæ causalitates: pari modo generatio, & unitio humanitatis ad Verbum non sunt necessariò connexæ, & possunt esse à principiis inter se realiter distinctis, adhuc tamen propter eminentiam dignitatis Maternitatis, ab illa possunt prodire.

Objic. 5. impossibile est, ut detur creatura subjiciens Deum ipsum determinando in modo essendi, quam Deus non habet, ergo est impossibilis creatura, quæ producere valeat unionem hypostaticam: antecedens est de fide, quia nulla creatura habet dominium in Deum; conseq. prob. quia si posset creatura producere unionem, determinaret Deum admodum essendi, quem Deus non habet in se: hoc est argumentum Guglielmi, & adversariorum. R. disting. antec. impossibile est dari creaturam determinantem Deum ad modum, quem in se non habet absolutè, & non supposita ordinatione divina antecedente, concedo; supposita determinatione divina se incarnandi per unionem hypostaticam, ipsamque ut causam principalem producendi cum concursu instrumentario creaturæ, nego; hoc enim non est exercere dominium in Deum, sed potiùs exercitium superioritatis divinæ in creaturam.

Objic. 6. sequeretur unionem hypostaticam & indebitam, & debitam esse naturæ, quod est contradictorium: indebita esset, quia est excellentissimum donum supernaturale: debita esset supposita tali qualitate supernaturali in ordine ad efficiendam unionem, cui veluti causæ debetur effectus productio; sicque oritur contradictio; ergo non potest dari talis qualitas producens unionem. R. hoc argumento etiam posse probari, visionem beatam esse indebitam naturæ, quæ est supernaturalis, & debitam habenti lumen gloriæ, &c. quod tamen non est implicatorium, cum tale debitum, & indebitum proveniat secundùm diversas rationes; sic ad propositum: Unio hypostatica absolutè sumpta est suprà totam naturam, obidque semper supernaturalis, neque est possibilis creaturæ, cui debeatur ex natura sua, sed supposita unione futura potest dari creatura cum tali dignitate, quæ sit illi ratio formalis eam producendi, ut est in Maria, mediante dono Maternitatis.

Objic. 7. nulla ratio conveniens potest assignari admittendi in Maria talem concursum; prob. quia non potest assignari alia ratio, nisi quia est propriissimè Mater; sed potest etiam esse talis, negato tali concursu; nam potest priùs natura intelligi producta humanitas, seu unio animæ ad corpus antè assumptionem, ergo, &c. R. nos non admittere talem concursum ad unionem hypostaticam

cam in Maria, quasi necessarius sit omninò ad hoc, ut sit Mater Dei, posset enim esse talis sine concursu, ut suprà diximus, sed ipsam ponimus ad hoc, ut recognoscatur perfectissimè Mater Dei, eique tribuamus, quicquid non est repugnans, sed potiùs ipsam extollens ad maximam dignitatem possibilem. Dices: si non est necessarius talis concursus, ad quid ergo sine necessitate multiplicantur miracula? R. non superfluè ista mirabilia prædicari de B. Virgine, imò valde consentaneum est credere, quòd Deus eam extollerit ut propriam Matrem ad extraordinaria privilegia, &c.

Objic. 8. Dignitas Dei Genitricis non infert, ipsam fuisse instrumentum ad creandam animam rationalem Christi, ergo multò minùs ad producendam unionem hypostaticam, quæ est ordinis superioris. R. neg. paritatem de Creatione animæ, & eductione unionis ex humanitate, illa est impossibilis communicari creaturæ, ista nequaquam, & in opinione admittentium posse assumi creaturam ut instrumentum ad creandam animam conceditur utraque paritas.

Conclusio igitur sit. B. Virginem Mariam elevatam per donum Maternitatis potuisse, & de facto concurrisse instrumentaliter ad unionem hypostaticam cooperando Spiritui sancto, ut principali causæ, & id ad extollendam B. Virginem Mariam, cujus mirabilia non recognoscunt ullum finem in iis, quæ competere possunt puræ creaturæ.

92 Concl. 4. istud privilegium B. Virgini concessum, sicut cætera omnia sunt effectus Passionis, & Mortis Christi: Est articulus iste de fide, & satis patet ex eò, quod Christus habuit gratiam Capitis, obidque & omnes gratiæ membrorum ab isto capite descendunt: & hinc constat, nullam injuriam Salvatori irrogari, ut sanctificatori primario admittendo hanc excellentissimam causalitatem in Virgine ex illius meritis procedentem, & rivum fulgentissimum illustrando, qui à tanto fonte primùm scaturiat: imò magna gloria redundat Filio, quod tantum honorem contulerit Matri, cui tot beneficia contulit, ut ipsa B. Virgo solùm generaliter asseruerit; Quia fecit mihi magna qui potens est; super quam sententiam dixit D. Thomas de Villanova ser. 3. de annunt. Nescio an ipsamet valuit comprehendere suam magnitudinem, unde meliùs eam silentio veneremur.

Concl. 5. B. Virgo efficienter physicè ut causa instrumentalis attigit gratiam Christi sanctificantem, immunitatem à peccato originali in conceptione Christi, & dona supernaturalia, quæ ad talem unionem ex natura rei consequuntur. Tametsi, ut causa moralis ea nullo modo potuerit attingere. Assertio hæc est plurium recentiorum Theologorum Granadi, Novati, Palatii, aliorumque apud Savedram, & Vegam, qui plures SS. Patres pro se citant. Prob. prima pars de causalitate physica: nam unio hypostatica ex traditis est radix physica omnium donorum supernaturalium Christi, ergo, si B. Virgo instrumentaliter produxit unionem hypostaticam, ex consequenti etiam debet dici produxisse omnes effectus ex natura sua ab illa provenientes. Vide citatos Anctores Savedram, & Vegam fusè hanc Conclusionem probantes. Pr. 2. pars, de causa morali: quia talis causalitas moralis, & meritoria propriè solùm reperitur in Christo capite.

93 Q. *An B. Virgo Maria possit dici Matripater, cum ipsa suppleverit totum, quod ex parte viri erat necessarium.* R. quod est in quæstione, an B. Virgo non solùm exercuerit in hac generatione, quod aliæ Matres solent, sed etiam quod exercuisset vir si ad ipsam concurrisset: partem affirmantem tenuit Joannes Baptista Roza jam condemnatus à Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis, ideo explodenda est hæc opinio à scholis. Unde dicendum cum omnibus Theologis nullo modo Mariam dicendam esse Matripatrem, aut Patripatrem, sed Matrem præcisè perfectissimam, & hic est generalis, & perpetuus consensus Ecclesiæ, ita excludens à Maria paternum influxum in hac admirabili generatione, ut multi Patres noluerunt concedere illi ullam efficientiam etiam in linea Maternitatis, timentes, ne ex maternali activitate aliquo modo rectè inferatur concursus paternus, sed tamen timor iste nullius est momenti. Unde dicimus, B. Virginem omnia munera exercuisse in hac generatione, quæ matres aliæ exercent, solùmque addimus cum Seraph. fuisse superadditam illi virtuti innatæ aliam virtutem infusam, elevantem illam innatam, per quam posset attingere generationem Christi Domini, nec ullam virilem materiam, aut substantiam sive decisam naturali modo, sive creatam à Deo infusam fuisse in uterum, sed solùm virtutem supernaturalem, ait S. Bon. tunc enim & si generatio esset sine Viro, non tamen esset sine virili semine, sicque talis substantia esset ejusdem rationis cum cæteris, quæ à Viris suppeditantur: tuncque esset simul Pater, & Mater, & duplicem relationem haberet ad Filium; unde Maria Virgo sua virtute innata, & alia superaddita supernaturali à Spiritu S. infusaque in ea suppeditavit materiam solam, quam cæteræ Matres exhibent, & coadjuvante Spiritu S. suo peculiari influxu absque superadditione novæ materiæ ad generationem Christi Domini concurrit: & hoc est quod dixit Angelus: *Spiritus S. superveniet in te, &c.* Quod si virum non cognoscet ad tam excellentem, & novam generationem non homo, sed Spiritus S. auctor erit generationis, in qua nec viri umbra futura: idemque asserit S. Petrus Alexandrinus libro de Deitate ad illud Joan. *cap. 1. Verbum Caro factum est*; sic aliique Patres communiter: Constat ergo in Christi Domini generatione ita influxisse Virginem, ut nullum munus exercuerit paternum, Spiritum sanctum verò peculiari actione munera supplevisse Patris, absque eo quod aliqua nova materia, aut creatura intervenerit, ita ut verè dicatur conceptus de Spiritu S. quamvis non sit Pater illius, & Maria solùm sit Mater, & nulla ratione Matripater.

Dices: Virtus, per quam generat Virgo est participatio potentiæ generativæ Patris; at Pater ut Pater generat; ergo illa virtus participata est paternitas; ergo principium generans substantialiter est Pater; ergo & Maria. R. quòd virtus supernaturalis propria Deiparæ non est participatio paternitatis, ut paternitas est, sed solùm potentiæ generativæ, quæ in Patre divino reperitur, ut est principium communicandi naturam divinam per generationem activam Filio, qui formaliter fit substantia: Ut autem ista responsio intelligatur, & removeatur omnis hallucinatio, notandum, in illa potentia posse distingui: primùm quid sit virtus activa, & generativa Filii substantialis; secundùm quid sit virtus in paterno principio existens: Primum Virgini communicatur, non verò secundum, quod fortè est incommunicabile, neque nos dicimus, esse participationem virtutis paternæ secundùm ultimum quod reperitur in Patre, sed secundùm quod reperitur in Patre scilicet virtus fœcunditatis valentis terminare ad generandum Deum-

 hominem;

hominem: sicque non potest appellari Pater, quia paternitas, nec paternum principium potuit Mariæ communicari, nempè itaur communicaretur Filio, eadem individua substantia propria, sicut Pater communicat filio: unde ad hoc quòd communicetur Virgini virtus generativa filii, non est necesse quod sit secundùm omnes gradus, qui reperiuntur in Patre, sed solùm qui necessarius est ad generationem formaliter, ut generatio est, scilicet ut præscindit à generativa virtute paterna.

DISPVTATIO V.

De Gratia singularis Personæ Christi.

94 DUplicem gratiam recognoscunt Theologi in Christo: alteram, qua sibi meruit, alteram qua nobis: primam appellant gratiam singularis personæ; secundam appellant gratiam Capitis, cujus erat cuncta ipsius membra movere, & sursum agere; primam possidet ut singularis Persona, cujus erat acceptum talentum in suam, & Dei gloriam multiplicare, & cum unumquodque priùs in se, quàm in ordine ad alterum spectetur: ideo in hac quæstione primò de gratia Christi, ut singularis Personæ agemus, deinde de alia, quæ est capitis ad membra.

QUÆSTIO I.

An in Christo fuerit gratia habitualis, & ad quid in ipso infusa?

95 RAtio dubitandi est, quia, cum supra diximus, in Christo unionem hypostaticam esse sanctitatem eminentissimè formaliter sanctificantem humanitatem Christi, videtur superflua superadditio alterius gratiæ inferioris: His tamen non obstantibus est inconcusso apud Theologos tamquàm certum de fide, in Christo esse gratiam habitualem cum plenitudine etiam omnium aliarum gratiarum, & donorum, idque patet ex innumeris Sacræ Script. locis, quæ ex Seraph. D. fusè expendit P. Gaud. *dist* 11. *q*. 1. Fatentur etiam omnes Theologi tamquàm de fide, ipsum secundùm humanitatem fuisse à primo suæ Conceptionis instanti Deo gratum, sanctum, justum, & innocentem: decebat enim (ait Apost. ad Hæbr. *c*.7.) Ut nobis esset Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus: sed controvertitur inter Theologos: an Christus fuerit Sanctus per solam gratiam habitualem? an etiam ratione unionis hypostaticæ cum Verbo, ita ut etiam talis esset sine gratia habituali?

Prima sent. affirmat, gratiam habitualem fuisse Christo necessariam, ut humanitas illius sanctificaretur, quia esse sanctum, & gratum Deo est affectus formalis gratiæ habitualis, undè per solam unionem ad Verbum, seclusa gratia, sancta non esset, cum nec divinitas, nec Verbi personalitas possit esse causa formalis sanctificans animam, nisi efficienter, cum non possit esse forma, vel actus rei creatæ ipsi inhærens, sicut inhæret formaliter gratia habitualis; pro qua sententia citantur Paludanus, Marsil. Durand. Alensis Scotus cum cæteris pluribus Scotistis, citatur etiam S. Bon. pro hac sententia, sed immeritò. 2. Sent. communior Thomistarum, plurium Scotistarum, & plurium aliarum scholarum est asserentium, humanitatem Christi sanctificari primariò per unionem, & licèt admittant etiam gratiam habitualem in Christo, dicunt, hanc non omnino fuisse necessariam ad istam sanctificationem, sed solùm ad majorem congruentiam, & ornamentum, plenitudinemque perfectionis. Isti tamen sunt diversi in hac assertione; nam major pars ipsorum asserit, per unionem quidem sanctificari, sed non tamquam per formam sanctificantem, sed tamquàm per sanctitatem increatam, & deificationem, quæ efficienter redundabat in humanitatem ex unione substantiali. Alii verò afferunt, per unionem formaliter, & tamquàm per formam absolutam sanctificari animam Christi, & humanitatem, & hæc est nostra Seraphica D. B. opinio procedens ordinatè ex principiis supra traditis de unionis eminentissima dignitate.

Pro solutione hujus celeberrimæ quæstionis, 96
Not. 1. quòd in universum triplex sanctitas in Christo potest expendi, ob quam dici potest Sanctus, Deoque gratus: prima sanctitas est necessaria, substantialis, & prorsùs infinita, quæ Christi personam ut primum, & ultimum terminum per se primò respicit, estque eadem, qua Pater æternus & se, & Christum ut Filium naturalem, & unigenitum diligit ob unitatem naturæ; & hoc modo dicit Christus infinitè dilectus dilectione infinita. 2. est substantialis, ac infinita, ad aliquid tamen finitum, & limitatum terminata, scilicet ad humanam Christi naturam, qua ex parte illa dilectio libera est, & non necessaria, quia non necessariò, sed merè liberè esse personale Verbi voluit tribuere humanitati assumptæ, qua etiam ratione sanctitas Christi dici debet finita, quia licèt sanctitas communicata humanitati assumptæ sit infinita, communicatur tamen finito modo juxta capacitatem naturæ, cui communicatur, quod & notavit Lugo *dist*.16. *sect*.13. Pasqualiq. contrà alios sanctitatem naturæ assumptæ appellantes ex hoc capite infinitam, & hæc est ea sanctitas, quæ ad unionis gratiam spectat, quia Deus voluit humanitati infinitum, & substantiale bonum, scilicet esse personale Verbi divini communicare; & quia hæc communicatio personalis fuit, non autem formalis, seu per modum formæ, non enim divinitas, vel personalitas communicata est humanitati per modum formæ, sed termini sustentantis, ideò hæc gratitudo personalis dicitur, etsi ad naturam, cui facta est gratia, terminetur, & hac gratitudine, & sanctitate personali Christus dicitur sanctus; & tali pacto non intendimus dicere Christum sanctum, quia persona est sancta ex vi generationis æternæ, sed dicitur Christus sanctus ex vi unionis hypostaticæ, quatenùs cum personalitate Verbi

etiam naturam humanam includit, cui substantialiter communicata est sanctitas infinita Verbi, licèt finito modo, & hæc communiter dicitur gratia unionis. Hæc omnia notantur à Rada 3. *part. controv.* 4 *art.* 3. *not.* 2. *Mastrio d.* 2. *n.* 4. Tertia sanctitas, & gratitudo est accidentalis, & participata humanitati Christi, vel ratione gratiæ habitualis tantùm, ut vult prima opinio, vel ratione unionis, quatenus est forma absoluta sanctificans primariò formaliter, & secundariò ratione gratiæ habitualis, ut nos asserimus.

97 Not. 2. quod hæc ultima sanctitas accidentalis differt partim, & partim convenit cum secunda; nam convenit, quia utraque est effectus liberalis, & gratuitæ dilectionis Dei; differt postea primò, quia illa est substantialis, hæc accidentalis; secundò illa est personalis, quia bonum humanitati per se primò collatum est tantùm Verbi personalitas, & per modum tantùm termini solùm ipsi unita: hæc verò est formalis per modum formæ actuantis, & elevantis naturam ad divinæ naturæ participationem; tertiò illa sanctitas formaliter, & præcisè non reddit naturam Deo gratam, & acceptam in ordine ad supernaturalia bona; ista verò reddit formaliter humanitatem sanctam, &c. Dices: Unio, si est forma sanctificans, cum sit modus substantialis reddit substantialiter humanitatem sanctam, sicut ipsa personalitas. R. neg. conseq. unio ut unio, est modus substantialis, per quem terminatur humanitas unita personalitati, ut forma sanctificat accidentaliter meliùs, quàm gratia habitualis.

Not. 3. Quæstio inter Theologos est circà connexionem inter unionem, & gratiam habitualem: an scilicet necessaria fuerit gratia habitualis ad unionem? an verò æquè Christus fuerit perfectus sanctificatione absque gratia habituali? communiter docent Scotistæ, nullam connexionem habere inter se phisicam, licèt aliquam moralem: Nos verò sustinemus oppositum, sed differenti modo à Thomistis; nempè potuisse humanitatem sanctificantem esse, & remanere absque gratia habituali: istam verò necessaria emanatione consecutam fuisse ad positionem unionis hypostaticæ.

98 Concl. 1. Humanitas Christi unita Verbo non indiguit gratia habituali, ut esset sancta, & Deo grata sanctitate formali: Est contrà Mastrium, aliosque Scotistas ab ipso citatos *dist.* 2. *num.* 8. est tamen Thomistarum, Caspensis, aliorumque plurimorum, qui tamen ex diversis principiis procedunt, à nobis suprajactis agentibus de unione, & de quorum sensu erit sequens Conclusio, solùmque mihi occurrit opinio Seraph. D. *lib.* 3. *dist.* 13. *q.* 1. qui admittit necessitatem gratiæ habitualis ad hoc, ut humanitas Christi sit plenè deiformis, & opera supernaturalia operetur, & ad unionem esset idonea, sed tamen ne in contradictionem deducamus Seraph. Doct. qui semper est sibi constantissimus, exponendus est secundùm tradita suprà in disput. 2. *q.* 6. ubi notavimus, unionem hypostaticam esse formam sanctificantem, requirereque tanquam proprietatem connaturalem ipsam gratiam sanctificantem; & in hoc sensu capienda sunt dicta Seraph. D. unde in *q.* 1. *dist.* 13. & *dist.* 2. *art.* 3. *q.* 2. (quod & notavit Gaud. *num.* 26.) ait, necessariam fuisse gratiam habitualem ad hoc, ut esset disposita ad unionem, sic explicat loquens de congruitate quadam, non de necessitate: congruitas enim dicit aliquam convenientiam concomitantiæ gratiæ habitualis cum gratia unionis.

Prob. igitur ex traditis *ibid.* Unio hypostatica est forma absoluta continens respectum transcendentalem ad personam Verbi, ergo qualificat ut forma subjectum in quo; sed qualificatio hæc est secundùm suam propriam naturam, & cum sit participatio unitatis divinæ naturæ, sequitur, quod sit sanctitas formaliter, & cum sit supræmi ordinis, & nobilioris super omnem gratiam sanctificantem, sequitur, quòd eminentialiter etiam supræmo modo condigno humanitati assumptæ à Verbo sanctificet. Ex quibus corruunt omnes rationes contrarium probantes Scotistarum, in quibus supponunt semper unionem non esse formam sanctificantem, sed viam tantùm ad sanctitatem acquirendam. Prob. 2. quia Patres cum Ecclesia, quando loquuntur de connexione, quæ in Sacris litteris Christo tribuitur, vocant unionem hypostaticam, oleum unctionis; sed nomine unctionis intelligunt sanctificationem, ergo sentiunt humanitatem unctione, & unione sanctificari formaliter.

Dicunt Scotistæ, humanitatem Christi à Patribus dici unctam divinitate non formaliter, sed causaliter solùm propter dona gratiæ eidem humanitati collata, quibus sanctificabatur. Contra, quia hic modus unctionis est communis omnibus justis, sicque unctio ista non importaret ullum privilegium Christo: tum etiam quia hoc est manifestè contrarium Sanctis Patribus, ut videre est apud Nazianzenum *orat.* 36. *num.* 95. Pr. 3. ex doctrina Seraph. D. *arg.* 2. & 3. ad oppositum cum responso: Unio hypostatica reddit Christum Deo similem, ac Filium naturalem, non adoptivum: ergo eminentissimè sanctificat.

Objic. opera humanitatis Christi habent infinitum valorem; sed unio est finita; ergo non potest tribuere valorem infinitum operibus. R. Quæstionem hanc agitandam esse infra, & pro nunc negando, opera humanitatis Christi esse entitativè, & intrinsecè infiniti valoris, sed tantùm moraliter, & ex acceptatione divina, sic corruit hoc arg. Caspensis.

Concl. 2. Humanitas Christi ratione unionis 99
Personæ Verbi, item & divinitatis etiam sanctificatur substantialiter: Est communis Thomistarum, & Seraph. D. citati; ratio est communis, & S. Bonav. quia unio Verbi ad humanitatem constituit Filium Dei naturalem, gratia adoptivum tantùm, & accidentaliter, ergo cum unio hæc sit participatio divinitatis, & personalitatis divinæ sanctificat substantialiter; Nota autem, quòd dum dicimus humanitatem Christi sanctificatam substantialiter, non intelligimus, quòd sanctificatio sit substantia, ut insulsè eruunt Centinus, & Mastrius *num.* 8. sed cum sit accidentalis, dicitur substantialis, quia est ab unione substantiali ad differentiam ejus, quæ provenit ab accidentali, scilicet gratia habituali. Prob. hæc conclus. iisdem mediis, quibus præcedens conclusio probata est: tum ex illo Lucæ *cap.* 3. ubi Pater dicit: *Tu es Filius meus dilectus, in te complacui mihi*; ubi advertit S. Bon. Patrem locutum modo singulari: Tu es Filius meus dilectus: in te discretivè, nempe ex eo quòd es Filius meus, non ratione gratiæ habitualis, quæ communis est etiam aliis sanctis; ideo dicit: Tu es Filius meus, idest solus, quia nullus alius, & omnes præter te sunt

grati,

grati, scilicet ratione unionis; nam ut ait *dist.* 13. *q.* 2. *&* 3. ratione unionis non tantùm homo, sed etiam Deus dicitur mereri, propter quod meritum dicitur infinitum non ratione gratiæ habitualis, sed ratione infinitæ dignitatis Personæ. Prob. 2. quia illa est forma sanctificans, quæ reddit subjectum Deo gratum, & congruum ad terminandum supernaturalem Dei amicitiam, quæ expellit peccatum, quæ evehit ad esse divinum, & fundat jus ad hæreditatem, & beatitudinem æternam; sed omnia ista præstat unio hypostatica perfectiori, & excellentiori modo, quàm gratia habitualis; reddit enim impeccabilem naturam, multò melius quàm gratia, ut probat Seraph. D. *dist.* 12. *art.* 2. *q.* 2. reddit subjectum amabile, reddit participeps divinitatis, ergo justificat, & sanctificat perfectius, quàm gratia; sed hæc dicitur accidentalis; ergo illa dicetur substantialis in sensu super allato. Et confirmatur, quia filiatio Christi fundatur in unione arctiori, quàm sit adoptiva, dicente Apostolo: *Proprio filio suo non pepercit:* Sed filiatio adoptiva non facit proprium, sed extraneum, alioquin effectus esset superior causa. Prob. 3. quia homines sanctificantur cum Deo per unionem, & participationem Divinitatis: at nulla est major participatio, vel unio, quàm hypostatica, quæ substantialis est; ergo per istam est maxima sanctificatio. Ex quibus sequitur, quòd in Christo non fuit gratia habitualis necessaria ad merendum, nam infinitè meruit gloriam ob unionem, ut determinavit Clemens VI.

Objic. Unio hypostatica formaliter non sanctificat humanitatem; ergo nec personalitas; antecedens prob. quia unio est ratio, qua non est quod, idest medium, & via ad sanctitatem; sicut nec unio gratiæ potest sanctificare, sed est via ad gratiam, & sanctitatem. Conseq. prob. quia sicut unio formaliter non est sanctitas, sic nec personalitas; si enim hæc esset formaliter sanctitas, sanctificaret Verbum: tum quia personalitas ut sic, non est natura divina, ergo, &c. Hujus objectionis antecedenti jam responsum est *dist.* 1. *q.* 6. *ad objectionem primam*, quæ iterum negatur cum sua conseq. imò dato antecedenti, non sequitur, quod personalitas non possit sanctificare, cum sit essentialiter filiatio, & denominet illud suppositum Filium Dei, obidque & hominem Deum, tribuitque jus ad beatitudinem.

100 Concl. 3. Etiamsi humanitas Christi fuerit sancta, & omni gratitudine divina plena, etiam præcisa gratia habituali, tamen gratia habitualis cum cæteris donis in ipso recognoscenda est. In hac Conclusione conveniunt omnes quoad gratiam habitualem, & cætera dona, sed disconveniunt in ratione ipsam ponendi; nam Scotistæ dicunt fuisse necessariam ad hoc, ut humanitas Christi formaliter esset sancta. Aliique ad hoc ut ex ipsa pullularent cætera dona: Nos autem cum Seraph. dicimus, recognoscendam esse gratiam in Christo tamquàm proprietatem connaturaliter consequentem ad unionem hypostaticam, & ad majus ornamentum Animæ Christi: ratio est, quia gratia habitualis comparatur ad unionem, sicut principium operandi ad esse, ergo data est Christo gratia habitualis, ad hoc ut posset agere, mereri, operari proportionaliter: tum quia propinquior est Anima Christi Deo per unionem substantialem, quàm cæteri justi; ergo & majorem influxum ab illo recepit: Tum quia Anima Christi debebat attingere Deum per amorem, & cognitionem; ergo decuit elevari per gratiam: tum quia, cum esset caput generis humani, debebat habere gratiam in alios redundantem.

Dices: Unio hypostatica poterat omnia ista præstare; ergo superflua fuit alia gratia. R. conced. antecedens, negatur conseq. debebat enim cumulari omnibus bonis, ornamentisque, &c. Sed vide hanc concl. jam probatam *disp.* 2. *q.* 2.

Q. *An necessaria fuerit gratia sanctificans in Christo ad eliciendos actus supernaturales?* R. Scotistæ affirmativè apud Mastrium *num.* 28. quia talis habitus gratiæ collocat animam in actu primo in ordine ad eliciendos actus secundos. Nos consequenter ad nostra principia resp. minimè fuisse necessariam istam gratiam habitualem; cum enim per unionem, quæ est forma sanctificans, posita fuerit humanitas in actu primo in ordine ad omnes actus supernaturales, ipsa sufficiebat: additaque est de congruo, nempè ut perfectiùs esset in eodem actu primo. 101

Q. 2. *An causa impeccabilitatis in Christo sit gratia, an Gloria, an potiùs unio hypostatica?* R. Scotistæ apud Mastrium num. 34. proximè, & formaliter oriri ex visione beata Animæ Christi; remotè verò, & radicaliter, ex unione hypostatica. Thomistæ è contra docent, causam impeccabilitatis esse unionem, & hæc est germana sententia Seraph. D. *lib.* 3. *dist.* 12. *art.* 2. *q.* 1. *&* 2. ubi triplicem causam de facto recognoscit in Christo hujus impeccabilitatis, nempè plenitudinem gratiæ, ob quam habuit plenissimam confirmationem in gratia, consummationem gloriæ, quæ stare non potest cum peccato: ultimò efficacissimè hoc facit unio divinæ naturæ, & humanæ in unitatem personæ, quæ unio facit communicationem idiomatum, & ipsa non potest frangi; idem & confirmat *q.* 2. *ad* 3. Hinc R. impeccabilitatem istam provenire, non solùm à causa radicali, & remota, ut dicunt Scotistæ, sed ut à formali, & proxima ab unione hypostatica; est enim formalis sanctitas sanctificans humanitatem, & excludens ab ea omnem impuritatem, ut suprà probatum est. Nec valet, si dicas, Verbum assumpsisse animam creatam, ergo ut talis est peccabilis. R. transeat de Anima, & voluntate creata ut sic, negatur de Anima ut unita Verbo; sic resp. S. Bon. *q.* 2. data enim unione, non potest ampliùs deficere.

Q. 3. *An in Christo fuerint virtutes.* R. Seraph. *d.* 13. *q.* 3. quòd in primo instanti habuit gratiam cum omni pulchritudine; ergo & habuit virtutes omnes morales infusas, & acquisitas; infusæ enim faciunt ad animæ ornatum, suntque gratiæ comites: & acquisitæ faciunt ad promptè operandum, quæ tamen in nobis dicuntur acquisitæ, sed in Christo fuerunt infusæ; item in eo fuerunt dona Spiritus sancti, quia movebatur à solo Spiritu S. in suis actibus; item & omnes gratiæ gratis datæ, nempè ut per ipsas exerceret officium Reparatoris.

Q. 4. *An habuerit fidem, & spem?* R. S. Bon. *d.* 13. *q.* 2. *ad* 3. negativè, si sumantur secundùm propriam rationem formalem, cum dicant imperfectionem, nempè cognitionem Dei obscuram, & spem boni absentis: *Vide dist.* 5. *art.* 2. *q.* 1.

QUÆSTIO

QVÆSTIO II.

An gratia Christi fuerit infinita, vel saltem summa possibilis creaturæ, & quomodo?

102 QUoad primam partem: Varias opiniones Theologorum referunt recentiores, maximè P. Gaud. *d.* 11. *q.* 3. quorum tamen diversitas stat potiùs in nomine, vel in modo, quàm in re; omnes enim sustinent fuisse finitam entitativè in se, solumque dici posse extensivè, vel ratione subjecti, in quo est vel moraliter ratione meriti infiniti, provenientis ex acceptatione divina. S. Doct. *d.* 13. *a.* 1. *q.* 2. idem docet, sed in explicando talem finitatem, vel infinitatem discrepat ab aliis. Quoad 2. partem, an scilicet gratia Christi potuerit augeri; prima opinio est Thomistarum, asserentium, gratiam Christi posse saltem de potentia Dei absoluta augeri, quoad entitatem. 2. sententia negat, estque Scoti. S. Bonaventura docet *q.* 2. *d.* 13. *& q.* 3. *ad ult.* non posse augeri, nec ratione entitatis gratiæ, nec ratione subjecti.

Not. 1. quod solutio primæ partis quæstionis pendet maximè à Philosophia, ubi probatum à nobis fuit ex Seraph. D. implicare contradictionem, dari infinitum creatum cathegorematicum, ob idque nec gratia entitativè sumpta potest dari, quod verum est etiam in opinione omnium de potentia Dei ordinaria.

Not. 2. quod infinitum aliquod, vel immensum esse, potest intelligi dupliciter, vel absolutè in se, vel in comparatione; primo modo omnis res creata est finita in se, nam finitas, & mensuratio circa creaturam potiùs dicunt complementum, quàm imperfectionem; 2. modo potest dicere infinitatem syncathegorematicam, & aliquid aliis rebus comparatum potest excedere in infinitum, licèt in se sit quid finitum. N. 3. quòd gratiam non posse augeri, potest intelligi vel ratione ipsius gratiæ, vel ratione subjecti, in quo est; ratione gratiæ, quatenus cum sit finitum, habeatque consequenter terminum suæ magnitudinis, per consequens essentialiter non possit ultra extendi; ratione subjecti, quatenus repleta intelligitur tota capacitas animæ; sic S. Bon. *d.* 13. *q.* 1. & 3. N. 4. quod datur potentia obedientialis in qualibet creatura in ordine ad Dei infinitam potentiam, ita ut pro libito ipsa uti potest, sicut vult; sed tamen advertendum, ait S. Bon. *d.* 13. *q.* 2. *ad* 1.) quod capacitas obedientialis creaturæ non potest extendi ultra quàm ferat ipsa natura subjecti recipientis, alioquin subjectum corrumperetur; ratio est (ait Seraph. D. *ad* 2.) quia creatura habet capacitatem finitam, & quia limitationem habet, ultra quàm genus illud, vel species se non potest extendere; sic est capacitas determinata, alioquin essentia talis subjecti destrueretur.

103 Concl. 1. Gratia Christi considerata secundùm se est simpliciter finita, & secundùm suam essentiam, & entitatem: Est S. Bon. *d.* 13. *q.* 1. & communis contra aliquos paucos admittentes intensionem infinitam in ipsa apud Lugo, & Gaud. est tamen hæc conclusio communis omnium Theologorum, qui tamen inter se dissentiunt in modo loquendi. Prob. à Seraph. D. primò, quia omne creatum habet certam mensuram: ex Sap. cap. 11. ergo & gratia Christi. Pr. 2. quia subjectum finitæ capacitatis non potest capere infinitum, anima est finitæ capacitatis; ergo, &c. Major est certa, quia quicquid recipitur ad modum recipientis recipitur; minor prob. quia naturalia Christi non excedunt infinitè naturalia aliorum hominum: ergo, &c. Pr. 3. infinitas in creatura tollit bonum, & perfectionem, quia quod est infinitum caret fine, & termino; ergo bonitate, & complemento; sed gratia Christi hæc duo habuit præcipuè secundùm bonitatem, & complementum; ergo conditio finitatis illi præcipuè competit: & hinc Seraph. *in corp.* subdit, quòd finitas, & commensuratio circa creaturam potiùs facit ad complementum, quam ad imperfectionem.

Concl. 2. Gratia Christi non est infinita extrinseca Dei acceptione: est Seraph. D. *ibid. ad* 3. contra Vasq. *d.* 47. *& c.* 3. Marsil. *d.* 10. *a.* 1. & Suar. *d.* 22. *s.* 1. dicentium, gratiam Christi esse infinitam moraliter, quatenus est principium meriti infiniti; contra quos sunt cæteri omnes Theologi. Pr. à S. D. ex D. Ansel. quia non ob id dicitur meritum infinitum, quia procedit ex gratia, sed ratione dignitatis personæ, ergo, &c. 104

Concl. 3. Gratia Christi habet quandam infinitatem comparativè ad gratiam Sanctorum: est S. Bon. *q.* 2. & prob. quia gratia Christi in comparatione gratiarum aliorum Sanctorum excedit incomparabiliter, & incommensurabiliter propter unionem cum Verbo, primò quantum ad habitus, cum nulla creatura possit esse capax tam nobilis, & perfecti habitus, sicut anima conjuncta Deo in unitate personæ: Nec quantum ad usus virtutum, quia omnes virtutes habuerunt usum perfectum in Christo, qui spectat ad perfectionem: 3. quantum ad effectum, quia cum sit Filius Dei meritum illius pensatur secundùm dignitatem personæ, à qua exit opus: Et hinc oritur, quod secundùm sufficientiam ejus merita poterant extendi ad infinita millia hominum.

Objic. 1. ex Joan. cap. 3. Non ad mensuram dat Deus Spiritum suum; sed hic loquitur de Christo: ergo, &c. R. posse intelligi istum textum 1. de datione æterna, quatenus Pater communicavit Filio suam divinitatem; vel de datione per communicationem idiomatum, talique pacto privatur mensura simpliciter; si autem intelligatur pro datione donorum Spiritus S. sic non privatur ibi mensura simpliciter, sed comparativè ad nos, eo modo, quo supra dictum est.

Objic. 2. Magistrum in littera dicere, Christum ita gratiæ plenitudinem accepisse, ut ei conferre Deus non potuerit pleniùs; sed finito potest semper addi: ergo gratia ejus fuit infinita. R. S. Bon. quòd, Deum non posse dare aliquid pleniùs, potest intelligi tripliciter; 1. quòd ratio est ex parte Dei operantis; 2. aut ex parte producti: 3. aut ex limitatione suscipientis: Major enim debet intelligi, non ex parte Dei producentis, cum sit infinitæ potentiæ, nec ob immensitatem gratiæ collatæ, quòd fuerit infinita, sed ob incapacitatem animæ suscipientis; cum enim creatura sit finita, & habeat capacitatem limitatam intra suam speciem, hinc nec potest extendi, ut dictum est, &c.

Objic. 3. Meritum Christi est infinitum; ergo & ratio, ex quo redundat. R. S. Bon. ex traditis, meritum dici infinitum dignitate personæ operantis, non ratione gratiæ, ut infra ostenderetur.

Objic. 4. Finitum aliud finitum non excedit in infinitum

infinitum in eodem genere, sed finitè; si ergo gratia Christi est finita, ergo proportionabiliter excedit gratias aliorum hominum; ergo si alii homines possunt continuè proficere, videtur, quòd Christo possunt adæquari per gratiam, & ipsam excedere, & si hoc non potest esse, ergo gratia Christi erit infinita. R. Seraph. D. quòd verum est antecedens, vel major, quando illa finita sunt ejusdem generis proximi, non verò si sint diversi generis, ut patet in linea, quæ in infinitum excedit punctum, & superficies lineam; sed cum gratia Christi, sit ordinis superioris, & hypostatici, ideo negatur ista proportio.

Objic. 5. Tanta gratia est, quantum est illud, ad quod disponit; sed gratia singularis personæ disponit ad unionem personæ, quæ est infinita: ergo & gratia. R. S. Bon. negando gratiam disposuisse ad unionem cum Verbo, nisi de congruo, & eo modo, quo supra dictum est, quatenus scilicet unioni debebatur gratia immensa, non tamen infinita tanquam proprietas concomitans, vel naturaliter consequens; sic negatur conseq. cum data etiam tali dispositione, gratia remanserit in sua finitate.

Concl. 2. Gratia quæ est in Christo ex natura
105 ipsius gratiæ non potuit augeri: est S. Bon. *d.* 13. *q.* 1. *ad* 2. *& l.* 1. *d.* 17. *p.* 2. *q.* 4. Scoti, plurimorumque aliorum contra D. Thomam, & Thomistas, & Nominales. Prob. à Seraph. D. quælibet res creata habet specificam essentiam tali termino speciei limitato per ultimam differentiam; quæ est indivisibilis, nec recipit magis, vel minus; at gratia Christi est habitus creatus in tali specie; & in summo gradu collata: ergo, &c. Huic argumento varii variè respondent, ut Suarez, Caspensis, Gallus, aliique, sed extra chorum; dum enim admittunt augmentum in qualitate, ipsam supponunt in sua limitata specie, ideo non enervant vim ineluctabilem argumenti. Pr. 2. à S. D. ita se habet quantitas virtutis in anima, sicuti quantitas molis in corpore animato, sed corpus animatum habet determinatam quantitatem molis ultra quam non potest in esse suo specifico permanere; ergo & quantitas gratiæ exigit suam propriam quantitatem limitatam consimilem. Pr. 3. id, quod augetur, ideo augetur, ut ad perfectam quantitatem perveniat, sive sit molis, sive virtutis, ergo si charitas potest semper, & semper augeri, numquam erit perfecta; ergo nec in Christo, quod est absurdum.

Concl. 3. Gratia Christi ex capacitate subjecti, idest animæ Christi non potest augeri. Est S. Bon. citati. Prob. à Seraph. D. *l.* 1. *d.* 17. *p.* 2 *q.* 4. *fund.* 1. *& l.* 3. *d.* 13. *a.* 1. *q.* 2. *fund.* 2. *& ad* 2. Nulla forma, maximè accidentalis, excedit capacitatem subjecti; sed subjectum gratiæ Christi, idest anima, est plenum gratia; ergo non potest ampliorem recipere.

106 Objic. 1. Potentia obedientialis creaturæ rationalis ad formas supernaturales est infinita secundum quid; ergo, & in Christo; ergo & gratia, & capacitas subjecti potest in infinitum augeri. R. Seraph. potentiam obedientialem esse infinitam ad quodlibet, & in quodlibet, dummodo non implicet naturæ, manente natura; sic habet homo potentiam obedientialem, ut fiat Angelus, non tamen retinendo esse hominem, vel corpus organicum; sicque de aliis. Dices: potest quis esse gratus Deo, & semper, & semper potest fieri magis gratus Deo, cum hoc dependeat à voluntate Dei libera, ergo & gratia potest in infinitum augeri. R. neg. paritatem de esse grato moraliter, & de habendo gratiam physicè; illud admittimus, istud negamus. Dices cum Mastrio: potest quantitas extendi in infinitum; ergo & qualitas intendi, non enim est major ratio de una, quàm de altera. R. S. Bon. neg. paritatem de extensione quantitativa molis, & de intensione entitativa specifica qualitatis; ista enim exigit, & habet suam perfectionem intrinsecam, specificam, & limitatam. Objic. 2. Jesus proficiebat ætate, & Sapientia, &c. Luc. 2. R. S. Bon. proficiebat quoad manifestationem secundùm ætatis augmentum, non entitativè. Objic. 3. tantùm extenditur augmentum gratiæ, quantùm virtus augmentativa; sed est hæc ipsius Dei, & infinita, ergo, &c. R. conced. majorem; quando adest capacitas augmentabilis, & subjecti, quæ cum non adsit in gratia, & anima Christi, ideo neg. conseq.

Q. *Quomodo dicatur Christus plenus gratiæ.* Resp. Seraph. D. *d.* 13. *q.* 3. quòd plenitudo gratiæ, alia dicitur sufficientiæ, scilicet quando quis plenus est sufficienter gratia, qua indiget: sic Stephanus dicitur plenus gratia; 2. est plenitudo prærogativæ, & hæc est, quæ in Marie Dei fuit: 3. est superabundantiæ, quando illam habet pro se, & pro omnibus aliis, & hæc fuit in Christo, ideo comparatur Fonti, B. Virgo flumini, & cæteri Sancti rivulis.

Q. 2. *An gratia Christi fuerit diversæ rationis à nostra.* R. Seraph. D. *ibidem q.* 2. *ad* 4. esse diversam specie, & ordine, nam nostra est in puro genere qualitatis; gratia verò Christi fuit ordinis hypostatici, quod potest intelligi de diversitate non physica, sed morali, quatenus gratia ordinatur ad redemptionem universi, & quatenus pullulat ab unione hypostatica.

QUÆSTIO III.

De Gratia Capitis.

An Christus sit Caput Ecclesiæ, Hominum, & Angelorum.

Quæstio hæc procedit de Christo secundùm humanitatem, an scilicet influat ad modum 107
Capitis omnes gratias in Ecclesiam, & in Angelos, & Homines: Et quo ad homines est de fide; controversia est de Angelis: Aliqui negant ut Altisiod. Gabriel: pro hac sententia citatur malè S. Bon. à Vasq. communior est affirmativa.

Not. 1. ex Seraph. D. *d.* 13. *a.* 2. *q.* 1. quòd hoc nomen, Capitis, in spiritualibus transsumptivè sumptum est à corporalibus; ideoque in spiritualibus importat aliquam similitudinem ad caput corporale: In quo tria maximè notantur; primum est conformitas capitis cum membris: 2. est quòd sit membrorum principium: 3. quòd sit influxivum sensus, & motus. Christus autem ut homo habet conformitatem humanitatis cum omnibus hominibus: & quia est Deus, ideo competit ei esse principium, scilicet efficiens omnium hominum, & Angelorum; addit S. Doct. ad 3. quod potest etiam dici esse principium secundùm humanam naturam, quia numquam aliquis assequi potest, nisi habeat Christum in corde per fidem; ratio autem influendi competit Christo & ratione divinitatis,

divinitatis, & ratione humanitatis; quatenus enim influit sensum, & motum per modum præparantis, & moventis, sic convenit Christo ratione naturæ humanæ, in qua passus est propter nos, & patiendo satisfecit, & removit inimicitias, & disposuit merendo ad suscipiendam gratiam perfectam: quatenus verò est Deus, se habet Christus per modum impertientis, & efficientis, quia solus Deus est, qui illuminat pias mentes; solus est, qui baptizat interiùs, & confert gratiam.

108 Not. 2. quòd ad hoc ut Caput influat in membra, oportet, ut sibi sint unita: sic & in spiritualibus, sed tamen non oportet, ut sint unita membra naturaliter, & physicè, sed tantùm spiritualiter, nempe per cognitionem, & amorem, & hoc per fidem; & quia fides Christi præcessit in cordibus salvandorum, hinc est, quòd Christus dicitur caput, & eorum, qui ipsius incarnationem præcesserunt, nec enim aliquis unquam gratiam aliquam recepit, nisi per fidem Mediatoris, & omnium subsequentium; sic *q.* 1. *ad ult.* N. 3. quod controvertitur inter Theologos: An Christus sit caput Angelorum, ob idque an influat motum, & sensum in eos, sicut facit in homines; item an sit caput aliarum creaturarum: aliqui enim negant; alii affirmant Seraph. D. *d.* 13. *a.* 2. *q.* 3. docet, Christum esse caput Angelorum influens in eos sensum, & motum; notat tamen, quòd influere sensum est quantùm ad cognitionem, motum, quantùm ad affectionem, & dilectionem, nempe est causare in nobis fidem operantem per dilectionem, sive cognitionem, & amorem: Et quia cognitio, & dilectio est in triplici differentia; prima quæ respicit statum termini, & hæc dicitur gratuita; 2. est gloriosa, quæ respicit statum præmii: 3. quæ est utrique annexa, quæ non est de substantia meriti, nec gloriæ, sed de benè esse; 1. modo gratia capitis influit in membra, non solùm effectivè, quia est increata, & divina, sed ut creata meritoriè, & dispositivè; nam ob meritum passionis Christi promissum patribus præcedentibus dedit Deus gratiam reconciliationis, & propter exhibitum post passionem dat nobis: Nempe, non solùm dedit nobis sensum cognitionis, & motum affectionis, sed etiam aperuit nobis januam cœli, ut omnibus membris darentur dilectio, & cognitio gloriosa, in quibus consistit perfectio motus, & sensus: Rursus ex hoc eodem, mysteria multa revelantur Angelis, & gaudia multa eis communicantur ob restaurationem suam factam per Christum, hinc est, quòd Angelis, licèt non influat sensum, & motum, qui est de essentia gratiæ, & gloriæ, tamen quoad benè esse, & perfectionem influit.

Not. 4. Quod circa hunc influxum Christi in Angelos adest sententia valdè probabilis plurium Theologorum, tum Scotistarum, tum aliarum Scholarum asserentium, Christum fuisse causam meritoriam gratiæ, & gloriæ, omniumque donorum supernaturalium Angelis collatorum, quod probant ex eo, quod sustinent Verbum incarnandum, etiam Adam non peccante, in quo casu fuit prædestinatus caput omnium electorum, tam ante prævisam passionem, quàm post; quod & à fortiori dicendum est, supposita doctrina aliàs à nobis tradita, nempe divinam voluntatem posse connectere simul ea, quæ de se nullam connexionem habent inter se, ob idque potuit velle incarnationem, & passionem pro remedio generis humani, vel independenter à quacumque re creata, & hoc unico decreto; unde potuit velle incarnationem primò ob Dei gloriam, 2. ut esset Christus caput influens gratiam, & gloriam in omnes homines, & Angelos: 3. pro reconciliatione pro peccato, quæ opinio, & doctrina magis redundat in gloriam Christi, quæ est etiam conformis iis, quæ tradidit Seraph. D. *l.* 3. *d.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 7. Not. iterum, quod in hac quæstione etiam solvenda est alia difficultas; an Christi gratia capitis sit eadem ac gratia singularis Personæ; de qua in conclus.

109 Concl. 1. Christus est caput Ecclesiæ continentis omnes homines veluti membra: Est de fide; & ipsam tradit fusè Seraph. D. *l.* 3. *d.* 13. *a.* 2. & *Brevil. p.* 4. *c.* 5. Prob. 1. ex Epist. ad Ephes. cap. 1. omnia subjecit sub pedibus ejus; & ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam, quæ est corpus ejus, & idem *c.* 4. *ad Coloss. c.* 1. Pr. 2. quia Christus influit intrinsecè, & extrinsecè in omnia membra Ecclesiæ; intrinsecè influit gratiam, de plenitudine enim ejus omnes accepimus gratiam Joan. cap. 1. Extrinsecè directionem, quia dat præcepta, & legem, sed hoc est proprium capitis: ergo, &c. Prob. 3. quia caput naturale duobus modis gubernat corpus humanum; primo per internum influxum immittendo in membra spiritus sensitivos, unde possunt conservare vitam, & motum; 2. per externam directionem, nempe per intellectum, voluntatem, visum, aliosque sensus residentes in capite; ergo eodem modo Christus spiritualiter influit in membra. Tum quia summam habet potestatem in Ecclesia: ergo, &c.

Objic. Deus est caput Ecclesiæ; ergo non potest esse Christus, quia essent plura capita in Ecclesia. R. S. Bon. influentia capitis potest sumi quoad efficientiam, & sic est Deus: quo ad rationem meriti est Christus ut homo: Et ad id, quod non possunt esse plura capita. R. quod in politico corpore, licèt non in naturali possunt esse plures Principes Reipublicæ, & plures Magistratus aliquando subordinati, aliquando non: idem dicendum in corpore morali, quod est Ecclesia, & Corpus Christi misticum, pluraque habet capita; primum est Deus. 2. Est Christus ut homo influens in vivos, & mortuos, & in omnes homines. 3. Est Summus Pontifex, aliique Prælati sunt capita subordinata: Differunt autem ista capita, quòd solus Christus ut homo influit per sua merita gratiam in Ecclesiam ut Deus, ut caput impertiens gratiam; tum etiam quia est caput Ecclesiæ universalis, locorum, & omnium temporum, omniumque fidelium, qui fuerunt, sunt, & erunt, imò & infidelium, & Beatorum, & existentium in Purgatorio: Summus verò Pontifex est verè totius Ecclesiæ caput, sed solùm ratione sui temporis, & viventium.

Concl. 2. Christus est caput Ecclesiæ, non solùm secundùm humanitatem, sed etiam secundùm corpus, & animam: Probatur, quia est caput secundùm humanitatem; sed hæc constat ex anima, & corpore, ergo, &c. Tum quia suscepit corpus, & animam, & satisfecit pro anima, & corpore, ergo, &c.

110 Concl. 3. Christus est caput omnium hominum, diverso tamen modo; nam quidam sunt actu membra ipsius, & ista vel membra viventia vita charitatis, vel membra mortua, scilicet carentia vita charitatis: Ratio est, quia ex 1. Tim. cap. 4. Christus est Salvator omnium hominum, maximè fidelium, & est propitiatio pro peccatis

totius mundi, 1. Joan. cap. 2. Tum quia influit in omnes homines, aut gloriam ut in Beatis, aut gratiam sanctificantem, ut in Justis, aut fidem in infideles, aut gratiam actualem sufficientem, ut in Paganis, Turcis, &c. & est caput per talem influxum; ergo, &c. Non tamen damnatorum, quia in illos nullam gratiam influit, cum sint incapaces.

Concl. 4. Christus est Angelorum caput, & omnium creaturarum sub Deo existentium. Est etiam de fide ex Collos. aliisque locis S. Script. Tum quia illos gubernat; tum quia utitur ministerio illorum; tum quia illos illuminat, & restaurat; tum quia est caput omnium Prædestinatorum; Tum quia, ut notat *l.3. d.14. dub. 4.* habuit Christus potentiam præsidentiæ etiam secundùm humanam naturam, cum super omnes naturas fuerit exaltata à Deo: & hinc probabilis etiam redditur opinio asserens, esse caput Angelorum per influentiam gratiæ, & gloriæ ex meritis ejus prævisis, & prædestinatis, nec ulla potest adferri repugnantia.

Concl. 5. Gratia personalis, & habitualis in Christo est eadem essentialiter, differens secundùm respectus. Est Seraph. D. *d.13. a.2. q.2.* Divi Thomæ, & communis. Sed notandum, quòd si sumatur gratia singularis personæ pro ipsa unione, & gratia capitis pro ipsa habituali, sic sunt differentes essentialiter; si verò pro gratia singularis personæ sumitur pro gratia habituali, sic est eadem essentialiter cum gratia capitis; prima pars patet ex traditis, quia unio est gratia eminenter sanctificans meliùs,quàm gratia habitualis. 2.Pars etiam patet, quia eadem dicitur singularis personæ pro ut respicit Christum, dicitur & capitis, pro ut respicit alios. Vide S.Bon. *loco cit.* hîc consequenter tractandum esset de gratia B. Virg. sed remittitur infra post disputationem de gratia in communi.

DISPVTATIO VI.

De intellectu, & scientia Christi.

111 QVia Verbum assumpsit humanam naturam perfectam essentialiter, ideo & assumpsit animam cum suis potentiis, inter quas primum locum obtinet intellectus. Et quia in Christo ut Deus fuit scientia increata, de ista nunc non est sermo, cum de ea sufficien er actum fuerit in l. 1. sent. sed nunc de scientia creata propria intellectus creati disputatio instituitur, exponendo, primò, per quid anima, seu intellectus Christi fuerit in actu primo: secundò de multiplicitate scientiarum Christi: 3. de scientiæ Christi objecto.

QUÆSTIO I.

An anima Christi cognoscat Verbum, & alias res cognitione alia, quàm per increatam, quæ est ipsum Verbum. S. Bonav. d. 14. q. 1. & seq.

112 SEnsus quæstionis est, quod, cum certum sit de fide, scientiam actualem animæ Christi habuisse initium, fuisseque creatam, quæstio non procedit de hac actuali, sed de habituali; an scilicet per aliquid creatum infusum à Deo in ejus intellectu fuerit positus in actu primo: An verò per cognitionem, qua Verbum cognoscebat ipsi communicatam, fuerit sic primò actuatus; unde quæstio non procedit; an habuerit notitiam creatam, cum de fide sit certum, sed quomodo compararit sibi hanc notitiam, an per quid increatum, vel creatum.

Prima opinio tribuitur Joanni de Ripa asserenti, Christum ut hominem cognovisse per Sapientiam increatam, quæ opinio tamen communiter rejicitur ab omnibus tanquam falsa, & erronea, & S. Bon. eam appellat extraneam, quia non est ad rem. 2. Op. est aliorum, inter quos etiam aliqui Scotistæ numerantur, asserentium, quòd ultra habitum creatum in anima Christi, etiam per scientiam Verbi ob unionem hypostaticam videbat omnia, quæ videbat Verbum, & hæc communiter rejicitur; & hîc à Seraph.D. præcipuè, ex eo quod unio nihil præcisè confert animæ, quod spectet ad cognoscens, & cognoscibile, sed tantum ad unionem personalitatis, quæ præcisè non dicit cognitionem. 3. Op. est communis D. Bonav. D. Thomæ, & Scoti, affirmantium, animam Christi cognoscere medio habitu creato, ipsique infuso.

Not.1. & suppon. quòd, cum in creatione animæ, intellectus sit de se veluti tabula rasa, ut dixit Aristoteles, ad hoc ut intelligere possit, indiget, ut ponatur in debita proportione requisita inter potentiam cognoscentem, & objectum cognoscibile, ob idque requiritur, ut informetur ipso objecto vel per se immediatè, vel per habitum, seu similitudinem objecti, cum hoc discrimine tamen, quòd si sit proportio inter potentiam, & objectum quo ad esse naturale, sufficit, ut potentia informetur speciebus naturalibus repræsentantibus objectum, ita quod sint in intellectu infusæ à Deo, vel quod appræhendantur ab anima ex ipsis objectis; si verò non adsit proportio talis, sed objectum excedit statum intellectus, ut est in visione Dei, requiritur habitus, seu aliqua qualitas elevans intellectum ad statum supernaturalem, ut possit tendere in objectum supernaturale, & hoc est lumen gloriæ infusum in anima, quæ omnia à nobis fusè tractata sunt in libris de anima, tum in disputatione de visione beata.

Not. 2. quod inconfesso est apud omnes Theologos, & de fide, Christi animam creatam fuisse à Deo perfectissimo modo, & præditam omnibus perfectionibus communicabilibus creaturæ maximè

mè unitæ Verbo, consequenter dicendum est, fuisse beatam ab instanti suæ Conceptionis & inditum, & infusum fuisse lumen gloriæ proportionatum ad suam beatitudinem, & quo ad aliarum rerum cognitionem inditas fuisse in ejus intellectum species omnium rerum, ut esset semper in actu primo, & in proxima dispositione ad exeundum in actum secundum pro libito.

113 Concl. 1. Anima Christi elevata fuit in intellectu per lumen gloriæ perfectissimum super omnes homines, & Angelos, ad hoc ut clarè per scientiam creatam videret Deum: Est communis, & S Bon. *d.*14.*q.*1. D. Thomæ, Scoti, estque proxima fidei. 1.Prob. quia cognitio est perfectio intellectus, & medium, quo intellectus formaliter cognoscit; ergo est id, quòd informat formaliter intellectum, sed Verbum increatum non potest formaliter informare, vel uniri animæ sicut perfectio perfectibili; ergo talis cognitio fuit creata, non increata. Prob. 2. Deus est intimus omni animæ, & præsentissimus, nec tamen ab omnibus videtur, sed tantùm à Beatis; sed hoc non potest esse ob diversitatem à parte cogniti, cum sit intimus omni animæ; ergo erit propter diversitatem à parte cognoscentis; ergo per aliquid superadditum erit hæc differentia, sed non potest assignari alia ratio, nisi superadditio luminis creati, & infusi animæ Christi: ergo, &c. Dices: Verbum increatum erat intimè unitum oculo Christi, & omnibus partibus corporis, & animæ Christi, sicque hoc sufficere poterat, ut per Verbum increatum posset videre, & cognoscere. Contra, 1. quia si ista unio hypostatica sufficeret, potuisset etiam videre oculo corporeo Deum, quod est falsum. Contra 2. quia unionis hypostaticæ proprium est tantum terminare subsistentiam naturæ humanæ, non autem informare eam; sed ad hanc cognitionem requiritur informatio alicujus superadditi, nempe per assimilationem cognoscentis ad cognitum: ergo, &c.

Objic. 1. Verbum est sapientia infinita, & fons Sapientiæ, ex qua habetur omnis alia sapientia, sed sapientia, vel cognitio animæ unita non habetur per aliam, aliàs daretur processus in infinitum, ergo cum Verbum sit animæ Christi unitum, videtur, quod se ipso cognoscat, & non per alium habitum medium. R. S. Bon. concedendo, Verbum esse sapientiam infinitam, qua cætera cognoscuntur causaliter, quia cætera facit cognoscere; non formaliter, quia non potest esse forma informans intellectum, sic negatur conseq.

Objic. 2. Verbum erat unitum animæ Christi: ergo aderat in ea cognoscens, & cognoscibile unitum, ergo non requirebatur aliud medium R. quod unio hypostatica non erat per informationem, sed solùm per terminationem, ut dictum est; sed informatio requiritur ad cognitionem; sic negatur conseq

114 Concl. 2. Anima Christi verè habuit scientiam creatam præter divinam. Est S. Bon. citati, Divi Thomæ, & communiter omnium Theologorum: sic habetur in pluribus locis Sacræ Script. & determinatum in pluribus Conciliis, & ex Sanctis Patribus. Pr. 1. ex Seraph. D. scientia est perfectio intellectus, & id, quo formaliter cognoscit; sed scientia increata non potest uniri animæ Christi, sicut perfectio perfectibili, cum non possit esse forma accidentalis, ergo anima Christi habuit scientiam creatam perficientem, & facientem intelligere formaliter. Prob. 2. scientia est actio vitalis respectu intelligentis; sed increata non potest esse actio vitalis animæ Christi, quia solus Deus potest habere ipsam; ergo, &c. Prob. 3. scientia increata est communis tribus personis, sed istæ non sunt communicatæ animæ Christi; ergo, &c. Pr. 4. Christus habuit intellectum creatum; ergo & creatam cognitionem.

Dices: Christus ut Deus sciebat omnia, ergo frustranea est alia scientia: R. negando conseq. quæ est ridicula, & vana, quia Deus potest omnia, & tamen non sunt frustra creaturæ, earumque operationes: Christus quidem cognoscit omnia ut Deus, sed quia assumpsit naturam humanam perfectam, ideo conveniens fuit, ut haberet etiam cognitionem proportionatam.

Concl. 3. Anima Christi videbat perfectissimè Deum super omnes alios, sed tamen absque totali comprehensione: Est S. Bon. *q.*2. & communis; ratio primæ partis est, quia intellectus ejus fuit omnium perfectissimus. ratio secundæ partis est, quia est finitus, & limitatus.

Concl. 4 Intellectus animæ Christi est diversus substantialiter ab intellectu Verbi, est de fide; nam cum habeat duas naturas diversas perfectas, etiam habet duos intellectus.

Concl. 5. Intellectus animæ Christi neque intellexit, neque intelligere potuit per illam eandem numero intellectionem, qua Deus se ipsum, & alia cognoscit: conclusio est communis, & suprà probata est in 2. conclusione.

QVÆSTIO II.

An anima Christi cognoscat omnia in essentia divina, qua ipsum Verbum cognoscit; & ob id, an infinita cognoscat. S. Bonav. d.14. a.2. q.2. & 3.

Plures opiniones hîc *q.* 3. recenset Seraph. D. sed potiores sunt sequentes. Prima est D. Thomæ, & sequac. Animam Christi videre in Verbo infinita actu: sic apud Lugum *d.*19. *s.* 2. Secunda est Durandi asserentis videre omnia possibilia, quia naturaliter, & necessario relucent in essentia divina, non verò futura, sed tantùm ea, quæ pro libito ostenduntur. 3. Est plurium Scotistarum, videre de possibili infinita: à qua non longè distat sequens. 4. Est Seraph. D. animam Christi videre habitu infinita, actu verò finita. 115

Pro solutione quæstionis, & explicatione sensus Seraph. D. Not. 1. quod Seraph. ut ordinatè procedat ad solutionem præsentis quæstionis, primò solvit aliam in *a.*2.*q.*1. in qua quærit, an anima Christi eadem cognitione cognoscat Verbum, scilicet essentiam divinam, & alias res in Verbo relucentes: ubi resolvit cum communi, quòd eodem habitu, scilicet luminæ gloriæ, & eadem cognitione cognoscit objectum primarium, & secundarium, scilicet creaturas in ipsa essentia relucentes, & ratio est, quia per idem, quod ipsum Verbum est lux, & veritas in se, est exemplar aliarum rerum, scilicet est prima, & summa veritas exprimens omnem aliam veritatem secundariam; & quia Deus est speculum voluntarium in ordine ad quamcumque creaturam, ideo solum anima Christi, & quælibet Beata videt ea, quæ sibi voluntariè à Deo exprimuntur. Differenti autem modo se habet Deus ad animam Christi, & alias;

nam cum sit unitus hypostaticè in Christo tali animæ, etiam voluntatiè exprimit saltem in actu primo omnia, quæ in ipso relucent, non sic cæteris Beatis; quæ omnia in tractatu de Visione Beata à nobis sunt explicata, quæ pertinent ad expressionem objectorum creatorum.

116 Not. 2. quod Seraph. D. postea *in q. 2. ejusdem art. 2.* proponit; an anima Christi cognoscat omnia in actu, quæ cognoscit in habitu; & *in 3.* resolvit, ipsam cognoscere omnia habitu, non actu: In quibus resolutionibus advertendum, quòd nomine habitus non sumitur qualitas, vel habitus prædicamentalis, per quem repræsentantur omnia relucentia in Verbo, uti asserebat Henricus *quodlib. 5. q. 14.* sed (ut enim notavit Scotus *d. 14. q. 2.*) quatenus eo actu quo anima Christi videt omnia, quæ illi manifestantur, & quæ relucent in essentia, ea cognoscit in actu primo; idest est potens in actu primo jam constituta per habitum, scilicet lumen gloriæ exire pro libito in actum secundum; & hoc est idem, quod dicit Scotus, ut adverti: notanter Mastrius, *n. 18. & seq.* quicquid dicat P. Gaud. *n. 24.* hallucinatus per id, quod Seraph. D dicit *in q 3.* nempe animam Christi scire habitualiter omnia, idest, quia anima habet aliquid, quo informata, facilis est & in actu primo ad cognoscendum omnia, quæ Verbum cognoscit, dummodo ipsum revelare velit, cum sit speculum voluntarium, & illa quidem non simul, sed successivè; & hoc est idem, quod ait Scotus, nempe animam Christi esse positam per lumen gloriæ in actu primo, valente omnia in actu 2. cognoscere modo supradicto, & cum Verbum promptum sit revelare tali animæ unitæ omnia successivè, sic & in ipsa potest tendere: Addit S. Bon. *a. 2. corp. & ad 7. 8. & 9.* quòd per istam extensibilitatem cognitionis ad infinita successivè non ponitur infinitas actualis, nec in potentia cognoscente, nec in ipso habitu, vel lumine, sed solùm in ratione cognoscendi, vel in comparatione habitus cognoscendi ad ipsa cognoscibilia. (Nota autem, quod in his verbis continetur germana opinio S. Bon.) infinitas enim in ratione cognoscendi est in illa prima, & summa veritate divinæ essentiæ, quæ est animæ Beatæ ratio videndi alia: Infinitas in comparatione ad infinita est in lumine gloriæ, & intellectu beato Christi, cui fit revelatio omnium possibilium relucentium in essentia, & cognoscibilium successivè. *Vide ad finem corp. &c.*

117 Not. 3. Et sequitur ex dictis, quod in intellectu, ad hoc ut exeat in actum secundum duo requiruntur, unum ex parte objecti; aliud ex parte intellectus: ex parte objecti species, vel objectum intimè præsens; in cognitione rerum naturalium requiritur species, in cognitione beata objectum. scilicet essentia divina intimè præsens: ex parte intellectus virtus propria, & proportionata ad attingendum objectum, unde si est objectum naturale, sufficit virtus naturalis, dummodo sit informatus specie, similitudineque objecti; si est supernaturale, requiritur virtus supernaturalis, & si intellectus operetur independenter à sensibus, & phantasmatibus, requiritur habitus in ipso infusus elevans eum ad operari supernaturaliter, taleque est lumen gloriæ in beata visione, gratia, fides, &c. in actibus supernaturalibus viæ, quam doctrinam tradit Seraph. D. *in q. 2. & 3. citat.* Not. 4. & suppon. quod in tractatu de visione beata & supra innuimus, quod in visione beata duplex est objectum, scilicet primarium, & est essentia divina, pro ut est prima, & summa veritas, omnem aliam secundariam, & participatam exprimens, quæ est objectum secundarium: Hinc intellectus se ferens in objectum primarium, sufficienter habet fundamentum se extendendi ad alias veritates secundarias absque novo habitu, vel actu, solumque per additionem novarum relationum, hinc eodem actu absque mutatione entitativa potest exire in actum secundum.

Not. 5. Ut hæc doctrina tradita meliùs intelligatur, quod est maxima differentia inter actum beatæ visionis, & alios actus intellectus tendentes in varia objecta: Nam isti habent determinatam tendentiam ad proprium objectum, quod formaliter repræsentant, nec in istis possunt produci, nec ab ipso Deo respectus varii attingentiæ aliorum objectorum extraneorum, nisi contineantur eminenter in primo objecto, cum sint extranea, & disparata inter se. At in isto actu beato, quia ex natura sua tendit in objectum omnes creaturas exemplariter, & est prima, & summa veritas continens; hinc etiam ab ipso objecto primario specificatur talis visio, & recipit aptitudinem simul fundandi respectus illos attingentiæ multiplicis ad objecta relucentia in objecto primario; hinc est quod talis actus ex se non est formalis similitudo objecti secundarii, sicut est similitudo primarii, quod ex natura sua habet repræsentare secundaria, & ideo non ab utroque, primario scilicet, & secundario eodem modo dependet: Nam à primo dependet essentialiter, habetque esse formalem repræsentationem ejus, & ex consequenti quandam repræsentationem inchoatam respectu objecti secundarii eminenter, & exemplariter in primario contenti, ob idque per quantamcumque extensionem ad ipsa secundaria remanet semper in suo esse finito. 118

Not. 6. Quòd solutio hujus quæstionis maximè dependet ex traditis in Philosophia de infinito cathegorematico, & sincathegorematico: inter quæ est inter alias hæc differentia essentialis, quod cathegorematici partes tot sunt, quod nequeant esse plures, hoc est in maxima, & suprema, infinitaque multitudine: sincathegorematicum verò est, cujus partes non tot sunt, quod adhuc plures, & plures esse non possint in infinitum, nunquam tamen attingere possunt maximam multitudinem, & hoc ob ipsius infiniti intrinsecam indeterminationem accipiendi partem post partem; & hinc sequitur, quòd licèt multi affirment, istas partes infiniti sincathegorematici, habere simultatem in mente Dei in esse cognito, ob id rationem infiniti cathegorematici, ut Ariaga, Vasquez, aliique apud Mastrium in Physica *5. d. 10. n. 941.* Attamen decipiuntur; falsum enim est, Deum cognoscere has infinitas partes in actu, & cathegorematicè, cum sit id contra rationem intrinsecam infiniti sincathegorematici, cujus finitas est in actu, infinitas solùm est in potentia, & secundùm potentialitatem divisibilitatis; unde Deus cognoscit in eo finita in infinitum; & ratio est, quia cognoscuntur à Deo ut sunt possibiles à parte rei, sed à parte rei sunt finitæ, divisibiles tamen in potentia in infinitum, hinc non tot cognoscit, quin alia plura possit cognoscere; alioquin continuum esset divisum in mente divina, quod est contra rationem continui intrinsecam: Et per id patet discrimen cognitionis, quam habet Deus, & anima creata: Nam Deus non tot cognoscit, quin & plura, & plura in infinitum possit cognoscere; & hoc est, quod ait Seraph. D. *q. 3. & 5. & ult.* nempe Verbum unico 119

aspectu

aſpectu omnia actu cognoſcit, & comprehendit; at anima Chriſti non omnia actualiter, & unico actu, ſed ſucceſſivè; unde infinitas hæc rerum ponit actualem infinitatem in actu cognitivo Verbi, finitatem verò in intellectu animæ Chriſti in habitu, & actu, & ſolùm in ratione cognoſcendi, ſcilicet in comparatione habitus cognoſcendi ad ipſa cognoſcibilia, quorum quodlibet eſt finitum.

120 Concl. 1. Anima Chriſti in viſione beata quo habitu cognoſcit Verbum, cognoſcit & alia in Verbo relucentia, ſola exiſtente rationis differentia, & comparationis. Eſt D. Bon. *cit. a.2. q.1.* Prob. à Seraph. D. quia Verbum eſt ſufficiens ratio cognoſcendi omnia alia à Verbo, & tanquam exemplar eſt ratio cognoſcendi exemplatum; ſed eadem eſt cognitio rationis cognoſcendi aliquid, & ipſius rei cognitæ: ergo eadem cognitione, qua anima Chriſti cognoſcit Verbum, cognoſcit & alia in ipſo relucentia; ſed quia hæc concluſio ſatis probata eſt in diſput. de Viſione Beata, ad ipſam remitto Lectorem.

Concl. 2. Anima Chriſti actu conſiderat omnia, quæ ſunt eſſentialia gloriæ, non verò alia, ſed tantùm habitu: Eſt S. Bon. *ibidem q.2.* Prob. quia habitus ad plura ſe extendit, quàm actus, ſcimus enim plura (ait Ariſtoteles) ſed intelligimus unum ſolum, ſed non eſt neceſſe, quod in Chriſto habitus totaliter perficiatur ab actibus: ergo, &c. Minor prob. tum quia ad ejus perfectionem requiritur, ut conſideratio actualis ſubjaceat voluntati: ergo pro libito poteſt cognoſcere modò unum, modò aliud: hinc & lætatur de pœnitentia peccatoris, non verò de peccato, quando peccat; volubilitas enim voluntaria ab actu ad actum eſt de perfectione Beatitudinis, quod & fusè probatum eſt de viſione beata.

121 Concl. 3. Anima Chriſti non videt actu omnia poſſibilia, ſed tantùm in habitu. Eſt S. Bon. *q.3.* Prob. 1. pars à Seraph. D. *q.3.* argum. ad oppoſitum, quibus directè ab ipſo prob. concluſio, quidquid ſcitur, ſcientis comprehenſione finitur ex Auguſt. ſed anima Chriſti eſt finita, ergo non poteſt comprehendere infinita. Prob. 2. Cognitio debet adæquari ſubſtantiæ, ita quod eam non excedat improportionabiliter; ſed infinitum improportionabiliter excedit finitum, & ſubſtantia animæ Chriſti eſt finita: ergo & potentia ejus, & cognitio erit finita, ergo non ſe extendere poteſt ad infinita actu.

Reſp. Caſp. Hanc rationem non valere, quia ad videndam rem infinitè perfectam non requiritur lumen infinitum, qua ratione etiam Beatus videt Deum infinitum. Sed contra, quia reſponſio non evacuat difficultatem, nec enervat vim argumenti; nam cognoſcere infinita, ut infinita, exigit adæquationem potentiæ, & luminis, ideoque infinitatem, & comprehenſionem, quod non exigitur in viſione Dei, qui licèt ſit infinitus, non tamen videtur, ut talis ſcilicet comprehenſivè, & totaliter. Sic in reſponſione ad argumenta; loquitur enim de comprehenſione infiniti, ut infinitum eſt, quod non evenit in Beato videndo Deum totum, ſed non totaliter. At videns infinita videt ea ſub ratione infiniti in tota latitudine entis creabilis: ergo. Prob. 3. Anima Chriſti eſt creata, ergo & finita, ergo & ejus cognitio, ergo non poteſt adæquare infinitum ſub ratione infiniti. Prob. 4. quia Verbum manifeſtat animæ Chriſti quod vult, ſed vult revelare tantùm ea, quæ Chriſto ut Mediatori conveniunt, & hæc ſunt infinita, ergo, &c. Prob. 2. pars, quia in Chriſto ſunt omnes Theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, qui ei dati ſunt non ad menſuram ex Joan. cap. 3. & Coloſſ. 2. ex quibus inferunt SS. PP. Chriſtum totum ſcire, & nihil ignorare, eo quod tantam ſcientiam decet habere Filium Dei: ergo & data fuit ſcientia ad proportionem unionis hypoſtaticæ, nempe ſicut unitum erat ei Verbum ſubſtantialiter, ſic & exemplariter; tum quia anima Chriſti cum cognoſcat alia in Verbo, aut poteſt plura cognoſcere, aut non: ſi poteſt, ergo poſſibilitas ejus omnino non eſt completa, ſi non, ergo erit infinita cognitio; ſed non in actu: ergo in habitu.

Objic. 1. Omnes creaturæ ſimul ſumptæ ſunt infinitæ actu; ſed intellectus eſt finitus, ergo non poſſunt percipi illæ creaturæ infinitæ potentia finita: Reſp. 1. neg. antecedens: & ad conſequens R. concedendo, non poſſe pertranſiri infinitas creaturas ſimul actu, nego ſucceſſivè; nam ad primum, requiritur comprehenſio totalis infiniti, non ad ſecundum, cum per eandem virtutem poſſit potentia ferri ad omnes res ſucceſſivè. 122

Objic. 2. Si anima Chriſti per unum habitum poteſt videre infinita: ergo ille habitus erit infinitus ſimpliciter; ſed nihil creatum eſt infinitum: ergo, &c. Prob. ſequela, quia quando pluralitas rerum requirit majorem perfectionem, tunc infinitas numeralis requirit infinitam; idque patet in portante diverſa pondera. R. S. Bon. *q. 3. ad 3.* quod in cognitione animæ Chriſti eſt tria conſiderare, nempe rationem cognoſcendi, quæ eſt ipſa prima, & ſumma veritas, diciturque appropriatè Verbum. 2. Ipſum habitum, ſeu lumen gloriæ. 3. Reſpectum illius habitus ad cognoſcibile: Ille habitus eſt finitus, ratio cognoſcendi eſt infinita, per quam rationem cognoſcendi habet reſpectum ad infinita, non in actu, ſed in aptitudine, quatenus Verbum promptum eſt oſtendere illi animæ omnia poſſibilia, ad hoc ut poſſit pro libito ſucceſſivè ad ea tendere; hinc negatur ſequela majoris, unde cum habitus ille ſit finitus, nec omnia ſimul reſpiciat actu, ſed habitu tantùm, & unum poſt aliud, hinc infinitas illa formaliter non convenit habitui, ſed Verbo, quod animæ eſt ratio cognoſcendi offerens quæcumque cognoſcilia, propter quam oblationem habitus ille finitus habet reſpectum ad infinita, qui reſpectus fundatur in eminentia objecti primarii.

Dices: Si ille habitus eſt finitus: ergo actus ejus erit ei adæquatus, ergo non poteſt habere comparationem ad infinita. R. negando ultimam conſeq. licèt enim habitus, & actus ſint finiti, comparatio verò, cum ſit ipſis extrinſeca, quia advenit à promptitudine Verbi exhibentis, & oſtendentis infinita objecta, ideo non exigit infinitatem in habitu, & in actu.

Dices iterum: Ille habitus eſt finitus, ergo non poteſt ſe extendere ad infinita, cum ſit virtutis finitæ. R. S. Bon. *d.14. a.3. q.3. ad* 4. quod anima videns in Verbo omnes creaturas poſſibiles, licèt concurrat activè, tamen plus id eſt in recipiendo, quatenus ſcilicet in habitu ponitur comparatio ad infinita, ad quam non requiritur virtus activa animæ, ſed tantùm ad exeundum in actum, in quo ſufficit virtus finita.

Contra dices: Anima Chriſti non videt omnia ſimul actu: ergo nec habitu; viſio enim animæ Beatæ ſemper eſt in actu, ergo ſi non videt omnia in

in actu, nec in habitu, quia hæc habitualis cognitio in Beatis dicit actualitatem secundam. Resp. negando conseq. ad probationem. R. de ratione visionis beatæ est semper in actu in ordine ad objectum primarium, non ad secundarium, quod dependet ex pura voluntate divina, & cum paratus sit Deus omnia ostendere animæ Christo unitæ, ipsa eis exhibet ad proportionem suæ virtutis creatæ scilicet in habitu.

Contra iterum instabis: ex hac conclusione sequitur, quòd detur variatio actuum circa objecta secundaria; sed hæc non potest esse, nisi cum variatione in ordine ad objectum primarium, quod est contra rationem beatitudinis, ergo, &c. Prob. sequela, quia eodem actu fertur Beatus in objectum primarium, & secundarium: ergo si datur variatio circa unum objectum, dabitur & circa alterum, cum sit in eodem actu. R. neg sequelam: Potest enim fieri variatio circa posterius absque variatione circa primum objectum, cum visio objecti secundarii se habeat accidentaliter ad visionem beatam. Sic S. Bon. *d.* 14. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 3. & 4.

Concl. 4 Anima Christi non videt actu omnia futura, sed habitu tantum: Est S. Bon. citati, Scoti, & plurimorum aliorum, contra D. Thom. & sequaces; & prob. rationibus adductis in præcedenti conclusione, quia debetur ad talem cognitionem actualem virtus infinita in intellectu, sed hæc est virtus, & potentia finita, quia semper in æternum multiplicabuntur. Ex quibus sequitur primò quod etiam si Christus videat scientia visionis, quæ videt Verbum, cum videat finita ipsa, non sequitur, quod videat infinitum; tum quia admittitur talis cognitio in habitu tantùm, non actu simul. 2. Quod Christus videt perfectiùs Deum, & cætera in eo relucentia, quàm quicumque omnes Beati simul: Nam talis perfectio competit justè animæ Verbo hypostaticè unitæ.

QUÆSTIO III.

Quotuplex sit scientia Christi ultra prædictam Beatam? S. Bon. d. 14. a. 3. per totum.

123 NOt. 1. Quòd scientia alia dicitur naturalis scilicet acquisita proprio labore, vel indita à principio, ut in Adam; alia dicitur infusa a Deo. Et quia recognoscitur ab omnibus in Christo omnis scientia, quæritur, an scientia connaturalis fuerit in Christo acquisita, an verò infusa à Deo. N. 2. quod scientia infusa dicitur dupliciter, vel per se, vel per accidens: Infusa per se, est, quæ à solo Deo potest infundi, ut est cognitio rerum supernaturalium: Per accidens, quæ etiam proprio labore potest comparari, quæ licet sit infusa, tamen in intellectu adest aptitudo ipsam naturaliter acquirendi, quales sunt scientiæ naturales.

124 Concl. 1. omnes habitus scientifici, & omnes species omnium rerum naturalem cognitionem respicientes fuerunt infusi in anima Christi ab initio: Est communis. Prob. à S. Bon. ad illud Lucæ cap. 2. *Proficiebat sapientia, & gratia coram Deo, & hominibus*, nempe proficiebat non quod ipse fieret ex tempore, sed eandem, qua plenus erat, cæteris paulatim demonstrabat: ergo ab instanti conceptionis Christus fuit perfectissimus Rhetor, Philosophus, Mathematicus, & Theologus, &c. Prob. 2. Quia esto quòd talis perfectio non deberetur naturæ humanæ præcisè, debebatur tamen ei unitæ Verbo. Hinc sequitur potuisse cognoscere animam Christi per species omnes res in proprio genere.

Concl. 2. Anima Christi non solùm habuit scientiam per accidens infusam, sed & per se infusam: 125
Est S. Bon. citati, & communis, & hinc habuit scientiam habitualem, & actualem; & patet ex Isaia 11. ubi dicitur: *Requiescet super eum Spiritus sapientiæ, & intellectus, &c.* Sub quibus comprehenduntur omnia cognoscibilia: Tum quia scientiæ cognoscuntur per objecta; sed ultra visionem objecti primarii habuit etiam visionem objectorum secundariorum: ergo si ista cognoscit, habuit scientiam omnium objectorum cujuscumque generis: Tum quia assumpsit naturam perfectam; ergo & cum omnibus perfectionibus. Quod verò talis scientia fuerit in Christo habitualis, & actualis patet, quia Christus utebatur illa scientia, quando volebat. ergo erat habitualis, & permanens, simulque actualis.

Concl. 3. Scientia Christi fuit major absolutè 126
scientia qualibet Angelorum. Ratio est, quia ipse erat caput Angelorum, Deo hypostaticè unitus; ergo etiam ei debebatur perfectior scientia. Dices, quod modus connaturalis cognoscendi in homine est minus perfectus quàm in Angelis, quia homines cognoscunt per conversionem ad phantasmata, & ratiocinando; sed talis modus fuit in Christo, ergo minus perfectus, quàm in Angelis. R. quòd circa hunc modum præcisè potest admitti objectionis conclusio, sed quia tali modo utebatur pro libito, & ut superior omnibus hominibus, & Angelis, hinc ex parte hac erat perfectior scientia ipsius.

Concl 4. Scientia Christi indita fuit distincta in diversos habitus secundùm varia scibilium genera. Est communis cum Seraph. D. & ratio est, quia in ipso fuerunt inditæ variæ species, & habitus ad diversa specie scibilia: ergo & diversæ scientiæ.

Conc. 5. Christus habuit scientiam etiam ac- 127
quisitam, scilicet experimentalem. Sic S. Bon. *a.* 3. *q.* 1. *citat.* & communiter Theologi. Sic Seraph. D. discurrit: Notandum, quòd præter scientiam, quam habuit Christus in Verbo, idest præter scientiam beatam, duplicem habuit ad cognoscendum modum. Primò habuit cognitionem simplicis notitiæ in intellectu, idest scientiam infusam: 2. cognitionem experientiæ in sensu, idest acquisitam, & experimentalem: prima, scilicet simplicis notitiæ, consistebat in habitibus, & speciebus ipsi animæ à principio inditis: cognitio verò experientiæ consistebat in usibus sensuum exterioribus, quia ergo habitus, & species infusæ fuerunt in plenitudine omnimoda, hinc non proficiebat in notitia simplicis notitiæ: quia verò sensus exterior ad aliquid convertebatur de novo, hinc est, quod cognitio experientiæ proficiebat: Iste autem profectus experimentalis in duobus differebat à nostro: Primo quod ipse veniebat in cognitionem rei prius cognitæ, ita quod id, quod prius cognoscebat uno modo, scilicet per simplicem notitiam, postea cognoscebat alio modo, scilicet per experientiam. 2. Quia profectus noster est secundùm existentiam novam, in Christo autem erat tantum secundùm apparentiam, sic *d.* 14. *a* 3. *q.* 1. *ad* 4. Hinc est, quòd Christus per talem scientiam acquisitam cognovit omnia, quæ sciri possunt

poſſunt per ſpecies acquiſitas, & per lumen intellectus agentis, ſeu per abſtractionem ab objectis ſenſibilibus, & hoc patet, quia fuit perfectus homo: ergo potuit exercere operationes primarias, & perfectas humanæ naturæ, & hoc perfectiſſimo modo, quàm Adam, Salomon, & Beata Virgo Maria: Tum quia apprehendit multa, quæ priùs non apprehenderat experimentaliter, v. g. dolorem in horto, & flagella, &c. Objectiones contra hanc concluſionem habebis ſolutas in textu Seraphico *q. 2. a. 3.*

QVÆSTIO IV.

Solvuntur aliqua dubia pro complemento hujus materiæ.

128 QUæres 1. *Quænam differentia ſit inter viſionem beatam Chriſti, & aliorum Beatorum?* Videtur enim, quod etiam alii habuerint hanc ſcientiam actu finitam, habitu infinitam. R. hanc differentiam eſſe, quòd aliis Beatis Deus ut ſpeculum voluntarium alia objecta ſecundaria determinata repræſentat ſecundùm merita ipſorum, vel ſecundùm beneplacitum ſuum, ſed animæ Chriſti eſt ſpeculum quidem voluntarium, ſed tamen repræſentans omnia in actu primo, quamvis non omnia in actu ſecundo ſimul poſſit attingere ob finitatem, hinc alii Beati non valent ordinatè velle videre ultra ea, quæ limitatè ipſis exhibentur; at anima Chriſti poteſt ordinatè velle omnia, ad quæ eſt in habitu, & potentia, & in actu primo, cum ſint ipſi præſentia, ſic S. Bon. *d 14. a. 1. q. 3. corp.*

129 Q. 2. *An ſcientia infuſa importet habitum à ſpeciebus diſtinctum.* R. ex Seraph. D. *a. 2. q. 1. in corp. & ad 3. & q. 3. in fine corp.* Affirmativè: Ratio eſt, quia ad perfectionem ſcientiæ requirebatur, non ſolùm ex parte objectorum aliquid, quod vices eorum gereret, nempe ſpecies; ſed etiam ex parte intellectus aliquid elevans ipſum ad hoc, ut poſſit abſque miniſterio ſenſuum cognoſcere objecta: ergo ultra ſpecies etiam infuſas, fuit habitus duplex, ſcilicet in ordine ad objecta ſupernaturalia, & ad naturalia; & hinc ait Seraph. D. quod in ejus intellectu infuſum fuit lumen proportionatum ad hæc videnda.

130 Q. 3. *An Chriſtus potuerit uti his ſcientiis infuſis abſque uſu, & converſione ad phantaſmata, & ſenſus.* R. ex Seraph. D. *d. 14 a 3 q. 1.* Quod cum perfectiſſima fuerit anima Chriſti in ordine ad cognitionem, ideoque habuit perfectionem ſecundùm ſuperiorem portionem, & ſecundùm inferiorem, & ſecundùm ſenſibilem partem, ob idque fuit perfectus in ſcientia quantùm ad ſtatum viæ, qui eſt duplex videlicet innocentiæ, & naturæ lapſæ, ſicque habuit cognitionem gloriæ, naturæ integræ, & pœnalis experientiæ; hincque concluditur, quod potuit pro libito uti phantaſmatibus in cognoſcendo, vel etiam independenter ab ipſis exercere ſuam vim. Vide *ibid.* S. Bon.

131 Q. 4. *An hæc ſcientia fuerit in Chriſto diſcurſiva?* R. Quòd loquendo de ratiocinatione propria, quæ eſt proceſſus ab uno cognito ad rem incognitam, non fuit propriè in Chriſto, cum non aſſumpſerit ignorantiam, ut fusè docet cum cæteris Theologis S. Bon. *d. 15. a. 1. q. 1.* loquendo verò de proceſſu ex uno modo, vel genere cognitionis in alium modum, vel genus, ſic poteſt admitti diſcurſus aliqualis, ſed tamen impropriè; potuit enim à cognitione infuſa rerum tranſire ad experimentalem, ſic S. Bon. *d. 14. a. 3. q. 2.*

Q. 5. *An ad uſum talium ſcientiarum neceſſariæ fuerint ſpecies; & quænam, & an fuerint perfectiores Angelicis ſpeciebus?* Quoad hanc ultimam partem quæſiti omnes conveniunt, fuiſſe perfectiores Angelicis ſpeciebus: Ratio autem, quæ aſſignatur à Doctoribus, eſt varia ſecundùm uniuſcujuſque principia, ſed communis, verior, & planior eſt, quia quo ad entitatem, & rationem repræſentativam, ut ejus cognitio eſſet certior, & clarior, & diſtinctior, erant vividiores, & efficaciores. Quo ad primam partem quæſiti. R. 1. quòd per lumen gloriæ videbat abſque ſpeciebus, ut in Verbo. Ad ſcientiarum per ſe infuſarum uſum, habebat ſpecies naturales, quæ erant univerſales, & perfectiores, quàm in Angelis; unde ſecundùm naturam diverſam rerum poterat cognoſcere & naturas, & omnia individua earum, per applicationem talium ſpecierum, ut in lib. 1. dictum eſt de Angelis. Advertit tamen S. Bon. *d. 14. a. 3. q. 2.* Quòd Chriſtus non indigebat componere, & dividere illas ſpecies, ut indigent Angeli, ſed ipſi intellectui erant omnia præſentia, & quantùm ad eſſentias, & quantùm ad compoſitiones, & diviſiones, ſive ſecundùm exiſtentiam, ſive ſecundùm poſſibilitatem, ſive ſecundùm futuritionem conſideratas. Ad uſum verò ſcientiæ experimentalis recipiebat, vel poterat recipere novas ſpecies per ſenſus; nec enim ulla adeſt implicantia, cum haberet omnia requiſita ad talium ſpecierum acquiſitionem. 132

Dices: Quia in tali caſu forent plura accidentia ſolo numero diſtincta in eodem intellectu, quod implicat. R. conced. ſequelam, negando implicantiam, nam ut fusè probavimus ex Seraph. D. in Phyloſ. *in 3. p* agentes de ſpeciebus: accidentia, quæ ortum habent è cauſa differenti à ſubjecto, & quæ numerantur penès ſuam cauſam originalem, ut ſunt ſpecies intentionales, lumen, gratia, poſſunt iſta eſſe plura ejuſdem rationis in eodem ſubjecto; quod eſt tantùm deferens. Vide S. Bon. *l. 2. d. 26. a. 1. q. 3. comp. & d. 13. a. 3. q. 1. & 2. ad arg.*

Q. 6. *An præcognoverit Chriſtus futura contingentia?* 133
R. Quòd futura contingentia quæ ex cauſis naturaliter, & neceſſariò agentibus proveniebant, præſciebat per eaſdem cauſas, per quas fiebant: habebat enim cognitionem perfectiſſimam cauſarum naturalium earumdemque virtutis, unde præcognoſcebat Eclypſes, & alias Mateorologicas impreſſiones futuras. Quo ad futura verò contingentia pendentia ex cauſis liberis, dicendum eſt cum communiori Theolog. etiam nota fuiſſe Chriſto omnia futura contingentia libera, & hoc non per ſpecies proprias, ſed ex lumine, quo videbat clarè Deum; cum enim Verbum ipſi exhiberet revelationem omnium objectorum ſecundariorum relucentium in eſſentia divina, per conſequens etiam iſta videbat in Verbo: unde non eſt neceſſe ponere in Chriſto aliud lumen diſtinctum à lumine gloriæ, ſicut ponitur in Prophetis, ex quo talis revelatio certitudinem haberet, ac evidentiam ex revelante, & cum talis cognitio eſſet evidens in ſe ſupernaturali claritate, & evidentia orta ex ipſomet lumine talis ſcientiæ vel cognitionis, in qua certitudo judicii, & aſſenſus ejus fundatur, non eſt dicenda fides, quæ eſt cognitio obſcura.

Q. 7. *An Chriſtus oculis corporeis videret omnes res* 134
corporeas; & an nunc eas videat de Cœlo? R. quod dum erat in via Chriſtus, nulla ratio evidenter

nos convincit ad id affirmandum: Est tamen probabile; imo decens est (ait Seraph. D. *d.*14. *a.*2. *q.*3. *ad ult. in fine*,) attribuere pro reverentia Jesu Christi, ejus animæ quantumcumque sapientiæ, & gloriæ possumus, & supra etiam quàm intelligimus ad ipsius reverentiam, & honorem, unde dicendum est ex hoc principio, Christum vidisse oculis corporeis omnes res hujus mundi, tam Cœli, quàm Terræ, & multo magis dum jam sedet ad dexteram Patris in Cœlis, quod etiam alii apud Vegam *n.*1875. extendunt ad B. Virginem existentem in Cœlis, idque potuit accidere tribus modis. Primo si elevantur objecta visibilia, ut illatum species ejaculentur usque ad oculos Christi, quod fieri posse nemo ibit inficias. 2. Ita ut Christus supernaturaliter producat speciem in suis oculis, vel 3. immediatè eliciendo sine ulla specie ob sui efficacem potentiam, vel utendo speciebus infusis in ejus anima: nec ulla adest repugnantia in his, imò id est conveniens asserere, cum spectet ad ejus statum Redemptoris, & Reparatoris Mundi, simulque adaugeat ejus excellentiam, & imperium, ejusque humanitas appareat ex hoc veluti instrumentum divini Verbi quasi omnipotens: Nobisque talis cognitio ingerat semper majorem reverentiam Christo nostro Domino, & Reparatori.

Q. 8. *An Christus potuerit discere aliquid ab Angelis, vel ab hominibus?* R. negativè absolutè, quia 135
cum constitutus fuerit à Patre caput omnium hominum, & Angelorum, & cum ei inditæ fuerint omnes scientiæ secundùm omnem plenitudinem, nec potuit aliquid addiscere, quod ipsi notum evidènter non esset, & hoc maximè, quia dedecens valde id fuisset ejus dignitati.

DISPVTATIO VII.

De Christi Potentia.

POst scientiam sequitur Potentia consideranda in Christo; hìc autem non agimus de potestate, qua judex, legislator, aliisque potestatis insignibus titulis acclamatur, de quibus erit sermo in proprio loco; sed agimus de potentia humanitati Christi ex unione communicata, & præcipuè qua usus est in patrandis miraculis, tum morali, tum physica.

QUÆSTIO I.

Vtrum humanitati Christi, sicut communicata fuit omniscientia, sic & omnipotentia. S. Bonav. dist. 14. *a.*3. *q. ult.*

136 HÆretici antiqui, & moderni, qui dicuntur Ubiquetarii affirmarunt, omnipotentiam fuisse à Verbo communicatam humanitati Christi, quam hæresim etiam docuit Eutichius: sed communis Catholicorum, & Conciliorum cum Seraph. D. *cit.* est, nec communicatam fuisse, nec potuisse communicari humanitati Christi omnipotentiam. Pro solutione. N. 1. ex S. Doct. *cit.* quod ad omnipotentiam tria attributa concurrunt principaliter: Primum, est summa stabilitas, qua omnipotens ex se ipso est summè independens, & ab alio independenter subsistit: Secundum est summa simplicitas, qua omnipotens secundùm se totum agit, & in totum: Tertium est summa immensitas, qua virtus est idem, quod divina essentia, nec ab ipsa distat. Econtra verò omnis creatura est ex nihilo, ob idque essentialiter dependens ab alio, tum in fieri, tum in esse, tum in conservari, tum in operari, ideo non habet omnem potentiam: & cum non sit summè simplex, non potest agere secundùm se totam: habet enim essentialiter, & quo agit, & quo patitur, nec potest agere in prima principia, quæ solùm sunt terminus creationis, & cum virtus distet à substantia, est enim accidens, ob idque est defectiva ex distantia. Not. 2. quod hoc discrimen est inter scientiam Christi, & omnipotentiam Dei, quòd anima Christi potest scire quidem infinita, sed successivè, & finito modo per habitum finitum, ideo ista potentia se extendens ad infinita est finita; non sic est omnipotentia, quæ intrinsecè dicit infinitatem activam.

Unica concl. Implicat communicari humanitati 137
Christi omnipotentiam. Est S. Bon. citati, & de fide definitum in pluribus Conciliis; & prob. 1. implicat in creatura summa stabilitas, simplicitas, & virtus identificata cum essentia; ergo, & omnipotentia: Antecedens est de fide; conseq. est evidens, quia ad omnipotentiam ex traditis requiruntur tria attributa supradicta: ergo, &c. Prob. 2. Omnis potentia creaturæ sequitur ejus substantiam; sed omnipotentia præcedit omnem substantiam creaturæ, cum omnipotentia possit producere omnem creaturam: ergo nulli creaturæ est communicabilis. Prob. 3. Nihil potest excedi, & superari, quod sit omnipotens, cum à nullo dependeat; sed omnis creatura superatur, & exceditur, & à Deo dependet, ergo, &c. Prob. 4. Virtus non potest excedere substantiam, sed omnis substantia creata est finita: ergo & virtus.

Objic. 1. ex Epist. ad Philip. cap. 2. Dedit illi nomen super omne nomen; ergo potentiam super omnem potentiam: ergo omnipotentiam. R. ista intelligenda secundùm communicationem idiomatum, ideo nihil contra nos. Objic. 2. Majoris extensionis est scientia, quàm potentia: omne enim quod Deus potest, etiam scit, & non è converso; sed Deus communicavit animæ Christi, quòd est majus, scilicet omniscientiam: ergo & omnipotentiam. R. scientiam esse majoris extensionis objectivè, non subjectivè, & entitativè; unde scientia omnis non ponit subjectum omnipotens, sicut omnipotentia. Objic. 3. Ita virtus unitur potentiæ, sicut sapientia intellectui Christi, unde appellatur Dei virtus, & sapientia, sed Deus univit in intellectu omniscientiam: ergo & omnipotentiam

omnipotentiam. R. S. D. neg. majorem, & paritatem; nam virtus intellectus eſt magis in ſuſcipiendo, quàm in agendo, operatio verò eſt in activè agendo: multò autem excellentius eſt aliquid agere, quàm noſſe; unde perfectius eſt poſſe facere muſcam, quàm cognoſcere Cœlum; ſic negatur conſeq. Dices: Scire importat actionem, ergo nulla reſponſio. R. S. Bon. quod ſcire actualiter importat actionem, concedo, habitualiter nego: Deus autem communicavit Chriſto omniſcientiam tantùm habitualiter, & ob id finito modo.

QVÆSTIO II.

Qua virtute Chriſtus fecit miracula: & quænam virtus fuerit in ejus humanitate?

138 SUppon. 1. tanquam certum, triplicem potentiam fuiſſe in Chriſto, nempe potentiam impetrandi quidquid vellet à Deo; potentiam præſidendi, quia omnibus, qui ſunt ſub Deo ſecundùm humanam naturam, præeſt, cum fuerit ſuper omnes creaturas exaltatus; & potentiam faciendi, non quidem omnia poſſibilia (cum ei non fuerit communicata omnipotentia divina) ſed multa mirabilia & miracula, & alia opera ſupernaturalia; ad quæ poſſit ſe extendere virtus finita. Cùm autem certum ſit, & de fide, Chriſtum etiam ſecundùm humanam naturam feciſſe miracula: de qua re fusè Medina *lib. 1. de recta fide, cap. 7.* Quæſtio movetur à Theologis, an talia miracula facta fuerint à Chriſto ſecundùm humanam naturam per potentiam phyſicam, an per modum permanentis ab inſtanti ſuæ conceptionis. Cauſa autem phyſica eſt, quæ realiter, & phyſicè producit, & attingit effectum; & ſi eſt principalis, propria virtute non emendicata ab alia; & ſi eſt inſtrumentalis, attingit per virtutem emendicatam ab alia principali. Cauſa moralis non influit phyſicè, ſed tantùm eſt ratio, vel cauſa ut alia, ſcilicet phyſica influat, cauſat verò rogando, vel movendo, vel impetrando, vel applicando aliquid ſui ex parte cauſæ principalis, qua ratione dicunt. S. B. & Scotus, Sacramenta cauſare gratiam.

Prima opinio eſt Scoti, Alenſ. Durandi *d. 2. n.* 180. pluriumque aliorum aſſerentium, potentiam in Chriſto patrandi miracula fuiſſe moralem tantùm; citaturque communiter Seraph. D. & præcipuè à P. Gaud. *d.* 15. *q.* 3. De quo infrà 2. opinio eſt D. Thomæ, & ſeq. pluriumque aliorum aſſerentium, hanc potentiam fuiſſe phyſicam non quidem principalem, ſed inſtrumentalem. De ſenſu Seraph. D. mox dicemus.

Not. 1. Quod circa ſenſum D. Bon. eſt magna concertatio inter Bonaventuriſtas propter ejus varia dicta; nam *l. 4. d. 5. a. 3. q. 1. ad ult.* loquens de patratione miraculorum, docet, quòd Deo ſoli tribuenda eſt poteſtas principalis; Divo Petro verò, & aliis Sanctis tantum cauſalitas moralis, nempe quatenus Deus nutu Divi Petri faciebat, & *l. 3. d. 17. a. 2 q. 1. ad 4* Patrationem miraculorum attribuit impetrationi per fidem elevantem animam; ſed quia in his, & aliis conſimilibus textibus agit non de Chriſto, ſed de aliis Sanctis, de quibus nulla eſt difficultas, ideo cum Chriſtus non ſit collocandus inter iſtos in hac materia, diverſo modo loquendum eſt; hinc eſt, quòd *d. 14. a. 2. q. 3. ad ult. in fine.* Notat, quod in arduis quæſtionibus, & maximè dum adſunt auctoritates Sanctorum pro reverentia majori Jeſu Chriſti, debemus attribuere humanitati, & animæ ipſius quicquid poſſumus etiam ſupra quàm intelligimus ad ejus honorem, & reverentiam, & ob id ipſum à numero aliorum Sanctorum ſegregare, & ſuper ipſos ipſius actiones ſuper exaltare: Et cum opinio D. Thomæ, & tot inſignium Theologorum plus honoris, & virtutis Chriſto attribuat, hinc ad mentem etiam Seraph. D. fidiſſimi amici D. Thomæ iſtam ſequemur, & maximè ducti variis doctrinis, & dictis ejuſdem Seraph. D. ut infrà dicemus.

Not. 2. Quòd inter Thomiſtas multiplex varie- 139
tas modorum talis potentiæ phyſicæ aſſignatur; Nam aliqui docent, conſueviſſe Deum imprimere humanitati Chriſti pro ſingulis occaſionibus motum quemdam tranſeuntem, quo elevata humanitas tanquam inſtrumentum Dei talia opera efficeret, quem motum vocant inſtrumentatiam virtutem. Alii verò aſtruunt in humanitate Chriſti, & in omni alia natura creata potentiam quandam obedientialem ab ejus ſubſtantia indiſtinctam, qua poſſit elevari à Deo, ut inſtrumentum ad phyſicè producendum quemcumque effectum miraculoſum, ac ſupernaturalem: ſic Suarez, Tanner. aliique recentiores communiter. Vulpes, Ricardus, aliique; alii volunt humanitatem Chriſti ex unione ad Verbum redditam fuiſſe inſtrumentum veluti connaturale, valens operari miracula. Not. 3. Quòd, ut aliàs in Phyloſophia probavimus ex Seraph. D. potentiam obedientialem activam non eſſe in quolibet ad quodlibet, ſed tantùm ad effectus habentes analogiam cum effectu ab eadem natura producibili naturaliter, ut eſt ambulatio ſuper aquas, quia potentia motiva eſt ambulativa, & addita unione cum Verbo, aut virtute elevante ipſam, poteſt exerceri etiam ſuper aquas.

Not. 4. Quod ad miraculum faciendum, duo 140
principaliter debent concurrere: Primum ut ſit opus inſolitum, & extraordinarium, nempe vel ſuprà, vel præter, vel contra naturam: ſuper naturam ſunt illa, quorum non eſt ſimile in natura, nec in potentia naturæ, ut Virginem parere: præter naturam ſunt, quæ fiunt ordine ſimili naturæ, non tamen per principium naturæ, ut in mutatione virgarum in ſerpentes, quia illud potuiſſet fieri ſucceſſivè per putrefactionem longam, & per rationes ſeminales; tum quia ibi non fuit operatio naturæ, ideo fuit miraculum, non quidem ſupernaturale, ut dictum eſt à nobis in Phyſica. Contrà naturam ſunt, quæ fiunt in uſu contrario naturæ, tamen terminantur ad conformitatem naturæ, ut cæci illuminatio: unde ad hanc primam conditionem, quòd ſit opus inſolitum, & extraordinarium, requiritur, ut hæc ratio ſit vel in effectu ipſo, vel in modo extraordinario, v. g. inſtantaneo, quod naturaliter tantùm ſucceſſivè fit, ut organizatio inſtantanea corporis Chriſti. 2. Conditio, quæ requiritur ex dictis, eſt, quòd non poſſit fieri per cauſas naturales: quare diſpoſitiones antecedentes, ut prædicatio, tactus, verba non ſunt miracula; cum autem certum ſit de fide Chriſtum feciſſe plura miracula, hic controvertitur non quidem, an humanitas Chriſti fuerit cauſa formalis omnium operationum ſive naturalium, ſivel ſupernaturalium, reſpectu quarum habebat in ſe principium, ut in viſione Dei, in dilectione ſupernaturali, certum eſt enim ipſum fuiſſe principium ipſarum formale; ſed an alias actiones, quæ

sunt propriæ ipsius Dei, qui solus potest facere miracula, ut suscitare mortuos, &c. an poterat ad ipsas concurrere tanquam instrumentum physicum, an solùm morale, & quo ad esse morale certum etiam est, quod ad aliquos actus morales concurrebat aliqua ratione, vel causa morali, ut ut media voce, vel tactu; sed quæritur, an etiam physicè media sua virtute elevata fuerit à Deo instrumentaliter.

141 Not. 5. Ex superius traditis, ab unione hypostatica, ut à radice in Christo physicè emanasse omnia dona supernaturalia, ipsum perficientia, ob idque, & talem potestatem instrumentalem faciendi miracula, supposito tamen aliquo speciali concursu divinitatis, uti diximus de concursu Mariæ Virginis ad attingentiam unionis hypostaticæ; an verò hæc virtus indiguerit physico contactu, & objecto præsente, & coexistentia temporis, ita quod possit etiam ut homo in terris facere miracula existens in Cœlis, est in quæstione, & id solvetur.

142 Not. 6. Quod cum admittantur à Phylosophis in corporibus, tam inanimatis, quam animatis plures naturales virtutes mirabiles, & occultas mirabilissimos effectus producentes, de quibus Doctores apud Vegam *n. 696.* & cum humanitas Christi fuerit efformata super omnia nobilis, eminenterque perfecta, ac veluti alter mundus corporeus parvus, in quo omnia corporalia, & spiritualia habent veluti suum complementum, quod & de homine quolibet affirmat Seraph. D. hinc valde rationabile est asserere, Deum collocasse in hac humanitate omnes virtutes corporeas dispersas in cæteris corporibus, ut possent esse principium saltem inchoatum ad producendum effectus mirabiles; hinc est, quod multi Theologi dicunt, ex carne Christi provenisse qualitatem singularem ex contactu ad res tactas, & ex oculis itidem, &c. de his omnibus videatur Vega in Theologia Mariana *loc. cit.* qui tales virtutes extendit ad corpus B. Mariæ Virginis.

143 Concl. 1. In Christi humanitate infusa fuit virtus supernaturalis per modum permanentis patrandi miracula elevans ejus potentiam obedientialem, ad hoc ut possit, ut causa minùs principalis, & instrumentaria simul cum divinitate, ut causa principali ipsa patrare. Est Ricardi. *l. 3. d. 14. a 5. q. 2.* Paludani, Capreoli, aliorumque plurium apud Suarez *d. 3. s. 3.* & apud Mastrium. Et prob. ex regula supra tradita à Seraph. D. quia quicquid non involuit repugnantiam, etiamsi ab intellectu nostro non capiatur, debet Christo ob sui excellentiam tribui, sed talis qualitas nullam involuit repugnantiam, estque possibilis, ergo, &c. Prob. 2. Ratione unionis hypostaticæ continentis omnem perfectionem possibilem. Tum quia aliæ gratiæ gratis datæ fuerunt in Christo per modum permanentis: ergo & ista, non enim est minor ratio de ista, quàm de cæteris. Tum quia in Joan. cap. 1. dicitur: Gratia, & veritas facta est per Jesum Christum: & ly, facta, importat causalitatem physicam. Tum quia Christus multa miracula fecit non per modum supplicantis, aut impetrantis, sed per modum imperii, ut illud, *Lazare veni foras, surge, &c.* sed imperium denotat virtutem physicam: ergo, &c. quodque confirmatur ex D. Greg. *in l. 2. Dialog. c. 1 3 0.* dicente, Christum miracula fecisse potestate, Martyres verò, & Sanctos impetratione. Nec valet responsio Adversariorum, Mastrii, & aliorum, id asseruisse ad differentiam aliorum Sanctorum ratione divinitatis existentis in Christo; non valet hæc responsio, quia discrimen nullum esset inter miracula Christi, & Sanctorum; Sancti enim faciebant miracula solùm impetratione, sed divinitas ea operabatur; idemque dicunt de Christo: ergo nullum discrimen esset, nisi quia divinitas operans miracula erat in Christo unita hypostaticè, in Sanctis solùm per gratiam, at in ordine ad patrationem, & efficientiam miraculorum, nulla omnino esset differentia quod est valdè absonum, & dignitati Christi super omnes exaltatæ indecens; & confirmatur ex illo Lucæ cap. 6. *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes*, ubi Seraph. D. sic exponit; idest operario virtutis exeuntis foras in opere, quæ priùs latebat in se, eamque aliis communicans: ergo si priùs erat in eo, erat etiam physicè, & permanenter; Ubi nota, quòd ibi loquitur de humanitate, de qua dicitur antecedenter: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illo exibat.* P. Gaud. hic extorquet sensum Seraph. D. ad oppositum, sed violenter. Confirmatur etiam ex Concilio Ephesino 1. Can. 11. ubi dicit, quòd caro Christi est vivificatrix per unionem ad Verbum, qui textus explicari non potest in esse morali; si enim caro erat vivificatrix: ergo active, & physicè, unde expositio adversariorum dicentium, sensum esse Christi carnem esse carnem vivificantis divinitatis, est valdè extorta; unde ad rem optimè dicit Seraph. D. Christum fuisse Ministrum divinitatis in agendo, quod fecit, & disponendo.

Prob. iterum, quia humanitas Christi operatur justificationem, & miracula virtute communi toti Trinitati: ergo operatur illa physicè instrumentaliter: antecedens prob. in Luca cap. 11. *Si in digito Dei, &c.* & Joan. 10. *Opera, quæ ego facio, in nomine Patris mei facio*, quæ loca nequeunt verificari de sola causalitate morali, sed de physica: consequentia patet, quia omnis virtus Christi moralis, quæ consistit in ratione meriti infiniti, vel satisfactionis est opus Filii, qui est persona merens & satisfaciens; sed tali modo solo non potest esse organum, & instrumentum totius Trinitatis, quæ concurrit non per meritum, & rationem moralem, sed per virtutem physicam: ergo cum humanitas sit instrumentum totius Trinitatis, sequitur ipsam concurrerere physicè. Et confirmatur, quia si humanitas Christi concurreret solùm moraliter ad opera miraculosa, posset etiam assumi ut instrumentum ad creandum, quod non admittitur; nec tamen adest ulla repugnantia, quin possit assumi ut instrumentum morale ad creationem; Tum etiam quia alioquin humanitas Christi non haberet majorem concursum circa justificationes nostras, quàm oratio S. Stephani circa conversionem Pauli, quod non admittitur ab ipsis Adversariis.

Objic. 1. Humanitas Christi non habet aliquid spectans ad rationem causæ instrumentalis: & probatur, quia non habet aliquam vim sibi naturalem inchoatam, & proportionatam cum effectu, ergo, &c. Prob. antecedens, quia humanitas Christi est ens mere naturale; miracula sunt effectus supernaturales: ergo, &c. R. Si hoc argumentum valeret, quod tamen opponitur à Bauduino, & aliis, nec etiam posset anima elicere actus supernaturales meritorios, vel visionis Beatæ, nec Virgo potuisset concurrere ad conceptionem Christi, quæ sequela tamen admittitur ab ipsis Adversariis: Unde resp. habere humanitatem Christi 144

virtutem

virtutem activam inchoatam naturalem, sed obedientialem elevabilem à virtute unionis, & concursu speciali Dei; sic negatur antecedens, & consequentia.

Objic. 2. Omne agens physicum agit per verum, & physicum contactum, non enim agit in distans, sed humanitas Christi non semper habebat contactum physicum in patrando miracula omnia, quia operabatur sæpè in subjecta distantia; ergo, &c. Confirmatur hæc ratio primò, quia etiam agens instrumentarium debet operari aliquid prævium circa subjectum approximatum instrumento: Tum secundò quia instrumentum corporale non potest agere in animam, quæ est quid spirituale: ergo, &c. R. majorem principalis argumenti, quæ est propositio Aristotelis de contactu non sic debere intelligi, quod ponat in contactu rationem formalem causandi, sed tantùm ut conditionem, sine qua non; requiritur enim naturaliter approximatio inter agens, & passum, quæ doctrina est vera, loquendo de potentia naturali, non verò obedientiali; unde de potentia Dei absoluta ignis, qui est Romæ; potest comburere lignum existens Neapoli. R. 2. sufficere contactum virtualem, qui est, quando causa principalis adest præsens effectivè, licèt instrumentum sit absens, & præsens tantùm virtualiter, ut evenit etiam in generatione hominis; si enim generans statim moritur, tamen adest præsens virtualiter in semine, sic & pari modo humanitas Christi virtualiter erat præsens subjecto distanti, quia ibi aderat verè Divinitas, ut causa principalis præsens, tunc enim distantia loci supplebatur à Deo. Ad primam confirmationem resp. quod semper Christi humanitas aliquid prævium miraculo præcedere faciebat vel voce, vel imperio, vel actu suæ voluntatis determinando suam virtutem supernaturalem, sicut patet in inferno.

Objic. 3. Aliqua miracula fecit Christus, quæ non potuerunt fieri absque creatione: Ut infusio gratiæ, quæ secundùm Seraph. D. est terminus creationis; creatio Columbæ in Baptismo Christi, ergo per concursum moralem tantùm hæc facta sunt. R. nihil facere hanc objectionem contra nos, admittimus enim etiam concursum moralem in pluribus miraculis, ut est in creatione gratiæ; & ad illud de Columba negamus, fuisse verum Animal; unde ista argumentatio nihil valet, quia procedit à non distributo ad distributum, vel ab hoc, vel illo particulari ad universale, estque modus usurpatus à Vasquez.

Objic. 4. Qualitas, quam nos ponimus in humanitate Christi superadditam à Deo vel est corporalis, vel spiritalis; si primum ergo solùm potest in effectus corporeos; si secundum ergo non potest recipi in subjecto corporeo: hoc est argumentum Mastrii quo intendit destruere nostra fundamenta. R. 1. fuisse unionem hypostaticam, quæ est qualitas eminentialis valens in effectus corporeos, & spirituales, & præcipuè in miraculosa opera supposito concursu specialiori Divinitatis, unde hoc argumentum nihil urget.

Objic. 5. Hæc virtus instrumentalis in Christo nullam adfert ipsi dignitatem supra moralem, imò inferiorem ergo est ablegenda; & hoc est argumentum Mastrii, & plurimorum Adversariorum. Pr. antecedens primò, quia talis potestas potest à Deo communicari etiam insensibilibus, ut feni, ac sterili ad pariendum, ligno arido ad flores, & fructus producendos, asinæ ad loquendum: Econtra verò esse causam condignè meritoriam, & omnium miraculorum impetratoriam, quæ possunt fieri à Deo, est propria, & specialis dignitas Christi, nulli puræ creaturæ communicabili, cum hæc supponat infinitum valorem personæ merentis, & impetrantis, ergo, &c. Confirmatur, quia talis modus est perfectior, quàm per modum physicæ causalitatis, eò quod iste modus physicè operandi instrumentaliter non operatur connaturaliter per intrinsecum principium completum operandi, sed per extrinsecum dumtaxat assistens, & elevans, & complens extrinsecè tantùm naturam excedenter; talis autem imperfectio non involuitur in modo operandi moraliter tantùm, ergo, &c. R. negando antecedens; ad probationem resp. 1. nos attribuere Christo & virtutem physicam, & moralem Christi humanitati ob maximam ipsius dignitatem. 2. R. miracula adducta in objectione non posse comparari ad potentiam Christi, quia illa fiebant, vel fient per concursum specialem Dei per modum transeuntis: In Christo autem erat per modum permanentis ratione unionis substantialis Christi, & ob id inerat principium intrinsecum inchoatum in humanitate Christi valens compleri per aliquam concursum extrinsecum specialem; sicque corruit tantus apparatus Mastrii, Arriaghæ, & Amici.

145 Concl. 2. Christus plùra miracula fecit tantùm virtute morali; sic D. Bon. *l.3.d.14. dub.4. & d.19. q.1.* & prob. tum in collatione gratiæ, tum in remissione peccatorum; gratia enim est terminus creationis, justificatio est opus solius Dei, ad quæ suis meritis, & impetratione concurrebat Christus; idemque dicendum de miraculis antecedentibus ipsius Christi Adventum, causa enim non existens non valet producere aliquid physicè, sic D. Bon. *l. 3.d.13. a.2. q.3. ad 5. & 6. & d. 19. cit. ad 5.* Dices: Si ad ista miraculosa opera sufficiebat causalitas moralis: ergo & ad omnia alia; non enim est major ratio, &c. R. quod ad majorem dignitatem Christi utraque recognoscitur in ipso: Negatur autem paritas de illis, qui solùm per creationem possunt fieri; item & ante incarnationem; ad illa enim solùm potest virtus moralis: ad ista ante Incarnationem, quia non existebat sicuti est necessarium ad causalitatem physicam.

146 Concl. 3. Virtus physica instrumentalis humanitatis poterat se extendere etiam ad res loco distantes, unde etiam nunc in Cœlo existens facit tali virtute plura miracula: Concl. hæc venit consequenter ex traditis in fundam. & prima concl. & est D.Thom. *q.56.a.1. ad 3.* Vegæ *l.7.* in Concil. Trident. Suarez *s. 5.* idque infero clarè ex Seraph. D. *qui l.3.d.13.a.2.q.3. ad ult.* loquens de differentia influentiarum Christi in antecedentes ejus adventum, & consequentes, dicit, quod in primos influentia erat tantùm moralis, & per modum meriti, scilicet per fidem, & dilectionem, in consequentes autem erat amplior; & si amplior; ergo erat physica, si enim fuisset tantùm moralis, non fuisset major, amplior, & efficacior; & ob id hoc tempus dicitur gratiæ, non illud; & *d.19. q.1. ad 5.* dicit, quod contactus alius est per substantiam physicus, alius est virtualis per virtutem; Christus autem utroque modo operabatur miracula. Prob. autem prima pars, quia ex S. B. sufficit contactus virtualis ad hos effectus; ergo, &c. Prob. antecedens, quia per extensionem virtutis poterat contingere res distantes, nec enim

enim ulla adest repugnantia, cum etiam in causis naturalibus, ut in igne, & sole patet: ergo multo magis in Christo: tum quia approximatio per contactum physicum est tantùm conditio sine qua non extrinseca requisita cursu ordinario, non ratio intrinseca agentis, & passi: ergo suppleri potest, & supernaturaliter tolli. Prob. 2. pars à Joan. à S. Thom. *in* 3. *p. q.* 11. *d.* 15. *a.* 2. *n.*20. quia si in terris degens poterat operari miracula circa distans, cur non potest nunc in Cœlo? Major enim, vel minor distantia est solùm conditio extrinseca supplebilis à Deo.

Objic. 1. Contactus, & approximatio est conditio necessaria, sine qua non in omni agente physico; idque patet etiam in Deo, qui non potest operari, ubi non est: ergo nec Christus. Et confirmatur, quia actio, quæ per instrumentum fit, pendet ab illo immediatè, aliàs nihil ageret: ergo contactus est necessarius. Resp. illam conditionem esse necessariam agenti naturali, non elevato supernaturaliter, nec esse necessariam absolutè, ut dictum est, cum sit quid extrinsecum agenti, & passo; vel valet paritas de Dei præsentia; id enim competit Deo ob ejus immensitatem, non ob indigentiam, quæ est in creatura, quæ indigentia potest à Deo suppleri: Ad confirmationem. R. eodem modo, conced. de instrumento naturali, negando de supernaturali, per quod, & per cujus actionem fiebant miracula à Deo dependenter ab humanitate Christi, etiam alibi existente.

147 Concl. 4. Christi caro, & sensus per virtutem unionis elevati poterant producere plures effectus supernaturales: Sic tactu sanabat, olfactu attrahebat, visu excitabat, verbis movebat homines: Hæc concl. patet ex traditis in ultimo fundamento, eamque docent Salmeron. *tom.* 5. *tract.*2. Toletus *in cap* 8. Lucæ *ad notat.* 96. citantque pro ipsa Divum Augustinum, & D. Hilarium: sic Capreol. *l.* 3. *d.* 1. *q.* 1. Ferrar. 4. contra Gentes *cap.* 56. Albertus Magnus in parva Philosophia, & supermissus *c.* 148. Vega in Theologia Mariana *n.* 696. Suarez *d.* 31. *sect.* 3. *&* 4. *&* 5. Qui etiam extendunt eamdem virtutem corpori B. M. Virginis ob donum Maternitatis; & sequitur ex dictis: Cum enim unio hypostatica elevaverit corpus, & animam ad statum supernaturalem, etiam indidit virtutem eis proportionatam, & eo maximè quia si multæ virtutes, mirabiles insunt in rebus corporeis ad effectus naturales; cur deneganda sunt consimiles supernaturales corpori Christi, quæ non adferunt indecentiam. Ex quibus præjactis sequitur esse dicendum, istam potestatem fuisse Christo collatam ab instanti conceptionis, & ipsa numquam fuisse privatum, & hoc, quia talis virtus est proprietas consequens unionem: Tum quia dona Dei sunt sine pœnitentia: Tum quia non repugnat statui Beatitudinis, imò est valdè decens, quòd nunc existens in cœlo, & præsidens toti mundo, & creaturis omnibus illam exerceat.

Q. Cum in Christo adsit utraque causalitas, scilicet physica, & moralis, & cum ista moralis habeat fundamentum in actionibus Christi, quæ sunt passio, mors, & resurrectio, per quas nobis meruit, & producebat effectus supernaturales, cum istæ actiones jam transactæ fuerint; quæritur, *Quomodo nunc tales effectus producantur?* Resp. communiter Theologi, effectus alios esse physicos, supernaturales tamen, ut sunt miracula sanitatum: alios esse morales, ut justificatio peccatorum, collatio gratiæ, ad istos concurrere tantùm moraliter virtutes meritorum, & in Christo existentium, ad alios verò physicos concurrere sua virtute in ipso existente: Nos autem addimus cum Recupito in Opusc. de signis prædestinationis, & in 3. parte D. Thomæ in Christo esse virtutem physicam, & moralem relictam in humanitate ratione plagarum, quas conservat vividas in corpore, per quas semper adest ejus passionis virtus præsens, quæ conclusio est ad aures Seraph. D. qui in suis Opusculis, præcipueque, *in Stigm.div. am. p.*1. *c.*1. *& seq.* recognoscit talem virtutem existentem, & præsentem in vulneribus Salvatoris, tum respectu gratiæ, tum gloriæ, tum aliorum effectuum supernaturalium in nos derivantium.

Dices: Ista opinio de causalitate physica pugnat cum sententia D. Bon. recognoscentis in Sacramentis cum Scoto, solùm virtutem moralem productivam gratiæ. R. Valde differre humanitatem Christi à Sacramentis, in illa erat, & est unio perpetua cum Verbo, ob idque etiam talis virtus physica, non sic in Sacramentis. Ex quibus etiam patet discrimen miraculorum, quæ à Deo per Sanctos patrantur, & à Christo; nam Sancti solùm concurrunt moraliter, & per modum meriti, & impetrationis, Christus verò, & per modum meriti, & etiam causalitatis physicæ.

DISPVTATIO VIII.

De communicatione idiomatum in Christo, & defectibus assumptis.

ORdo doctrinæ exigeret, ut excitaretur disputatio de Christi voluntate humana, sed quia est connexa cum meritis ipsius, ideo ipsam connectendam duximus cum meritis. Hic autem proponimus disputatione de communicatione idiomatum, & consequenter de defectibus assumptis à Christo corporis, & animæ.

QUÆSTIO I.

De communicatione idiomatum, quid sit, & qualiter fiat.

149 ANte omnia suppon. est, quod communicatio idiomatum est nomen desumptum ex Patribus Græcis, Latinéque est idem ac mutua prædicatio attributorum divinæ, & humanæ naturæ inter Deum & Hominem: ut autem pateat quomodo fiat talis communicatio, sequentes regulæ observandæ. Not. 1. Quod prima observanda proponitur à Seraph. D. *l.3.d.11. a.2. q.1. & 3.* quod omnia communicantur Deo, & homini, exceptis his, quæ involuunt, vel exprimunt ipsam unionem: Ratio est, quia communicatio idiomatum fundatur super unionem, eamque præsupponit, ideo quæ important unionem, non communicantur, ut dicendo: Homo est incarnatus, quia præsupponitur unio facta: cum enim unio importet relationem, simulque naturatum distinctionem excludendo confusionem; hinc in prima est falsitas: Homo est incarnatus, factus est Deus; cum enim dico, homo factus est incarnatus, vel Deus, dico, hominem esse Deo unitum, & tale idioma non communicatur per unionem, pro eo quod ipsa unio inter unibilia importat diversitatem, & distinctionem; & eam præsupponi oportet ad idiomatum communicationem, & ideo talia nomina unionem importantia, non sunt communicabilia: Vide Seraph. D. *d.7.q.1. & 3.*

150 Secunda regula, cum unio hypostatica immediatè uniat naturam humanam cum Persona Verbi, & consequenter duæ naturæ humana & divina subsistant in Persona Verbi, fit etiam duplex communicatio in ordine ad illam personam, nempe duarum naturatum, & utriusque proprietatum per ordinem ad illam personam; hinc sequitur, quod propositiones verificantur tantùm in concreto, non verò in abstracto: Ratio est, quia prædicationes in abstracto sunt identicæ, & formales, ob idque tollunt distinctionem naturarum, & ponunt confusionem ipsarum, ut humanitas est divinitas, quòd est falsum? in concreto verò remanent intra suos terminos, & dicitur etiam prædicatio pe. denominationem, ut homo est Deus, scilicet unitus personæ divinæ; sic S. Bon. *l.3.d.2.a.2. q.1. ad ultim. & d.5. q.1. ad arg. & d.6.q.1. ad 6.* 3. Regula est quando per communicationem tollitur repugnantia, quæ stat propriè, vel in prædicatione per identitatem, vel per inhærentiam accidentalem, ita quod verificentur propositiones tantùm ratione unionis in hypostasi, tunc propositiones veræ sunt, ut Deus est immortalis, & mortalis; quando verò non tollitur repugnantia, quia omnino repugnant expressioni fidei etiam supposita unione, ut esse creaturam, peccatorem, prædestinatum, tunc absolutè non admittuntur, cum repugnant ipsi personæ sustentanti naturam humanam: sic D. Bon. *l.3. d.11.quodlib.ad ult.& d.11.n.2. q.? ad 3.* 4. Regula est quod, cum omnis prædicatio sit vel per identitatem, vel per inhærentiam, & denominationem, & adjacentiam, vel secundùm causalitatem, vel per concomitantiam, vel per unionem, communicatio idiomatum propriè non fit, nisi per unionem, & ratione unionis, v.g cum dicitur Deus est homo, hæc prædicatio non est identica, quia confunderentur duæ naturæ in unum, nec per inhærentiam, quia iste modus prædicat accidens de altero, nec per causalitatem, quia sic etiam potest dici Deus est lapis, idest causa lapidis; sed dicitur per concomitantiam, & unionem, ideoq. cum sit unio hæc singularis, exigit etiam modum singularem prædicandi, & dicitur etiam prædicatio per denominationem: sic *l.3.d.6.a.1 q.3.ad4.& d.7.a.1.q.1.corp. & d.10.dub.1.& q.1.& d.11.q.ult. & alibi sæpe.*

Concl. 1. Incarnationem secuta est propria communicatio idiomatum inter Deum, & hominem: est de fide, quam supponit S. Bon. *l.3.loc.cit.* Hæc autem consistit, ut ratione illius unionis divina, & humana natura omnia prædicata sibi mutuo communicent, & in concreto de eadem persona prædicentur; ratio est (ait Seraph. cum aliis Theologis) quia, quando duæ formæ, vel naturæ in eodem supposito realiter uniuntur, de eodem possunt verè prædicari, quod patet in formis accidentalibus, album est dulce, & econtra; sed in hoc mysterio duæ naturæ realiter uniuntur humana, & divina; ergo nomina significantia illius naturas in ordine ad suppositum verè prædicabuntur de illo supposito: addimus: ergo & de se invicem, quæ enim eadem sunt uni 3. eadem entitate sunt idem inter se, *l.3. d.7 q.1. corp.* N. quod dictum est, hanc communicationem fieri in concreto, non in abstracto, quia prædicatio in abstracto significat identitatem formalem, in concreto, nomina concreta significant quidem formam, sed ut in supposito, sic S. Bon. *l.1. d.4.q.1.corp.& d.5 q.1.& d.22.p.1.dub.3.* unde non potest dici Deitas est humanitas; unde prædicationes quæcumque in abstracto removentur, & ratio est, quia quæ sunt distincta, & separabilia inter se, non possunt de se invicem prædicari abstracta ob defectum identitatis formalis: Hinc sequitur 1. quod proprietates humanitatis nec in abstracto, nec in concreto possunt prædicari de Divinitate in abstracto sumpta, ut divinitas est homo, vel humanitas, ratio est, quia divinitas in abstracto, cum non supponat pro persona, significabit confusionem naturarum: 151

turarum. 2. Econtra divinitas in abstracto non prædicatur propriè de homine, ejusque proprietatibus ob rationem dictam. 4. Nec humanitas in abstracto potest prædicari de Deo ob eandem rationem.

Concl. 2. Deus, & ejus attributa simpliciter prædicantur de Christo, de homine substantialiter vera, & propria prædicatione, ut hic homo Christus est Deus omnipotens, &c. estque de fide; sicut & est de fide quidquid essentialiter prædicatur vel personaliter de Filio Dei absolutè, prædicatur de homine Christo; Christus enim est Deus.

Concl. 3. Divinitas, & attributa ejus non possunt prædicari de Christo homine denominativè denominatione accidentali. Est de fide, quia sic poneret tantùm unionem accidentalem cum Nestorio; unde hæc est falsa: Christus est homo deificatus, damnata in Concilio Ephesino, quia supponit hominem prius subsistentem sibi unire divinitatem.

Concl. 4. Divina attributa, licèt absolutè dicantur de homine, & econtra, quæ essentialiter dicuntur de homine, dicuntur de Deo, non specificativè cum reduplicatione humanitatis. Est de fide: Ratio primæ partis est, quia quæ essentialiter conveniunt personæ divinæ, competunt ratione unionis homini, & econtra: Ratio 2. partis est, quia reduplicatio facit prædicationem essentialem, & formalem, unde falsa est: Deus ut Deus est homo; & homo ut homo est Deus.

QUÆSTIO II.

An hæc propositio sit vera, propria, & formalis: Deus est Homo.

152 Resp. D. Bon. *d.1.q.1.* esse omnimodè veram istam propositionem, cum autem naturæ sint unitæ in uno supposito, ob idque de se invicem mutuò prædicantur secundum maximam Philos. quæ sunt eadem uni tertio, &c. ut supra dictum est, sed difficultas est circa modum prædicandi, quia diversa sunt placita Theologorum, cum alii dicant, hanc prædicationem mutuam non fieri in recto, sed in obliquo, nempe Deus est homo, idest habens humanitatem, quos S. Bon. refellit, quia proximum id est errori dicentium, Deum assumpsisse hominem veluti habitum: vide *d.6. a.2. q.4. corp.* præterea posset etiam sic dici: Deus est pes, idest habens pedem: Alii alios modos assignant, ut videri potest Gaud. *d.18. q.2.* S. D. respondet esse veram non prædicatione identica, neque per inhærentiam, neque causalitatem, sed prædicatione formali per unionem, & hoc quia nomina concreta supponuntur pro natura ipsa in supposito.

Objic. 1. Major est unitas divinarum Personarum, quàm naturarum in una Persona Christi; sed propter hanc unionem non potest dici: Pater est Filius, ergo à fortiori nec Deus est homo. R. Seraph. conced. majorem, & minorem, neg. conseq. & paritatem, vel distinguendo majorem: Major est unitas in natura divinarum Personarum quoad convenientiam in natura, concedo, in supposito, nego; & quia naturæ duæ conveniunt in supposito, ideo admittunt prædicationem duarum naturarum, prout in eodem supposito conveniunt, personæ autem divinæ possunt prædicari non secundùm id, in quo distinguuntur, sed secundùm id, in quo conveniunt, ut Pater est Deus, Filius est Deus, &c.

Objic. 2. Magis uniuntur ea, quæ in natura, & supposito uniuntur, quàm ea, quæ tantum in persona cum sua propria naturarum diversitate, sed anima, & corpus uniuntur ad unam personam, & tamen de se invicem non prædicantur: ergo nec Deus, & homo, quæ sunt diversissimæ naturæ. R. Seraph. neg. conseq. & paritatem: Ratio disparitatis est, quia corpus, & anima conveniunt in natura, & supposito tanquam partes constituentes totum, quarum non est prædicari de toto, cum singulæ non sint totum, neque pars est altera: Non sic divina, & humana natura, quæ uniuntur in supposito tanquam diversæ naturæ suppositatæ, & subjectæ uni supposito. 2. Quia anima, & caro sumuntur in abstractione, ideo non possunt prædicari de se invicem; Deus autem & homo sumuntur in concretione, & tali modo possunt prædicari in concreto.

Objic. 3. Ista prædicatio: Homo est Deus, aut est univoca nobis, aut æquivoca: non primum, quia non datur univocum Deo, & creaturæ maximè univocatione propria; nec 2. quia sic homo non spectaret ad genus humanum: ergo nullo modo. R. Seraph. non esse propriè, nec univocam, nec æquivocam: non univocam, quia licèt Christus ut homo conveniat univocè nobiscum, non tamen tali modo fit comparatio inter hominem, & Deum: nec æquivocam, quia, ly, homo, eodem modo sumitur in Christo, & in nobis: Est igitur prædicatio hæc singularis, nam licèt, ly, homo, compararetur ad Petrum, Paulum, &c. prædicatione essentiali, non tamen ad Deum, nisi in ratione personali, ob idq. & ob communicationem idiomatum, sic & resp. Scotus cum aliis, & Mastrio, *n.185.*

Objic. 4. Cum dicitur: Deus est homo, vel est prædicatio per se, vel per accidens; si per se, ergo dicitur de quolibet supposito: ergo & de Patre, & Spiritu S. si per accidens: ergo aliquid accidentale prædicatur de Deo: R. S. Bon. ommissis aliis modis dicendi aliorum, quos habebis apud Mastrium *n.184.* & Gaud. hanc prædicationem non esse propriè per se, cum prædicatum non sit de essentia subjecti, nec includat præpositio causam inhærentiæ ipsius prædicati; nec esse per accidens, quia nititur unione substantiali, sed esse per unionem, qui modus est incognitus Philosophis, & singularis; posset tamen aliquo modo dici per se, quatenus divina natura comparatur ad divinam Personam, in qua est unio, de qua per se prædicatur; potest & dici per accidens, quia licèt unitur substantialiter natura humana personæ Verbi, tamen quia non procedit talis unio ex natura earumdem naturarum, sed gratuita Dei voluntate, hinc cum possit abesse, dicitur per accidens in hoc sensu, &c. vide ibid. S. Bon. *ubi habet plura alia recondita.*

QUÆSTIO III.

An hæc propositio sit vera: Deus factus est homo, & alia: Homo factus est Deus?

Resp. 1. S. Bon. *d.7. q.2.* quòd, ly, factus, in 153
quocumque sensu est vera, nempe si cadat factio super totum; sicque est sensus: Deus factus est, idest, factum est, ut Deus esset homo; si verò cadat factio super alterum extremum absolutè, scilicet super, ly, homo, tunc est sensus: Deus factus est homo; idest Deus est homo, qui factus est, & productus de novo; & hæc vera est; si verò factio cadat super idem extremum per comparationem ad aliud;

aliud, tunc sensus est: Deus factus est homo, idest Deus fecit se hominem per assumptionem humanitatis, sicut homo facit se doctum per acquisitionem doctrinæ, & hic sensus etiam verus: primus quidem modus est verus secundùm sensum communem, non verò de rigore sermonis, cum, ly, factus, sit participativum adjectivum, obidque ponat rem, & significationem non super totum copulatum, sed, vel, circa subjectum, vel circa prædicatum. 2. sensus est quidem verus, sed, cum aliqua improprietate, cum, ly, factus, de ratione termini dicat productionem prædicati, & tamen in hac unione præsupponitur humanitas producta. 3. verò sensus est proprius, dummodo sit sensus: quòd, ly, factus, non dicat mutationem in utroque extremo, sed tantùm in prædicato; ly, factus, enim tria importat, scilicet antecessionem ex parte subjecti, inceptionem ex parte prædicati, & transmutationem ex parte utriusque extremi: hic autem adest solùm ex parte prædicati, & ex parte utriusque solùm unio; sicque subjectum dicitur suppositum naturæ factæ: objectiones in contrarium habebis solutas in textu, &c.

Quoad aliam partem tituli: an possit dici: Homo factus est Deus. R. Seraph. *ibid. q.* 3. hanc propositionem ex vi sermonis esse falsam; idque contra Scotum, Gabrielem, aliosque. Ratio Seraph. D. est, quia, ly, factus, præsupponit vel tempore, vel natura, id, quod dicitur factus, sed homo non præcedit ullo modo assumptionem, & factionem, ergo, &c. Dices, præcedit natura humanitas; contra si præcedit humanitas, non tamen homo, per quem terminum significatur natura in supposito, & ideo non potest dici præcessisse. Addit tamen Seraph. Doct. quòd ista locutio cum aliqua improprietate potest sumi, quatenus scilicet, ly, factus, ponit rem, & significationem suam circa totum, ut sensus sit: homo factus est Deus, idest factum est, ut homo esset Deus, & tali pacto exponenda sunt dicta Doctorum, si alicubi legantur tali modo: Nota autem, quod S. Doct. a. 2. hujus 7. d. tractat, quomodo Christus possit dici prædestinatus, & in quo sensu nequaquam, quæ quia clara sunt, ommittenda duximus, *& sequenti dist.* 8. agit, quomodo Christus possit dici natus de Virgine Maria, tum ratione divinæ naturæ, tum humanæ, ad quam pariter remittimus Lectorem ad vitandam prolixitatem nimiam, cum hæc omnia sint de se clara in textu Seraphico.

QVÆSTIO IV.

An Christus possit dici bis natus; & an secundùm utramque nativitatem dicatur Filius naturalis Patris, & Mariæ? S. Bon. *dist.* 8. *art.* 2. *per totum.*

154 AD primam partem tituli, an possit dici bis natus. R. S.Bon. quòd actus numeratur vel ad numerationem subjecti, vel durationis, & temporis, vel termini, quando scilicet multiplicatur subjectum, vel tempus, vel terminus productus; cum autem nativitas æterna Verbi mensuretur æternitate, temporalis tempore, sequitur, quòd verè potest dici Christus bis natus, scilicet ab æterno, & in tempore, ex variatione enim mensurarum, multiplicantur actiones, sic aliquis dicitur bis comedisse ob comestionem multiplicatam in diversis temporibus, tùm quia actio geminata geminat passionem, ergo, &c.

Objic. Bis natus dicit consimilis actus generationem, sed generatio æterna, & temporalis non sunt consimiles, ergo nec multiplicari possunt per comparationem inter se. R. S.Bon. convenire analogicè, & hoc sufficit, sicut enim alia est generatio æterna, alia temporalis, & multiplicatur, sic & actus: Vide ibidem alias objectiones solutas, quæ claræ sunt. Ad 2. partem Tituli. R. D. Bon. quòd sicut Christus dicitur Filius naturalis Patris, ita & Matris: ratio evidens est, quia generatio Filii est productio viventis à natura similis secundùm speciem athomam, at Christus fuit per generationem naturalem similis in natura Matri, ergo, &c. objectionum solutiones vide apud Seraph. quæ sunt facillimæ.

QUÆSTIO V.

An in Christo sint duæ Relationes Filiationis.

SCotus asserit esse duas relationes. D. Thomas, 155 esse unam tantùm, pro hac Thomistica communiter citatur etiam Seraph. *d.* 8. *art.* 2. *q.* 3. & præcipuè à P. Gaud. sed immeritò, licèt enim non stet præcisè cum Scoti opinione, nec etiam stat cum Thomistica: pro cujus solutione, advertendum, quòd ista quæstio pendet ex illa logicali, an multiplicatis terminis relativis, multiplicentur & relationes, ut si Pater habeat duos Filios, habeat etiam duas relationes: Seraph. hìc notat, quòd Filiatio, cum sit relatio, ordinem habet ad tria: primo ad subjectum, in quo est. 2. ad terminum, ad quem est. 3. ad principium, à quo est; multiplicatio autem relationum secundùm rationem formalem, & specificam causatur à principio, à quo est, sic Paternitas, & dominium in eodem subjecto sunt duæ relationes differentes specie, quia earum principia sunt diversa specie, & secundùm hanc rationem licèt unum sit subjectum, tamen relationes sunt duæ: multiplicatio autem numerica, & individualis ejusdem speciei non venit principaliter ratione ejus, à quo est, nec ratione termini ad quem, sed ratione subjecti, in quo est. Et quia proprietas subjecti numerari habet ratione suppositi, & cum subjectum Filiationis sit ipsa persona, non natura, nisi ratione personæ, hinc in Christo, cum sit una persona, ideò non possunt esse plures Filiationes: Addit autem *ibidem ad* 2. Seraph. quòd si correlativum dependet dependentia essentiali ab uno termino, superaddito alio termino, dependebit dependentia accidentali, quia desinente uno, remanet adhuc relatio in altero; unde quando quis generat post primum filium secũdum, non nascitur in eo nova paternitas, sed primæ paternitati innascitur novus respectus, quia fit Pater plurium, quàm priùs esset, addit in fine ad ultim. quòd innascitur diversitas respectuum secundùm rationem: secundum rationem voco, quæ solum est secundum respectum, & comparationem. Ex quibus patet, Seraph. Doct. negare multiplicationem relationum in Christo comparatam ad personã, quæ est unica; admittere autem multiplicationem respectuum non essentialium, cum per primam essentialiter sit Pater naturalis, sed accidentalium ratione plurium naturarum, quæ sunt termini diversarum generationum. Hinc. R. quod Christus est Filius naturalis secundùm utramque nativitatem temporalem, & æternam, habens unicam relationem essentialem ratione unius personæ, & multiplicem ratione termini mediati: prima pars prob. quia Filiatio dominat personam propriè, non naturam, tum quia si multiplicarentur proprietates, multiplicaren-

tur & subjecta, sic duæ albedines faciunt duo alba, sed Christus non est Filius bis, & duo Filii, ergo, &c. 2. pars itidem prob. quia termini mediati sunt duo, natura divina, & humana; tùm quia ad generationem temporalem Christi natus est novus respectus in Christo ad matrem, ergo, &c. tum quia Filiatio temporalis inhæsivè non est in persona, sed tantùm denominativè, sed in natura humana, ergo sunt ibi diversa subjecta, & tali pacto salvatur conciliatio utriusque sententiæ: *Vide quæ à nobis tradita sunt in Logica cap. de Relatione in quæst. 6. præcipuè ad num. 512.*

QUÆSTIO VI.

An Christus possit dici Filius adoptivus, & Creatura.

156 AD primam partem tituli. R. S. Bon. *d.* 10. *a.* 2. *q.* 1. quòd cum ad adoptionem essentialiter requiratur extraneitas, & ponatur gratificatio, & ordinatio ad jus hæreditatis, & cum Filiatio respiciat personam, quæ est Filius Dei naturalis, hinc sequitur, quòd non potest admitti hæc propositio sive absolutè prolata, sive cum determinatione: Christus est Filius adoptivus, nec etiam secundùm humanam naturam: ratio est, quia abest ab eo extraneitas, & carentia Filiationis, extraneus autem est prius non Filius, non Filius autem dicitur vel negativè, vel contrariè: negativè dicitur, qui non habet Filiationem Dei: contrariè, & privativè dicitur, qui habet oppositam Filiationem, scilicet Diaboli, & dicitur Filius iræ; & cum persona Christi nullo istorum modorum, etiam secundùm naturam assumptam habuerit extraneitatem, quia nec peccatum habuit, nec habere potuit; ideò, &c. quod tamen in ullo alio potest contingere.

Dices: Si Christus est Filius Dei naturalis, non adoptivus, aut secundùm quod homo, an non? Si non; cum cæteri sint Filii adoptivi, ergo sunt Filii majoris dignitatis; si secundùm quod homo est Filius, ergo vel naturalis, vel adoptivus, sed non naturalis, quia non est ejusdem naturæ cum Deo, ergo adoptivus. Resp. S Bon. quod Christus secundùm quod homo est Filius Dei, & hoc per gratiam unionis, non adoptionis; gratia enim unionis est multò excellentior, & facit communicare filiationem naturalem, nec subjecta est imperfectioni, aut consumptioni, sicut gratia adoptionis; & quia ob talem unionem deficit Christo extraneitas, hinc & filiatio adoptiva. Not. quod S. Bon. hîc *q.* 2. *&* 3. Addit: per Christum in nos descendere filiationem adoptivam, tamquàm per causam meritoriam & dispositivam, licèt effectivè sit à tota Trinitate, ut discamus, quantùm debeamus nostro Capiti Christo. Ad 2. partem tituli. R. S. Bon. *d.* 11 *art.* 1. *q.* 1. *& d.* 4. *q* 3. *ad arg.* quòd licèt in aliquo sensu possit admitti talis propositio cum determinatione, tamen quia nomen creaturæ cadit super totum esse subjecti, creatio enim dicit totum esse subjecti, nec ex vi termini præsupponit, vel involuit unionem hypostaticam, ideò non rectè potest attribui absolutè Christo hoc nomen, sic enim daretur ansa Arianis, & Hæreticis ablegandi productionem, & generationem æternam divinam à Christo.

QVÆSTIO VII.

De Defectibus à Christo assumptis.

An congruum fuit in Christo reperiri defectus. S Bon. *l.* 3. *d.* 15 *q.* 1. *ubi de defectibus Corporis.*

CUm in hoc maximè eluxerit humanitas Christi nostri Domini, quod quadam veluti 157
æmulatione mortalis nostri Corporis defectus in se transtulerit, ut immortalitatem ei tribueret; hinc in hac quæstione explicandum est, quali congruitate Christus assumpserit defectus, & quales, & quomodo.

Suppon. 1. tamquàm de fide, Christum assumpsisse corpus passibile verè, non apparenter, ut docent plures Hæretici; de quibus Bellarm. *tom.* 1. *l.* 4. Medina, aliique, quo supposito disquirunt Theologi, an talis assumptio corporis passibilis fuerit necessaria ad redemptionem. S. Bon. *d.* 16. *art.* 1. *q.* 3. eam resolvit dicens, primò Christum assumpsisse defectum patiendi, seu passibilitatem, quatenus assumpsit corpus tali compactum compositione, ut naturaliter esset obnoxium passionibus, sicque assumens tale corpus, assumpsit & necessitatem patiendi, & ita oblatis, & applicatis causis dolorum, passionumque potuit corpus Christi non pati. Addit tamen, quòd talis necessitas aliter est in nobis, & aliter in Christo; nam talis necessitas comparari potest primò ad causam. 2. ad subjectum. 3. ad virtutem corporis regitivam: ex parte causæ hæc necessitas provenit è duplici principio: alterum est compositio per se ex principiis. 2. est peccatum originale: Christus verò ex sola compositione corporis habuit hanc necessitatem. 2. ex parte subjecti adest in nobis necessitas, tùm ex parte naturæ, tùm ex parte personæ originantis à natura, in Christo adfuit tantùm ex parte naturæ, non personæ. 3. ex parte regitivæ potentiæ provenit necessitas in nobis, tùm ex parte naturæ, tùm voluntatis, & neutra potest impedire in nobis passiones: in Christo verò fuit solùm respectu virtutis naturæ, non voluntatis, quia voluntariè acceptavit omnes istas passiones, quas potuisset etiam vitare, si voluisset. Hinc ait Seraph. D. quòd Christus quasi medium tenuit inter naturam institutam, & infectam, nam in statu innocentiæ tàm natura, quàm voluntas superior erat passioni; in nobis utraque subjecta est: In Christo quidem natura assumpta subjacebat passioni, sed voluntas præsidebat, quia passus est, quia ipse voluit.

Not. 2. quòd pœna alio modo est in nobis, alio 158
in Christo: in nobis enim dicitur contracta ex concursu duorum tracta nempè ex lege propagationis, & lege concupiscentiæ; in Christo verò neutro modo, scilicet non secundùm legem propagationis naturæ, nec secundùm corruptionem libidinis, quia Spiritus sanctus adveniens in Virginem, ipsam fœcundavit, carnem sanctificavit, & purificavit ab omni fœditate corruptionis, passibilitatem tamen relinquendo, & ex tali carne Filius Dei sibi immaculatum corpus ædificavit, ipsum sibi uniendo cum anima rationali, unde sicùt immunitatem habuit à culpa, sic & debebat habere à passibilitate miseriæ, sed tamen ex dispensatione ipsius assumentis, concurrente simul acceptatione illius animæ rationalis, quæ in primo instanti creationis habuit usum cognitionis, & libertatis, ideo placuit

placuit sibi tali corpori uniri propter salutem humani generis, hinc tales defectus fuerunt in Christo non necessitate generationis, sed dispensationis volitæ voluntate, inquam, divina præveniente, & voluntate carnem concomitante, sicque tales defectus fuerunt à voluntate divina non tamquam infligente de novo, sed tamquam à relinquente, & acceptante voluntatem animæ, cum in ejus potestate, & arbitrio esset defectus illos excludere, hinc patet, quod tales defectus, & passibilitates dependerunt à voluntate humana Christi in principio Conceptionis, quos quia acceptavit, ideo voluntate libera eos fecit sibi necessarios; sic S. Bon. *l.* 3. *d.* 16. *art.* 2. *q.* 3. *d.* 15. *art.* 1. *q.* 3.

159 Not. 3. quòd in Christo fuit passio, & propassio: passio autem est naturæ; propassio est passio diminuta, hæcque sistitur infra rationem, ut ratio est, ob idque dicit passionem partis sensitivæ, vel virtutis naturalis: differt autem propassio in Christo, & in nobis; nam in Christo subjecta fuit rationi, sensualitas enim movetur præter judicium rationis, & ideo est subitus motus præveniens rationem, sed in Christo fuit omnis operatio sensitivæ partis semper perfectissimè subjecta rationi, & imperio voluntatis; sic S. Bon. *l.* 3. *dist.* 15. *dub.* 4. & *d.* 16. *art.* 2. *q.* 1. *ad ult.*

Not. 4. quòd ex unione hypostatica ut ex radice pullulatæ sunt multæ perfectiones supernaturales in Christi humanitate, tum spirituales in anima, tum corporales in corpore, quarum tamen aliquæ fuerunt suspensæ à Deo, ut dotes corporis gloriosi, quæ debebantur corpori ob gloriam animæ, impassibilitas, immortalitas. Pullularunt etiam aliæ perfectiones naturales in corpore, importantes excellentiam, ut pulchritudo, fuit enim omnium hominum pulcherrimus, temperamentum optimum, sanitas perfectissima; sic S. Bon. *l.* 3. *d.* 16. *art.* 1. *q.* 2. *corp.* & *Brevil. p.* 4. *cap.* 9. & *Centil. p.* 3. *ser.* 31. & *specul. B Virg. cap.* 16. *l.* 4. *d.* 44. *p.* 1. *dub.* 3.

160 Concl. 1. valdè congruum fuit, Christum assumere naturam nostram cum defectibus, & passibilitatibus. Est communis inter Theologos, & de fide, ex S. Bon. *lib.* 3. *d.* 15. *q.* 1. & habetur ex pluribus textibus sacræ Script. quos idem Seraph. citat: congruitas autem hæc prob. triplici ratione: primo propter prætium nostræ salutis: cum enim decretata fuisset redemptio nostra effusione prætiosi sanguinis Filii Dei complenda, ideò requirebatur natura deficiens, & passibilis; ergo congruum fuit, ut assumeret defectus nostros. 2. ob exemplum virtutum specialissimæ humilitatis, patientiæ, & pietatis, quibus mediantibus pervenitur in Cælum, & in quibus voluit Christus, nos sui imitatores. 3. ob fulcimentum nostræ fragilitatis, ob quam natura rationalis habet in se difficultatem ad credendum vera, & irascibilis ad sperandum ardua, & concupiscibilis ad amandum bona; ideò voluit in se assumere istas pænalitates, ut ostenderet virtutem assumptæ carnis, & nobis præberet simul fulcimentum.

Objic. 1. Summæ justitiæ repugnat injustitia, & summæ potentiæ fragilitas, ergo & in Christo. R. repugnare divinæ naturæ, non humanæ, in qua infirmitas, maximè sine culpa, potest esse materia exercendæ virtutis, maximè in perpensione terribilium. Objic. 2. Sicut culpa sine pæna subsequente affert inordinationem, sic & pæna sine culpa, ergo in Christo, &c. R. Seraph. distinguendo de pæna, alia est de necessitate inflicta, & hæc est inordinata sine culpa, alia est voluntate assumpta, & hæc est ordinata, sive existente culpa antecedente, sivè non; in Christo fuit voluntariè assumpta prò reparanda natura humana.

Objic. 3. infirmitates spirituales, & corporales curantur per contraria; ergo magis debuit curari nostra infirmitas per fortitudinem, quàm per debilitatem. R. S. Doctor, quòd contraria contrariis curantur, si fiat comparatio Medicinæ ad causam, & principium ægritudinis, & sic ad curandam infirmitatem dilectionis inordinatæ ob æsum vetiti ligni, inflictæ sunt infirmitates, sic eas Christus assumpsit ob hunc finem; tum etiam quia medicina prævia ad curationem spiritualem est gratia, sed proxima est dolor, & pæna; dolor enim dolore curatur. Objic. 4. Christus venit ad vincendum Diabolum; ergo non debuit assumere media improportionata, ut sunt passibilitas, debilitas, humilitas, &c. R. Seraph. id esse verum si sumitur pugna, & victoria secundùm virtutem naturalem, non verò secundùm moralem, in ordine ad Diabolum, & peccatum.

Concl. 2. Christus assumpsit defectus omnes naturales respicientes, & consequentes naturam, non autem personales, nec illos, qui sunt ex culpa, & ad culpam, ut est pronitas ad malum, difficultas ad bonum. Est S. Bon. citati, *q.* 2. & communis contra Hæreticos; Prima pars probatur, quia defectus naturales, qui respiciunt totam naturam humanam universaliter, ut fames, sitis, fatigatio, & consimiles faciunt ad ostendendam veritatem carnis assumptæ; ergo congruum fuit illos assumere. 2. pars prob. quia defectus personales respiciunt, non totam naturam humanam, sed aliquas personas particulares; ergo solùm debuit assumere eos, qui communes sunt toti naturæ humanæ, alii autem nequaquàm, ut sunt ægritudines, morbi, deformitas, claudicatio, cæcitas, & consimiles. Prob. 3. pars, quia Christus fuit minister justitiæ segregatus omnino à peccato; ergo non debuit assumere eos defectus, qui ex culpa sunt, vel ad culpam. 161

Objic. 1. ex Damasceno dicente: totus me assumpsit, ut totum me curaret, aut toti mihi salutem gratificaret; ergo si venit totum me curare, debuit & assumere omnes defectus; confirmatur, quia quod fuit inassumpsibile, fuit & incurabile; ergo si aliqui defectus non fuerunt assumpti, ut morbi, fuerunt & incurabiles: Et iterùm confirmatur, quia magis magnificaretur ejus misericordia, & humilitas; ergo, &c. R. S. Doct. quod totum assumpsit, ut totum curaret est verum de natura, & do iis, quæ sunt de constitutione naturæ, & ob id curavit animam, non morbos; morbus enim non curatur, sed natura: ad id de misericordiæ ostensione. R. quòd ista ostensio debet esse cum rectitudine justitiæ, & ordine sapientiæ, ob idque ordinata ad nostrum profectum, qui potiùs impeditus fuisset per aliquos defectus, ut sunt morbi, cæcitas, &c. Ad aliud de humilitate. R. quod debet esse cum discretione rationis, obidque debuit vitare eos defectus, qui potiùs inutilem possent reddere, &c.

Q. *An si Christus ferrò non fuisset occisus, an tandem mortuus esset, cum in eo non possit esse morbus.* R. 162 affirmativè, esset tandem senio confectus mortuus, ex indigentia cibi, ut evenit etiam in nobis ex deperditione humidi radicalis, talis enim successio est propria naturæ humanæ.

Concl. 3. Defectus, qui fuerunt in Christo, non fuerunt in eo necessitate generationis, sed voluntate dispensationis, voluntate Divina præve-

niente, & voluntate creata concomitante, & acceptante. Est communis etiam Theologorum omnium cum Seraph. D. *dist.* 15. *art.* 1. *q.* 3. *& d* 16. *art.* 1. *q.* 3. Prima pars patet, quia Christi Conceptio non fuit per propagationem naturæ corruptæ, & corruptionem concupiscentiæ, ergo, &c. 2. pars etiam patet, quia ad ipsam concurrit etiam Spiritus S. operans conceptionem, & voluntas Animæ in instanti unionis existentis in suo actu; ut dictum est supra in fundam. ergo, &c.

Objic. 1. Deus non fecit mortem, ex Sap. c. 1. ergo nec istos defectus ordinatos ad mortem: tùm quia defectus non habent causam efficientem, sed deficientem; ergo non potuerunt esse à voluntate assumentis; ergo ex conditione naturæ. R. ex S. Bon. carnem habere in se principium mortalitatis, quod à Deo non fuit inflictum, sed relictum, & ablatum: & ad aliud: Deus non fecit istos defectus, sed reliquit, concurrente voluntate assumentis, & animæ Christi.

Objic. 2. isti defectus fuerunt à naturæ propagatione in Matre; ergo & in Filio, qui productus est similis in natura. R. S. Bon. neg. paritatem de Matre, & Filio; sed ego respondeo, quòd & in Matre, & in Filio adfuerunt ex dispensatione divina, licèt Christi Anima voluntariè ipsos assumpserit; Mariæ verò fuerunt dati ob conditionem puram naturæ non ex fœditate contracta, cum fuerit præservata, ut aliàs dictum est.

163 Concl. 4. In Christo fuit appetitus naturalis ad sensibile bonum, sed tamen subjectus rationi, non verò fomes concupiscentiæ: patet ex traditis, quia appetitus sensitivus est de ratione constitutiva humanæ naturæ, fomes verò est à peccato, & ad peccatum.

Concl. 5. In Christo fuit vera passio doloris, & hæc acerbissima: est communis, est S. Bon. *l.* 3. *d.* 16. *q.* 1. *&* 2. contrà aliquos hæreticos, & Lutherum præcipuè id negantes. Prob. 1. pars: In Christo fuit vera causa doloris, & passionis, nempè caro passibilis, & perforabilis, & virtus sensitiva læsionis; ergo, &c. alioquin seductor fictus fuisset; idque testantur sacræ Script. Prob. 2. pars de acerbitate doloris, tum ex causa passionis, tum ex modo, tùm ex conditione patientis: ex causa, quia patiebatur pro culpa, non propria, sed aliena, & hoc non pro amicis solùm, sed & pro inimicis, & ingratis: Ex modo patiendi, quia passio fuit universalis in omnibus membris, & continua in nervis, in musculis, & in toto corpore: ex conditione patientis, ob maximam, & perfectissimam complexionem, & sensus vivacitatem: *Vide S. Bon. cit.* hæc sæpissimè differentem.

Q. hic: *Qualis fuerit sensus D. Hilarii lib. de Trinitate dicentis:* Virtus corporis, sine sensu pœnæ vim pœnæ in se desevientem excepit; ergo cum dolor sensus non sit sine sensu pœnæ, videtur, quòd Hilarius sentiat cum Hæreticis? R. Seraph. se audivisse Gulielmum Episcopum Parisiensem referentem, se vidisse, & perlegi se retractionis hujus librum; attamen quia non invenitur, & Ecclesia profitetur opera D. Hilarii percurri inoffenso pede, dicendum est, Hilarium intelligi debere se negare sensum doloris quoad divinam naturam, quia scribebat contra Arium, qui asserebat, Christum secundùm se totum passum fuisse; potest & exponi, quòd non negaverit verum dolorem in Christo, sed causam doloris.

QUÆSTIO VIII.

De Defectibus Animæ Christi.

NOt. 1. quòd defectus Animæ ad duo capita reduci habent; primo ad essentiam Animæ. 2. ad potentias: quoad essentiam Animæ defectus sunt peccatum, & potentia peccandi: quoad potentias, scilicet quoad voluntatem sunt appetitus sensitivus, de quo suprà actum est, & rationalis; item fomes, concupiscentia, amor, dilectio, fuga, timor, tristitia, spes, audacia, desperatio, & quoad intellectum ignorantia, de quibus omnibus breviter est discurrendum. 164

Concl. 1. In Christo non fuit peccatum, nec de possibili etiam ex Dei potentia absoluta: est D. Bon. *d.* 12. *art.* 2. *q.* 1. *&* 2. Prob. prima pars, tum ratione plenitudinis gratiæ, & in gratia confirmationis, tum ratione consummationis gloriæ, quæ in ipso fuit in primo instanti Conceptionis; tum ratione unionis hypostaticè; ergo nullo modo potuit peccare; prob. 2. pars, quia unio hypostatica habet repugnantiam formalem cum peccato ex supradictis, ergo, &c.

Objic. in Eccles. 31. laudatur Justus, qui potuit, & non est transgressus, sed omnis laus possibilis debet Christo attribui; ergo & ista. Et confirmatur ex D. Augustino, quòd meliores judicavit Deus homines, si liberaliter ei servirent; tum ex D. Bernardo, qui dicit, Deum descendisse quantùm potuit; ergo & descendit ad hunc inferiorem gradum, quo potest peccari. R. D. Bon. quòd non omnis laus Christo est attribuenda, scilicet quæ fert secum imperfectionem, ut ista; tùm quia iste textus potest Christo attribui ratione membrorum; ad D. August. R. quòd illa auctoritas loquitur de toto genere hominum in ordine universitatis, quia decebat, ut in hac universitate esset habens vertibilitatem voluntatis, sed Christus ob unionem erat super homines, & speciali privilegio præditus. Ad aliud D. Bernardi resp. decuisse Deum descendere quantùm potuit ordinatè ad miseriam, non ad culpam, vel in actu, vel in habitu.

Objic. 2. Christus erat in statu Viatoris; ergo & in statu peccandi. R. S Bon. quòd Christus assumpsit aliquid de omni statu hominum, scilicet de statu innocentiæ ante peccatum, de statu post peccatum assumpsit pœnam, de statu comprehensoris assumpsit impossibilitatem peccandi, cum igitur Christus non esset purus viator, idcò non poterat peccare.

Objic. 3. Christus potuit dicere aliquam locutionem negativam; ergo & affirmativam illi oppositam; ergo falsam. R. Seraph. quòd aliud est posse dicere locutionem falsam, aliud ipsam asserere ut veram, primum potuit, non secundum.

Q. *An in Christo fuerit potentia peccandi.* R. esse maximam controversiam inter Thomistas, & Scotistas, quæ tamen est potiùs de nomine, ut ostendit Seraph. hîc dicens, quòd potentia peccandi potest sumi pro ipsa voluntate, qua peccatur; & hæc fuit in Christo; potest sumi pro facultate mediante inter potentiam voluntatis, & actum peccandi, quatenus potest exire in actum secundum, & hæc non fuit in Christo, talis enim ordinatio diminuit de plenitudine libertatis, obidque in Christo fuit indigna.

Q. *An in Christo fuerit fomes peccati.* R. ex Seraph. *dist.* 3. *p.* 1. *dub.* 1. *& art.* 2. *q.* 1. negativè, dicit enim habitualem inclinationem appetitus sensitivi

ſitivi ad aliquid contrà rationem, ideóq. dicitur fomentum ad malum, viaque ad illud, hocque eſſet indecens Chriſto, ut advertit *d.15. q 2.*

165 Concl. 2. In Chriſto non fuit ignorantia: Eſt communis cum S. Bon. *d.15. art.2. q.1.* iſta enim fuit indecens ipſi Chriſto, & nobis non erat expediens; indecens Chriſto, quia debuit eſſe deiformis ob unionem hypoſtaticam; ergo repletus luce ſapientiæ, & rectitudine juſtitiæ; nobis non fuit expediens, quia nos debebat redimere, & dirigere; ergo ſi habuiſſet ignorantiam, neſciret nos redimere, nec dirigere: vide textum D. Bon. qui eſt clariſſimus.

Q. *An in ipſo fuerit admiratio vera.* R. non fuiſſe admirationem illam, quæ oritur ex ignorantia cauſæ, atque adeò eſt effectus ſciendi cauſam viſo effectu: poſſe tamen admitti in ipſo Chriſto illam, quæ oritur non ex ignorantia, ſed ex cognitione rei magnæ, & ſingularis, ſivè ſit magna reſpectu cognoſcentis, ſivè in ordine ad alios; in Chriſto autem potuit evenire aliquis novus effectus ipſi ſcientiæ experimentali, licèt priùs fuerit cognitus per ſcientiam infuſam; ſic Theologi plures cum Lugo *d.22. ſer.4. num.44.*

166 Concl. 3. In Chriſto fuit triſtitia vera: eſt de fide ex Matth. *cap.26. triſtis eſt anima mea, &c.* notat tamen Seraph. *diſt.15. art.2. q 2.* quòd triſtitia alia eſt, quæ eſt præter rationis imperium, éſtque ea, quæ oritur ex ſubreptione, ſicut motus primi, eſtque communis omnibus bonis, & malis; alia, quæ eſt contrà rationis imperium rectum, in qua ratio ſubjicitur ſenſualitati, per quam non ſolùm turbatur, ſed & perturbatur, & inordinatur; turbari enim eſt experiri naturaliter paſſionem, perturbari eſt ſubjici paſſioni rationem. S. Bon. *diſt.16. art.1. p.1. ad ult.* alia eſt, quæ ſubjicitur imperio rationis, & judicio dictante, & ſuadente tantùm, & taliter ſuprà aliquo debere triſtari; in Chriſto autem non fuit triſtitia primo, nec ſecundo modo; ſed tertio tantùm, ſic etiam notavit Evangeliſta Joan. 11. *Jeſus infremuit Spiritu, & turbavit ſe ipſum;* talis enim triſtitia eſt virtuoſa, & meritoria, ſic enim amabat gloriam Dei, converſionem peccatorum, & triſtabatur de oppoſito: Hinc etiam ſequitur in Chriſto fuiſſe timorem tum in appetitu ſenſitivo, tùm in rationali, quia timor naturaliter oritur ex appræhenſione mali futuri, ſicut triſtitia de malo præſente, undè ex triſtitia, & timore ſudavit ſanguinem in horto, taliſque timor fuit ſimplex fuga naturalis voluntatis non efficax, quia non quæſivit media ad evadendum malum. Sequitur etiam fuiſſe in Chriſto iram, quatenùs importat deteſtationem mali cum inquietatione, & perturbatione partis ſenſualis ſine aliqua perturbatione rationis, & mentis; hæc enim perturbatio rationis tranſit in vitium: in Sanctis verò erat aliquando etiam cum perturbatione mentis ad tempus moderatum tamen: *Vide D. Bon. cit. quæſt.3.* ſequitur tandem in Chriſto fuiſſe alias voluntatis affectiones, amorem odium, fugam, delectationem, deſiderium, & ſpem, in ordine tamen ad bonum, non ad malum, ut ſæpè in nobis accidit.

QUÆSTIO IX.

An Chriſtus paſſus fuerit ſecundùm rationem, aut ſecundùm ſenſualitatem.

PRo explicatione tituli not. ex S. Bon. *lib.3 d.16. art.2. q.1. & 2.* quòd dolor duplex eſt in anima; 167
unus qui ineſt animæ ſecundùm ſe; alius qui ineſt Animæ ex carne: primus eſt ipſa paſſio, ſeu compaſſio inexiſtens in voluntate rationali procedens ex conſideratione rationis. v.g. compaſſio Animæ, & dolor Chriſti prò peccatis noſtris: ſecundus eſt animæ ex naturali appetitu, & inclinatione ad corpus, quatenùs eſt perfectio corporis, ex qua inclinatione, & conjunctione oritur vel dilectio, vel compaſſio. Not. tamen ulteriùs, quòd ratio poteſt conſiderari, ut ſimpliciter eſt ratio, vel ut natura; ſi conſideretur ut ratio, tunc paſſiones, quæ ei attribuuntur ſunt conſequentes ipſam deliberationem, & voluntatem; ſi ut natura, tunc paſſiones conſequentur ipſam ut naturam, ut eſt forma corporis: primæ non neceſſariò conſequuntur, cum ſubjaceant rationi, undè poteſt quis pati, ſimulque gratulari, & gaudere de tali paſſione.

Not. 2. ex S. Bon. *l.2. d.24. p.1. a.2. q.1. 2. & 3. l.3. d.16. q.1. ad ult.* quòd communiter dividitur paſſio Animæ in ſuperiorem, & inferiorem, non tanquam in diverſas potentias, ſed quatenus eadem Anima exercet diverſa officia, & diverſos aſpectus in diverſa objecta; nam dicitur ſuperior, quatenùs convertitur ad ſuperiora, ſcilicet ad Deum, & ad leges æternas, ſimulque quatenùs regit omnes inferiores potentias; dicitur verò inferior, quatenùs ad hæc inferiora, & creata convertitur, & ad ſenſibilitatem, & carnem. Hinc Anima Chriſti dum ad corpus ſe convertebat, ſentiebat dolorem, dùm ad Deum clarè viſum, gaudebat: Hinc oritur quæſtio, an Chriſtus, non ſolùm ſecundùm inferiorem, ſed etiam ſecundùm portionem ſuperiorem rationis patiebatur, & an magis, an minus in altera ipſarum.

Not. 3. ex eodem Seraph. *l.3. d.16. a.2. q.1.* quòd ſupponenda ſunt tria, quæ ſunt vera, & communiter omnium Theologorum: primum eſt, quod gaudium fruitionis, & dolor paſſionis in Chriſto non ſunt affectiones contrariæ, quia non ſunt reſpectu ejuſdem, nec omnino inſunt eidem eodem modo, ſed unum ineſt per ſe, aliud per accidens, quia gaudium ineſt propter conjunctionem gratuitam ipſius cum Deitate; dolor verò propter naturalem conjunctionem ipſius cum carne. 2. quòd gaudium, & dolor, non ſolùm non ſunt contraria, ſed unum eſt materiale reſpectu alterius, ideóq. ſimul ineſſe eidem potuerunt: ſic etiam pænitens dolet, & de dolore gaudet; ſic Chriſtus in Anima compatiebatur corpori patienti, ſimulq. de illa paſſione gaudebat. 3. quòd Chriſtus erat ſimul Viator, & Compræhenſor, ità quòd viatoris cognitio non impediebat Compræhenſoris cognitionem, nec affectionem, nec è converſo.

Concl. 1. Chriſtus paſſus eſt non ſolùm ſecundùm ſenſualitatem, ſed etiam ſecundùm rationem: 168
Eſt S. Bon. & communis Theologorum, & quia poteſt provenire paſſio dupliciter in Anima, primò à ſuo ſubjecto, ut viſio à lumine. 2. ratione ſubjecti, probat primò Seraph. ratione ſubjecti: anima patiebatur, patiente corpore, ex eo quòd ipſa eſt perfectio corporis; ſed anima eſt forma corporis ſe-

cundùm utramque rationem; ergo utroque modo passa est. Prob. 2 quia major est animæ conjunctio, & potentiarum ad invicem, quàm sit animæ ad corpus, & compatiente uno membro naturaliter, compatiuntur & reliqua; ergo si anima patitur, patiente corpore, & unum membrum, patiente alio, multò magis patiente una potentia, naturaliter compatiuntur, & reliquæ; ergo patiebatur & secundùm partem sensitivam, & secundùm rationalem. Pr. 3. ex objecto, quia Christus compatiebatur hominibus, & doluit de eorum peccatis, quatenùs erant eorumdem terminus; ergo & ad proportionem cognitionis rationalis etiam compatiebatur voluntas rationalis.

169 Concl. 2. Passio Christi non solùm stetit in parte sensitiva, nec tantùm pervenit ad rationem inferiorem, sed etiam se extendit usque ad superiorem portionem. Est S.Bon. *d.* 16. *art.* 2. *q.* 2. & communis inter Doctores. Prob. quia Christus assumpsit totum hominem, ut totum curaret, ergo & portionem superiorem, & inferiorem curavit, ergo etiam secundùm superiorem patiebatur: Tum quia culpa Adæ fuit in superiori parte rationis, in qua stat completa auversio; sed Christus sustinuit pænam pro culpa Adæ, ergò & pænam in portione superiori: tum quia plus jungitur ratio superior inferiori, quàm inferior sensualitati; sed ratio inferior patitur, patiente sensualitate; ergo & superior, patiente inferiori: Tum quia ratio superior unionem habet ad Deitatem, simulque ad carnem; sed per unionem ad deitatem habuit delectationem, ergo & debuit habere pænam ob unionem cum carne.

Objic. 1. ex Arist. de Anima: pars rationis nullius est partis corporis, & actus, ergo nec participat de pæna corporis. R. Aristotelem non negare unionem rationis cum corpore, sed intelligere, quòd ratio nullam partem determinatam, vel organum sibi determinat ad hoc ut exeat in actum suum; hinc non infertur ipsam non compati corpori, compassio enim non habet ortum ex determinato organo, sed ex conjunctione Animæ ad corpus.

Objic. 2. quod non corrumpitur ad corruptionem alterius, non patitur ad passionem alterius, quia passio est via ad corruptionem; sed Anima Christi secundùm portionem superiorem non poterat corrumpi; ergo nec pati, corpore patiente: & confirmatur, quia quòd non habet contrarium, vel aliquid superius non potest lædi ab aliquo agente; sed Anima Christi non habet contrarium, nec aliquid superius se ipsa; ergo nec potest pati, vel lædi. R. Seraph conced. majorem de passione objectiva per partis ademptionem, qualis est in corporibus; negando de passione, quæ dicit quietis, & pacis impedimentum; sic anima patitur in inferno; de qua passione, vide S.Bon. *l.* 2. *d.* 19. *q.* 1. *ad* 4. & *l.* 4. *d.* 44. *p.* 2. *art.* 3. *q.* 1 & 3. sic transeat minor, negatur conseq. & ad confirmat. resp. animam Christi non habuisse contrarium in se per se, sed per aliud sibi unitum, scilicet corpus.

Objic. 3. Nihil idem, secundùm idem gaudet, & patitur; sed Anima Christi gaudebat de passionibus ob redemptionem hominum, ergo non poterat pati. R. S.Bon. disting. majorem: nihil idem, secundùm idem gaudet, & patitur, quando est omnino secundùm idem, & eamdem rationem concedo, quando est secundùm diversam, nego; sic fuit in Christo; nam ratio, ut ratio gaudebat, ut natura est compatiebatur corpori, quæ sunt diversæ rationes, quas & in nobis frequenter experimur, istæ enim se habent, quòd unum est naturale respectu alterius, ut explicat *d.* 16. *art.* 2. *q.* 2. sic pænitens dolet de peccato, gaudet de dolore, sic conformans se in adversis voluntati divinæ secundùm naturam patitur, secundùm rationem gaudet, & id non est contra rationem perfectionis; aliud enim est turbari, aliud perturbari, & superari à passione: turbabatur ejus anima ut natura, sed subjiciebatur simul rationi absque perturbatione.

Objic. 4. Beatitudo opponitur miseriæ; sed anima Christi erat perfectè beata, ergo non poterat subjacere pænæ; nec enim magis opponuntur gratia, & peccatum, quàm beatitudo, & miseria, &c. R. S. Bon. *q.* 2. veram esse majorem secundùm legem communem, quæ importat unicum statum, sicut & status gratiæ, & peccati, falsam secundùm extraordinariam in Christo, qui erat in statu viatoris, & compræhensoris, & negatur conseq.

Objic. 5. superior portio distinguitur ab inferiori, quod illa convertitur ad superiora, ista ad inferiora; sed Christus nullam materiam habuit doloris à superiori, sed solùm ab infimo, ergo nullo modo poterat pati. R. S.Bon. ex traditis in fundamento, quòd portionis superioris actus principalis est converti ad superiora, sed cum hoc, etiam habet & regere inferiora, quæ sunt aliquo modo obaudibiles, & subjectæ rationi; & hac ratione cum habeat colligentiam, ut natura est, cum aliis potentiis, & cum ipso corpore ut perfectibili ab ipsa, hinc & habet pati, & compati cum ipso corpore.

Concl. 3. Christus majorem dolorem habuit in parte sensitiva secundùm unam rationem, & majorem in rationali, & portione superiori secundùm alium respectum: Est S.Bon. *ibid. q.* 3. Prob. & explicatur à Seraph. sublimissimè, & piissimè dicente: Christus habuit dolorem passionis, & dolorem compassionis intensissimum in supremo gradu secundùm diversas rationes: dolor passionis, & carnis primò attingebat animam secundùm partem sensitivam, & secundàriò secundùm alias vires, ut supra dictum est: dolor passionis primò erat in ratione, & ex ratione redundabat in partem sensitivam, unde utriusque erat continuus fluxus, & refluxus: sicut & in nobis experimur aliquando ratione nostra dolente, pro peccatis gemit sensualitas, & lachrymatur, multò magis Christus, cum ergo fit comparatio inter dolorem partis sensitivæ in Christo ad dolorem rationis, se habent tamquam excedens, & excessum, unde dolor passionis fuit major in parte sensitiva, quàm in rationali, & superiore, cum primò sensitivam dolor attingeret, & ex unione, & consequenter postea superiorem rationem: dolor verò compassionis, quo affligebatur Christus interiùs ob peccata nostra, cum ortum haberet in ratione, sic magis dolebat, quàm sensualitas, ad quam ex consequenti derivabat. 170

Et si quæras: *Quinam fuerit major dolor, vel rationis, vel sensualitatis, si comparentur absolutè inter se?* R. quòd major fuit dolor compassionis, licèt enim magna causa esset in sensualitate dolendi, tum ob pænas, flagella, &c, tum & ob separationem animæ à corpore, tum ob optimam complexionem, tamen major erat ratio compassionis in ratione, quia major erat dilectio in homines, & in Deum, secundùm quam mensuratur compassio.

DISPVTATIO IX.

De Voluntate Christi.

POst disputationes, quæ maximè respiciunt intellectum divinum, & humanum Christi, quibus consecutæ sunt aliæ de potentia, & communicatione idiomatum, & de subjectione ipsius passionibus, superest examinare de voluntate multiplici Christi, & de ejus libertate, & necessitate.

QUÆSTIO I.

An in Christo fuerit voluntatum pluralitas. S. Bon. *l.*3.*d.*17.*q.*1.*&* 2.

171 PRimo loco adfertur à Theologis in medium multiplicitas hæresum, in quas plurimi hæretici, tùm antiqui, tum recentes inciderunt. Alii enim unicam voluntatem esse in Christo asserebant, alii solùm humanam; alii solùm divinam; alii utramque in unica confundebant; de quibus possunt videri Theologi controvertistæ, & præcipuè Bellarminus, unde his ommissis sit.

Concl. 1. In Christo recognoscendæ sunt duæ voluntates, humana, & divina: est de fide, & ab omnibus Theologis recepta, quam S.Bon. citatus probat pluribus textibus Sacræ Script. & SS. Patrum, deinde ratione: primò quia in Christo sunt, duæ naturæ plenæ, primò duæ voluntates, humana & divina. 2. quia in Christo fuit meritum, ergo voluntas creata cum actibus suis; & quia creavit cum Patre, & Spiritu S. mundum, ergo creavit, quia voluit, ergo per voluntatem increatam.

Objic. 1. voluntas est, quæ regere, ac dominari debet; sed in mundo datur unum regens, ac dominans, ergo solùm voluntas divina: Hoc argumentum erat hæreticorum negantium voluntatem humanam in Christo; sed respondet S. Bon. *ad* 3. quòd duplex est dominans, ac imperans, aliud per privationem coactionis, aliud per privationem subjectionis: primo modo tale dominium est in omnibus voluntatibus; & de essentia liberi arbitrii; & hoc modo admittuntur in Christo duæ voluntates. 2 modo sic datur unum solum, quod est Deus Dominus omnium, cui omnia subjecta sunt, sed tale imperium non est proprium voluntatis creatæ, quæ debet subjici divinæ.

Objic. 2. Voluntas facit volentem; sed Christus fuit unus volens, ergo per unicam voluntatem. R. S. Bon. quòd voluntas propriè est naturæ, & ex consequenti personæ; unica quidem persona est in Christo, sed duplex natura, ideo duplex voluntas, licèt sit una persona volens per duplicem voluntatem.

172 Concl. 2. Licèt in Christo sint solùm duæ voluntates essentialiter secundùm duas naturas, tamen secundùm alias comparationes potest dici fuisse plures alias voluntates: Est S. Bon. *dist.*17. *q.*2. Prob. & explicatur à Seraph. D si respiciamus naturas in Christo, sunt duæ voluntates; si respiciamus potentias, tres voluntates sunt in Christo, divina, humana rationalis, & sensitiva, per quas exibat in suos actus: si modum volendi respiciamus, sunt in Christo quatuor voluntates: prima est voluntas divinitatis, quæ per justam sententiam dictabat quid erat faciendum. 2. est voluntas rationis, quæ per obedientiam veritatem approbabat. 3. voluntas pietatis, quæ per compassionem in malo alieno suspirabat. 4. est voluntas carnis, quæ per passionem in malo proprio murmurabat. Prob. autem de voluntate trina, quia in Christo sunt tres appetitus, scilicet increatus, rationalis, & sensitivus: tum quia tres sunt potentiæ volitæ, increata, rationalis, & sensitiva, & hæc res sensibiles convenientes sibi volebat, & disconvenientes refugiebat, ut patet in illis verbis: *Pater si fieri potest, &c.* & in illis: *Non sicut ego volo, sed sicut tu:* Prima verba protulit ex voluntate sensitiva. 2. ex rationali.

QUÆSTIO II.

An voluntas humana Christi fuerit ad operandum libera?

QUæstio hæc est satis implexa, & difficilis 173 ob varietatem errorum, in quos quis potest incidere, & multiplicitatem sententiarum Theologorum. Cum enim conveniant omnes, Christum habuisse liberum arbitrium perfectissimum ex una parte, & ex alia cum manifestum sit ad merendum esse necessariam libertatem, & item cum opera præcipua assumpserit Christus, & obedientiam præstaret Patri, & cum fuerit ab instanti conceptionis Beatus, hinc occurrit difficultas, quomodo conciliari possit ejus libertas cum necessitate, & impeccabilitate, licèt etiam infrà tangenda sit hæc difficultas, cum agemus de merito Christi: Difficultas autem in hac materia potissima est, quia cum certum sit de fide, Christum fuisse compræhensorem in primo instanti conceptionis, & ex vi talis visionis, tum & gratiæ unionis, & gratiæ habitualis confirmationis non potuisse peccare, & in hoc non habuisse libertatem ad malum, an etiam ipsi fuerit insita necessitas operandi circa opera à Patre præcepta; tum etiam circa consilia; tum etiam circà actus magis, vel minus perfectiores: Et circa hæc omnia quæritur, an Christus habuerit libertatem, & arbitrium liberum, pro qua quæstione solvenda, varii modi à Theologis proponuntur, de quibus fusè Mastrius *d.*3. *num.*350. *& deinceps*, Lugo *d.*26. Gaud. *d.*20.

Primus modus dicendi circa opera præcepta est plurium Thomistarum opinantium huic difficultati sufficienter satisfieri ex regula illa generali ex necessitate antecedenti, & consequenti, vel in sensu composito, vel diviso ad hanc libertatem, sufficere in sensu diviso, & antecedentem; unde Christus habuit præceptum moriendi consequens ejus libertatem, qui modus tamen rejicitur præcipuè

ex hoc, quod tale præceptum antecessit usum voluntatis, & si poterat non operari; ergo poterat transgredi; tùm etiam quia sequeretur ejus passionem fuisse liberam tantùm, & meritoriam in causa non in se, quod non admittitur à Theologis; tùm etiam quia non fuit in Christi potestate acceptare, vel non acceptare præcepta dilectionis Dei, & naturalia; ergo ejus acceptatio non salvat ejus libertatem. 2. modus dicendi est, non habuisse quidem libertatem contradictionis ad bonum, & malum, sed cum præcepto ad bonum in communi habuit libertatem, ad hoc, vel ad illud particulare, sicut Deus se habet ad bonum in communi creatum, sed liberè ad hoc, vel illud; sed tamen hæc responsio non satisfacit, quia libertas meritoria debet esse ad bonum, & ad malum, alioquin etiam Beati mererentur; sic arguit Mastrius *num.*353. quæ objectio non evacuat vim positionis, cum hoc privilegium fuerit concessum Christo à Deo, ut Viatori, & comprehensori, ut infra dicemus. 3. modus dicendi est, quòd tale præceptum datum Christo non fuerit obligatorium ad ullum peccatum, sicuti sunt statuta Religionum; quæ doctrina tamen patitur multas difficultates, ut notat Mastrius *num.*366. 4. dicendi modus est, quòd licèt præceptum moriendi Christus habuerit, tamen fuit in ejus libertate modus cum circumstantiis, qui tamen etiam rejiciendus videtur, quia Christo fuit imposita talis mors cum omnibus circumstantiis: ait enim in Joan. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, ubi illæ particulæ, sicut, &, sic, important ex sententia Sanctorum Patrum præceptum passionis, & circumstantiarum: tum etiam quia sequeretur, Christum non fuisse in omnibus liberè Redemptorem: Alii deinde alios modos afferunt, qui patiuntur plures, & graves difficultates, ut videri potest apud Mastrium, Lugum, Gaud.

174 Not. 2. quòd perfecta libertas non consistit in posse peccare, nam posse peccare, est posse deficere, quod consequitur ad statum communem viatorum post peccatum Adæ; undè cum liberum arbitrium habeat pro objecto solum bonum, non malum. si potest in malum, hoc est ex defectu; sic S. Bon. *lib.*3. *dist.*25. *p.*2. *art.*1. *q.*3. ubi fusè, & in sequentibus; Addit *ibidem dub.* 1. 2. & 3. & *q.*1. quòd liberum arbitrium de se tria essentialiter involuit, nempè immunitatem à coactione, excellentiæ dignitatem, & facultatem servandi rectitudinem, & æquitatem: prima duo sunt in omnibus agentibus liberis, scilicet in Deo, & Creaturis: tertium verò est inæqualiter; nam Beati liberè fruuntur Deo, nec possunt peccare. N.3. quòd Christus fuit simul viator, & comprehensor, unde assumpsit aliquid de natura status innocentiæ, & status viatorum, & status comprehensorum, quod suprà notatum est ex D. Bon. *lib.*3. *dist.*16. *art.*1. *q* 3. nam in Adam in statu innocentiæ natura, & voluntas præerat passioni, in statu naturæ lapsæ neutro modo præest; in statu gloriæ præest utroque modo, Christus verò assumpsit quod erat naturæ, scilicet passibilitatem, sed cum imperio voluntatis, quia ut viator, & comprehensor potuit ex speciali privilegio habere necessitatem, & simul libertatem: sic Seraph. *ibid. ad* 6 & *d.*18. *art.*1. *q.*3. *ad ult.*

175 Not.4. quòd præcipua difficultas ad rem nostram, est quid sentiat Seraph. Doct. in hac difficillima quæstione; nam communiter citatur à Mastrio *dist.*3. *num.*356. & aliis in hoc sensu, & modo, quòd potest salvari impeccabilitas Christi per solam gratiæ efficaciam voluntatem humanam Christi ad bonum informantem; libertatem verò in intrinseca indifferentia ad oppositum, quam gratia efficax non tollit; quo pacto per intrinsecam indifferentiam ad oppositum confirmati in gratia liberè adhuc operantur, in quo modo etiam conveniunt Argentina, Marsil. & plurimi antiquiores cum Suarez *d.*37. *sect.*3, unde inferunt, Christum fuisse liberum ex intrinseca sua indefferentia, sed tamen addita confirmatione in gratia ab extrinseco præcepto, & assistentia divina non poterat peccare, sicque recognoscunt in Christo tantùm naturalem potentiam peccandi, non verò physicam; ideò etiam iste modus patitur graves difficultates; sic etiam Seraph. *lib.*3. *dist.*18. *art.*1. 2. *ad* 1. dicit, quòd confirmatio in gratia stat cum libertate voluntatis, nec tollit bonitatem moris; & *dist.*16. *art.*1. *q.*3. quærit, an Christus assumpserit necessitatem patiendi, & resolvit in Christo fuisse necessitatem patiendi, nec id tollitur per hoc, quòd necessitas, & voluntas, seu libertas non sint compossibiles simul, quia id verum est de necessitate, quæ antecedit voluntatem, non de ea, quæ subest voluntati, & libertati etiam invertibili, quæ fuit in Christo, qui voluntariè benefecit, & tamen necessarium fuit, ipsum benefacere, sic & voluntariè passibilitatem nostram assumpsit, ita quod impossibile fuit, eum pœnitere de hoc, quòd assumpserat defectum talem voluntariè, & *dist.*17. *art.*1. *q.*3. ait, quòd defectus aliqui fuerunt in Christo non necessitate generationis, sed voluntate dispensationis; erat enim simul & Viator, & Compræhensor, voluntate (inquam) divina præveniente, sed voluntate creata concomitante; & *lib.*3. *dist.*12. *art.*2. *q.*1. quærit, an Christus potuerit peccare; & resp. negativè, & hoc tum ob plenitudinem gratiæ confirmantis in bono, tum ob consummationem gloriæ, tum ob unionem hypostaticam, ideo Christus aliquid de omni statu assumpsit: de statu antè peccatum assumpsit innocentiam; de statu viatorum assumpsit passibilitatem, & de statu compræhensorum impeccabilitatem: addit *quæst.*2. in Christo non fuit potentia peccandi proxima, seu ordinata ad peccandum; nam potentia hæc dicit principium culpæ tantùm quatenus sibi relinquitur, cum sit in se deficiens, sed in Christo erat inseparabiliter unita Deitati; ideo nec habebat talem potentiam; ex quibus infert Seraph. Doct. *dist.*12. *art.*2. *quæst.*1. *ad* 2 & *dist.*18. *art.*1. *q.*2. *ad* 2. cum meritum in nobis exigat non solùm libertatem essentialem, seu à coactione, & dominium super se, seu in actu primo, hæc enim ex determinatione Innocentii decimi non sufficit ad meritum, sed & ad actus secundos, & ad oppositos, in Christo tamen libertas fuit privilegiata, ità quòd, licèt à beatitudine, & ab unione hypostatica esset determinata ad tales actus amoris Dei, & ad alios actus meritorios, nec illos non poterat non elicere; voluntariè tamen libertate radicali, quatenus ad ista voluntariè se obligavit cum Patre, & hoc ex privilegio concesso Mediatori, quippè qui erat simul viator, & compræhensor, ideò talis libertas radicalis sufficiebat ad meritum, quod ex principio libero intrinseco voluntatis domino illorum actuum prodibat, etsi extrinsecus impedito: Patet ex hoc, quòd si Scotistæ, ut

ut Maſtrius, hanc eandem doctrinam affectant ex Scoto *d.3. n.89.* ipſam tamen idem Scotus ex Seraph. murnavit.

176 Concl. 1. Chriſtus habuit neceſſitatem patrandi bona opera, & ſimul libertatem neceſſariam ad meritum ex privilegio ſpeciali ipſi à Deo conceſſo. Eſt communis omnium Theologorum, diverſificantium, tamen in modo; ut dictum eſt, ſed tamen peculiariter eſt D. Bon. proximè citati, & Scoti *l. 3 d. 18.* ex Maſtrio citato, aliiſque Theologis. Prob. 1. ex eodem Seraph. quia Chriſtus erat perfectiſſimus comprehenſor, & viator, ergo debebantur ei perfectiones utriuſque ſtatus facientes ad reparationem generis humani, ergo ei, ut comprehenſori debebatur neceſſitas non peccandi, & neceſſitas ſimul Deum diligendi, & ut viatori facultas merendi ex ſpeciali privilegio ei debito ex unione hypoſtatica. Confirmatur ex Seraph. *d. 12. a. 2. q. 1. ad 2.* quia tale privilegium debitum viatori, & comprehenſori ſimul exigebat, ut in Chriſto eſſet libertas obſequii ſine vertibilitate ad malum. Confirmatur item à Seraph. exemplo Dei nobis conferente multa bona liberè, & abſque vertibilitate ulla; ergo & modo proportionato naturæ humanæ creatæ erat talis modus participabilis, nempe ut immutabilitas Dei, quæ eſt per eſſentiam, conveniat Chriſto per gratiam, & hoc non omnimodè, ut in Deo, ſed primo in ordine ad malum vitandum, & propriè ad bonum ſpecificativè, & quoad exercitium ex ſuppoſitione; ſicque viſio beata, & unio hypoſtatica animam rapiebat ad Dei amorem immutabiliter, ſimulque relinquebat illam liberam. Pr. 2. In Chriſto admittitur duplex ſcientia, ſcilicet beata, & alia infuſa ſupernaturalis: ergo & duplex charitas, ſcilicet fruitionis divinæ, & alia libera; ergo licèt iſta libera quo ad ſpecificationem ex impeccabilitate eſſet neceſſaria, ob idque ſecundùm hanc rationem actus non eſſent ei præcepti, quia lex non præcipit neceſſaria, tamen quoad exercitium erat ei libera, ut viatori, neque enim quo ad exercitium erat ſemper illi præcepta, ſed liberè poterat aliquos actus omittere, & præceptos intenſiores producere. Hinc ſequitur, quòd licèt curſu ordinario in nobis viatoribus requiratur ad merendum libertas proxima ad operandum, & non operandum, quo pacto non adeſt in Beatis determinatis ad unum; ſcilicet ad Deum amandum, & cum tali intenſione, tamen Chriſtus ex ſpeciali privilegio hoc habebat, ut ſimul determinatus eſſet per charitatem beatam ad Deum diligendum, & per charitatem infuſam, ut viator erat, poterat producere alios actus, & eos magis, vel minùs intenſos pro libito quæ veritas magis comprobabitur ex reſponſione objectionum.

Objic. 1. Libertas propria exigit, ut voluntas poſſit ferri in objectum per actus oppoſitos in bonum, & in malum, & ipſos omittere; at Chriſtus non poterat non exire in actum dilectionis divinæ, nec aliquem bonum, ad quod erat à Deo determinatus omittere; ergo non habebat libertatem. R. ex traditis, totum eſſe verum in nobis viatoribus, non in Chriſto, qui fuit privilegiatus, ut dictum eſt, & per hoc ſolvi poſſunt omnes objectiones in contrarium, idque fuſiùs expendetur in diſputatione de merito Chriſti. Dices: Romanos Pontifices, & præcipuè Innocentium X. determinaſſe ad rationem meriti non ſufficere libertatem à coactione, ſed requiri etiam libertatem quo ad exercitium, ergo nec in Chriſto; ſed jam ſupra dictum eſt, illam determinationem factam fuiſſe reſpectu viatorum, non verò Chriſti, qui erat & viator, & comprehenſor; & ob id neceſſitatem, & libertatem ſimul habebat.

QVÆSTIO III.

An in Christo fuerit voluntatum concordia: nempe an voluntas humana in omnibus fuerit conformis divinæ.

NOt. 1. ex Seraph. *l. 3. d. 17. a. 1. q. 3.* quòd 177 conformitas voluntatis ad voluntatem in duobus conſiſtit, nempe in volito, & in ratione volendi: Prima in volito eſt, quando duæ voluntates idem volunt: 2. eſt, quando duæ voluntates idem volunt eodem modo, vel altera earum vult idem eodem modo, quo ſuperior vult eam velle. Ex his duabus conditionibus ſecunda eſt eſſentialis conformitati, nempe quod eodem modo ambæ voluntates velint, vel quod inferior velit modo, quo ſuperior vult illam velle: Prima verò in ordine ad volitum non ſemper eſt neceſſaria, ſed aliquando de neceſſitate, aliquando de congruitate, præter neceſſitatem, & congruitatem, ut infra patebit. N. 2. Quòd voluntas in Chriſto alia fuit efficax, alia inefficax, quia in eo fuerunt omnes actus voluntatis proprii humanæ voluntatis præter paucos; & hic eſt communis ſenſus omnium Theologorum.

Concl. 1. Inter actus duarum voluntatum in Chriſto in ratione volendi fuit perfecta conformitas; licèt non in ratione voliti. Eſt Seraph. D. citati. Pr. quia eſt de fide ex pluribus Sacræ Script. textibus, voluntas humana erat perfectè ſubjecta divinæ; ſed non ſemper in ratione voliti: ergo in ratione volendi: Min. prob. quia ut patet ex Evangelio, & docent SS. PP. cum Seraph. ſecundùm divinam voluntatem Chriſtus quod juſtum erat, voluit, ſecundùm voluntatem rationis juſtitiæ conſenſit, & juſtitiam approbavit: ſecundùm voluntatem pietatis ſine odio intimè condoluit miſeriæ: & ſecundum voluntatem carnis juſtitiam non accuſabat, ſed pœnam recuſabat; ſicque unaquæque pars ſuum munus exequebat, ſed cum tali diverſitate volitorum, aderat conformitas in modo, nam voluntas inferior volebat, ſicut ſuperior ordinaverat, ergo, &c.

Concl. 2. In Chriſto fuerunt alii actus voluntatis efficaces, alii inefficaces: conſtat ex traditis, & patet ex illis verbis Lucæ 22. *Pater ſi poſſibile eſt, &c.* & ex aliis: *Non ſicut ergo volo, ſed ſicut tu, &c.*

Objic. 1. In Chriſto voluntas humana repugnabat divinæ: ergo non adfuit conformitas; patet ex illis verbis: *Pater ſi poſſibile eſt, &c. Non ſicut ego volo, &c.* Hic exponuntur duæ voluntates contrariæ, & ſi hoc; ergo in hoc erat contradictio. R. Seraph. omiſſis aliquorum reſponſionibus, quòd voluntas humana non erat contraria divinæ, quia divina volebat humanam ſecundùm rationem naturæ, & carnis refugere mortem.

Contra inſurgit Vaſquez contra D. Bon. ſi quacumque voluntate poſita, manet in humanitate Chriſti hæc voluntas: Nolo mori, & in Deo hæc: volo, ut moriatis, licèt Deus velit, ut humanitas nolit mori, ſequitur, quod ſemper ſint contrariæ voluntates ex ipſa voluntate divina profectæ;

sed hoc est absurdum, nempe quòd voluntates contrariæ sint in Christo; ergo, &c. Hæc instantia tamen Vasquez est extorta, & supponit id, quod Seraph. D. nec somniavit, qui non dicit, Deum velle Christum hominem mori, ipsam verò humanitatem nolle mori, sed voluit Christum absolutè mori, simulque ut pateretur ejus natura talem fugam, & pavorem mortis; sicque inefficaciter refugeret mortem, efficaciter acceptaret mortem; unde semper firmus stat in hoc Seraph. quòd voluntas ut natura refugiebat mortem, ut rationalis eam volebat; sic *in loc. cit. & in Brevil. p.* 4. *c.* 8. *& in Luc. c.* 22. Idem & D. Thomas, & communiter alii Theologi.

Instat iterum Vasq. in Christo non fuit aliquis motus voluntatis absque deliberatione, quod & docet S. Bon. *d.* 18. *q.* 1. *ad* 2. ergo voluntas ut natura per primum motum non potuit operari, & refugere mortem: R. ex eodem Seraph. *d.* 17. *a.* 1. *q.* 3. Concedendo antecedens, & negandò consequens, nam illa fuga voluntatis, ut natura est, fuit cum deliberatione rationis imperantis, ut sic vellet, & prius voluntate inefficaci suum instinctum sequeretur, & postea efficaci confirmaretur cum voluntate divina; unde *ibid. ad* 1. ait sublimissimè; quòd cum sit duplex conformitas voluntatis ad voluntatem, alia secundùm assimilatiònem, alia secundùm subjectionem, Deus à sensualitate, seu à voluntate, ut est natura, assimilationis conformitatem exigebat, ut idem vellet, quod ipse; sed conformitatem subjectionis, scilicet ut id vellet, quod Deus ordinavit, eum velle.

Et si quæras: *Cur voluit Christus hanc pugnam voluntatum subire?* R. Seraph. *in Luc. c* 22. Primò ut se ostenderet peritum advocatum, voluntatem naturalem subjiciendo rationi, servata tamen forma juris divini: 2. Vt ostenderet in se veritatem humilitatis: 3. Vt condescenderet, & formam daret membris infirmis; unde Bernardus aiebat: agnosco vocem ægrotorum, in medico considero charitatem; stupeo miserationem, expavesco dignitatem, hoc enim mirabile est, quomodo sic dignaretur nostras in se suscipere infirmitates.

Objic. 2. In Christo aut ratio dissentiebat sensualitati, aut consentiebat; si assentiebat, ergo assentiebat in contrarium voluntati divinæ; si repugnabat: ergo voluntas rationis, & sensualitatis erant contrariæ in Christo; utrumque est absurdum; ergo nullo modo id asserendum. R. *S.* Bon. *q.* 3. *cit. ad ult.* quòd ratio quodammodo assentiebat, & quodammodo dissentiebat, non absolutè; consentiebant simul, quatenus ratio volebat sensualitatem sic moveri actu inefficaci, sicque id erat licitum sensualitati, quia non volebat nisi licitum, non autem consentiebat volito, id est ipsum, in quod sensualitas, quia hoc fuisset illicitum.

Instabis: Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; sed hoc est origo peccatorum; ergo malè ponitur talis pugna in Christo. R. pulcherrimè Seraph. *ibid.* quod dissensus, & consensus voluntatum esse potest tribus modis. Primo inter sensualitatem, & rationem quantùm ad volitum, & quantùm ad modum, & actum volendi, & hic modus pertinet ad naturam lapsam per pœnam, & culpam, & hæc pugna est in nobis, origoque peccatorum multoties: 2. quod consensus sit quantùm ad utrumque, ita quod sensualitas subjecta sit rationi, & hoc pertinet ad statum innocentiæ: 3. est ponere medium, ita quod consentiat ratio sensualitati respectu actus volendi, & dissentiat respectù voliti, & hoc pertinet ad naturam habentem pœnam absque culpa, & talis fuit in natura assumpta à Verbo, quæ aliquid habuit de natura instituta, & aliquid de lapsa.

QUÆSTIO IV.

An Christus fuerit capax præcepti, & an habuerit præceptum à Patre moriendi pro nobis.

Concl. 1. Christus fuit obnoxius præcepti divinæ legis, & naturalis, non autem omnibus scilicet humanis. Pr. 1. pars, quia habetur in Ps. 39. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, &c. & legem tuam in medio cordis mei*, de quo S. Bon. in Joan. c. 14. Ratio est, quia subjiciebatur legibus æternis, & naturæ, quibus tenemur acceptare bonum, & vitare malum, ergo, &c. Idque est sensus Catholicus omnium Theolog. 2. pars pr. quia non tenebatur legibus humanis, ut docet Seraph. *l.* 2. *d.* 44. *a.* 3. *q.* 1. *ad* 1. cum enim esset superior omnium, & suprà hominem, non poterat constringi ab homine, ideoq. non subjiciebatur aliis legibus positivis, quæ in tota Ecclesia latæ sunt; nec legi antiquæ, ut docet Seraph. *l.* 4. *d.* 3. *p.* 2. *q.* 1. *ad* 3. *& ad* 2. Lucæ; unde subjectio ejus fuit in his legibus spontanea. 178

Concl. 2. Christus accepit à Patre præceptum moriendi pro nobis. Est communis omnium Theologorum D. Bon. D. Thom. aliorumque exceptis Victoria, & Loria negantibus hoc præceptum, &c. S. Bon. affert super hoc mandatum plures textus S. Script. *ibid. ad c.* 10. Joan. *Hoc mandatum accepi à Patre, &c.* Ratio autem potissima inter alias, quas affert S. Bon. *l.* 3. *d.* 1. *q.* 5. est, quia sicut per inobedientiam mundus totus dejectus, ita & per obedientiam debuit reparari, sed obedientia supponit præceptum, ergo, &c. Quomodo autem assumpserit hoc præceptum à Patre, explicat *l.* 3. *d.* 15. *a.* 1. *q.* 2. nempe à Patre datum, & ab ipso concomitanter acceptatum, obligatumque fuisse ad observantiam, qui plura ad hanc rem loca *S. Script.* & SS. PP. cupit, adeat Gaud *d.* 22. *Suar. d.* 37. *sect.* 3.

Q. *An Christus possit dici servus Dei?* P. Gaud. *d.* 22. *q.* 2. R. affirmativè, citatque D. Bon. *d.* 11. *a.* 1. *q.* 1. sed tamen pace doctissimi viri malè ex doctrina, quam ibi affert Seraph. D. id adstruit; quærit enim, an propriè Christus dici possit creatura, & respondet, quòd si præscindatur humanitas à divinitate, potest dici creatura, sed tamen impropriè, & incongruè; nam prædicatum creaturæ in hac dicit ex vi sermonis totum esse subjecti, ob idque cum Christus secundùm esse totum, non sit creatura, nec potest dici de Christo: Hinc à pari idem dicendum est de servo; servus enim subjectionem, & minoritatem dicit, & cum in propositione ista dicatur de toto esse subjecti, hinc non potest dici; Christus est servus Dei: Sic enim (ait *d.* 9. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 6. videretur partiri Christus in duas personas. Et hinc dicendum ad plures textus, qui adduntur de hac servitute, intelligendos esse de humanitate præcisa à divinitate, non formaliter de Christo: vel dici de Christo in persona membrorum ejus, ut aliàs in similibus dicitur. 179

QVÆSTIO

QUÆSTIO V.

An Christus, ut homo oraverit, & an decens fuerit Christo orare? d. 17. a. 2.

180 NOt. 1. ex Seraph. *cit. q.* 1. quòd oratio est elevatio, & ascensus animæ ad Deum, elevatur autem anima ad Deum duobus modis: Primo in Deum, quatenus supra se est, vel implorando misericordiam, quæ est supra se, vel relevando miseriam, quæ infra se est. 2. Ascensus in Deum dicit novam Dei considerationem, pro ut dicit elevationem intellectus nostri ad Deum procedendo gradatim à consideratione creaturarum ad creatorem, & hoc est proprium viatorum: Primo modo oratio est in Christo propriè, 2. modo verò nequaquam, cum esset comprehensor, & continuè in Deum fixum habuerit intuitum, simulque fruebatur Deo, solùm potest dici orasse, quatenus in actu orationis se revocabat ab occupatione vitæ activæ, ut totus esset in occupatione contemplativæ.

Not. 2. Quòd oratio, cum sit recursus personæ inferioris ad superiorem, videtur, quòd, cum persona Christi esset æqualis Patri, non posset orare, & tamen orabat: Quomodo igitur dicitur orasse ad Patrem? Sed advertendum est (ait Seraph. D. *cit. ad* 2.) Quòd oratio dicitur quidem actus personæ, non quidem præcisè ratione personæ, sed ratione naturæ; in tantùm enim agit persona, in quantùm est in ea natura, & cum natura humana esset inferior, ideo ei competebat oratio. N. 3. ex eodem S. Doct. *ibid. ad* 1. Quòd cum oratio sit ad supplendam indigentiam; hæc autem indigentia est vel ipsius orantis, vel alterius personæ; & cum petitio fiat ad relevandam miseriam alterius, non est necesse, quòd orans habeat potestatis defectum, sed sufficit, ut sit in persona, pro qua oratur, sic in Christo ratione divinæ naturæ non erat defectus potestatis valentis relevare miseriam, sed est in nobis, sicque ad hunc finem Christus orabat. N. 4. Quòd cum oratio ordinata sit à Deo ad impetrandas gratias, & misericordias Domini, hinc est, quòd Deus cum disposuerit nobis conferre suam misericordiam dependentem ab oratione, mediante, & antecedente; hinc oritur necessitas orationis; & quia Deus cum disposuit aliquid facere, ut plurimùm non disponit in omnem eventum, & absolutè, sed conditionatè, idest præsuppositis congruentibus mediis antecedentibus, sic ut vult nos salvare non absolutè, sed mediantibus operibus nostris, dependentibus à nostri liberi arbitrii usu; sic & oratio: Sic S. Bon. *cit. l.* 4. *d.* 45. *a.* 3. *q.* 2. *ad ult.*

181 Concl. 1. Christus oravit, ut Homo, non ut Deus, & hoc ei decentissimum fuit, ait Seraph. *cit.* & communis omnium Theologorum contra Bezam, Calvinumque, qui dicunt, ipsum orasse ut Deum. Pr. prima pars ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ, præcipuè Lucæ cap. 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, idest ad Deum, ad quem oratio est elevatio ad postulandum, ut exaudiens concedat; Tum quia Christo competebat sacrificium satisfactorium, & impetratorium offerre; erat enim Sacerdos, & Pontifex constitutus à Deo: ergo, &c. 2. Pars itidem prob. decuit Christum orasse, ut Mediatorem, Pontificem, Advocatum, & exemplar nostræ perfectionis: ergo, &c. Quod probatur ex triplici capite: Primo propter meritum, quia sua oratione merebat nobis, ut fieremus idonei ad susceptionem beneficiorum Dei: 2. propter exemplum, ut omnes invitaret, & excitaret ad orationem, ad superandum adversarium: 3. ad ostendendum se verum hominem: 4. propter officium, ut dictum est, Sacerdotis, Pontificis, & Mediatoris: ergo decentissimum fuit ipsum orare.

Objic. 1. ex Augustino: nemo petit ab alio, quod per se potest implere; sed Christus omnia potuit: ergo nihil ab alio debebat petere. R. disting. majorem: nemo petit ab alio, quod per se potest, scilicet ad supplendam propriam indigentiam, concedo; ad alienam, nego; sic Christus orabat pro nobis, ut idonei essemus ad hoc, ut fieremus digni: Ad min. Christus per se poterat omnia, ut Deus, conc. ut homo, nego; sic enim erat inferior Deo. Dices: Christus erat per omnia conformis Patri: ergo solùm petebat, quod sciebat velle Patrem; ad quid ergo orabat? sed resp. ut dictum est in 4 Nor. Nihil petebat, &c. sed sciebat, Patrem velle multa concedere, mediante oratione; sicque orabat, &c.

QUÆSTO VI.

An Christus semper in oratione fuerit exauditus.

QUæstio hæc supponit id, quod Seraph. resolvit *in cit. loc. q.* 2. *&* 3. nempe aliquam orationem Christi procedentem fuisse à voluntate rationis, aliquam à voluntate pietatis, aliquam à voluntate carnis: Notat autem *in q.* 3. quòd licèt dicatur aliqua oratio provenisse à voluntate carnis, vel sensualitatis; id non est intelligendum, quod talis oratio secundùm suam rationem formalem esset sensualitatis, sed tantùm secundùm materiam; unde talis oratio sensualitatis erat tantùm, ut moventis, & ut quo, sed rationis postea erat, ut proponentis, & ut à quo, veluti ab advocata sensualitatis, quæ omnia explicata sunt in quæstione tertia, ubi explicata fuit concordia voluntatum Christi, de qua perbellè agit Seraph. *q.* 3. *cit.* 182

Concl. 1. Christus non semper fuit exauditus in oratione procedente ex voluntate pietatis, & carnis. Idque patet ex Sacra Scriptura: *Pater si possibile est, &c.* & Psal. 21. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies*: Tum quia oravit pro crucifixoribus, & non fuit exauditus. Dices: Ad quid ergo petiit frustra. R. S. Bon. quod fecit ad eruditionem nostram, & ad ostensionem naturæ nostræ assumptæ, & suæ benignitatis, & misericodiæ.

Concl. 2. Christus fuit semper exauditus in oratione procedente à voluntate rationis. Ratio est, quia ista voluntas erat per omnia conformis divinæ voluntati; tum quia ejus oratio erat tam digna, & sancta, quòd merebatur exaudiri pro sua reverentia, & dignitate.

QUÆSTIO VII.

An Christus nunc oret pro nobis in Cælis existens?

183 Difficultas est; an solùm interpretativè pro nobis oret, nempe per sua merita, quæ viva, & vivida divino conspectui semper præsentia sunt; & id certum est de fide ex pluribus textibus Sacræ Script. præcipuè in Joan. *c.* 2. ubi ait, quòd Christus est propitiatio pro nobis; & ad Hæbreos 9. *Christus in Cœlum introivit, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*, hoc cum sit certum, quæritur, an etiam expressè fundat orationem Patri pro nobis petendo gratias, quas suis meritis acquisivit. Prima opin. est negativa Ruperti *l.9. de Div.Offic.c.*5. Medinæ, Vasq. Becani, Lugo *d.*28. *n.*65. plurimorumque Thomist. 2. Opinio est affirmativa Seraph. D. plurimorumque Thomistarum, Scoti, & sequacium apud Mastrium *d.*2.*n.* 340. aliorumque. Sic S.Bon. *in Opusc. Medit. Vitæ Christi c.*98. docet, Christum post Ascensionem in cœlo expressè pro nobis orare; aliis locis infra cit. *& l.* 3. *d.*17.*a.*2. *q.*1. ait, dicendum, quòd absque dubio decens fuit, Christum orare maximè in diebus carnis, ubi clarè recognoscit in Christo orationem, & in hac vita, & in cœlo, *& l.*4.*d.*45. *a.*3 *q.*1. *in fund.*

Concl. 1. certum est, Christum pro nobis interpretativè orare Patrem in cœlo; nam in cœlo ostendit cicatrices Patri, suam humanitatem, passionem, & merita, & præces pro nobis fusas, dum viveret mortalis, quæ virtutem habent movendi Patrem ad misericordiam, & hoc est, quod dicit prima opinio.

Concl. 2. Non solùm tacitè, & interpretativè Christus pro nobis degens in cœlo orat, sed etiam expressè, aperta voluntatis suæ repræsentatione, & manifestatione: Est D.Thomæ, Bon. à Suar.*cit.* Scot. & aliorum plurimorum. Et Prob. Joan.c.14. *In illa ergo die ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Ubi non loquitur de tacita, & interpretativa oratione, sed aliquid de novo superadditum illi insinuat speciali modo faciendum: sic & ad Hebr.7. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis:* Nota, ly, vivens, per quod insinuatur clarè, Christum orare pro nobis modo vivo, & non veluti mortuo.

Hæc, & alios textus ad hanc rem expendit Ariagha *d.*49.*f.* 3. Prob. 2. ratione, quia omnis modus orandi Christo non dedecens, debet ipsi attribui, ergo non solùm interpretativus, sed & expressus; fuit enim ad perfectionem majorem Advocati, & Mediatoris, sed hic non dedecet; ergo, &c. Prob. minor: Non dedecet ex eo, quod est Deus, quia etiam est homo, & cum oratio expressa sit propria perfectio humanitatis, ergo ei attribuenda: Item non dedecet, quia sit Beatus, quia Beati etiam pro nobis orant tali modo, ut infra dicetur, ergo, &c. Tum quia cum sit actus Religionis nobilissimus, Christo non est denegandus. R. Lugo ad rationem orationis requiri impotentiam obtinendi, vel faciendi optata, quæ non est in Christo immortali, cui data omnis potestas in cœlo, & in terra, & mari, c.28.

Cui objectioni R. S. Bon. *d.* 17. *a.*2.*q.*1. *ad* 1. Quòd ad orationem requiritur defectus, & indigentia, vel in petente, vel in eo, pro quo petitur, sufficitq. vel una, vel altera. Tùm etiam quia oratio competit Christo ratione naturæ humanæ, quæ de se non potest omnia: & ad id quod ait Lugo: Data est Christo omnis potestas etiam ut homini: R. quòd hæc potestas data est ei in primo instanti conceptionis, & tamen expressè oravit. Sic enim dicitur Joan. 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater*, quæ datio magis postea manifestata fuit post resurrectionem; & si physica, ut diximus de miraculis, hæc est instrumentalis exigens concursum specialem Dei; ergo ad executionem talis instrumentalis potestatis exigit, ut petatur à Christo novo suæ voluntatis actu, ut illa Deus physicè concedat. Confirmatur, & 3. prob. quia ad hoc, ut illa oratio interpretativa ad nostras necessitates habeat suum effectum, requiritur, ut talis repræsentatio fiat per aliquem novum, & expressum actum, vel intellectus, vel voluntatis, vel etiam vocis, quo ipse exponat Patri, quanta pro hominibus gessit, & passus est. Et tandem utrumque modum recognoscit in Christo Seraph. *l.* 4. *d.*11. *p.*1. *dub.*4 *& serm.* 2. *Dom.* 10. *post Pent. & serm.*3. *Dom.*4. *post Oct. Paschæ, & serm.* 3. *Dom.*15. *Pent. & serm.*4. *de B.Virg.*

Objic. ad utrumque primò plura testimonia SS. Patrum admittentium orationem tantùm interpretativam in Christo, quæ afferunt Vasquez, Lugo, aliique: ad quæ R. ex Seraph. ut supra dictum est; debere admitti in Christo utrumque modum; sed tamen etiam addimus, requiri novum actum in Christo, ultra talem modum interpretativum, ut supra dictum est, & excludere orationem expressam à Christo, est manifestè repugnare tot textibus Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum. 184

Objic. 2. Christo data est omnis potestas in cœlo, & in terra post suam resurrectionem, ut patet ex Matth. *cap. ult.* ergo non indiget petere, quod est in sua potestate. R.1. talem potestatem datam fuisse ab instanti conceptionis, ut supra probatum est. Et tamen infinities oravit manifestè. R. 2. S. Bon. *l.*3. *d.*14. *dub.*4. datam fuisse Christo potestatem præsidentiæ infra Deum super omnia creata, aliam verò esse potentiam impetrandi per orationem, & petitionem ratione naturæ propter indigentiam, non propriam, sed nostram, unde oravit condescendendo nostris necessitatibus.

Objic. 3. Christus una oblatione consummavit in æternum sanctificatos æterna redemptione inventa ex Hebr. cap.10. Si igitur meritis suis consummavit una oblatione redemptionem nostram; ad quid nova oratio? R. consummasse quidem, & composuisse cum Patre suis meritis redemptionem in ordine ad omnia dona supernaturalia, sed in actu primo; ad hoc autem ut in actu 2. executio fieret, exigebatur postulatio, & impetratio donorum, quæ ante meruerat.

Dices: Ergo oratio nova in cœlo, in Christo erit de novo meritoria: R. nego conseq. nam ut docet Seraph. aliud est meritum, aliud impetratio: Meruit quidem nobis omnia bona, sed & executioni mandanda imperat sua oratione, ut à Deo physicè donentur: Sic D. Bon. *l.*4. *d.*45. *a.*3. *q.*2. *ad arg.*

Dices: Si Christus pro nobis orat in cœlo: ergo possumus petere, & dicere: Christe ora pro nobis; sicut dicimus Sanctis: sed hoc non practicat Ecclesia: ergo signum est, quòd non oret expressè: R. S Bon. *l.*4. *d.* 45. *a.* 3. *q.*1. *ad arg.* Ecclesiam non uti hoc modo orandi, ne occasionem erroris præbeat

præbeat Arianis, & Nestorianis: Primi enim dicebant, esse puram creaturam; secundi esse purum hominem: Addit Seraph. D. talem usum servari ab Ecclesia, sicut etiam inter nos praticatur, quando volimus impetrare aliquid ab alio, nos uti magis honorifico titulo, cum autem Christus sit persona divina, ad ipsum ut Deum confugimus, ut donet misericorditer sua dona, non ut orationem pro nobis fundat: Hinc addit Suarez, quòd sciens distinguere inter suppositum divinum & humanam naturam, potest sine errore privatim petere, ut pro se Christus oret.

185 Q. 1. *Cur ad Patrem, & ad Christum diriguntur orationes Ecclesiæ, non verò unquam ad Spiritum S.* R. S. Bon. *lib 4. cit.* hoc esse, quia Spiritus S. essentialiter est donum, in quo omnia nobis donantur à Patre, & Filio, ideo petendus est ipse, non porrigenda est ei petitio.

Q. 2. *An Sancti pro nobis orent?* R. Seraph. *l. 4. cit.* affirmativè, estque de fide. Prob. quia Christus semper vivens orat pro nobis, ergo & Sancti ejus imitatores: Tum quia Sancti diligunt nos, & vident nostram necessitatem, ergo & desiderant nostram salutem, quæ à solo Deo potest esse; ergo ipsam petunt à Deo, cum desiderium alicujus rei à Deo sit oratio: Tum quia voluntas Dei est, quod unum membrum aliud relevet; ergo cum ipsi sint liberati, debent alios adjuvare indigentes. Dices 1. Sancti, aut volunt nobis salutem, aut aliud bonum, aut nolunt: si nolunt, ergo non orant: si volunt, cum ex D. Anselmo possint quicquid volunt, sicut Deus est Dominus suæ voluntatis, non indigent orare. R. S. Bon. quòd sunt omnipotentes respectu actus proprii, non alieni, ut volo, ut alius faciat, scilicet vel Deus, vel Homo: Sic pro hoc 2. orant. Dices 2. Oratio est ascensus mentis in Deum; sed Sancti sunt in termino suæ contemplationis: ergo non orant. R. S. Bon. ascendere in Deum fieri tripliciter: Primo per novum aspectum in Deum, scilicet per alienationem mentis à creaturis ad Deum, & hoc est viatorum: 2. per aspectum alterius rei inferioris absque tamen interruptione aspectus mentis in Deum, ut fit à Sanctis, considerando nostras miserias; & hoc est proprium Beatorum, qui aspicientes continuè Deum, & simul miserias nostras, orant pro nobis: 3. modo per continuationem intuitus primi absque conversione ad aliorum miserias, & hoc erit post diem judicii. Dices 3. ex D. Augustino: Beatus habet quidquid vult, ergo non indiget orare de novo. R. S. Bon. quòd Beatus habet quicquid vult sibi, non aliis.

186 Q. 3. *An Sancti impetrent nobis aliqua suis orationibus.* R. Seraph. *l. 4. cit. q. 1.* affirmativè, estque de fide; impetrant quidem multa bona nobis, & merito, & affectu; merito, quia in vita sua multa merita supererogationis cumularunt, ob quæ, & etiam per propria merita essentialia meruerunt impetrare à Deo gratias orationibus suis: Affectu, nam cum eorum charitas sit maxima, afficiuntur maximo amore in nos tanquam sua commembra, & maximè in suos devotos; ideo quasi compellunt Deum nos diligere, quod maximè verificatur de B. Virgine; & patet hoc, tum quia in via impetrant multa bona aliis, ergo multo magis in Patria, cum sint magis amici Dei, quod patet etiam in miraculorum impetratione.

Objic. 1. Sancti non sunt in statu amplius merendi; ergo nec exaudiendi, & confirmatur, quia fuerunt plenè remunerati in ingressu ad gloriam; ergo nihil aliud restat. R. S. Bon. verum esse, Sanctos nunc in cœlo non merere, sed in via meruisse, & in ordine ad se merito absoluto, ob quod absolutè gloria essentiali remunerati sunt, sed in ordine ad alios meruerunt conditionatè, scilicet exaudiri, si ipsi intercederent pro aliis, sic videmus aliquos Sanctos in exitu ex hac vita impetrasse à Deo exaudiri, cum orarent pro aliquo cliente.

Objic. 2. Sancti sunt per omnia conformes voluntati divinæ; ergo non orant, nec petunt, nisi quod Deus vult dare; ergo dabit etiam, si Sancti non petant. R. hanc esse objectionem Hæreticorum deridentium Catholicorum confugium ad intercessionem Sanctorum, qui valde decipiuntur, cum Deus decrevit multoties dare, sed interveniente mediatione intercessionis, & orationis Justorum; nam ut dicit S. August. multi sunt prædestinati, dummodo adjuventur orationibus Sanctorum, & quod dicitur de salutis acquisitione, dicendum est de aliis gratiis; itaque id scientes Sancti, ut voluntatem Dei exequantur, orant pro nobis.

Q. 4. *Qualis utilitas provenit ex recursu ad intercessionem Sanctorum?* R. S. Bon. *l. 4. cit. q. 3.* quòd Deus ordinavit, ut ad Sanctorum intercessionem confugeremus ob tres causas: Prima propter nostram inopiam in merendo sublevandam per merita Sanctorum: Tum in amando, quia miser homo se magis sentit affici circa unum Sanctum, quam circa Deum, ideo compassus nostræ inopiæ, voluit, nos rogare Sanctos, sicque qui de se indignus est, fit dignus merito Sanctorum. 2. Est ob Sanctorum majorem gloriam, per quos vult miracula facere, ergo. 3. Ob Dei reverentiam, non enim se audens immediatè Deo præsentare, id facit per Sanctos.

DISPVTATIO X.

De meritis Christi, & de meritis Hominnm.

DIsputatio ista est præcipua hujus tertii Libri, quia tangitur ratio principalis, motivum, & finis adventus Verbi in carnem; cum etiam quia hac occasione elucidantur ratio, quidditas, & conditiones meriti in communi sumpti. Et cum ad cognitionem clariorem meritorum Christi sit necessaria cognitio rationis, & quidditatis meriti in communi; hinc priùs de hoc, postea descendemus ad meritum Christi; & cum ad meritum Christi concurrerit valor operum, & consecuta fuerit satisfactio facta pro peccatis hominum, inde etiam de hac materia breviori stylo, quo possumus, agemus.

QVÆSTIO I.

Quænam sit ratio meriti, ejusque quidditas, & quotuplex sit meritum,

187 SUppon. 1. Quòd licèt meritum, quantùm est de se, indifferens sit ad opus bonum, & malum, tamen usu factum est, ut solùm sumatur in bonam partem; unde in hoc sensu solùm de ipso agimus: Suppon. 2. aliquas conditiones requiri ad rationem meriti; tum ex parte ipsius actus; tum ex parte merentis, tum ex parte Dei acceptantis; tum ex parte ipsius præmii, quæ omnia infra tradentur.

Concl. 1. Meritum in communi sumptum sic potest describi: Meritum est boni operis efficacia, seu affectio quædam, ex cujus vi obtinetur id, quod non habetur, vel habetur justiùs quod habetur. Sic S. Bon. *Op. Comp. Theol. l.5. c.9.* & D. Thom. *p.1. q.2. a.3.* unde breviùs sic describitur ex *l.3. d.18. q.2. in fund.* est actus laudabilis exigens aliquo modo collationem præmii: sic etiam Scotus cum communi Theologorum. Pr. simulque explicatur: Dicitur (actus) seu ut dicit D. Bon. *bonum opus*, & *moralis efficacia*, quia ad rationem meriti requiritur aliquis actus saltem interior, sub quo nomine venit etiam omissio libera in opinione asserentium etiam in hac posse consistere meritum (de quo infra) dicitur *ad obtinendum id, quod non habetur*; vel *justiùs id, quod habetur*, vel *exigens premium*, quia ab hoc ordine ad præmium habet actus laudabilis esse meritum, unde ejus ratio non consistit in dignitate laudis, sed exigit ampliùs, nempè præmium, ex hoc, quòd est actus laudabilis, & in hoc conveniunt ferè omnes.

188 Concl. 2. Meritum rectè à Seraph. *loc. cit.* dividitur in congruum, dignum, & condignum: Ab aliis verò solùm in congruum, & condignum, quæ differentia est de nomine tantùm: Meritum congruum propriè non est meritum, & est, quando homo existens in peccato, facit, quod in se est, licèt enim nihil mereatur, tamen Deus liberaliter ei confert pœnitentiam: Meritum digni est, quando quis alteri indigno meretur gratiam, orans pro peccatore; adest enim solùm dignitas ex parte orantis; meritum de condigno, dicit æqualitatem meriti ad remunerationum æqualitatem, non Arithmeticam, sed Geometricam, non quantitatis, sed proportionis, cum apud Deum non sit justitia commutativa, quia nulli debet, sed distributiva; justitia autem commutativa est justitia fori, quo datur unus panis pro uno denario; distributiva verò est principium, quo distribuuntur dona secundùm proportionem ad merita, & ista est apud Deum: sic D. Bon. *Comp. Theol. l.3. c.9. & l.3. d.4. a.2. q.2.* Hîc autem propriè quæstiones, & conclusiones sunt in ordine ad meritum condignum. Notat autem, quòd datur aliud meritum, quo dicitur tale abusivè, & interpretativè, ut si quis facit aliquid bonum cum murmure, vel mala intentione, quòd aliquando talia opera remunerantur à Deo ex immensa largitate, sicut dicitur de Nabuchodonosor, sic *d.18. q.2.*

Concl. 3. Conditiones ex parte actus meritorum de condigno ad tria capita reducuntur. Explicatur conclusio: Prima conditio ex parte actus, ut sit actus laudabilis, sive honestus; hinc in definitione dicitur actus bonus: Hîc autem disquirunt Theologi, an pura omissio possit esse meritoria? De qua re in tractatu de peccatis egimus ex S. Bonav. *l.2. d.35. q.1. ad 1. & d.35. dub.1.* ubi probavimus non posse dari omissionem meritoriam, vel demeritoriam sine aliquo actu positivo; sed in opinione adversa Thomistarum sumitur hic actus lato modo: 2. Conditio est, quòd sit actus liber; sic cum communi S. Bon. *l.3. d.18. a.2. q.1. ad 1. & a.1. q.2. ad 1. & q.3. ad arg.* quod tamen est intelligendum cum distinctione, ait Seraph. D. quod determinatio ad unum potest esse ex confirmatione gratiæ, tuncque meritoria potest esse; si verò determinatio ad unum est ex pura natura, tunc tollitur ratio meriti: & quia etiam actus naturales, & necessarii possunt cadere sub ratione libertatis, vel per modum imperatum à voluntate, vel per modum acceptantis, qualis fuit in passione Christi, & Martyrum, tali pacto isti actus possunt esse meritorii: sic Seraph. *l.3. d.18. a.1. q.3. ad ult.* de quo vide *lib.3. d.28. q.13.* Conditio est, ut actio habeat proportionem cum præmio, valoremque condignum, & aliquo modo æqualem: Ratio est, ait D. Bon. *l.3. d.18. a.2. q.1. & l.2 d.27. a.2. q.2. & 3. Comp. Theol. l.5. c.9.* quia ordinatio meriti ad præmium est dispositio necessaria ad complementum, de qua proportione infra agetur. 189

Concl. 4. Ex parte Personæ merentis duæ conditiones requiruntur: Prima est, quòd persona merens sit viatrix: 2. Quod persona sit Deo grata: Primæ conditionis ratio est, quia solùm hoc tempus

tempus est tempus certaminis, luctæ, & laboris; tempus verò alterius vitæ est coronæ, & quietis; quare hoc tempus propriè est, dum sumus in carne mortali, & passibili, & hinc animæ Purgatorii sunt extra statum meriti; sic cum communi ex D. Bon. *l.3.d.11.q.3. ad 2. & a.3.q.2. in argum. & l.2.d.27.a.2 q.3.* Secundæ conditionis ratio est (ait Seraph. *l.3 d.13.q.1. in fund. & l.4.d.17.a.2.q.2. & d.17.a.2.q.2. & d.20.p.1.a.1.q.1. ad ult. & l.2.d 26. q.6. ad 1.* Quia nulla anima Deo placet, nisi conformetur per gratiam; tum quia meritum dicit ordinationem ad aliquid majus per aliquod, quod reddit Deo acceptum, sed ad id requiritur aliquid creatum gratuitum, ergo, &c.

190 Q. *An de potentia Dei absoluta possit esse meritum in homine existente purè extra viam, & statum viatoris?* Vasq. Lugo, aliique pauci censent, talem conditionem requiri ex natura rei; ideo nec per absolutam Dei potentiam Beatus potest mereri propriè, quia status viatoris est status agonis; status gloriæ est quietis, & fructus. Opposita sententia est communior, Suarez, aliorumque; Scoti *d.18.* & sequacium, quam & existimo Seraph. qui licèt *l.2.d.27.a 2.q.3.* & alibi sæpe asserat, requiri statum viatoris, loquitur ibi de cursu ordinario, nam *l.3.d.5.a.3.q.1.in comp.* docet pendere principaliter ex acceptatione divina liberaliter acceptante ad retributionem divinam; hinc cum potuerit pactum facere, & acceptare pro libito opus bonum factum à Beato, sicut & acceptavit liberaliter in Christo, ideo dicendum est, non implicare contradictionem, & ratio evidens est, quia opera Beatorum sunt meliora, & sublimiora, magisque chara Deo: ergo per ipsa non stat, quin superveniente acceptatione divina, non possint esse meritoria.

191 Q. 2. *An de potentia Dei absoluta possit dari meritum in homine absque eo quod in ipso sit infusa gratia habitualis, sed cum sola pura natura, vel cum actibus tantum bonis moraliter, vel cum auxilio supernaturali extrinseco?* Certum est autem, & de fide, de potentia Dei ordinaria requiri ex parte merentis gratiam sanctificantem infusam ad merendum de condigno vitam æternam; sic enim determinatum est in Conc. Trid. *sess.6.c.16.* sic & Pius V. Greg. XV. & Vrban. VIII. contra Michaelem Baium; sic & omnes Theologi cum Seraph. supra cit. At de potentia Dei absoluta negant Thomistæ, posse dari meritum condignum sine gratia habituali, sic Vasq. Casp. aliique: Affirmant è contra Scotistæ; & Suar. *l.12.c.14.de merito,* aliique plurimi etiam Thomistæ, loquendo, non de actibus naturalibus; sed de supernaturalibus ex auxilio Dei supernaturali elicitis; & hæc est sententia Seraph. quem adduximus in disput. de Visione, & in quæst. de necessitate luminis gloriæ, ubi probavimus, posse intellectum videre clarè Deum elevatum, non per lumen gloriæ, sed per auxilium extrinsecum elevans: & ratio potissima est, quia superaddito auxilio supernaturali extrinseco actus esset supernaturalis, & superaddita acceptatione divina, quæ est potissima ad rationem meriti, nulla repugnantia potest adferri, quin talibus actibus possit quis mereri de potentia Dei absoluta vitam æternam.

192 Concl. 5. Ex parte Dei acceptantis requiritur pactum, seu promissio Dei de dando præmio actui meritorio, quæ est veluti fundamentum meriti, seu obligationis justitiæ; quæ ex tali pacto nasci potest: N. autem, quòd hic non est sermo de acceptatione, & ordinatione actus ad præmium, sed de promissione Dei acceptandi tale opus ut meritorium vitæ æternæ: Aliud enim est promissio, pactumque Dei: aliud acceptatio, & ordinatio; acceptatio enim in plus se habet, quàm promissio, nam omnis promissio est ordinatio, non è contra; promissio ergo antecedit meritum, nam ideo fit ut merens stimuletur ad opus, cui fit promissio præmii; acceptatio verò potest consequi opus, ut Princeps potest acceptare servitium postquam præstitum est ad præmium: sic Mastrius *d.3. n.87.* & Suarez *l.12.de gratia c.16.& 17.* aliique passim. Hinc quæstionem hanc excitant circa promissionem antecedentem, quæ dubium inducit; an ad meritum de condigno requiratur ista promissio, an verò ex natura sua, & ex justitia etiam præcisa promissione, ipsi debeatur præmium. In qua prima opinio est Nominalium, & plurium Scotistarum apud Mastrium, valorem operis meritorii sumi solùm ex acceptatione Dei: 2. verò nullatenus conferre talem acceptationem ad rationem meriti, estque Valquez, & aliorum: 3. dicit, non requiri acceptationem divinam essentialiter, sed tantùm ad complementum, & consumatam perfectionem meriti, quatenus hæc promissio inducit debitum, & obligationem justitiæ aliquo modo ex parte retribuentis; unde inferunt, quod aliud est, aliquod bonum opus esse dignum vita æterna, aliud est debere ipsi ex justitia à Deo; hoc secundum additur ex promissione divina, sic Becanus, Joan. à S. Thom. Lezana, aliique passim; & hæc est sententia Seraph. Vt autem totum rectè intelligatur: Advertendum est, quòd duplex acceptatio potest intelligi in hoc proposito, ad hoc ut opera sint meritoria vitæ æternæ de condigno: Alia est habitualis, alia actualis, & extrinseca: Prima habitualis est per gratiam adoptionis, quæ quidem dignificat personam principaliter inhærendo illi formaliter, & per consequens concomitatur ipsum opus personæ quodammodo in genere causæ efficientis, ac etiam formalis extrinsecè, ratio est (quàm fusè tradit, & explicat S. Bonav. *l.2 d.27.a.2.q.3.& l.4.d.17.p.1.a.2.q.2. ad argum. & alibi passim*) quia gratia formaliter constituit naturam sanctam, ex quo fit operationes ab ea procedentes majorem æstimabilitatem habere eo modo, quo fit inter homines, quo nobilior est persona, à qua procedit actio, seu obsequium alteri præstitum, majorem æstimabilitatem habet tale obsequium; cum autem gratia concurrat efficaciter ad istas actiones bonas simul cum voluntate operante, etiam ipsæ actiones dignificantur, non quidem physicè, quia physicè sanctitas non utitur actionibus, sed tantùm extrinsecè physicè, moraliter autem intrinsecè, quatenus procedunt à principio tam nobili.

Alia acceptatio verò extrinseca est ipsum pactum, & promissio, quæ cadit immediatè super actum ipsum; non autem super personam ipsam; & hæc obligatio est facta à Deo ex mera liberalitate, qua voluit promittere se ipsum diligentibus se; sicque talis promissio non ponit propriè obligationem in retribuente, sed tantùm ordinationem actus ad remunerationem. Hinc R. huic quæsito; quod utraque acceptatio requiritur ad opus meritorium de condigno, nempe ex acceptatione intrinseca proveniente ex gratia in operante facta à Deo, quod intelligitur ex Matth. *c.20.* In illa parabola vineæ, *Ite & vos, &c.* ubi per, lý, *conventione facta* indicatur acceptatio, seu promissio; pactumque factum à Deo de tali, ac tanta mercede retri

retribuenda, & per, ly, *quod justum est dabo, &c.* Insinuatur alia acceptatio intrinseca ad opus meritorium de condigno: quæ omnia clarius in sequenti quæstione explicabuntur.

QVÆSTIO II.

Solvuntur alia dubia super quæstionem antecedentem de ratione formali meriti.

193 QUæres 1. *An necessariò opus meritorium debeat esse liberum, & honestum, seu bonum moraliter, ita ut non possit condignè præmiari opus naturale, & necessarium, vel indifferens, vel etiam de potentia Dei absoluta opus malum supposita acceptatione divina?* R. 1. Quod necessariò opus debet esse liberum, scilicet à voluntate vel eliciente, vel imperante, vel acceptante, ut ait Seraph. *l.* 3. *d.* 18. *a.* 1. *q.* 3. Debet & esse opus moraliter bonum, idest capax laude, vel vituperatione, ut ait Seraph. D. Nota autem, quod moralitas differt à libertate, nam moralitas est ratio operi ab extrinseco adveniens, nempe regulabilitas per raionem exigens pro fundamento libertatem in operante, ut diximus in disput. de Actibus humanis; ratio autem, quare opus meritorium debeat esse liberum, est, quia meritum est veluti quidam contractus ex justitia, quo merens offert, quod suum est præmianti in ipsius obsequium, & ad id requiritur dominium contrahentium supra suos actus, quod non potest haberi sine libertate: Sed hîc advertendum ex supra traditis, quòd hæc libertas in nobis, jureque ordinario debet esse contradictionis, & exercitii, licèt non esset contrarietatis, & specificationis, ut patet ait Seraph. in confirmatis in gratia: Et quo ad moralitatem patet, quia alioquin opus non haberet ullum ordinem ad præmium, quæ moralitas, & bonitas debet esse in actu, non solùm ex genere suo, vel ex objecto, sed etiam ex omnibus circumstantiis, ita ut ex nulla vitietur, alioquin erit totus malus, & hinc patet, quod actus indifferens, ut sic, non est capax præmii, sed debet esse moraliter bonus, scilicet ex extrinseca ratione superaddita ex industria operantis per rectam intentionem.

An verò hæc conditio moralitatis sit intrinsecè necessaria, est in quæstione, sed communis est affirmativa: Nam ut supra diximus ex Seraph. ultra acceptationem Dei extrinsecam, requiritur intrinseca, scilicet gratia sanctificans ordinans ad præmium ex se: Unde falsum est, quod dixit Maironus *l.* 1. *d.* 17. *q.* 2. cum aliquibus aliis, Deum posse promittere gloriam blasphemanti ipsum ob ipsam blasphemiam; & hoc ait, quia meritum stat in acceptatione divina; unde etiam posset promittere præmium actibus naturalibus, seu indifferentibus, falsum, inquam, est, & indecens auribus Christianis, quia in tali casu deficeret acceptatio intrinseca, de qua supra dictùm est, & si daret gloriam actibus naturalibus, & necessariis, vel indifferentibus manentibus in sua indifferentia, tunc non daretur vita æterna propter illos actus tanquam propter causam, sed ad præsentiam illorum, vel illis positis tanquam conditionibus (dixi si actus indifferentes manent in sua indifferentia) nam si Deus eos consuleret, vel præciperet, essent saltem imperati ab obedientia, & sic essent moraliter boni: Vide S. Bon. *l.* 2. *d.* 27. *a.* 2. *q.* 3.

Dices cum Nominalibus: Posset Deus pacisci præmium propter aliquod opus necessarium, vel etiam in pueris, ut patet in innocentibus occisis ab Herode, ergo non necessaria est libertas, vel moralitas. R. S. Bon. *l.* 4. *d.* 4. *dub.* 1. quòd ad præmium requiritur justa voluntas, & justa causa, uti requiritur, maximè ad Martyrium, unde in pueris deficit justa voluntas; in bono Latrone justa causa; sed Christus ex speciali privilegio pueris supplevit defectum voluntatis veluti suis coetaneis, & Latroni defectum justæ causæ, sed quid sibi vult ista suppletio? Hoc est, quod in talibus casibus vita æterna non est merces respectu illius actus, sed potiùs habet rationem cujusdam doni liberaliter à Deo concessi, aliqua conditione supposita; quia propriè meritum dicit causalitatem ad præmium; sic in his casibus illi actus acceptarentur à Deo ad vitam æternam, non verò ad præmium vitæ æternæ; unde semper requiritur ad meritum libertas voluntatis, saltem quo ad exercitium vel elicientis, vel imperantis, vel acceptantis, ut dixit Seraph. de passione illata Christo ab inimicis.

Q. 2. *Qualis proportio requiratur inter meritum, & præmium?* R. ex traditis supra in antecedenti quæstione ad 3. conclusionem ex Seraph. *l.* 2. *d.* 17. *a.* 2. *q.* 3. *& Comp. Theol. l.* 5. *c.* 9. Non requiri proportionem, seu æqualitatem Arithmeticam, sed Geometricam; Arithmetica est æqualitas quantitatis, & fori, ut si detur unus panis pro uno obulo; Geometrica est justitia distributiva, quæ est principium, quo distribuuntur dona secundùm proportionem meritorum, & hæc proportio, non solùm supponit in principio operante libertatem, & gratiam, sed maximè comparationem habet ad largitatem dispensantis, & ad veritatem pollicentis Dei; Deus enim sua liberalitate promisit maximum præmium cuique operi meritorio, unde cum ratione debiti stat ratio etiam gratuiti, quare proportio ista partim est ex justitia, partim est ex liberalitate dantis. Vide S. Bon. *l.* 2. *d.* 27. *quæst. ult.* 194

Dices: Quia ex data doctrina sequeretur non dari ullum meritum de condigno cum Deo, sed quodlibet esset de congruo, hoc enim dependet ex mera liberalitate divina, non ex justitia. Prob. sequela, quia meritum de condigno exigit æqualitatem inter meritum, & præmium, sed ex traditis intervenit gratuita liberalitas Dei dantis præmium: ergo, &c. R. S. Bon. *l.* 2. *d.* 27. *quæst. ult. & in Comp. Theol. cit.* negando sequelam: Ad probationem resp. esse verum requiri æqualitatem omnimodam, præcisa quacumque liberalitate in politia humana, & fori, non in politia Dei, qui est absolutus Dominus omnium, nec ab ulla creatura potest ad aliquid obligari, & si se obligavit, id est totum ex liberalitate, & benignitate sua; tum ob suam largitatem; tum ob veritatem suæ promissionis. Et ad id de merito congrui. R. Seraph. *d.* 27. *cit.* quòd tale meritum potest dici congruum, simulque condignum; comparatum enim ad libertatem voluntatis, à qua ortum habet, est meritum congruum: Si ad gratiam, à qua itidem oritur, est meritum condignum; item si comparatur ad largitatem dispensantis tantùm præmium pro parvo opere, est meritum congrui, cum non adsit æqualitas; si ad veritatem promittentis, sic est meritum de condigno, quia Deus liberaliter se obligavit; item si comparetur ad temporis congruitatem, quia nunc est tempus seminandi; sic congruum

congruum est, ut fructus abundantes colligat; si ad operis arduitatem, cum voluntas supra se per gratiam elevetur præponendo bono proprio bonum æternum, sic est meritum condigni: Vide *ibid.* D.Bon. ubi pulcherrima ad hanc rem, & *l.4. d.45.a.2.q.2.corp.*

Dices 2. ergo inter Deum & justum non intervenit verum meritum? Calvinus admittit hanc sequelam excludendo omnem rationem meriti ab homine. Durandus admittit meritum impropriè in ordine ad gloriam, quia docet provenire solùm ex acceptatione divina: Citanturque Scoristæ pro hac sententia à Vasq. aliique. Qui non attigerunt sententiam Scoti, ut advertit Mastrius. Communis opinio Seraph. D. supra cit. *d.27.l.2.* & Scoti, aliorumque negat sequelam, admittens veram rationem meriti de condigno, quod & patet ex Concil. Trident. *sess.6. c.16.* ex pluribus locis Sacræ Script. in quibus vita æterna promittitur operibus, ut merces, corona, præmium, bravium, ad rationem verò allatam de acceptatione resp. aliud esse æqualitatem proportionalem inter meritum, ad hanc enim sufficit libertas voluntatis, & gratia sanctificans elevans opus ad tantam condignitatem; aliud esse obligationem liberaliter contractam in promissione à retribuente; unde ad condignitatem meriti non requiritur nova acceptatio, ut malè docuit Rada *p.3.can.2.a.1.* ex quo duplici capite, scilicet ex gratia & voluntate, & supposita promissione divina meritum habet suum complementum. Et hinc sequitur, meritum dividi in congruum, & condignum non in genere naturæ, & moris, sed Theologicè, nempe ex ratione intrinseca voluntatis simul cum gratia producentis actum, & ex intrinseca dispositione divina, ejusque lege posita.

Dices 3. Christus meruit nobis gloriam, quæ ideo dicitur ad Rom. *c. 6. Gratia Dei, & cap.8.* dicit Apostolus: *Non sunt condignæ passiones, &c.* Tum quia meritum de condigno est ex justitia, quæ non potest intercedere inter nos, & Deum: R. S. Bon. *d. 27. cit. ad 2. & 3.* & ex tradendis infra de merito Christi, qui dicitur, nobis meruisse gloriam, quatenus nobis meruit gratiam, qua supposita, possumus mereri gloriam, & in hoc sensu dicitur gratia: Passiones autem hujus temporis non sunt condignæ, ait Seraph. D. *cit. ad 1 & 2.* quatenus considerantur prodeuntes à voluntate nostra, non quatenus prodeunt ex gratia: Potest etiam intelligi quoad disparitatem durationis hæc improportio. Et ad aliud, quòd meritum requirit obligationem ex justitia, resp. sufficere, condignitatem operis provenientem ex gratia habituali, & ex promissione divina, unde non est propriè justitia commutativa, sed dispensativa, & similitudinaria aliqualiter.

195 Q. 3. ***Quænam est hæc justitia, in cujus virtute redditur præmium merito?*** R. ex traditis, & ex Seraph. *d.27. l.2.* Deum remunerare merita nostra, non solùm ex gratitudine, & fidelitate, sed etiam aliquo modo ex justitia, non tamen rigorosa: Ratio à priori est, quia retributio debita meritis non spectat purè ad fidelitatem, & veritatem promissionis, quia hæc habet æqualitatem doni cum promissione, seu facti cum dicto, sed etiam addit æqualitatem præmii cum valore meriti: ergo ad aliam virtutem spectat, magis quàm ad fidelitatem, cum conjungatur, cum onere, & compensatione ex parte retribuentis: Tum quia in justificatione peccatoris, & glorificatione est hoc discrimen, quod in illa datur gratia, non ex meritis, & ut merces; at in glorificatione datur gloria, ut merces; quod & notat S. Bon. *l.2. d.27.* & suo loco dicetur: Vnde justitia hæc non est absoluta, & rigorosa, sed tantùm secundùm quid, & fundata primò in promissione Dei, 2. In condignitate operum bonorum; & prob. quia debitum justitiæ non fundatur in gratia, & liberalitate remunerantis, sed meritum fundatur in pacto gratuito Dei, & in gratia liberaliter collata: Tum quia Deus in conferendo gratiam non privatur suo dominio absoluto, quod esset necessarium ad veram justitiam.

Q. 4. ***Quomodo sit verum, quod Deus præmiat ultra condignum, & punit citra condignum, id enim videtur tollere rationem meriti, & demeriti?*** R. ex Seraph. quòd cum condignitas meriti ad præmium proveniat à gratia habituali, & à voluntate cum ipsa cooperante, & tamen cum ad executionem talis præmii requiratur nova voluntas, lexque Dei positiva promissiva talis præmii, hinc sequitur, ait Seraph. *l.1. d.27. cit. ad arg.* quòd meritum condigni non ponit obligationem pro præmii retributione in ratione dati, & accepti, & rigorosæ justitiæ, sed tantùm ex mera benignitate, qua voluit se ipsum obligare, ideo sequitur, quòd semper præmiat ultra condignum, nempe ultra id, quod quis meretur de absoluta æqualitate. Addunt piissimè alii Theologi, quòd præmium est ultra, idest ultra condignitatem, quam habent merita ex gratia habituali absolutè, & secundùm se inspecta, datur aliquid ampliùs ex dignitate, quam habet ex meritis Christi; idque docet Seraph. Vide etiam, quæ tradit idem *l.3.d.18.a.2.q.1. ad 1.* Addit S.D. *l.4.d.46. a.2. q.2.* Quòd licèt Deus, ordinariè loquendo, in augmento det tantam gratiam, quantam quis meretur: In ingressu tamen gloriæ alios gradus nobis emeritos à Christo supra merita tribuit ex sua liberalitate; unde licèt plura loca Sacræ Scripturæ indicent unicuique se daturum præmium secundùm laborem, & opera, ut ad Rom.c 2. & 1. ad Corinth. c.3.& c.9. Non tamen excluditur augmentum ex mera liberalitate dantis. Idem est dicendum suo modo de pœna damnatorum, quam poterat taxare ex justitia in summo, non tamen sic eam taxavit, ut reluceret in eo simul justitia, & misericordia. 196

Q. 5. ***An meritum de congruo, & de condigno, & de digno conveniant univocè?*** R. ex doctrina tradita à Seraph. *loc. cit. in 1.q. & l.3. d.18. a.1.q.2.* Affirmativè, sed cum aliqua analogia annexa; nam meritum de congruo in ratione meriti est verum, & reale, nam licèt ex parte dantis datum sit gratuitum, tamen ex parte merentis adest aliqua ratio, & motivum, quod secundùm rectam rationem movet benefactorem ad collationem talis boni; verum quidem est (ait *S. Bon.*) Quòd si compararetur ad meritum de condigno, dici debet meritum improprium: meritum digni verò ex parte orantis, & impetrantis est verum meritum, quia justus meretur exaudiri, & ideo & ipsum involuit aliquam rationem meriti; sed meritum condignum habet plenam rationem meriti ex parte utriusque extremi scilicet merentis, & dantis. 197

Q. 6. ***An major dignitas personæ ex majori gratia habituali, cæteris paribus, augeat meritum operis?*** v. g. sunt duo justi inæqualem habentes gratiam, & producunt quilibet actum proprium, sed cum æquali intensione, & circumstantiis: An habens majorem gratiam mereatur plus, quàm habens minorem gratiam? 198

Prima ſententia Vaſq. aliorumque negat augeri meritum: 2. Affirmat, eſtque D. Bon. infra cit. Suar. Valent. Caſpenſ. aliorumque magis communis, & vera, ſic *l.2.d.22.q.ult.ad 4. & d.5.a.3.q.2. Comp.& d.29.c.ult.& d.4.a.2.q.1. corp. aliuſque pluribus locis*, in quibus ſemper dat locum, & rationem majoris meriti gratiæ majori ſanctificanti; ſic & Scotus *l.4.d.14.q.2.a.2.* Notat tamen rectè Maſtrius *d.3.n.253.* quòd hoc eſt intelligendum, cæteris paribus; nam poteſt major valor, quem ſumit actus viri ſanctioris ab intenſiori gratia, ſuppleri, imò & ſuperari per valorem deſumptum ex majori intrinſeca honeſtate operis viri minùs Sancti, & cæteris circumſtantiis, quòd & advertit S Bon. *l.2.d.27.a.2.q.3. & d.29.q.ult.* Pr. autem à priori hæc ſententia ex doctrina Seraph. quia dignitas perſonæ operantis eſt una, & quidem præcipua ex conditionibus ad meritum requiſitis, quæ augent valorem operis in ordine ad præmium, etiamſi ex parte operis cætera ſint æqualia: Sed gratia conſtituit hominem dignum: ergo & conſequenter major gratia meritum augebit, etiamſi aliàs opus ſit æquale: Probatur conſeq. quia ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis ex Ariſt. & explicat D. Bon. *l.4.d.18.a.1.q.1. ad 1.* nam adeſt eadem ratio in extremis.

Dices: Promitti in Sacra Script. mercedem operibus, non habitibus; ergo menſura præmii non ſumitur ex menſura gratiæ: R. deberi operibus quidem, ſed quatenus agens eſt in gratia, & producuntur etiam ab habitu; ſic S.Bon. *d.29.cit.* Dices: Sequeretur, etiam actus malos fieri magis demeritorios ex majori indignitate ſubjecti, & ex gravioribus, ac pluribus maculis peccatorum, quod non admittitur in recta Theologia; ergo nec in merito, &c. R. neg. ſequelam, & paritatem, quia peccatum habituale non eſt per ſe neceſſarium ad dandam actui condignitatem ad pœnam, ſicuti gratia eſt neceſſaria ad dandum actui valorem; ratio eſt (ait Seraph. *d.29.cit.*) quia gratia non ſolùm elevat animam, ſed & cum ipſa concurrit ad actum, non ſic peccatum. Dices iterum, quia ex hac ſententia ſequitur in uno, eodemque actu ſemel elicito augeri meritum magis, ac magis abſque termino; ſicque datur proceſſus in infinitum. Prob. ſequela, quia quando juſtus exercet actum bonum, recipit etiam in eodem numero augmentum gratiæ, quod meretur, & tunc fit habitualiter ſanctior, & ſic repetendo actus, ſemper multiplicabitur gratia in infinitum. Augetur difficultas ex arg. calculatorio, v. g. homo habet centum gradus gratiæ habitualis, ſi tunc producatur gradus remiſſus, v. g. temperantiæ, augebitur duplo major illa gratia, quam antea; & ſi repetat talem actum ſemper duplicabitur in infinitum, & ſi producit actum nobiliorem, v.g. charitatis, vel religionis, tunc triplicabitur, vel quadruplicabitur proceſſus in infinitum, quod planè eſt abſurdum.

Theologi hanc noſtram opinionem ſequentes, ut è medio tollant has difficultates diſtracti ſunt in varia dicta, & reſponſiones, ut videre eſt apud Maſtrium, Lugum, Suar. alioſque. Et ad primam difficultatem R. Lugo, actum bonum dignificari quidem à gratia tota exiſtente in ſubjecto, non tamen à ſubſequente, quæ datur in ratione præmii; ratio à priori (ait Lugo) deſumitur ex ratione meriti, & præmii: meritum, ut cauſa moralis, movet Deum præmiantem ad dandum præmium ex his, quæ merens affert de ſuo, pro ut contra diſtinguitur à retributione præmiantis, & independenter ab ipſo, ut præmiante; præmium verò, ut præmium ſtat ex parte præmiantis, & id, quod ſe tenet ex parte præmiantis non conducit ad operis dignitatem, quæ tota deſumitur ſolùm ex actu operantis, cum circumſtantiis, & conditione merentis. Ad aliud argumentum calculatorium multi multa dicunt, ſed magis adæquata reſponſio eſt deducta ex doctrina Seraph. *in Comp. Theol. l.5.c.9.* quòd valor operis creſcit quidem ex dignitate majoris gratiæ, ſed non ad æqualitatem Arithmeticam, ſed tantùm ſecundùm proportionem Geometricam; ob idque tantùm creſcit valor ſecundùm proportionem ex divina providentia præfinitam; nam gratia perſonæ ita dignificat actum, & opera ſecundùm quod dignificat ipſam perſonam; unde dignificatio proveniens ex gratia habituali ipſi actui meritorio præciſè ſumpta non majorem communicat valorem uni actui, quàm alteri, niſi aliunde ex circumſtantiis, vel ex objecto habeat majoritatem ſuper alium actum, quæ reſponſio eſt cæteris adæquatior, &c.

QUÆSTIO III.

An in Chriſto fuerit meritum ſecundùm omnes conditiones?

SUppono tanquam de fide, in Chriſto fuiſſe ve- 199
rum meritum, in quo omnes Catholici conveniunt, ſolùm difficultas poteſt eſſe, an habuerit hoc meritum omnes conditiones ſupra poſitas ad rationem meriti requiſitas, quæ ſunt; tum ex parte actus; tum ex parte perſonæ merentis; tum ex parte Dei acceptantis, quæ omnia ſolventur per concluſiones ſequentes: Not. autem, quod præcipua difficultas eſt, an Chriſtus fuerit liber libertate neceſſaria ad meritum. Aliqui dixerunt, non fuiſſe liberum in actibus ſuis, & tamen meruiſſe, quia lex de libertate actuum moralium fuit lata tantùm pro cæteris hominibus, non pro Chriſto ob peculiare privilegium, ſuffeciſſeque libertatem à coactione, quam appellant complacentiæ, & ſpontaneitatis, ſed errant valde, nec iſta opinio eſt plenè tuta; eſt enim contra ſenſum Conciliorum, & Sanctorum Patrum; tum etiam, quia nullibi invenitur iſta exemptio facta Chriſto; tum quia falſum eſt id, quod ſupponunt, nempe libertatem ad meritum non requiri ex intrinſeca ratione meriti, ſed tantùm ex lege intrinſeca Dei, ſicuti etiam requiritur ad demeritum. Conveniunt ergo cæteri omnes, requiri libertatem à neceſſitate determinante ad unum: Ratio eſt jam fusè explicata in diſp. de actibus humanis, quia actus meritorius debet eſſe bonus moralis, bonitas autem moralis, & malitia præſupponit libertatem, & indifferentiam ad utrumlibet, ut fundamentum totius moris, hinc enim pueri, & amentes non merentur, nec demerentur: Cum autem Chriſtus caruerit hac libertate in actibus præceptis; tum ratione unionis hypoſtaticæ; tum ratione viſionis beatæ, alioquin potuiſſet peccare, eos omittendo, videtur difficile ſalvare rationem meriti. Hincque orti ſunt varii modi dicendi, quos ſupra diſp. antecedenti *q.2.* ſatis expendimus.

Not quod aliàs dictum eſt, quod Chriſtus verus fuit Mediator, & Redemptor conſtitutus à Patre, ob id debuit viator, & comprehenſor eſſe

ex

ex ſpeciali privilegio: ut Mediator, & Redemptor cum deberet deſtruere peccatum, ideo debuit eſſe impeccabilis, immuniſque à peccato quo ad potentiam ſaltem proximam, & cum ex alia parte deberet mediare inter nos, & Deum, orare, advocare, etiam conveniens fuit, ut poſſet mereri. Hinc eſt, quod in ipſo admitti debuit potentia remota peccandi. Vt viator eſt, & ſimul impediri potentia proxima, quæ ei inerat intrinſecè, ſicut & cæteris hominibus, & hoc, non per aliquid de novo in eo impreſſum, ſed per extrinſecam denegationem concurſus Dei ad actum peccaminoſum, & hoc,ut dictum eſt,ex ſpeciali privilegio: ſic Seraph. D. *l.3. d.12. a.2. q.1. & 2. & d.18. a.2. q.2. ad ary.*

200 Concl. in Chriſto fuit libertas ſufficiens ad meritum. Sic Scotus *l. 3. d.18.* cui aurevit Seraph. *l. 3. d.18. a.1. q.2. ad 1. & 2.* Vbi advertendum, quòd confirmatio in gratia non tollit libertatem intrinſecam, & bonitatem moris, & quod Chriſtus ex ſpeciali privilegio fuit viator, & comprehenſor; hinc ſequitur, quòd licèt in cæteris hominibus requiratur libertas, non ſolùm intrinſeca, & eſſentialis, ſed & contrarietatis, & contradictionis, attamen non abſolutè eſt neceſſaria, ut non poſſet ſufficere libertas intrinſeca, ſaltem ex diſpenſatione divina, ad hoc, ut actio ſit laudabilis, & contingens, excludendo neceſſitatem intrinſecam, licèt habeat extrinſecam per denegationem concurſus parati ad utrumlibet: Ratio eſt, quia ut ſupra dictum eſt, meritum eſt veluti quidam contractus ex juſtitia, quo merens offert, quod ſuum eſt ad præmiantem, qui eſt Dominus præmii, quod dat pro illo; ideo ex utraque parte requiritur dominium ſuper ſuos actus, hinc & libertas; ſed dato, quòd Deus retrahat ſuum concurſum ad actum oppoſitum, adhuc voluntas habet dominari ſuper actus ſuos; ergo iſtud ſufficit. Prob. minor exemplo Juriſtarum, qui admittunt jus in aliqua re, ſimulque impedimentum, ne habens tale jus, poſſit illud obtinere, ergo & in Chriſto ex ſpeciali privilegio: quæ libertas ſimiliter admittitur à D. Bon. & Scoto in Beatis, licèt poſtea non poſſint mereri, quia ſunt extra viæ ſtatum. Confirmatur, quia, ut docet D. Bon. poſſe peccare non eſt pars libertatis abſolutè, ſed pars libertatis deficientis, & ab extrinſeco.

201 Dices: Si Chriſtus habuit libertatem intrinſecam ad utrumlibet; ergo poterat omittere actus præceptos, & ſic peccare, quod eſt falſiſſimum. R. Chriſtum potuiſſe omittere actus præceptos potentia remota, non proxima; nam confirmatio in gratia non tollit hanc libertatem, ut rectè advertit S. Bon. *l.3. d.18. a.1. q.2. ad 1.* Dices: ergo in nobis, & in Beatis ſufficit talis potentia remota, ſicque ſine potentia ad utrumlibet poterit quis mereri. R. neg. ſequelam: In nobis enim requiritur potentia proxima: In Beatis verò, quia ſunt extra ſtatum viæ, non ſufficit libertas remota, ſed in Chriſto fuit illa potentia remota, non proxima ex denegatione extrinſeca concurſus Dei; & hoc fuit privilegium Mediatoris, qui cum veniſſet ex una parte deſtruere peccatum, debuit omnino eſſe expers peccati phyſicè, & ex alia parte poſſe mereri pro nobis.

Dices tandem: vel potuit Chriſtus non implere præcepta, vel non potuit: ſi primum, ergo poterat peccare; ergo non habebat libertatem ad utrumlibet. R. ex traditis: Potuit, & non potuit, potuit quidem potentia remota, non potuit potentia ordinaria ad peccatum, ut ait Seraph. D. *cit.* ſcilicet proxima, & hoc ex diſpenſatione divina, prout erat viator, & comprehenſor.

Concl. 2. Ad merendum Chriſtus habuit gratiam unionis principaliter, & minùs principaliter gratiam habitualem; ratio primæ partis eſt, quia, ut in ſuperioribus probatum eſt, gratia unionis fuit forma eminenter ſanctificans: At in opinione aliorum, quia unio ad deitatem infinitè dignificabat humanitatem in ordine gratiæ; ergo ei debebantur omnia ſupernaturalia dona uſque ad viſionem beatam incluſivè; ergo & gratia habitualis; ſed hæc etiam facit ad meritum ex natura ſua, ergo, &c. Vide S.Bon. *l.3. d.13. q.1.*

QUÆSTIO IV.

Per quos actus meruerit Chriſtus?

NOt. 1. Quod, cum omnes de fide admittant, Chriſtum ſibi meruiſſe, & nobis per actus virtutum, ſolùm eſt difficultas circa actum charitatis, & amoris in Deum, an verè meruerit; ratio difficultatis eſt, quia iſte actus erat fruitionis beatæ, ideoque neceſſarius, ob idque videtur non potuiſſe mereri per ipſum, ſic docet Vaſq. Alii verò admittunt duplicem actum amoris in Chriſto, alium procedentem à ſcientia beata, iſtumque fuiſſe neceſſarium; alium procedentem à ſcientia infuſa, & hanc fuiſſe liberam. Sic. Caſpenſ. *d.10. ſect.2.* aliique plures recentiores cum Suar. eſtque opinio etiam D. Bon. *d.18. q. 2. ad 1. & 2.* Tertia opinio eſt, quod meruit per omnes actus amoris. 202

Concl. 1. Chriſtus meruit per habitum charitatis, & amoris. Eſt Seraph. D. *l. 3. d.18. a.1. q.2. ad 1. & 2. & aliis locis ſupra cit.* & prob. quia, licèt Chriſtus eſſet comprehenſor, & Beatus, ob id neceſſariò Deum diligebat, tamen erat etiam viator ex ſpeciali privilegio; ergo ut viator habebat libertatem intrinſecam ad utrumlibet, ſed cum eſſet ab extrinſeco impedita, ut ſupra in præcedenti quæſtione, hinc & poterat mereri; nam confirmatus in gratia poteſt mereri; ergo multò fortiùs Chriſtus. Nota autem, quod Seraph. *loco cit.* Admittit in Chriſto duplicem habitum charitatis, ſcilicet proprium compræhenſoris, & proprium viatoris.

Concl. 2. Probabilior eſt opinio 2. ſuprapoſita. Sic S.Bon. *d.18. a.1. q.2. ad 1. & 2.* Chriſtum potuiſſe habere actum amoris procedentis ex viſione beata, huncque non fuiſſe meritorium, quia antecedenter fuit neceſſarium, & alium procedentem ex ſcientia infuſa, iſtumque fuiſſe liberum, quia ſolùm conſequenter habuit neceſſitatem ex extrinſeca denegatione concurſus divini, huncque fuiſſe meritorium: Ratio eſt (ait D. Bon.) quia fuit viator,& compræhenſor; ergo habuit habitum charitatis utriuſque ſtatus; & per hanc limitationem de neceſſitate extrinſeca ſolvi poſſunt omnes objectiones Vaſq.

Concl. 3. Chriſtus meruit per actus ſupernaturales aliarum virtutum infuſarum, & moralium. Eſt communis Theologorum; imò de fide, nam habuit omnes conditiones neceſſarias ad meritum, nempe gratiam unionis, & habitualem; & libertatem; ergo de facto meruit. Objic. cum Averſa; Non poſſe eundem actum ſimul eſſe realiter neceſſarium & liberum; ſed talis eſſet actus amoris in Deum, ſi potuiſſet Chriſtus mereri per ipſum, ergo, &c.

&c. R. ex traditis concedendo, non posse eundem actum intrinsecè, & essentialiter esse simul necessarium, & liberum; posse tamen intrinsecè esse liberum, & solùm ab extrinseco esse necessarium, nempe ex defectu alicujus extrinseci, ut est visio beata, vel denegatio concursus Dei, ut dictum est supra.

QVÆSTIO V.

Quo tempore Christus mereri incæpit, & quo desiit?

203 DUplex opinio circa inceptionem meriti circumfertur, quas affert Seraph. *l.* 3. *d.* 18. *a.* 1. *q.* 1. Prima incæpisse mereri asserit à primo instanti conceptionis suæ. Secunda post primum instans incæpisse mereri docet; prima est D. Thomæ, & sequacium: 2. est Durandi, Alensis, utramque probabilem reputat Seraph. sed faciliorem existimat secundam. Circa perseverantiam meriti Durandùs ait, Christum non meruisse nisi in ætate adulta, sed communior est opposita, nempe ab instanti conceptionis semper meruisse etiam in somnis. Circa desitionem, omnes Theologi conveniunt desiisse in ultimo instanti vitæ suæ.

Not. 1. ex Seraph. D. *cit. in corp.* quod ad perfectionem meriti duo concurrunt, nempe ipse habitus gratuitus infusus, & ipsius habitus usus, & actus; 1. modo Christus habuit in 1. instanti ipsum habitum infusum, nempe gratiam unionis, & habitualem, per quam dignus erat præmio; & hoc est de fide; ita etiam si amplius nihil operatus fuisset, & esset mortuus, ipsi debebatur gloria immensa: 2. modo quo ad actum, & usum, in quo consistit ratio propria merendi. N. 2. ex Seraph. *ibid.* quòd, cum in Christo fuerit data perfectissima gratia unionis, & gratia habitualis super omnes alias creaturas rationales, non implicat, quod ipsi infusa fuerit talis gratia non solùm in habitu, sed etiam in suo usu, ita ut anima Christi in eodem instanti habuit creari, & infundi, gratiaque informari, & exire in actum meriti, quæ consistit in motibus voluntatis; & hæc doctrina est pro prima opinione. Pr. 2. verò est, quod, cum priùs sit esse, quàm agere, & præcipuè eo genere actionis, quod spectat ad usum deliberativæ voluntatis, qualis est actus meritorius, sic videtur non potuisse mereri.

204 Concl. 1. Probabilis est opinio dicens, Christum solùm incæpisse mereri post primum instans; sed probabilior est opposita, cum magis faciat ad dignitatem Christi. 1. Pars pr. quia priùs est esse, quàm operari, sed mereri est agere; ergo priùs Christus fuit in esse completo. 2. Quia anima Christi incæpit mereri; sed qui aliquid incipit, exit de otio in actum, seu de non operante in operantem: ergo, &c. 3. Quia ad meritum requiritur deliberatio, ob idque & collatio: ergo & temporis successio. 2. Pars pr. primò ex Hier. 31. ubi ab instanti conceptionis appellatur vir, sed non fuit vir quantùm ad ætatem: ergo quantum ad animi vigorem, & virtutem; & perfectionem, sed hæc consistit in merendo: ergo, &c. Tum etiam probatur auctoritate Greg. citati à D. Bon. ibidem; tum quia ab instanti conceptionis fuit Beatus; ergo habuit habitum beatitudinis scilicet in actu: ergo & eadem ratione virtutum usum; tum quia anima Christi est nobilior, potentior, & deiformior, quàm lux; sed hæc in eodem instanti, quo incipit, est in suo actu; ergo, &c. Tum etiam quia anima nostra in primo instanti inficitur peccato, ergo fortiùs anima Christi in actu meriti: Seraphicus cum sit problematicus, resp. ad utriusque sententiæ rationes. Et quo ad primam partem. Resp. ad 1. quòd priùs est esse, quàm operari, quantùm ad pronitatem naturæ, non temporis, ut patet de luce ait D. Augustinus: Ad 2. respondet, quòd incipiens operari exit ab otio in actum, id verum est de operatione, sine qua substantia operans potest esse, non autem quando substantia transit à non esse ad esse, quia potest simul esse, & operari, Ad 3. resp. negando requiri collationem in habente deiformitatem gloriæ, ob quam potest simul plura intelligere supernaturaliter.

Dices: Angelus in primo instanti non peccavit, & tamen ita citò usum liberi arbitrii habuit, sicut anima rationalis, cum creatus fuerit in cognitionis perfectione: ergo nec anima Christi potuit mereri. R. S. Bon. negando paritatem de anima Christi, & Angelo: Primò quia Angelus non potuit simul plura intelligere, sicut anima Christi: 2. negando paritatem de peccato, & merito, peccatum enim dicit motum inordinatum, & contrarium naturali rectitudini, ideoque non potuerunt esse simul; meritum verò dicit naturalis rectitudinis complementum, ob idque potuit creari cum rectitudine omnimoda, & simul cum actu ipsam implente.

Dices 2. id, quod habetur in primo instanti sui esse, adscribitur extrinseco agenti danti tali esse; sic qui claudus nascitur, adscribitur claudicatio generanti: ergo si Christus in primo instanti meruit, tale meritum debet adscribi Deo danti tale esse. R. S. Bon. verum esse antecedens de his, quæ sunt merè negationes: non verò de his, quæ habent simul cooperationem, ut in nostro casu: sic Sol creatus in primo instanti illuminat propria operatione. Quoad rationes probantes, Christum meruisse in primo instanti, estque opinio propria Seraph. D. ex eo quod affert *in corp. quæst.* quia, quod non repugnat Christo, est admittendum ad majorem ipsius perfectionem, & excellentiam, sed talis modus non repugnat, imo facit ad majorem exaltationem: ergo, &c. Attamen etiam respondet ad rationes istius opinionis veluti ad mentem aliorum: Ad primam dici Christum virum in instanti conceptionis ex habitu gratiarum, in quo fuit creatus, quæ responsio tamen non evacuat difficultatem, cum etiam tali pacto infantes per habituum infusionem supernaturalium possint dici viri, ergo aliquid aliud tribuendum est Christo. Et ad alia argumenta respondetur, quod semper esse præcedere debet operari, ideo istæ perfectiones Christi intelligendæ sunt, quantùm ad habitum, non quantùm ad actum.

Concl. 2. Christus toto tempore vitæ usque ad ultimum instans semper meruit, tunc autem in morte desiit: Vtraque est communis omnium Theologorum, dempto Durando, ut suprà dictum est, estque Seraph. D. *d.* 18. *q.* 2. & 3. N. autem, quod meritum Christi in sua vita potest considerari in pueritia, & cætero decursu suæ vitæ, & potest considerari in passione. Prob. autem prima pars à Seraph. & 2. ad Philip. *Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, &c. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit.* In quo textu consideranda est humiliatio, & hæc ut causa exaltationis sub ratione meriti acquisiti per humiliationem: ergo 205

meruit

meruit Christus semper à conceptione usque ad mortem, propter quod & Deus exaltavit illum: sic & Augustinus citatus à Seraph. D. *q* 2. Calvinus hic negat, quod, ly, *propter*, dicat causalitatem, sed tantùm consecutionem, quæ expositio est temeraria, & falsa contra sensum omnium Sanctorum Patrum. Pr. 1. pars, quia opera Christi sunt multò nobiliora, quàm opera aliorum Sanctorum; ergo si istis attribuitur meritum, multò magis Christo; tum quia alioquin essent frustra tot passiones, aliaque opera insignia in Nativitate, Circumcisione, &c. quod est impium dicere.

206 Concl. 3. Christus meruit perfectissimè non solùm in actione, sed & in passione. Est de fide ex S. Bon. *q.* 3. Explicatur, & prob. simul conclusio à Seraph. sic discurrente: non enim passus est frustra, sed & ex rationabili causa, nec propter demeritum culpæ, sed propter amorem veritatis, & justitiæ. & prob. quia patientia consistit in tolerantia passionum: tum quia passio fuit satisfactoria, ergo & meritoria, tum quia passus est injustè absque culpa ex merito obedientiæ, & charitatis, ergo, &c.

207 Objic. Contra suprapositas conclusiones: Primò Christus fuit in operibus suis determinatus ad unum, & veluti necessitatus, ergo, &c. sed huic objectioni jam responsum fuit; nam fuit quidem determinatus ad unum non necessitate naturæ, & antecedenter, sed confirmatione gratiæ quæ non solùm non tollit, imò perficit libertatem.

Objic. 2. Christus erat Beatus, ergo habebat remunerationem, ergo ad nihil proprium meritum inserviebat. R. quod erat Beatus quidem, sed etiam viator, sicque negatur conseq. Objic. 3. qui meretur facit de non suo suum, & de indebito debitum; sed Christus habebat omnia, eique debebantur omnia bona ex unione hypostatica, ergo non poterat mereri. R. Seraph. *q.* 2. *in corp.* quòd cum in Christo non fuerit meritum abusivè, vel interpretativè, nec congruè, sed de condigno; hoc autem est tribus modis: Primò ex indebito facere debitum, sicut meretur quis in justificatione, & infusione gratiæ, motuque liberi arbitrii: 2. de debito facere magis debitum per usum, & de debito per unum actum facere debitum per alium æquè bonum. Christus autem his omnibus modis dictis meruit nobis, sed sibi non potuit mereri, nisi 3. modo, non verò de indebito facere debitum, quia omni bono erat dignus, nec de debito magis debitum cum omni gratia ab ipsa conceptione esset plenus: sed benè quod erat debitum uno modo fecit debitum pluribus modis; non enim profecit quantum ad virtutem meriti, non propter imperfectionem à parte merentis, ideo profecit solùm quantùm ad numerum meritorum, plura enim merita habuit in passione, quàm in conceptione. Objic. 4. Passionibus nec laudamur, nec vituperamur, ergo ipsis non meruit Christus. R. Seraph. verum esse antecedens, quando sunt puræ passiones, falsum, quando est eis conjuncta bona voluntas, vel mala. Objic. 5. Passio est effectus, vel illatio actionis, sed qualis est causa, talis est effectus, ergo si passionis illatio fuit pessima non potuit ejus effectus esse bonus: & confirmatur, quia fuit illata odio, & contra naturam, ergo, &c. R. S. Bon. *d.* 18. *q.* 3. in passione duo sunt considetanda, nempe causa, & ipsius sustinentia, causa passionis Christi fuit à violentia, & odio, & ob id demeritoria in inferentibus eam, sustinentia verò est à voluntate patientis; unde eadem passio potest esse in genere naturæ ex actione inferentium, & in genere moris ex sustinentia tolerantis procedentis à voluntate libera: Primo modo est contra naturam; 2. contra appetitum sensitivum, qui voluntati liberè subjacet, sic primo modo conceditur sequela argumenti; negatur quo ad 2. modum.

Instas: Omne meritum oritur ab aliqua virtute: & ob id à ratione, ut ratio est, circa quàm solùm versatur virtus, sed passio Christi fuit circa sensualitatem, & circa rationem per modum naturæ: ergo non potuit esse meritoria. Confirmatur, quia meritum non respicit carnem, vel carnis statum; sed charitatis: ergo, &c. Resp. Seraph. D. concedendo meritum versari circa rationem, sed hoc contingit tripliciter, vel per modum elicientis, vel imperantis, vel acceptantis: & hoc 3. modo passio Christi fuit meritoria: & ad confirmationem R. quod meritum respicit statum carnis, quatenus erat viator, & subjiciebat voluntati passiones suas modo, quo dictum est.

Concl. 4. Christi meritum cessavit in ultimo instanti vitæ, nec ampliùs post mortem meruit: 208
Est communis omnium Theologorum cum Seraph. D. qui locis supra cit. id semper supponit tanquam certissimum. Et prob. ex doctrina Seraph. *l.* 3. *d.* 18. *a.* 1. *q.* 1. *ad* 2. quia sicut anima Christi propter conjunctionem sui cum divinitate habuit statum Patriæ, ita per conjunctionem sui cum carne passibili habuit statum viæ, & facultatem merendi, ergo cessante statu viæ, cessavit, & meritum, hoc etiam habetur ex Paulo Phyl. *c.* 2. *Factus obediens usque ad mortem Crucis* (ecce meritum) *propter quod, & Deus exaltavit illum*, ecce merces exaltationis respondens meritis *usque ad mortem* exhibitis.

Objic. 1. post mortem lancea latus ejus fuisse apertum, & ex illo vulnere exisse sanguinem, & aquam; & hinc inferunt SS. Patres effluxisse ex illo vulnere efficaciam Sacramentorum: ergo post mortem meruit. Varias responsiones afferunt varii, quibus omissis, resp. ex D. Bon. quòd, cum Sacramenta habeant efficaciam à Passione Christi tanquam à causa meritoria, dum erat viator, potest dici, illud vulnus posse dici fontem Sacramentorum: Primò quatenus fuit objectivè meritorium, idest ut objectum voluntatis bonæ, & meritoriæ, quia Christus, dum viveret in via, acceptavit illud, & se obtulit ad effundendum totum sanguinem pro nobis, qui tamen non erat totus effusus ante illud vulnus: 2. quatenus ille sanguis, & aqua repræsentavit efficaciam Sacramentorum novæ legis: sic Seraph. *l.* 3. *d.* 40. *dub.* 4. *& l.* 4 *d.* 4. *p.* 2. *q.* 3. *ad* 2. *aliisque locis*, quod & tradunt alii Theologi præcipuè de Lugo *d.* 27. *n.* 60.

Objic. 3. Christus resurrexit propter justificationem nostram ex Paulo ad Rom. ergo meruit post passionem: R. Seraph. *l.* 3. *d.* 19. *q.* 1. sensum Apostoli non esse, quod resurrectio nobis meruerit justificationem, quia totum meritum fuit ex ejus passione, sed quatenus resurrectio Christi habet rationem exempli provocantis, & dirigentis, provocat enim nos ad justitiam, per quam acquirimus illam gloriam, quam credimus, Christum habuisse in sua resurrectione, ut talia sint nostra corpora, qualia Christus monstravit in sua resurrectione; dirigit etiam nos, dum ad ejus exemplar conamur ambulare in novitate viæ, &c. S. Bon. *ibid.*

QUÆSTIO VI.

Quid Christus sibi meruerit?

209 QUæstio potest moveri de unione hypostatica, de gloria essentiali animæ, & de glorificatione corporis, de quibus certum est non potuisse mereri unionem hypostaticam, ut supra suo loco probatum est; principium enim meriti non cadit sub merito; sed de cæteris est dubium.

Concl. 1. Christus non meruit sibi gloriam essentialem. Est D. Bon. *l.3. d.* 18. *a.* 2. *q.* 1. & communis inter Theologos, exceptis aliquibus paucis, nempe Altisiodor. Majore, Marrone, &c. Pr. à Seraph. D. & ex nostris principiis ex D. Augustino ab ipso citato, quia meritum debet præcedere præmium, ut dispositio, & via ad ipsum, sed unio cum summa gratia, & gloria fert simul in eodem instanti, & ante omnem usum, totum præmium, & actum, ergo non potuit præcedere meritum ad gloriam: Tum quia gloria ipsi unioni erat connaturaliter debita, sed meritum de non debito facit debitum, ergo, &c.

Concl. 2. De potentia Dei absoluta non potuit Christus sibi mereri gloriam. Est contra plures Theologos, & Gaud. *d.* 21. *q.* 6. & prob. ex traditis supra, quia gloria est debitum connaturale conveniens unioni hypostaticæ, vel uti proprietas ipsius, & cum esset debita Christo essentialiter, sequitur, quod non potuerit cadere sub ratione meriti.

Objic. 1. Sicuti se habet gratia ad gloriam, ita meritum ad præmium; sed Christus habuit gratiam ordinatam ad gloriam; ergo meritum ordinatum ad præmium. Resp. sicut se habet gratia ad gloriam, ita meritum ad præmium; distinguo, quo ad rationem dispositivam, concedo, quoad rationem originis, nego: nam habitus gratiæ, & gloriæ sunt habitus infusi immediatè à Deo; meritum verò exigit usum liberi arbitrii gratia confirmati: In Christo autem fuit uterque habitus infusus cum ordine gratiæ ad gloriam, sed non sub ratione meriti, & præmii, cum uterque debitus fuerit unioni hypostaticæ ante omnem usum. Objic. 2. Maxima charitas meretur maximum præmium; sed in Christo erat maxima charitas; ergo, &c. R. conced. majorem, si charitas maxima teneat rationem meriti, ut maxima, sed in Christo non potuit habere hanc rationem, cum & charitas, & præmium substantiale maximum ei deberetur ob unionem. Objic. 3. Gloriosius est habere præmium per meritum, quàm sine merito: ergo id tribuendum est Christo. R. antecedens esse verùm in his, qui solùm habent per conformitatem affectionis uniri Deo, ut in nobis, in quibus gloria est accidentalis, & acquisita, non in Christo, cui ob unionem hypostaticam connaturaliter debebatur gratia, & gloria. Objic. 4. Angeli habuerunt simul gratiam, & gloriam, & hanc ut præmium; sed in Christo fuit gratia magis efficax; ergo, &c. R. neg. paritatem: nam in Angelis præcessit usus ut meritum, sed in Christo simul totum infusum est, ut quid ei debitum.

210 Concl. 3. Christus meruit sui corporis glorificationem, & sui nominis exaltationem, tum agendo, tum patiendo. Est communis cum D. Bon. *l.3. d.* 18. *a.* 2. *q.* 2. Prob. quo ad corporis gloriam ex Lucæ c. 24. *Oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*, sed non intravit in gloriam animæ, quam semper habuit, ergo corporis; sic & Hebr. 2. & Joan. c. 17. Et quo ad nominis exaltationem patet ex Philip. 2. *Humiliavit, &c. propter quod exaltavit, &c.* Tum quia per humilitatem pervenitur ad exaltationem, & per passionem ad impassibilitatem: Tum quià erant in Christo omnes conditiones meriti, nempe charitas, quæ est principium boni operis; status merendi, quia erat viator, & expectabat glorificationem de futuro sui corporis, ergo, &c.

Objic. 1. Præmium est excellentius merito, quia Deus remunerat supra condignum; sed charitas Christi superexcedebat glorificationem corporis: ergo exigebat majorem remunerationem; ergo non erat ordinatum tale meritum ad glorificationem corporis. R. S. Bon. Primò falsam esse majorem; & si vera est, id verificatur de glorificatione substantiali, non accidentali corporis, majori enim bono potest quis mereri minus bonum. R. 2. ex D. Bon. quòd nobilius corpus fuit post glorificationem, & cum per corpus passibile meruerit, per hoc præmium excedit meritum. R. 3. veram esse majorem, loquendo de merito, quod ordinatur ad præmium finaliter, & cum prævisione, quod erat humani generis reparatio.

Objic. 2. Beatitudo animæ Christo debita erat propter unionem; sed corpus etiam fuit unitum hypostaticè: ergo & ei erat debita gloria, ergo sine meritis: & confirmatur, quia immortalitas ei debebatur, ergo, &c. R. Seraph. neg. paritatem de gloria animæ, & corporis: ipsi enim Christo debebatur gloria ut compræhensori, sed cum esset viator requirebatur in carne mortalitas, & passibilitas, & licèt ei deberetur immortalitas, tamen quod erat ei debitum uno modo per merita factum est debitum alio modo, ut scilicet in fine viæ daretur ei immortalitas, &c. sic Seraph. *ad* 3. *&* 4. *&* 5.

Objic. 3. Si passus est Christus ob glorificationem corporis promerendam, ergo non est passus propter nos; sicque frigescet charitas Christi: Hoc argumentum est Calvini impiissimi, cui respondet Seraph. *ad* 6. Christum passum fuisse principaliter propter salutem nostram; gloriam scilicet animæ, & corporis promerendam, sed concomitanter propter se, & minùs principaliter.

Quæres. *Qualis fuerit exaltatio Nominis à Christo promerita?* Ratio dubitandi est, quia ante passionem fuit Christus, ejusque nomen à multis cognitum, & celebratum. R. S. Doct. *d.* 18. *dub.* 2. *&* 3. Tripliciter: Primò quia ante passionem fuit cognitus conjecturaliter tantùm; post passionem certitudinaliter: 2. fuit cognitus in particulari ab aliquibus, sed notitia universali tantùm cognitus fuit post passionem: 3. fuit ante passionem cognitus quantùm ad vocem externam, non quantùm ad rationem imponendi, nempe quatenus venerat salvare nos; post passionem enim Nomen Filii Dei, & Nomen Christi, & Nomen Jesus fuit cognitum quidditativè, secundùm rationem impositionis, nempe quatenus Filius Dei nominat personam in duabus naturis; Christus scilicet unctus nominat personam in humana natura relatam ad divinam: Jesus nominat personam in divina natura relatam ad humanam, sicque Filius Dei certitudinaliter fuit cognitus post passionem, Christus ob diffusionem gratiarum, & Jesus ab expressionem Salvatoris. 211

Q. *An alia dona sibi Christus meruerit?* R. secundùm communem Theologorum sibi promeruisse

primo

primò impassibilitatem Animæ, ita ut post mortem non pateretur per affectus tristitiæ; miraculosè enim in horto passus est tristitiam. 2. corporis dotes gloriæ, suamque resurrectionem. 3. ascensionem in Cælo cum majestate, deferendo secum suo sanguine redemptos instar triumphi. 4. testimonium Patris, quo testificatus est, esse suum Filium in Baptismo, & Transfiguratione. 5. omnia testimonia, & laudes Angelorum à die Nativitatis usque ad finem celebratas, & quæ futuræ sunt in æternum. 6. Antiquorum Patrum testimonia, & laudes, & prædicationes Apostolorum. 7. judiciariam potestatem in homines, quos redemit. 8. potestatem condendi sacramenta veluti instrumenta gratiæ nobis ab ipso promeritæ.

QUÆSTIO VII.

An meritum Christi fuerit infinitum?

212 PRimò advertendum est, multos confundere in unum meritum, & satisfactionem, & valorem, licèt sint inter se rationes diversæ; nam meritum respicit præmium sibi debitum; satisfactio compensationem injuriæ: illud respicit utilitatem merentis, ista honorem alterius, cui debitum solvit: meritum supponit amicitiam Dei; satisfactio verò pro injuria terminat ad amicitiæ recuperationem: Valor verò respicit dignitatem operantis redundantem in opus, & competit merito, & satisfactioni: cum igitur meritum, & satisfactio differant, de utroque erit nobis singillatim disputatio, & in hac agimus de merito, & in sequenti de satisfactione: Cum autem sit dogma præcipuum nostræ fidei, meritum Christi fuisse sufficientem pro infinitis mundis, meritò disquiritur, an fuerit infinitum: in qua quæst.

Prima opinio affirmat, fuisse simpliciter infinitum ex natura sua, & independenter ab acceptatione divina: sic D. Thomas cum tota sua schola. Aliqui tamen declarant, hoc totum esse intelligendum de volore, & condignitate operum Christi in actu primo: nam ut esset infinitum in actu 2. & obligaret strictè Deum ad præmium, gratis admittunt, necessariam fuisse Dei ordinationem, & acceptationem, ut supra dictum est de merito in communi. 2. Opin. docet, meritum Christi fuisse simpliciter finitum, sed infinitum tantùm secundùm quid, quatenus scilicet valor operum Christi ratione dignitatis infinitæ personæ erat infinitus, ita ut nullum sit præmium excogitabile, quo ex tali valore non sit dignus. 3. Opin. est Scoti, & sequac. Nominalium, & plurimorum aliorum, meritum Christi fuisse simpliciter finitum, sed infinitum tantùm extrinsecè, scilicet ex acceptatione divina ob congruitatem ad divinum suppositum operans: hæcque est germana sententia Seraph. D. ut infrà patebit.

Not. 1. & suppon. quod supra etiam explicatum est *q. 1. ad 5. Conclusionem*, nempe meritum dependere quoad valorem ex acceptatione divina, quod & Seraph. & Scotus asseruerunt: acceptatio autem divina est duplex: alia habitualis: alia actualis: prima includitur in gratia ipsa, & spectat ad personam, quæ est necessaria ad meritum, ut poteq. tribuens actui à tali persona procedenti valorem, & dignitatem ad præmium supernaturale. 2. acceptatio est actualis, ut promissio, quæ inducit debitum, & obligationem ex parte Dei retribuentis, qua ratione dicitur per eam meritum accipere complementum, quatenùs per eam merens aquirit jus proximum, & immediatum ad præmium: & hæc doctrina maximè currit in merito Christi, quod ex ratione, & ex pacto Dei, licèt de se entitativè esset finitum, tamen ratione unionis hypostaticæ, & dignitatis infinitæ personæ operantis acceptatum fuit pro infinitis hominibus, &c. sic enim decens erat, & conveniebat tantæ personæ. Vide quæ dicta sunt supra in *q. 2. ad dub. 4. & q. 1. in Conclus. 5.*

Not. 2. ex supradictis *in q. 2.* quòd valor, & meritum operis non oritur præcisè ex sola operantis dignitate, sed etiam ex aliis circumstantiis. v.g. ex intensione operis, duratione, loco, objecto, & aliis, ex quibus sequitur, quòd etiamsi persona operans sit infinitæ dignitatis, cum ad id necessariò concurrant alia finita, effectus non poterit dici simpliciter infinitus, sed tantùm secundùm quid, quod patet in peccato mortali, in quo, licèt persona offensa sit infinita, tamen quia dependet ex aliis circumstantiis, ut puta à persona, ab actu finito, à cognitione limitata, hinc dicitur infinitum solùm secundùm quid; sic & persona æterna quoad durationem.

Concl. 1. Meritum Christi secundùm se est simpliciter finitum, & secundùm quid infinitum: 213
Est S. Bon. Scoti, aliorumque, quicquid dicat P. Gaud. de more trahens S. Bon. ad partes Thomistarum, licèt confundat cum multis Theologis satisfactionem, & meritum in unum, ut videre est *dist. 3. q. 8.* Hæc conclusio est S. Bon. & à quo Scotus eam desumpsit, non eo modo quo à pluribus Scotistis attribuitur Scoto, nempe totam rationem meriti provenire ex acceptatione divina actuali, & extrinseca, in quo hallucinantur, ut rectè advertit Mastrius *dist. 3. q. 8.* sed id provenire, ait, ab acceptatione habituali, & intrinseca gratiæ habitualis, & dignitate operantis infiniti, & quod sit talis mens D. Bon. patet ex *dist. 13. q.* ·· ubi quærit, an gratia Christi fuerit finita, vel infinita, & resolvit, fuisse finitam positivè, infinitam comparativè, scilicet comparando eam ad aliorum gratiam, quia eam excedit improportionabiliter ob unionem ad personam Verbi quantùm ad virtutem habitus, usus, & effectus, idest quantùm ad meritum; subdit Seraph. quantùm ad effectum improportionabiliter excedit gratia Christi meritum aliorum, quia propter hoc quod ille homo erat Dei Filius meritum illius pensatur secundùm dignitatem illius personæ, à quo exit opus, & propterea meritum passionis suæ in infinitum excedit merita passionum nostrarum, & ob hoc quod Deus erat, mors ejus pensata fuit à Deo, quantus erat ille, qui moriebatur, & ideò quantùm ad sufficientiam, si infinita millia hominum essent reatu originalis astricta, per illius passionis effectum, & merita potuissent esse liberata: In quibus verbis advertendum, quòd finitatem absolutam recognoscit in Christi gratia quantùm ad suam entitatem habitus, quantùm ad usum, & quantùm ad effectum, infinitatem verò ex dignitate personæ operantis in comparatione ad alios homines, benè operantes secundùm quam dignitatem pensatum fuit ejus meritum à Deo, idest acceptatum quoad sufficientiam pro infinitis hominibus; idem & repetit *ibidem ad 3. & ad 4. & ad 5. in fine*; & hinc evanescunt tot clamores Thomistarum, totque dictoria Gaud. verè superflua, ut mox patebit contra hanc sententiam; ut rectè advertit Mastrius; nec enim ipsi ampliùs dicunt, & ideo existimo, hanc differentiam habere multum de nomine, parum

de

de re, solumque circa modum, cum & ipsi renuntur admittere, nihil creatum (quale est hoc meritum) esse infinitum entitativè, & passivè, sed tantùm negativè, & comparativè.

214 Prob. autem ista conclusio ex Seraph. omne creatum est quid finitum, & implicat dari infinitum creatum; sed meritum Christi est quid creatum secundùm propriam entitatem, ergo, &c. Tum quia capacitas animæ Christi est finita, ergo & meritum: Tum quia infinitas tollit perfectionem in creatura; ejus enim perfectio exigit pondus, numerum, & mensuram, & terminum: Tum quia Verbum non potest communicare infinitatem in se existentem actibus humanitatis ob incapacitatem recipientis: Tum quia omnia infinita sunt æqualia, sed actiones Christi fuerunt inæquales in bonitate morali (ait enim Seraph. cum communi *d.*18.*q.*2. *in fine corp.*) quod plus meruit in passione, quàm in cæteris actibus antecedentibus: Tum quia sequeretur, Christum plus meruisse, quàm Deus posset remunerare, quia præmium infinitum entitativè non potest creaturæ finitæ tribuere, ergo, &c. Tum quia ad summum hoc meritum est infinitum tantùm syncathegorematicè, ut ait Seraph. *in fine corp.* quia infinitis hominibus potest applicari successivè. Pr. 2. pars, quia ut supra *in quæst.* 2. *ad quæsitum* 6. *& q.* 1. *ad* 5. *conclusionem*, cum valor operis desumatur etiam ex dignitate majori operantis, & cum operans sit persona infinita, hinc in actum redundat etiam infinitas extrinseca; & hoc est, quod semper clamant, & sonant Sacræ Scripturæ, Summi Pontifices, Concilia, & Sancti Patres recognoscentes in merito Christi infinitam rationem propter unionem Verbi cum ista humanitate merente; quæ omnia magis patebunt ex solutione objectionum.

215 Objic 1. cum Thomistis: Plura Testimonia Sacræ Scipt. & SS. Patrum asserentia, meritum Christi, non solùm æqualle, & superasse omnia peccata mundi commissa, & patrabilia; unde appellatur ob id redemptio Christi copiosa: & Clement. VI. in extravaganti docet, unam guttam sanguinis Christi sufficientem fuisse ad perfectam redemptionem, & suis meritis Christum acquisivisse infinitum thesaurum hominibus: ergo assignant infinitatem intrinsecam in meritis Christi; alioquin si infinitas desumeretur solùm extrinsecè ex supposito infinito, nihi aliud tribueret merito ejus intrinsecè, sed tantùm quòd meritum Christi fuit suppositi divini, quod est absurdum, & absonum à ratione meriti Christi infiniti. Huic argum. varias adhibent responsiones Scotistæ, quas Mastrius *n.*322. refutat tanquam mutilas, nec satisfacientes difficultati oppositæ; & tandem dicit, omnes istas auctoritates loqui de infinitate ordinis, quod priùs tradidit Seraph. *d.* 13. *q.* 1. *in corp.* dicens, gratias, & meritum Christi incomparabiliter, & incommensurabiliter in infinitum excedere quascumque gratias, & merita aliorum ratione unionis hypostaticæ, meritaque quantùm ad sufficientiam fuisse infinita quo ad extensionem, quia sunt extensibilia ad infinitos homines.

Objic. Magis urgendo difficultatem, illum textum Pauli ad Hæbreos: *Cum clamore valido, & lachrymis exauditus est pro sua reverentia*; quid est pro sua reverentia? Chrysostomus *t.* 4. *Hom.* 8. respondet, significari, exauditionem esse magis effectum Filiationis Dei, quàm gratiæ; tanta enim erat reverentia, ut etiam propterea eum Deus revereretur. Ex quibus tria deducunt: Primum ante exauditionem, & acceptationem divinam fuisse in Christi operibus ob dignitatem personæ valorem intrinsecum, hoc enim innuit, ly, *pro sua reverentia*, 2. hunc valorem, & meritum fuisse, non de congruo tantùm, sed de condigno, quia Chrysostomus vult, remissionem peccatorum propter merita Christi fuisse, non effectum gratiæ, sed potiùs operum Christi, concessamque fuisse à Deo, quia ipsum Deus reveritus est ob suam dignitatem; si enim esset effectus gratiæ, tunc esset solùm de congruo: 3. hunc valorem esse infinitum; si enim exauditus est pro sua reverentia, ergo pro dignitate infinita personæ. R. cum Mastrio ex doctrina S. D. & Scoti tradita, quod omissa alia responsione à pluribus Sanctis tradita, præcipuè à D. Thom. ly, *pro sua reverentia*, intelligi debere de reverentia Christi ad Deum; quam in actu secundo semper professus fuit summam erga Deum, omissa, inquam, ista expositione, & admissa expositione Chrysostomi de reverentia in actu primo non urgere contra nos, non quidem in primo puncto; nos enim gratis concedimus valorem intrinsecum in operibus Christi antecedenter ad acceptationem actualem, de qua *in q.* 1. *in concl.* 5 *& q.* 2. *ad dub.* 4. *&* 6. sed cum talis valor dicat aptitudinem in actu primo, ut acceptari possit actu à Deo se liberaliter obligante ad talem retributionem, ut ait Seraph. hinc est, quod ad retributionem condignam concurrit valor intrinsecus finitus de se, & infinitus extrinsecè ex acceptatione actuali Dei ob dignitatem personæ, & hinc etiam. R. 2. puncto difficultatis per eamdem doctrinam, & itidem 3. puncto, cum talis infinitas sit tantùm in actu primo, & secundùm aptitudinem, imò talis valor infinitus fundatur in illa reverentia debita Christo, dici debet finitus, quia exauditus est tantùm pro præmio finito.

Objic. 2. Finitum non excedit aliud finitum in infinitum in eodem genere, sed meritum Christi excedit improportionabiliter merita aliorum, quæ sunt finita; ergo illud erit infinitum, sed non potest excedere, nisi sit intrinsecè tale, alioquin si esset solum extrinsecè, non posset improportionabiliter alia excedere, sicque possent aliorum merita ad eamdem mensuram pervenire. R. D. Bon. *cit.* majorem esse veram de finitis in eodem genere proximo, falsam, si sunt diversi generis proximi, ut est in nostro casu; nam infinitas hæc, quæ est in merito Christi, est ratione unionis, & solùm per comparationem ordinis, ob idque solùm extrinseca, & syncathegorematica, hinc non sequitur infinitas entitativa ejusdem meriti.

Objic. 3. Si ex unione sequitur valor infinitus in merito, ergo est entitativè infinitus, quia actiones sunt suppositorum, ergo ex qualitate suppositi sequitur dignitas actus, ob idque dicitur infinitum meritum. R. dignificari quidem ex unione divinæ personæ, quatenus actiones Christi, ejusque merita evehuntur ad ordinem hypostaticum, & ex hac parte excedunt incomparabiliter cætera merita, sed ob id non infertur infinitas entitativè, cum tale augmentum, & exaltatio sit secundùm proportionem Geometricam, & secundùm dispositionem divinæ providentiæ: Ratio est, quia infinitum simpliciter in aliquo genere continet eminenter, aut formaliter omnia possibilia in eo genere: At infinitum in ordine tantùm non excedit inferiora per continentiam virtualem illorum, sed solùm propter excellentiam gradus superioris ordinis, qualis est ordo hypostaticus, quo pacto Angelus excedit quamcumque creaturam corporalem, & homo quamcumque irrationalem:

&

& hac doctrina patet, quare Deus non potest dare gloriam, vel præmium alicui creaturæ æquivalens, vel majus præmio Christo dato, quia illud excedit in ordine hypostatico cætera omnia: & cum ad meritum concurrat, non solùm dignitas operantis, sed etiam aliæ circumstantiæ, ut gratia, actio, aliaque, quæ sunt finita, hinc & finitas in merito. Dices: Christus offerebat Patri rem infiniti valoris, scilicet suam vitam, & sanguinem, quæ ex unione humanitatis ad Verbum infinitam trahebant dignitatem, ergo, &c. R. oblationem etiam infiniti valoris non posse conferre ipsi actui infinitatem, nisi objectivam, & extrinsecam, ut patet etiam in oblatione sacrificii, &c.

QUÆSTIO VIII.

Quid Christus meruerit aliis?

216 AD duo capita reducitur hæc quæstio de merito Christi, nempe per ordinem ad personas, pro quibus meruit, & per ordinem ad objectum meriti: Quoad personas quæritur: An meruit Christus bona spiritualia pro hominibus in statu innocentiæ, & etiam in statu naturæ lapsæ: item an meruerit aliquid Angelis, quo ad objectum, an Christus meruerit omnem gratiam, dispositiones ad gratiam, prædestinationem, exaltationem ad gloriam.

Concl. 1. Christus meruit hominibus lapsis remissionem peccatorum, & gratiam gratum facientem. Est communis omnium Theologorum, & de fide, & habetur in pluribus textibus Sacræ Script. ut ad Rom. 3. ad Eph. c. 1. alibique sæpe, & sic decrevit Concil. Tridentr. *sess. 6. c. 7.* & ratio est, quia ut notat Seraph. *l. 3. d. 19 q. 1. & seq. ibid.* Christus pati, & mori voluit, ut pro nobis satisfaceret, & nos à servitute peccati redimeret, sicque nos Deo gratos, & acceptos redderet: Vide quæ tradit Seraph. *l. 3. d. 19. q. 1. & seq.* in quibus habebis ex talis conclusionis explicatione monita verè Seraphica excitantia ad amorem Christi Jesu tanti Benefactoris. Et hinc sequitur, quòd per passionem Christi deletum fuit chirographum culparum originalium, & actualium, nempe meruit remissionem culparum quo ad maculam, & quoad reatum. Dices: Diabolus adhuc detinet plurimos, & hic, & in inferno; ergo pro istis non est deletum hoc chirographum. R. disting. consequens: non est deletum quoad sufficientiam meritorum Christi, nego, quoad efficaciam, concedo; talis autem defectus applicationis efficacis provenit ex nostro libero arbitrio, supposito auxilio Dei.

Concl. 2. Christus meruit nobis omnia dona gratiæ, quæ sequuntur gratiam justificantem, nempe merita bonorum operum, augmentum gratiæ, donum perseverantiæ, remissionem peccatorum venialium, & pœnæ temporalis. Est communis, & de fide; sic & D. Bon. *l. 3. d. 18. a. 1. q. 2. corp. & d. 19. cit. & d. 11. q. 3. ad 1. & q. 3. d. 13. a. 2.* & patet ex Eph. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali:* Tum quia meruit nobis causam, scilicet gratiam justificantem; ergo ejus effectus.

217 Concl. 3. Christus meruit nobis vitam æternam, & januæ cælestis apertionem. Est Seraph. D. *l. 3. d. 19. q. ult.* estque communis, & de fide, & prob. ex pluribus textibus Sacræ Script. Tum quia ante passionem Christi nullus intrabat in cœlum: Tum quia si posset quis salvari absque passione Christi, passio Christi fuisset frustratoria: Vide S. Bonav. *loc. cit.*

Concl. 4. Christus nobis meruit dispositiones antecedentes ad remissionem culpæ, & gratiam justificantem. Est de fide ex pluribus Textibus Sacræ Scipt. supra citatis: Tum quia Christus est perfectus Redemptor noster: ergo nobis debuit mereri omnia, quæ erant necessaria ad perfectam redemptionem, qualia sunt fides, spes, gratia antecedens, sufficiens, &c. Dices: Duo tantùm concurrunt ad justificationem, nempe gratia sanctificans, & dispositiones, ergo si hęc omnia Christus nobis meruerit: ergo tota est ex justitia, & nullo modo gratuita contra illud Apost. ad Rom. 3. *Justificati estis gratis propter gratiam ipsius.* R. Justificationem nostram posse considerari primò respectu Christi, & sic tota est ex meritis Christi; & ex justitia, qua Christus satisfecit de rigore justitiæ, & nobis meruit: 2. respectu nostri, & sic tota est gratuita, quia nihil est in nobis, nisi ex gratia Christi.

Concl. 5. Christus nobis meruit passione sua 218 liberationem à pœna temporali, æterna, & media inter utramque. Est S. Bon. *d. 19. a. 1. q. 4.* & communis: & prob. & explicatur: A pœna temporali nos liberat, dum virtute passionis ejus nos liberat ab omni culpa, & pœna in Sacramento Baptismi: A pœna æterna, dum per passionem suam nobis gratia impetratur, per quam culpa dimittitur, simulque debitum pœnæ æternæ mortis relaxatur: Liberat etiam à pœna media, scilicet à carentia visionis ex merito peccati Adæ, ob quam Justi detinebantur in Lymbo. Objic. 1. Christus patiendo nobis exemplum, & materiam dedit compatiendi: ergo non liberavit ab omni pœna, & compassione. R. Seraph. quòd nos liberavit à pœna oppressiva, non à pœna promotiva, per quam homo Justus prævalens non potest opprimi, sed per patientiam promoveri ad majus meritum.

Objic. 2. Si liberavit nos à pœna: ergo frustra assumitur pœnitentia. R. quòd nos liberavit quantùm est de se, ut patet in Baptismo, sed cum peccata iterat homo, reddit se indignum tanto beneficio; ideo per passionem non remittitur ei tota pœna, sed minoratur quantum decet, & expedit, salva divina justitia: Addit D. Bon. quod meritò non liberat à pœna æterna obstinatos; nec liberat à pœnis temporalibus in hac vita, ut à fame, siti, &c. liberabit tamen in futuro bonos: liberat etiam ab aliquibus pœnis temporalibus, ad quas essemus obligati merito peccatorum nostrorum, nisi interveniret passio Christi.

Concl. 6. Christus meruit ista dona supradicta etiam hominibus antecedentibus ejus adventum. Est communis cum Seraph. *l. 3. d. 20. a. 1. q. 4. ad 1. & l. 4. d. 20. q. 1. in fund. p. 2.* Ratio est, quia meritum dicitur causa moralis non physica, ideo non est necesse, quod actu existat, & in Christo præcesserunt in prævisione Dei respectu antecedentium; ideo salvabantur per fidem, & dilectionem Christi futuri. Addit tamen Seraph. D. *d. 18. q. ult. ad ult.* quod antecedentibus data fuit gratia per merita Christi, non tamen gloria, nisi soluta satisfactione per ejus passionem. Vide *d. 20. q. 3. & 4.*

Concl. 7. Christus nobis meruit æternam prædestinationem, non prout actum divinæ voluntatis dicit, quia in Deo non datur causa creata, sed ut dicit terminationem liberam divinæ voluntatis circa electos. Est communis D. Thom: Seraph. D.

& aliorum, & concordant etiam Scotus, & Scotistæ circa executionem prædestinationis: & ratio in promptu est, quia quidquid gratiæ, & gloriæ datum est nobis tanquam per causam meritoriam, totum habemus per Christum, & habetur in pluribus textibus S. Script.

Concl. 8. Probabile valde est etiam Angelis, & hominibus in statu innocentiæ Christum meruisse omnes gratias, licèt Seraph. aliique negantem teneant: Ratio est, quia Christus constitutus st, & decretus à Deo ordine dignitatis ante omnes prædestinatos caput omnium, præscindendo à quacumque passibilitate, vel impassibilitate, & eo maximè ex nostris principiis traditis, quia in decreto de Christi adventu potuit Deus connectere ea, quæ de se nullum ordinem habent, & Christum constituere caput omnium electorum, id enim spectat ad majorem dignitatem Christi: qui vult plura de hac materia, adeat Suarez, Pasqualigum, Morandum, aliosque recentiores; qui tamen in hoc conveniunt, non posse dici Redemptorem Angelorum, sed tantùm caput ipsorum quoad gratiam, & gloriam assequendam causamque meritoriam. Vide *d.5.q.3.*

219 Q. 1. *Quomodo applicantur merita Christi nobis hominibus, & an omnibus æqualiter, & cur diversimodè producantur in diversis diversi effectus, & quomodo nostra merita dependeant à meritis Christi*, Hæretici hujus temporis impiè asserunt, merita Christi nobis applicari, & imputari, ut absque justitia inhærente in nobis, tanquam forma, justificamur per justitiam meritorum Christi, & eisdem etiam solùm, & non concurrentibus nostris meritis, apud Deum possumus mereri. Contra istos Hæreticos sensus Catholicorum est, quòd licèt intuitu meritorum Christi plura dona supernaturalia donentur extrinseca, attamen volunt exigi in nobis aliquid inhærens ad operandum supernaturaliter, & præcipuè ad justificationem. Hinc. R. 1. merita Christi tunc dici nobis applicari, quando aliquod donum gratiæ datur nobis ex illius meritis, sive detur in Sacramentis, sive extra, quia idem est dari merita, & eadem applicari nobis. R. 2. Omnibus hominibus applicari merita Christi tam reprobis, quàm prædestinatis: Est contra Calvinum, & modernos Hæreticos asserentes, Christum mortuum esse solùm pro prædestinatis, quæ blasphemia est contra expressam mentem Sacræ Script. dicentis: mortuum esse pro omnibus. 2. *Corinth. c.5.* 1. *Tim. c.2. & 6* 1. *Joan. c.2.*

Dices: Multi infantes moriuntur absque alio auxilio supernaturali: ergo pro eis non est mortuus. R. Christum pro omnibus mortuum fuisse, præparasseque omnia auxilia necessaria in actu primo, licèt in actu secundo, aliquibus non fuerint applicata ob defectum causarum secundarum, ad quam deficientiam præcessit ex justo judicio Dei permissio quædam in habentibus curam de infantibus: Vide quæ tradita sunt à nobis *in l.1. sent. de div. Provid.* R. 3. Omnibus hominibus applicari merita Christi quo ad sufficientiam, electis verò etiam quo ad efficaciam; sic cum communi sensu Ecclesiæ, & Theologorum, Seraph. D. *l.4.d.4.a.1.q.3. ad 3. & l.3.d.19.a.1.q.2.ad 1. & q.1.ad 5 & serm.1. Dom.1. post Oct. Pascha, & serm. 4. Dom. 5. post Pentec.* Ratio est, ait Seraph. *d. 19. dub. 2.* quia passio Christi justificat quidem quantùm est de se, ut Hostia oblata, & sic in se est efficax: sed quia applicatio exigit approximationem ipsius passionis, justificando, non secundùm substantiam, & materialiter, sed moraliter, nempe ut est hostia credita per fidem, & amata per charitatem, hinc solùm efficaciam habet in actu secundo, in credentibus, & amantibus, & non in cæteris. R. 4. Inæqualiter fieri hanc applicationem hominibus, nam aliis dantur quinque talenta, aliis duo, aliis unum, aliis gratia vocationis, aliis justificationis, aliis glorificationis etiam, & hoc vel occulto Dei judicio, sed justissimo, vel potiùs ex differentia, quæ provenit ex deficientia, vel negligentia cooperationis nostræ, ut latè probatum est in materia de Prædest.

Q. 2. Cum certum sit omnia dona, & gratias 220 nobis ex Christi meritis provenire; an dato, quòd Deus liberaliter non intuitu meritorum Christi alicui daret decem gradus gratiæ, & alteri similiter daret decem gradus gratiæ intuitu meritorum Christi, an operantes ad proportionem illorum graduum, cæteris paribus, magis meritoria essent opera facta, ex gratia proveniente ex meritis Christi, quàm alia non provenientia, nisi ex gratia donata intuitu liberalitatis divinæ, non verò meritorum Christi. 1. Opinio est Vasq. *d. 114.* Ariaghæ, aliorumque negantium redundare majus meritum in illo, qui intuitu meritorum Christi habuisset gratiam, licèt posset admitti aliqualis major dignitas extrinseca, de congruo tantùm. 2. communior Suar. *l. 12. de Gratia c.19.* Caiet. Casp, aliorumque plurimorum, estque conformior principiis D. Bon. & Scoti, affirmat, admittens majus meritum oriri ex meritis Christi; & fundatur hæc opinio in pluribus textibus Sacræ Script. & ad Coloss. c. 1. *In quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum:* & Concil. Trid. *sess. 14. c. 18.* dicit: In quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre, in quibus verbis patentissimè recognoscit in meritis nostris, ex eo quod sunt fundata in meritis Christi, majorem valorem, dignitatem, & ordinem ad melius merendum, &c. Et ratio est in promptu, quia Pater in obsequio præstito cum meritis Christi rationem intrinsecam recognoscit, non solùm in ipso opere, sed ex dignitate Christi offerentis, quodque patet in persona Mariæ Virginis, & Sancti Joseph ex majori approximatione ad Christum resultasse majorem dignitatem intrinsecam; tum etiam quia talibus hominibus superadditur, ultra rationem intrinsecam operis boni, etiam esse membrum Christi, & ut tale operari; Ex quibus à fortiori sequitur, quod offerens Deo sua opera, si simul conjunguntur cum meritis Christi, tunc multum augeantur quo ad valorem; & hoc est quod à Magistris vitæ spiritualis deprædicatur continuè; justum debere unire sua opera cum operibus, & meritis Christi, ejusque passionis, ad hoc ut adquiratur semper in dies majus lucrum spirituale, de qua materia fusè, & Seraphicè super omnes alias agit Seraph. D. in suis opusculis præcipuè *in stim. div. am. & in op. Medit. Vitæ Christi, &c.*

Objic. Gratia, quæ confertur alicui ex mera liberalitate Dei, & non intuitu meritorum Christi est ejusdem rationis, & virtutis cum alia data intuitu meritorum Christi: ergo & par erit meritum. R. conced. antecedens, si sumatur utraque gratia in esse physico; neg. si sumatur in esse morali, & quo ad æstimationem etiam intrinsecam; licèt enim non augeatur bonitas moralis, augetur tamen valor

valor, dignitas, & proportio ad magis merendum, & hoc ex duplici capite; primò, quia tale opus intuitu meritorum Christi elevatum per gratiam est ordinatum ad majorem Dei gloriam; 2. quia adest multiplex ratio conferendi idem præmium ob majorem Dei benevolentiam resultantem ex conjunctione cum capite Christo; & hæc est major dignificatio, licèt sit ac extrinseco, potest tamen dici intrinseca quo ad æstimabilitatem ex ratione concursus Christi offerentis, quod fusè explicat Mastrius *d.3.n.78.& 80.& 236.& seq.*

QVÆSTIO IX.

Quomodo Christus in primo instanti meruerit justificationem pro nobis, & tamen per subsequentia opera denuò meruerit?

221 DUrandus vult, Christum meruisse diversis actibus diversa præmia, non autem idem. Communis opinio Theologorum est semper suis actibus meruisse idem præmium, sed pluribus modis.

Concl. 1. Seraph. D. *l 3.d.18.q.1.* est quòd Christus meruit de condigno nobis tribus modis: primo de indebito fecit debitum, ut evenit in justificatione, in qua infunditur gratia, cooperante libero arbitrio dispositione congrua. 2. Fecit de debito præmium magis debitum, ut evenit in exercitio virtutum. 3. De debito uno modo fecit debitum alio, & aliis pluribus modis, sicque quod meruit in instanti pro nobis, factum est per alia subsequentia debitum aliis modis.

Concl. 2. Christus licèt meruerit semper pro nobis per antecedentia opera, tamen complementum meriti factum est in passione, quia de ea facta est promissio. Patet ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, ut Apost. *Lavit nos à peccatis sanguine suo:* & Hæbræorum 9. & ad Rom. 4. unde super omnes alias operationes Christi passionis tolerantia fuit magis meritoria, quia talis modus (ait Seraph. *d.20.q.5.*) Fuit Deo acceptissimus ad ipsum placandum, cum Christus se ipsum exhibuerit morti, non ex debito, sed ad honorem Dei: fuit & congruentissimus ad curandum morbum superbiæ, & inobedientiæ: fuit & efficacissimus ad attrahendum genus humanum: fuit & prudentissimus ad vincendum adversarium. Hinc est, quod tota plenitudo meritorum, ipsorumque consummatio refundenda est in Christi passione, ad quam facta fuerat à Deo promissio: Et hæc de merito Christi, quæ tamen magis elucidabuntur in sequenti disputatione, quæ erit de satisfactione Christi.

DISPVTATIO XI.

De Christi satisfactione.

SUpra diximus, meritum, & satisfactionem esse rationes valde diversas: meritum enim dicit ordinem ad præmium debitum: Satisfactio ad injuriæ compensationem, & cum dixerimus, Christum meruisse quidem Angelis, non verò pro ipsis satisfecisse, hinc de satisfactione hîc singillatim agendum est.

QVÆSTIO I.

An peccatum sit formaliter injustitia; ita ut ex justitia requiratur compensatio divinæ injuriæ Deo.

222 PRoponitur ante omnia hæc quæstio veluti fundamentum potissimum eorum, quæ infra tradentur de satisfactione facta Deo per Christum: Supposito enim, quòd peccatum sit formalis injustitia contra Deum, etiam constabit quàm convenienter facta fuerit satisfactio per Christum: In qua quæst. tres opiniones Theologorum circumferuntur, duæ extremæ, & alia media. 1. Op. est Vasq. aliquorumq. aliorum negantium, oriri in homine peccante obligationem ex justitia ad satisfaciendum Deo pro peccato commisso. 2. Extrema affirmat, omne peccatum habere malitiam annexam injustitiæ strictè sumptæ in Deum, & hæc est communis inter antiquos, & recentiores apud Suar. *3.p.d.4. sect.5. & op. de Justitia. s.2.* 3. Sententia negat, oriri injustitiam commutativam in effectu, sed tantùm in affectu, sic Ovied. Hurtad. &c. Seraph. verò est cum sententia 2.

Not. 1. Quòd cum justitia commutativa reddat suum cuique Domino, etiam injustitia aufert suum proprio Domino invito. Dominium autem aliud est jurisdictionis, & dicitur legale: Aliud proprietatis: Primum est potestas, quam habet superior erga subditos imperandi ea, quæ spectant ad bonum politicum, & commune, & ad utilitatem præcipuè subditorum: & hoc dominio fiunt multæ leges, & prohibitiones à principibus: 2. est potestas, quam habet Deus erga rem propriam utendo illa pro libito, & in propriam utilitatem, non autem præcisè pro bono communitatis, & dicitur dominium dispoticum, quæ duo dominia inter se sunt separabilia, ut de se patet. Ex hac doctrina oritur discrimen opinantium, nam negantes, intervenire injustitiam propriè in peccato, dicunt, hominem peccare in Deum solùm ut Legislatorem, non autem in ipsum ut Dominum absolutè omnium rerum, quæ ratione dominii proprietatis ei substant, ejusque voluntati utendo eis pro libito.

Concl. 1. Omne peccatum includit rationem 223 injustitiæ strictè sumptæ in Deum, ideoque peccantem universaliter manere obligatum ex justitia ad satisfaciendum Deo pro illata injuria: & multò ampliùs à fortiori, si ex peccato relicta fuerit infamia de divino honore, teneri etiam ad restitutionem. Conclusio hæc est, ut dixi, communior inter antiquos Theologos, D. Bonav. D. Thomam, Scotum, aliosque appellantes omne peccatum absolutè injustitiam, & peccatum esse formalem privationem justitiæ debitæ, idque

 passim

passim sentit Seraph. D. qui cum communi, satisfactionem,& pœnitentiam ad speciem justitiæ pertinere docet; sic docet, & id semper supponit *l.3. d.10. per totam, & in Brevil. p.4. c.7. & l.4. d.15. a.2. p.1. q.1. & p.2. a.1. q.1. & 2. & sparsim in pluribus aliis locis*, Idem & Scotus *l. 4. d. 14. q. 2.* Pr. 1. Quia cum quis utitur re aliena invito Domino, tunc propriam, & veram injustitiam committit, sed peccator quando peccat, utitur se ipso, suisque actionibus, cæterisque creaturis invito Domino Deo, ergo, &c. Prob. minor, quia peccatum est essentialiter aversio à Deo, & conversio injusta ad creaturam, ergo, &c. Respondent Adversarii peccatum esse injustitiam sed legalem, non verò propriè commutativam, quia Deus præcipit ut Legislator subditis, & ipsi tenentur obedire, sed ex justitia legali, non verò ex commutativa, cum in præcipiendo ipsam non exprimat, sed tantùm exigat obedientiam: Contra: In Deo potestas Legislatoris procedit ut à radice à dominio proprietatis, quod habet in omnes creaturas quocumque titulo excogitabili, ergo præcipiendo involuit duplex dominium: Dicitur enim Isai. 33. *Dominus ac Legislator noster*, priùs Dominus, postea Legislator involuendo utrumque dominium, sed Legislatoris provenientis à dominio proprietatis. Et confirmatur, quia licèt in hominibus sint duo dominia separabilia, unde aliquando omittitur præceptum particulare ob bonum publicum; in Deo tamen non distinguitur bonum commune à bono particulari; bonum enim commune Dei est bonum non legale, scilicet non communitate aggregationis sicut in Civitate, sed communitate eminentis continentiæ, quod est justum, bonitatem suam condecens, & concernens, sicque omne aliud justum est particulare, secundùm quod ordinatur, vel convenit divinæ bonitati: ergo cum in Deo sint inseparabilia ista dominia censendus est Deus exigere justitiam quocumque titulo, & eo maximè, quia tam intensum est odium Dei in peccatum, quod censendum est ipsum prohibere quocumque titulo. Pr. 2. Nam servus ex justitia debet obsequia Domino titulo dominii, & negans ea peccat peccato injustitiæ, sed idem accidit in homine erga Deum, omnia enim nostra obsequia secundùm leges Dei, & consilia vocantur servitium à Scriptura, & in his dicitur homo servire Deo. Pr 3.& magis urgetur: in quocumque peccato sive prohibeatur titulo jurisdictionis, sive proprietatis concurrit inhonoratio, & injuria contra observantiam Deo debitam: ergo est injustitia rigorosè sumpta: sic Apostolus ad Roman. c. 6. *Per prævaricationem legis Deum inhonoras*: prob.conseq.quia ablatio honoris, & inhonoratio est actus injustitiæ strictè sumptæ; & prob. honor est bonum æstimabile, estque res aliena, ideoque quando læditur invito Domino committitur injustitia, ergo, &c. Quod argumentum urget, sive Deus exigat à nobis opera bona, titulo jurisdictionis, sive proprietatis, aufertur enim quocumque modo honor ei debitus; & ideo probat omnes partes conclusionis. Pr. 4 si homo haberet actum quo quantùm est ex se vellet occidere Deum, tunc peccaret peccato injustitiæ strictè sumptæ etiam ad mentem adversariorum, & ratio est, quia talis actus haberet malitiam ejusdem rationis, ac si verè occideret Deum, est enim efficax ex parte actus, licèt sit inefficax ex parte effectus; ergo datur in peccato injustitia strictè sumpta contra Deum: ergo & in cæteris peccatis universaliter, quia lædit jus, quod habet Deus circa omnes creaturas, quia utitur ipsis invito Domino. Pr. 5. quia omne peccatum contrahit debitum satisfactionis Deo tribuendæ: ergo omne peccatum contrahit injustitiam propriam contra Deum, quia lædit suum jus: sic enim non læderet, nec jus haberet ad satisfactionem.

Concl. 2. Peccatum commissum ex malitia cum intentione Deum inhonorandi, & præjudicandi honori, & existimationi Dei non solùm peccat contra justitiam commutativam, sed tenetur ad restituendum Deum de tali falsa existimatione in alios impressa. Est communior apud Theologos, quam expresè tradunt Mastrius, & Lugus *d. 3. sess. 7. ad 4. objectionem*, licèt cum aliqua limitatione; & sequitur ex supra dictis, nam cum hoc sit peccatum contra justitiam strictè sumptam, etiam contrahit obligationem restituendi malè ablatum invito Domino. 224

Objic. 1. Contra istas duas conclusiones: Primò Deus per peccatum nullum damnum patitur, sicut nec ex bonis operibus nulla gloria, vel bonum augetur, ergo nec peccatum contra justitiam. R. dist. anteced. nullum damnum in bonis intrinsecis, concedo, sicut nec ex bonis operibus aliquid intrinsecè aquirit: In bonis extrinsecis, ut existimatione, gloria, honore, quæ maximè æstimabilia sunt, & appetibilia, nego: sic qui talem gloriam, & honorem aufert, Deum damnificari videtur, datq. illi jus adversus se ipsum ad exigendam hujus damni reparationem. 225

Objic. 2. Peccatum non fit invito Deo, ergo non violatur justitia: Prob. anteced. quia peccatum fit, Deo permittente, & valente impedire, & non impediente: ergo non est invito ipso. R. hoc argumentum nimis probare, quia sequeretur etiam inobedientiam non esse contra ejus voluntatem, sed negatur assumptum cum sua probatione, certum enim est, peccatum esse contra ejus voluntatem, & ne ipsum committamus, porrigit auxilia sufficientia, imò sufficientissima, hortatur, minatur, præcipit, &c. & licèt non impediat, sicut posset ad hoc ut voluntas nostra sit libera, tamen non vult ea absolutè, quantum est ex parte sua, nec ad illa concurrit positivè, sed tantùm permissivè, permissio autem non est voluntaria actio: cum oppositum se velle declarat. Dices: Sequeretur duplex malitia necessaria exprimenda in confessione, nempe malitia contra virtutem oppositam, & malitia contra Dei honorem, sed in praxi communi non specificatur in confessione, ergo, &c. R. Suar. concedendo duplicem malitiam, sed sufficere explicare primam, quia in illa implicitè intelligitur altera.

Objic. 3. Si omnia peccata essent contra justitiam, sequeretur obligatio statim satisfaciendi; justitia enim obligat quamprimùm ad restituendum damnum, unde post furtum, fur statim est obligatus ad restitutionem, sed falsum est, peccatorem statim teneri satisfacere Deo, ut docet communis opinio, ergo, &c. R. neg. seq. quod practicatur etiam in aliis multis casibus: Nota autem, quod tunc ex justitia tenemur reddere rem alienam statim ac possumus, quando ex nostra actione ultra rationem offensæ relinquitur damnum in proximo; sed quando non adest tale damnum, sed tantùm ratio offensæ, & injuriæ, non adest talis obligatio: v.g. in restitutione famæ, si ex mea detractione nullum est secutum damnum proximo, quia adstantes non crediderunt, tunc non obligor ex justitia ad restitutionem famæ, sed tantùm ad satisfaciendum ratione 226

ratione injuriæ, nec statim teneor, nisi læsus statim eam exigat; sic & cum Deo, quando nullum aliud damnum, v. g. amissio existimationis divinæ non sequitur, sed tantùm offensa, non statim teneor; si verò sequitur amissio existimationis divinæ, teneor statim, ut dictum est in 2. Conclusione.

Objic. 4. Impossibile est reddere æquivalens Deo; ergo non tenemur ex justitia, ad impossibile enim nemo tenetur, prob. antecedens, quia ex nobis non possumus satisfacere, & confirmatur, quia tenetur peccator post peccatum ex justitia reddere honorem Deo, vel eumdem numero, quod est impossibile, vel æquivalens recuperare; si verò habet unde possit æquivalens recuperare faciliter, nec recuperat ex sua negligentia, tunc non insurgit talis obligatio, quia talis negligentia reputatur pro consensu tacito cedendi proprio juri. At Deus potest faciliter recuperare gloriam extrinsecam, quam per peccatum amisit movendo meam voluntatem per auxilia efficacia ad actus pænitentiæ, ergo ex justitia non tenetur peccator ad satisfactionem, & damni reparationem. R. 1. quod licèt ex viribus nostris puris non possimus Deo satisfacere, & reddere Deo æquivalens, possumus tamen, supposita gratia divina, quæ semper præsto est, qua supposita, Deus habet jus in nos ratione peccati, ex quo sequitur solùm non esse in nobis rigorosam justitiam, quia supponit gratiam creditoris, sed tamen esse veram justitiam commutativam; & hinc resp. ad confirmationem, negando, nos non posse reddere æquivalens Deo. supposito auxilio, non solùm efficaci, sed & sufficienti: & ad exemplum de creditore non satisfaciente ex negligentia. R. neg. paritatem de Deo, qui dat auxilia sufficientia ad satisfaciendum, nec negligentia in ipso potest cadere, imò ex opposito semper pulsat, petit, & exigit talem pænitentiam: tum etiam quia exemplum non est ad rem, nec dicit verum, quia nullus creditor potest sibi propria auctoritate satisfacere de re aliena, nisi in casu necessitatis: tum quia sequererur, nos non peccare contra justitiam non eliciendo opus præceptum etiam exigitum ex dominio proprietatis, cum Deus facilè possit illud à me obtinere movendo efficaciter meam voluntatem ad illud.

Objic. 5. Jus, cujus læsio peccatum injustitiæ constituit, tale esse debet, ut non solo effectu, sed etiam in re lædi possit; sed jus Dei circa creata omnia, præsertim opera nostra, tale est, ut non possit à nobis lædi; ergo, &c. minor prob. quia omnia, & opera nostra, & voluntas sunt magis in potestate Dei, quàm nostra, eaque potest ponere, tollere, &c. pro libito, ergo, &c. R. neg. minorem, ad probationem, concedo, esse totum in potestate Dei absoluta, attamen vult nos relinquere in nostra libertate, qua etiam supposita, non præjudicatur dominio dispotico, quod habet Deus in nobis. Dices, quòd hæc circunstantia injustitiæ à multis ignoratur, ab aliis negatur probabiliter, cum quibus potest quis se tutò conformare; ergo in istis saltem non cadit injustitia. R. quòd in istis casibus de ignorantia invincibili, vel de conscientia probabili non cadit talis injustitiæ ratio, id tamen est per accidens: hic verò quærimus de iis, quæ per se peccato conveniunt, & dicimus, omne peccatum esse per se injustitiam in Deum, licèt per accidens oppositum possit evenire; quare cum in Deo non separetur dominium politicum, & privatum, ut supra dictum est, ideo semper peccatum est peccatum injustitiæ propriè dictæ, non tamen rigorosè, ut dictum est.

QVÆSTIO II.

An Christus satisfecerit pro nobis in toto rigore justitiæ per opera sua sufficientia ex natura sua: an supposita divina acceptatione?

Suppon. 1. quòd supra traditum est, nempè meritum, & satisfactionem esse rationes omninò diversas, & inter se separabiles; dari enim potest satisfactio pura nullam includens rationem meriti, ut si quis debet Petro centum, ei centum restituit: quando verò satisfactio per se ipsam formaliter debitum non existinguit, sed meretur, vel impetrat aliquid, per quod debitum extinguitur, tunc non dicitur pura satisfactio, sed includit rationem meriti, & talis est satisfactio Christi, qui nobis meruit per suam satisfactionem, per quam formaliter peccatum extinguitur; unde sequitur, actiones Christi simul fuisse meritorias, & satisfactorias respectu nostri: meritorias quidem, quia per illas meruit nobis gratiam sanctificantem; satisfactorias, quia mediante gratia sanctificante extinguit peccatum: Sic D. Bon. *lib.* 3. *dist.* 20. *q.* 4. Addit: ibidem Seraph. & quia satisfactio alia plena est, & perfecta; alia semiplena, & imperfecta; prima est in qua adæquatè compensatur illata injuria de injuria, & de damno. 2. quæ de se non est adæquata, & condigna debito, sed est insufficiens, & minor illo, acceptatur tamen à creditore ut sufficiens: ut si debeas centum, creditor contentus est decem: Christus autem pro nobis satisfecit de condigno, & ad æqualitatem: hinc quæritur: an talis satisfactio fuerit de condigno ratione valoris, & dignitatis operum: an ratione tantùm acceptationis divinæ ex quadam congruitate divini suppositi. 127

1. Opinio negat fuisse ex valore operum, sed tantùm ex acceptatione divina: sic Nominales, & plures Scotistæ, non tamen omnes. 2. docet fuisse per se ex condignitate operum, non verò ex acceptatione divina. 3. Communis Seraph. Doct. D. Thomæ, & plurimorum Scotistarum, recentiorumque, in actu primo fuisse ex condignitate operum; in actu 2. verò, quatenus inducitur obligatio ex parte sic liberaliter se obligantis, requiri acceptationem divinam, eo modo quo diximus suprà de merito.

Not. 1. & suppon. id quod in disp. præcedenti de merito traditum est à nobis ex Seraph. & Scoto: nempè meritum de condigno importare duplicem acceptationem divinam; aliam intrinsecam provenientem ex dignitate divinæ gratiæ sanctificantis dignificantis apud Deum ipsa opera, & ipsa reddentis condigna ad præmium: alteram extrinsecam provenientem ex acceptatione divina extrinseca, quatenùs se liberaliter (ut ait Seraph. D.) voluit obligare ad reddendum præmium condignum tali operi. 1. dicitur habitualis, & ut in actu primo. 2. actualis, & ut in actu 2. veluti complementum primæ: *Vide dictam disp. præced. quæst.* 1. *ad* 5. *Concl.* 128

Not. 2. & suppon. ex aliàs traditis: Vnionem hypostaticam esse participationem divinæ sanctitatis, ideoq. de sui ratione sanctificabat humanitatem

rem Christi, dignificabatque ejus operationes, ita quòd superexcederent quemcumque alium valorem, & meritum, participabantque quamdam rationem infinitatis saltem extrinsecæ, & hinc oriebatur valor talis in operibus Christi.

229 Concl. 1. Christi satisfactio, ejusque operationes ex se, & ex natura sua, præcisa quacumque acceptatione Dei extrinseca, fuerunt condignæ in actu primo, habueruntque valorem intrinsecum æqualem, imò & superexcedentem peccatis omnium, & infinitorum hominum; non tamen de se erant sufficientes ad contrahendam obligationem ex parte Dei, nisi superaddita acceptatione ipsius Dei extrinseca. Hæc conclusio est communis omnium cum Seraph. *supracit. in disput. anteced. q.1.* adest tamen aliqua discrepantia in modo inter Doctores. Prob. autem 1. pars ex pluribus textibus sacræ Script. testantis, copiosam fuisse redemptionem Christi; nos fuisse æmptos prætio magno; nec enim posset dici copiosa redemptio, si non esset æqualis; idem & Clemens VI. *in Extravag. Unigenitus* declarat; & prob. ratione, quia si opera bona Justorum facta ex gratia habituali habent talem valorem condignum ad vitam æternam, multò magis opera Christi procedentia veluti ex radice ex unione hypostatica, & ex plenitudine omnis gratiæ; tum quia in peccato dignitas personæ offensæ se habet extrinsecè ad actum peccaminosum, ideóque non potest ei tribuere infinitatem, nisi extrinsecam, & objectivam, è contra dignitas personæ meritis in Christo se habet veluti quid intrinsecum, & quasi forma moralis respectu sanctificationis exhibitæ, ergo longè excellentior est satisfactio Christi supra quamcumque injuriam ab homine Deo illatam; prob. minor, & conseq. quia per dignitatem personæ operantis, & ratione unionis ejus opera elevantur ad ordinem hypostaticum. Prob. 2. pars, quia præcisa promissione divina, Deus non potest obligari cum creatura.

Objic. major est gravitas peccati, quàm satisfactio Christi, ergo falsa Concl. prob anteced. peccatum est injuria contra Deum, satisfactio est ex humanitate Christi; sed natura divina est infinitè dignior humanitate Christi, ergo & ejus operationes sunt inferiores quacumque injuria. R. neg. anteced. ad probationem negatur paritas de injuria in Deum, & satisfactione Christi: injuria habebat infinitatem tantùm extrinsecam, malitiam autem intrinsecè finitam; satisfactio Christi erat quidem ab humanitate, ut principio quo, sed à persona infinita ut principio quod, & per consequens dignificatio redundans in opera erat ab extrinseco excedens omnem injuriam illatam Deo ab homine. Dices: persona nihil influebat in opera, ergo non se habebat ut principium quod. R. neg. anteced. non enim influebat physicè per influxum physicum, sed moraliter; tum etiam quia procedebant à persona ratione unionis sanctificantis & humanitatem, & opera formaliter: unde in sati factione redundabat infinitas negativa, scilicet talis, quòd major non potest dari.

Concl. 2. satisfactio Christi non fuit omnino rigorosa; ratio est, quia fundata fuit in gratia unionis, & habituali, quæ est ex mera gratia Dei: qua tamen supposita, fuit rigorosa aliqualiter, quatenùs fuit æquivalens omnino ad debitum, imò superexcedens: quod in sequenti quæstione meliùs patebit.

QUÆSTIO III.

An Christus sicut condignè, & abundè pro nobis satisfecit, ita ejus satisfactio fuerit ex toto rigore justitiæ: ubi de conditionibus rigorosæ justitiæ.

Suppon. 1. neminem ex Chatolicis Theologis negasse, Christum satisfecisse pro nobis superabundanter Deo pro injuria ipsi illata: ejusque opera non fuisse superexcedentia ad quodcumque demeritum hominis, sivè provenerit ex rigorosa justitia commutativa, sivè vindicativa, sivè legali, sivè ex quadam justitia latè sumpta, ut diversimodè loquuntur Doctores; sed quia aliud est, Christum satisfecisse condignè, & ad æqualitatem; aliud est satisfecisse ex toto rigore justitiæ; primum admittitur in operibus Christi, sicque ejus satisfactio tantam dignitatem habuit, ut in rigore æqualitatis, quæ requiri solet in materia justitiæ, ei correspondere deberet remissio nostrorum peccatorum: secundum verò est in quæstione, & ideo quæritur: an in satisfactione Christi reperiatur non solùm æqualitas ad injuriam, sed etiam totus rigor justitiæ absolutè sumptæ, ita ut Deus ex justitia teneatur remittere peccatum. In qua duplex controversia excitatur: prima est ex parte Dei 2. ex parte Christi. 1. ex parte Dei: an Deus justitiam exerceat remittendo injurias illatas, pro quibus Christus satisfecit; an solùm misericordiam. 2. ex parte Christi; an scilicet Christus satisfaciendo pro nobis, & solvendo debita nostra, exercuerit actum justitiæ assumptæ: quoad primam partem Thomistæ asserunt, Christum satisfecisse ex rigorosa justitia; Scotus cum suis negat, quid sentiat Seraph. modò dicetur. 230

Not. 2. quòd ad satisfactionem secundùm justitiam rigorosam communiter aliquot conditiones essentialiter concurrunt: Prima est, ut satisfactio non fundetur in gratia, & liberalitate creditoris, opponuntur enim justitia, & gratia ex Apostol. *Si ex operibus, ergo non ex gratia*, quantum enim gratiæ miscetur, tantùm minuitur de perfectione justitiæ, quæ conditio ab aliis explicatur, quòd non fiat ex acceptis gratìs datis à creditore: An verò in Christo hæc conditio defecerit, est in quæstione; Scotistæ asserunt, Thomistæ negant ex eo quòd gratia unionis, à qua procedebant merita tanquàm à radice, non fuit gratia respectu personæ Verbi operantis, sed tantùm fuisse gratiam respectu humanitatis, à qua non fuit valor satisfactionis, sed à persona Verbi, quòd & nos in parte asserimus. 2. conditio est, quòd satisfactio non fiat ex bonis ipsius creditoris, sed ex bonis debitoris, in quæ creditor nullum jus habet, dominiumve, vel possessionem; alioquin non servaretur æqualitas; nec creditor plus haberet post satisfactionem, quàm antea, sic manebit eadem inæqualitas: hanc conditionem negant fuisse in Christo Scotistæ; Thomistæ admittunt ex ratione adducta de persona Verbi operante, & quatenùs opera erant sub potestate Christi operantis. 3. conditio est, ut sit satisfactio ex aliàs indebitis, scilicet ex alio titulo, v. g. potest quis debere mille Petro titulo census: non potest per ista solvere, quæ debet pro alio titulo, v. g. emptionis, sic omnia opera Christi debebantur Deo aliis titulis, v. g religionis, obedientiæ, &c. Thomistæ docent, duplex debitum in nobis posse considerari 231

considerari ad Deum, aliud radicale, remotumque, estque in omni creatura ut creatura est; aliud actuale, proximumque & hoc, licèt sit debitum Deo, tamen id relinquit libertati nostræ, & sub hac ratione possumus dare Deo id, quod non debemus proximè, & ipsum debitorem Deum constituere, & hanc satisfactionem recognoscunt Thomistæ in Deo, Scotistæ id negant, cum Deo omnia debeantur. 3. conditio est Jurium alteritas, in qua est perfecta æqualitas dati, & accepti, in quæ quisque habet suum jus necessarium in commutandis rebus; hinc est, quòd inter Patrem, & Filium, inter servum, & Dominium justitia rigorosa reperiri non potest; neuter enim Filius & servus, est suis juris; quia illud jus dicitur perfectè alterum, quod fundatur in re moraliter distincta à re, & jure alterius, cum quo contrahenda est justitia: Hanc etiam docent Scotistæ non reperiri in Christo; nam jus, quod habet Christus ratione humanæ voluntatis in actus satisfactorios fundatur in libertate creata, quæ est effectus, & naturalis possessio Dei potiori jure, quàm sit Filius naturalis pars Patris, & servus moralis possessio Domini; nec enim potest Deus expoliari se dominio eorumdem actuum: Thomistæ dicunt sufficere perfectum jus libertatis Christi in suos actus, nec implicare dominium duplex in eamdem rem sub diversis titulis. 5. conditio est, ut satisfactio fiat immediatè ab ipsa persona offendente; quia persona offendens debet jus læsum resarcire non solùm quo ad substantiam, sed & quo ad omnes circumstantias; unde si satisfactio fiat ab aliquo fidejussore, non est perfecta justitia, quia non resarcit illum individualem, & personalem honorem, quem suo actu voluntario personali læsit: & hinc ex parte etiam negant Scotistæ Christi satisfactionem esse de toto rigore justitiæ: Thomistæ volunt, talem conditionem esse accidentariam justitiæ, dummodò enim læsus resarciatur, & ob id cedat juri suo, tunc dicitur in rigore satisfactus. 6. conditio est, ut satisfactio non possit justè rejici, sed debeat ex justitia acceptari; & hanc etiam defecisse in satisfactione Christi, volunt Scotistæ. Thomistæ econtra ipsam admittunt, & hoc ob suam excellentiam, & excessum, quem habuit ad debitum, per quem superavit debitum, & ideò Deus non poterat non acceptare.

232 Not. 3. quòd hoc nomen justitiæ multipliciter sumitur; aliquando enim methaphoricè tantùm, quando quis remuneratur ob servitium præstitum ex gratitudine, & fidelitate tantùm; secundùm quam plures Theologi, ut Vasquez, &c. volunt, Deum remunerare nostra obsequia cum æqualitate quidem ad merita, sed non ex justitia, sed ex fidelitate promissionum factarum. 2. sumitur non secundùm totum rigorem, & conditiones suprapositas, sed tantùm secundùm quid, & aliqualiter secundùm proportionem, & hæc est vera, & propria justitia commutativa, sed non tamen rigorosa, ut est illa, de qua supra dictum est; & hinc oritur controversia: an scilicet Christus satisfecerit Deo ex justitia propria, an etiam ex rigorosa cum supradictis conditionibus; Scotistæ negant affirmant Thomistæ.

233 Concl. 1. satisfactio Deo oblata à Christo pro peccatis totius mundi fuit condigna, æqualis, imò superexcedens ab intrinseco ex parte Christi merentis, & præcisa quacumque acceptatione divina extrinseca: est communis ferè omnium Theologorum, & supra satis probata est in præcedenti quæstione.

Concl. 2. Hæc satisfactio à Christo oblata Deo fuit ex parte Christi actus justitiæ propriè dictæ, prout distinguitur à justitia metaphoricè dicta; est etiam communis, demptis aliquibus paucis: ratio est, quia satisfactio Christi fuit vera, & propria satisfactio ad æqualitatem, imò superexcedens debitum nostrum; sed propria, & æqualis satisfactio est, per quam constituitur æqualitas inter debitum, & solutionem, & hæc æqualitas est objectum justitiæ, ergo, &c. tum quia Christus satisfecit Patri ex motivo resarciendi illi injuriam irrogatam, ergo satisfecit per actum propriæ justitiæ; prob. conseq. quia, cum actus ille sit bonus, honestus, ac difficilis, debet esse actus alicujus virtutis specialis; sed nulli potest convenire, nisi justitiæ, cujus est reddere suum cuique, & resarcire injuriam alteri illatam, ergo, &c. tum quia valde indecens esset non admittere in Christo peculiarem justitiæ virtutem, qua intenderet Deo satisfacere, cum sit opus bonum, & laudabile. Et confirmatur, quia talis satisfactio non potest reduci ad actum obedientiæ, justitia enim præscindit de sua ratione formali à præcepto superioris, nec ad religionem, cujus objectum formale est cultus Dei solus; ergo ad justitiam solùm; nam, ut notat Seraph. *lib. 4. d. 10. part. 2. dub. 3. & in Joan. collat. 6. & plurimis aliis locis*, habuit plenitudinem omnium virtutum, ergo & justitiam.

Dices: justitia dicit æqualitatem, ob idque relationem realem inter extrema; ergo justitia nequit esse ejusdem ad se ipsum, sed tantùm unius ad alterum, sed Christus per humanitatem satisfecit sibi ipsi in divinitate subsistenti, & Verbum ipsum Incarnatum fuit principium, quod, satisfaciens, ergo non satisfecit ex propria, & vera justitia. R. justitiam non necessariò esse ad alterum simpliciter, sed sufficere esse ad se quasi ad alterum; sic justitia in Christo non fuit ad alterum physicè, sed moraliter; sic cum quis in se ipso punit peccatum, punit enim ut minister Dei, & punitur ut reus, sed in Christo erat diversitas non solùm titulorum ut in pænitente, sed etiam naturarum, & diversitas modorum subsistendi; hæc autem relatio est ens non reale, sed morale, & rationis materialiter, sicut est totum genus moris.

234 Concl. 3. Deus remittendo injurias ex satisfactione data à Christo exercuit veram justitiam; est etiam communior, & Seraph. D. ex traditis in superioribus de merito; licèt enim Deus à nobis non possit obligari ad justitiam, potest tamen se obligare liberaliter; tùm quia opera Christi in actu primo exigebant ex justitia intrinsecè remunerationem condebitam, ergo, &c. Vide quæ tradita sunt in disput. anteced. de merito ad quæstionem primam.

Concl. 4. Christi satisfactio facta pro peccatis hominum non habuit omnes conditiones requisitas in rigorosa justitia inter homines; potest tamen dici rigorosa, quatenus humanitas Christi erat unita Verbo, & sancta per unionem hypostaticam: prima pars est Scotistarum. 2. est Thomistarum, qui tamen altercantur (ait Mastrius) in quæst. potiùs de nomine, quàm de re: Prima pars patet ex traditis in fundament. deficiunt enim illæ conditiones rigorosè sumptæ. 2. pars prob. quia gratia unionis donata fuit Christo absque obligatione restituendi, ergo potuit Christus vertere, & adhibere ipsam, ejusque opera veluti rem propriam ad solutionem debiti; & hoc est in ordine ad primam conditionem, & hinc etiam corruit 2. conditio, quia

quia solvit Christus ex iis, quæ erant sub suo dominio ipsi collato à Deo. Et quo ad 3. conditionem, licèt omnia debeantur Deo titulo dominii, talis obligatio erat remota, non proxima, cum jam fuerint à Deo collata sub dominio Christi, & hac ratione dominii collati Christo tolluntur alia impedimenta ad justitiam rigorosam saltem imperfectam, & respondetur omnibus objectis in contrarium.

QUÆSTIO IV.

An pura creatura potuerit satisfacere Deo de condigno, & ad æqualitatem.

235 SUppon. 1. ex Seraph. *lib. 3. dist. 20. quæst. ult.* quòd, loquendo de potentia Dei absoluta, Deus potuit reparare mundum, & hominem aliis modis; sicut enim potuit se ipso creare mundum, ita & potuit recreare, non enim est divina potentia limitata ad hunc modum satisfaciendi. Suppon. 2. per puram creaturam non sumi Angelum, vel hominem in puris naturalibus, hoc enim certum est non potuisse; sed puram creaturam rationalem habentem omnes gratias Christi propter unionem hypostaticam. 3. Suppon. nullam creaturam non unitam hypostaticè potuisse condignam satisfactionem Deo præbere, sicut dedit Christus ratione unionis hypostaticæ exaltatus ad divinam dignitatem: Quæstio igitur procedit: an pura creatura habens plenitudinem gratiarum, dempta unione, potuerit Deo exhibere satisfactionem æquivalentem gravitati offensæ adæquatam, licèt non excedentem, & superabundantem, ut fuit satisfactio Christi: & quæstio procedit primò de facto loquendo de homine non incluso in pacto unito cum Adam. 2. de possibili. 1. sententia affirmat, id potuisse fieri: estque Scoti, Scotistarumque. 2. negat; estque D. Bon. *l. 3. d. 20. q. 3.* D. Thom. & communior.

Not. 1. & suppon. quod in superioribus de gratia Christi traditum est, nempè gratiam capitis fuisse necessariam ad reparationem Generis humani, hancque consistere in tribus: primo quòd sit conforme membris. 2. quòd sit membrorum principium. 3. quòd sit influxivum sensus, & motus: primum habet Christus ratione humanitatis. 2 ratione Divinitatis. 3. per modum præparantis, & merentis; & ad hoc requiritur divinitas, & humanitas; nam influere per modum merentis est Christi hominis: per modum efficientis est Christi Dei: *Vide D. Bon. lib. 3. d. 13. art 2. q. 1. & dist. 20. q. 4. corp.*

Not. 2. quòd est maxima controversia inter Doctores: an malitia peccati sit infinita: Thomistæ affirmant; Scotistæ negant admittentes tantùm infinitatem objectivam, & extrinsecam, licèt quæstio sit potiùs de Nomine. Seraph. D. *l. 3. d. 20. art. 1. q. 3. & 4. & lib. 4. d. 15. q. 1.* docet, in peccato esse duo, scilicet offensam Dei, & deordinationem, seu libidinem deordinatam, scilicet aversionem à Deo, & conversionem ad creaturam inordinatam: hæc 2. est finita, est enim actus positivus creaturæ: in offensa verò Dei, & aversione à Deo est injuria in Deum, & damnum peccati in totum genus humanum redundans, in quibus injuria est infinita objectivè, & damnum inde consequens etiam habet aliqualem infinitatem, seu universalitatem, unde addit: si peccatum est tantùm personale, tunc solùm habet rationem offensæ objectivæ, & injuriæ illatæ Deo, & solùm damni particularis: si verò est persona, quæ sit caput omnium, ut in Adam, tunc habet rationem infinitam objectivam injuriæ, simulque & damni infiniti extensivè in ordine ad naturam totam hominum, sicque tale damnum non potest resarciri ab eo, qui non est caput omnium, & cum id solùm possit competere Deo homini, hinc purus homo non potest id efficere.

Concl. 1. De potentia Dei absoluta potuit purus homo Deo satisfacere de condigno de peccato proprio, absque eò quòd ad satisfactionem concurrerent merita Christi. In hac conclusione convenit S. Bon. *l. 3. d. 20. art. 1. q. 3. & 4. & ibidem q. 1.* Incarnationem fuisse necessariam ex decreto immutabili Dei, scilicet supposito decreto reparandi hominem per Incarnationem, obidque reducit totum ad necessitatem congruitatis; *Sic & d. 1. art. 2. quæst. 1.* & in hoc convenire debent omnes Theologi; nulla enim implicantia contrà hoc adferri potest, nempè quòd virtute alterius decreti non potuisset supplere purus homo, vel Angelus, qui pro ipso satisfaceret de peccato actuali mortali, non verò de originali; addit tamen, quòd hæc satisfactio esset tantùm semiplena, sic etiam Brulefer. exponit S. Doctorem hîc. 236

Concl. 2. De potentia Dei ordinaria potest homo adjutus gratia Christi satisfacere Deo satisfactione semiplena, non autem plena, & perfecta, sic Divus Bon. *d. 20. q. 4.* explicat tamen hanc conclusionem tali pacto: satisfactio plena de peccato est de injuria, & damno: semiplena est, quando remissa est injuria, solùmque remanet damnum resarciendum, supposito tamen merito, quo Christus nobis impetravit gratiam, quantùm ad sufficientiam, per quam homo potest satisfacere Deo pro læsione, quam sibi intulit actualis culpa: & hinc concluditur, quòd præciso merito, & satisfactione Christi impossibile est, quòd etiam prò se ipso possit satisfacere semiplenè, sed tantùm adjutus à gratia Christi potuit. 2. pars etiam patet, quòd in satisfactione plena requiritur, ut satisfaciens habeat gratiam capitis, quæ solius Christi est propria.

Objic. 1. majus est peccatum actuale, quàm originale; sed potest homo satisfacere pro actuali; ergo & pro originali. R. quòd ex una parte majus est actuale peccatum, quatenus scilicet est voluntarium; sed non ex alia parte, scilicet quantùm ad suam originem, quia est peccatum capitis, & respicit totam naturam humanam infectam, ideóque solùm à capite Christo potest tribui satisfactio condigna. Objic. 2. satisfacere est honorem Deo debitum reddere, & impendere; sed quilibet homo potest honorem debitum Deo reddere, & impendere, ergo, &c. R. Seraph. quòd est honor Deo debitus jure creationis, & hoc potest, & debet fieri à quolibet homine adjuto à gratia Dei, & est honor Deo debitus ob injuriam ei illatam, & iste non potest plenè impendi ab homine puro, quia reddit se impotentem per tale peccatum. Objic. 3. Gratia delet omnem culpam æqualiter, ergo & satisfacit pro omni culpa. R. transeat antecedens. & negatur conseq. deletio enim culpæ non est formaliter satisfactio: illa enim respicit culpam, ista reatum pœnæ, unde satisfactio pro originali præsupponitur in collatione gratiæ sanctificantis facta per Christum.

Concl. 3. Pura creatura non potuit Deo satisfacere pro toto humano genere: Est S. Bon. *lib. 3. dist. 20.* 237

*dist.*20.*q*.3. & communior, & hoc intelligitur nec pro injuria, nec pro damno. Prob. à Seraph. D. Aut ista creatura esset homo, aut non homo: Si homo, ergo & ipse indigeret satisfactione, ideóque non posset esse purus reconciliator; si non homo, ergo nec posset satisfacere, quia ad eum pertinet satisfactio, ad quem transgressio, & si hoc posset etiam ex dispensatione divina, tamen non deduceret naturam humanam in statum pristinum, in quo immediatè subjecta esset Deo; sed tali creaturæ satisfacienti esset subjecta; tum quia non esset caput omnium, cum solus Deus, & homo per unionem hypostaticam possit esse. Pr.2. satisfactio debet proportionari offensæ, & injuriæ, sed ista est infinita objectivè moraliter; sed nulla creatura est infinita, nec ejus operatio, ergo, &c. Pr. 3. Nullus satisfacit plenè, nisi restituat quantum abstulit; sed damnum se extendit ad omnem humanam naturam, ergo, &c. ad ipsam debet se extendere satisfactio; sed hoc est impossibile, nisi sit satisfaciens caput omnium hominum, ergo solus Christus, &c. Prob.4. quia sola unio hypostatica est ratio primaria, & radicalis ex natura sua condigna cujuscumque præmii, & solutionis, quæ à Seraph. Doct. appellatur gratia capitis; ideo hæc sola potuit Deo satisfacere. Pr.5. Nullus potest satisfacere pro omni homine, nisi in omnes homines transfundat gratiam, & justitiam, per quam possit fieri justa compensatio, sed nulla creatura id potest, ergo, &c. Prob. Minor: Dato homine cum plenitudine omnium gratiarum communicabilium creaturæ puræ, talis gratia non exiret statum filiationis adoptivæ, sicque esset ejusdem naturæ, & gradus; sed talis gratia non haberet condignitatem ad merendum, nisi eo modo, quo est in nobis, nempe ad merendum sibi, non aliis; ergo ad extirpandum radicitùs damnum, quod intulit culpa in omnes homines non potuit extendi, ergo solùm per gratiam capitis, & unionis id poterit fieri.

Dices: talis homo posset etiam pro aliis mereri, ergo, & satisfacere. R.Seraph Sanctum istum posse tribuere Deo aliquam satisfactionem, sed non talem, quæ resarcire posset damnum illatum pro peccato originali, ad id enim est necessaria extirpatio ipsius, & ob id gratia unionis Christi.

Objic. potuit unus homo inficere totum genus humanum, ergo poterit & satisfacere. Prob. consequentia, quia non plus exigitur in pæna, quàm committitur in culpa; sed per culpam lapsus est totus homo, ergo per eumdem potuit satisfieri. Resp. S. Bon. neg. paritatem de infectione, & de satisfactione; ratio disparitatis est, quia infectio est per generationem naturalem, reparatio per regenerationem supernaturalem,& quia in peccato adest gravitas injuriæ in Deum, quæ est infinita, ideo purus homo non potuit satisfacere; cum igitur exigitur Deus homo satisfaciens, non plus exigitur, quàm commissum sit in culpa.

Contra instat Mastrius: gravitas peccati est infinita ab extrinseco, & objectivè tantùm, ab intrinseco est finita, quia desumitur ex gravitate materiæ, & objecti creati, ergo non excedit virtutem limitatam creaturæ, ergo potuit satisfieri à pura creatura Resp. ex doctrina allata à Seraph. quomodocumque sit malitia vel objectivè, vel entitativè, neg. à pura creatura posse satisfieri; ratio est, quia exigit talis satisfactio proportionem aliquam formalem cum Deo offenso, quæ solùm potest haberi ex ratione capitis,& unionis hypostaticæ, ut dictum est supra.

DISPVTATIO XII.

De Adoratione Divina.

QUÆSTIO I.

Quid sit Adoratio, & quotuplex.

238 Resp. 1. quòd Adoratio quoad vim Nominis est ad alterum Oratio: Sic S. Bon. *in Ioan. collat.* 22. in qua descriptione tamen non sumitur Oratio purè secundùm se, sed secundùm omnes circumstantias, secundùm quas colitur aliquis & interiùs, & exteriùs propter excellentiam ejus; unde exigit submissionem animi: Hinc secundùm rem describitur à D. Damasceno tali pacto: Adoratio est submissionis, & humiliationis nota; seu est actus honorandi alterum, quo adorans se illi tamquam superiori submittit, & hinc inferunt Theologi, quòd honor, & adoratio distinguuntur tanquam superius, & inferius: honor enim in plus se habet, quàm adoratio, quia honor est reverentia exhibita alicui propter sui excellentiam, sive sit superior, sive par, sive inferior; si autem superadditur submissio alteri tanquàm superiori, tunc est adoratio.

Resp. 2. adorationem esse duplicem, aliam exteriorem, aliam interiorem, quæ tamen simul debent concurrere ad perfectam Adorationem, & completam: & hinc. Resp. 3. Adorationem esse actum religionis spectantis ad justitiam tribuentem suum cuique, & quia religio est virtus, quæ superioris, scilicet divinæ curam, ceremoniamque affert, hinc rectè dividitur in latriam, hyperduliam, & duliam: latria est cultus Deo debitus, & exhibitus; vel alio modo: latria est voluntas impendendi Deo cultum debitum, impenditur autem cultus Deo debitus, corde per fidem, spem, & charitatem, ore per adorationem, laudationem, benedictionem, & gratiarum actionem, opere per oblationem thurificationem, & genicularionem, sicque compræhenditur adoratio interior, & exterior; & hinc latriæ primum officium est perpetrati sceleris pænitere: secundum est temporalium mutabilitatem parvipendere: 3. est vitam nostram ex toto corde Deo committere: 4. est veritatem per sanctam vitam servare; sicque S. Bon. *Opusc. Centil. part.*3. *sect.*44. Dulia propriè sumpta est servitus, vel cultus creaturæ debitus, & exhibitus ob ali- 239

quam ſingularem excellentiam : hyperdulia eſt idem ac dulia , ſed addit in Perſona adorata aliquam ſingularem excellentiam ſuper omnes alias creaturas : Hinc dulia exhibetur Sanctis : hyperdulia B. V. Mariæ ; ſic S. Bon. loco citato. Reſp. 4. Adorationem ſubdividi in abſolutam, & reſpectivam : abſoluta eſt , quæ reſpicit excellentiam perſonæ , cui per ſe debetur talis cultus : reſpectiva verò eſt , quæ habet pro objecto excellentiam exiſtentem in aliqua perſona , ad quam talis res adorata aliquam habitudinem habet , ut eſt adoratio Crucis , & imaginum , ſic S. Bonav. *lib.* 3. *diſt.* 9. *per totam.* Reſp. 5. objectum adorationis, aliud eſſe formale , aliud materiale : formale eſt excellentia perſonæ, quæ adoratur, diciturque ratio , & cauſa formalis Adorationis : materiale eſt ipſa perſona , vel res adorata , prout eſt terminus materialis adorationis. Cum autem excellentia peculiaris digna honore peculiari poſſit reperiri non ſolùm in Deo , ſed & in creaturis , hinc & adoratio fertur in Deum , & etiam in aliquas creaturas ; ſic cum communi Seraph. *l.* 3. *diſt.* 9. *per totam, maximè in ult.* 2. *per totum in locis citatis.* Reſp. 6. Excellentiam , cui debetur adoratio eſſe ſolius intellectualis ſubſtantiæ vel infinitæ , vel creatæ , obidque irrationalia non ſunt terminus adorationis. Reſp. 7. Adorationem ſolùm eſſe propriam creaturæ intellectualis, quæ ſola poteſt præſtare adorationem , & ad hanc quatuor requiruntur. Primò judicium ſpeculativum de alterius excellentia. 2. judicium practicum dictans ei excellentiæ reverentiam exhibendam. 3. actus voluntatis huic judicio conſentientis , ac ſimul actum aliquem eligentis , quo talis proteſtatio ſubmiſſionis fiat , qui actus in adoratione præcipuus eſt. 4. actus externus corporis, & membrorum, qui eſt nota ſubmiſſionis, ſic ex Bellarm. *l.* 1. *de ſanctis* , *cap.* 12.

QUÆSTIO II.

Qualis adoratio Chriſto conveniat.

240 PRimò tamquam certum ſupponendum eſt , & de fide, Chriſtum ut Deum eſſe adorandum ea adoratione , qua colitur Pater , & Spiritus Sanctus , quia eſt una excellentia communis tribus Perſonis. Quæſtio autem proponitur circa Chriſtum ut hominem , an latria adorandus ſit , & quæſtio habet duplicem partem : prima ſumendo Chriſtum ut hominem ſubſiſtentem in divina , & humana natura. 2. eſt ſumendo humanitatem vel quatenus eſt in Verbo , vel quatenus ſumitur ſolitariè , ut præciſa à Verbo , & methaphiſicè prout tamen ſupponuntur in ipſa omnia dona ſupernaturalia , dempta unione hypoſtatica. Quoad primam partem omnes Theologi conveniunt adorandum eſſe Chriſtum adoratione latriæ , licèt diſcrepent aliqualiter in modo. Quoad ſecundam communiter ſentiunt Theologi adorandam eſſe humanitatem prout præciſam à perſona Verbi aliquo cultu inferiori latria, diſcrepant tamen quoad modum , nam aliqui ipſi aſſignant hyperduliam , alii duliam : Seraph. idem docet *lib.* 3. *diſt.* 9. *q.* 1. *corp.* ſed tamen addit, hanc quæſtionem eſſe purè imaginariam, cum non poſſit humanitas ſeparari à Verbo, & in Chriſto nec unquam eſſe ſeparatam ab ipſo.

Notan. quòd in adoratione alia eſt ratio formalis , alia eſt materialis ; ratio formalis eſt ipſa cauſa adorationis , ſeu ratio objectiva exigens , & removens adorationem , eſtque ipſa excellentia eminens,cui debetur nota ſubmiſſionis : ratio materialis eſt ipſe terminus materialis adorationis,qua doctrina ſuppoſita , ſit.

Concl. 1. In Chriſto ejus humanitas cultu latriæ eſt adoranda : Eſt Seraph. D. *lib.* 3. *diſt.* 9. *q.* 1. cum communi Theologorum , exceptis paucis, quos ſuppræſſo nomine citat Seraph. Doct. eſt & communis inter SS. Patres ab ipſo citatos. Prob. autem hoc ineluctabili fundamento à Seraph. D. quia honor , & reverentia per hoc differt à proprietatibus aliis,quòd etiam ſi proprietates poſſint convenire partibus , v. g. humanitati per ſe , & divinitati per ſe , item corpori per ſe , & animæ per ſe , honor non ſic , non reſpicit hanc , vel illam partem , ſed ipſam perſonam ; ſed una eſt perſona in Chriſto , cui debetur ſumma reverentia , ergo una adoratione adoranda , ſcilicet latria quantùm ad utramque naturam. Prob. & explicatur à Seraph. Doct. major exemplo purpuræ , & veſtimenti Regis ex D. Auguſtino, quod licèt non participet de proprietatibus Regis , tamen communicat in honore , & in reverentia præſtita Regi ; tum etiam quia eadem adoratione adoratur caro , qua anima ipſi unita , ergo à ſimili , &c. ratio eſt , quia honor non habet objectum phyſicum nudum , ſed morale , ſicut meritum dicitur ex unione infinitum. Ex quo habetur alio modo deberi adorationem Verbo , ſcilicet per ſe, alio modo humanitati ratione unionis , ut dicit D. Damaſcenus , nempe quatenus eſt terminus adorationis præſtitæ ipſi Verbo , unde Patres dicunt , humanitatem coadorari cum Verbo. 241

Objic. 1. ex Deut. *cap.* 6. *Dominum Deum adorabis , & illi ſoli ſervies :* Ergo ſoli Deo , &c. R. concedendo totum , ſed per hoc non excludi Chriſti humanitatem unitam Verbo , ſicut cum dicitur : Petrus ſolus eſt in hoc cubiculo , non excluditur ejus manus , & pes ; ſic & à ſimili; cum dicitur ſolus Deus eſt adorandus , non excluditur humanitas , quia utraque natura in unam coeunt perſonam , & hac diſtinctione ſolvuntur omnia objecta , ſolumque hìc advertendum , quòd in reſponſione ad 2. dicit , quòd humanitati per ſe non debetur ſacrificium , ly , per ſe , ſumit prout conſideratur præciſa à Divinitate , non quòd per accidens adorari debeat , ut dicebat Vaſquez , per ſe enim propriè adoratur humanitas pro ut eſt unita Verbo, & ad ipſam terminat adoratio.

Concl. 2. Humanitati Chriſti præciſè ſumptæ, & cum abſtractione metaphiſica deberetur ſolùm adoratio duliæ , vel hyperduliæ , ſed quia ſemper eſt unita Verbo , ei ſemper debetur adoratio Latriæ , non alia inferior : Eſt D. Bon. *cit. quæſt.* 1. & communior , imò omnium , diverſificant tamen in modo. Prob. prima pars , quia humanitas Chriſti , præciſa unione , eſt elevata per gratiam eminentiſſimam , & alia dona ſupernaturalia ſuper omnem aliam creaturam, ergo ei debetur adoratio aliqua , ob ſuam excellentiam , ſi eſſet ſeparata à Divinitate , ſed non latria , cum ſit quid creatum, ergo hyperdulia , vel dulia. 2. pars prob. quia non poteſt conſiderari Chriſtus, vel ejus humanitas de facto , niſi ut unita Verbo , ergo nec

poteſt

potest adorari nisi ut Verbo unita; tum quia humanitati Christi adsunt gratiæ, & dona supernaturalia ratione unionis, tanquam proprietates ab unione emanantes, ut aliàs probatum est: ergo impossibile est actu fieri hanc separationem excellentiæ etiam mentalem, nisi inordinatè. Et confirmatur, quia cum adoratur ejus humanitas præcisa à Verbo, vel illa sola adoratur, vel ut Verbo conjuncta; non primum, quia adoraretur chimericè, cum adoratio tendat ad personam: ergo 2. ergo adoranda est latria.

Objic. nihil impedit, quin intellectus noster considerare possit humanitatem excellentissimam Christi absque divinitate, ergo quin possit adorari. R. conced. anteced. metaphysicè, & speculativè, sed tantùm inordinatè, nego practicè, alioquin non consideraretur, sicuti est.

QVÆSTIO III.

Solvuntur aliqua dubia circa adorationem latriæ, duliæ, & hyperduliæ.

242 QUæres 1. *An latria sit in genere virtutis, & qualis?* R. Seraph. D. *d.9.a.2.q.1.* quòd, cum latria sit id, quo colimus Deum, & quia colere Deum potest sumi vel habitu, vel actu, sic & latria sumitur æquivocè pro actu, & pro habitu, sed propriè tamen sumitur pro habitu, ideoque est in genere virtutis, eo quòd habilitat animam ad bonum, & difficilè, & meritorium, & ad salutem necessarium; est enim opus supernaturale, præceptumque à Deo, & servitus voluntaria: ergo est habitus virtutis R. 2. ex S. Doct. *ibid. q. 2.* quòd cum latria ordinata sit ad cultum Dei, & cum cultus possit sumi generaliter, propriè, & magis propriè: generaliter, quatenus convenit cum cæteris virtutibus, pro ut est actus directus in Deum ratione finis. 2. Pro ut actus in Deum est directus non solùm ratione finis, sed etiam objecti; sicque cultus est exercitium virtutum Theologicarum: 3. magis propriè pro ut cultus dicit actum directum in Deum & sub ratione finis, & sub ratione objecti, & sub ratione honorabilis, quatenus Deo debetur ob suam excellentiam, & talis actus est adorationis spectans ad latriam, & hoc modo est ipsius latriæ, sicut idololatria non dicitur quodcumque peccatum, sed solùm quo creatura adoratur; sic latria non dicitur quicumque cultus, sed tantùm ille, secundùm quem cultus adorationis Deo exhibetur; ex quibus patet, quòd latria est specialis habitus virtutis; tum quia habet speciale objectum, quod est excellentia summa speciali modo honorabilis; tum quia habet specialem suum actum; tum quia habilitare habet difficultatem animæ, cum sit actus supernaturalis præbendo cultum summæ Majestati; tum quia idololatria est speciale vitium, ergo & latria opposita specialis virtus. Et hinc patet, quòd latria ad omnem alium cultum Dei, sive fidei, spei, charitatis, sive sacrificii, sive orationis, sive bonæ operationis, sive obedientiæ, quibus colitur Deus, superaddit specialem rationem finis, objecti, & actus. R. 3. Latriam esse Virtutem Cardinalem ad justitiam pertinentem, nempe esse in genere virtutis, tanquam in genere remoto; in genere Virtutis Cardinalis, tanquam in genere subalterno; in genere justitiæ tanquàm in genere propinquo; & tandem in genere religionis, tanquam in genere proximo, & proprio: Ratio est (ait D. Bon. *ibid. q.3.*) quia latria involuit actum interiorem, & exteriorem, ut supra *in q. 1.* dictum est; ideo licèt involuat actum interiorem, scilicet exercitium virtutum Theologicarum, completur tamen per exteriorem, ob idque spectat ad virtutem conditionalem: & quia considerat actum exteriorem sub ratione debiti, & in comparatione ad alterum, ideo est ipsius justitiæ, quæ alteri tribuit, quod suum est; & cum ordinetur ad venerandam naturam superiorem, ideo est ipsa religio.

Objic. 1. ex D. August. Latria nos honorare Deum hostia humilitatis, & laudis, & servitutis, & pietatis, seu Theosebiæ, quæ omnia se tenent ex parte virtutum Theologicarum fidei, spei, & charitatis: ergo non ad justitiam spectat. R. in his dictis nominari solùm actus interiores, qui dictantur, & imperantur quidem à fide, & charitate, sed elicitivè sunt à justitia.

Objic. 2. Latria habet pro objecto Deum, sed tales sunt virtutes Theologicæ; hoc enim discrimen est inter Cardinales, & Theologicas Virtutes, quòd Theologicæ habent pro objecto Deum, in quibus non est invenire superfluum, scilicet excedentia vitiosa; Cardinales verò versantur in medio circa superfluum, & diminutum, & habent pro objecto aliquid creatum: ergo ad Theologicas spectat. R. D. Bon. primò quod etiam in Virtutibus Theologicis potest dari excessus, non quidem quantùm ad actum interiorem, sed quantùm ad exteriorem; ut si quis in uno die vellet cantare decem Missas. R. 2. Latriam habere pro objecto Deum, sed simul cum aliquo creato; respicit etiam cultum exteriorem exhibendum, simulque rationem exhibendi, nempe rationem debiti, & hæc est quasi ratio formalis latriæ, ut est quid creatum; ideo ad justitiam spectat; sic & obedientia respicit ipsum Deum, ut cui obediendum; ipsum verò mandatum, & ejus obligationem tanquam rationem formalem; & hinc est discrimen inter Virtutes Theologicas, & Cardinales, quod Theologicæ habent objectum increatum sub conditionibus increatis, ut sunt summa bonitas, & veritas: Cardinales verò, licèt respiciant Deum, tamen pro ratione formali objecti respiciunt aliquid creatum, ut mandatum, debitum, &c.

Q. 2. *An latria sit virtus distincta à dulia?* R. S. Doct. *cit. q. 4.* quòd dulia potest sumi primò secundùm quandam analogiam, & generalitatem adorationis; 2. magis strictè: 3. propriissimè: primo modo importat cultum debitum naturæ superiori, sive creaturæ, sive Creatori secundùm aliquam rationem communem, v.g. dominii: 2. modo sic dicitur tantùm debita reverentia creaturæ unitæ, vel assumptæ Christi: 3. modo dicitur honor, vel reverentia debita creaturæ rationali, & exhibita: & cum ab exteriori latria, & dulia sumant suum complementum formale, sequitur, quòd latria, & dulia sint diversi habitus: habibitus enim diversificantur per actus, & actus per objecta; sed actus adorandi creaturam, & Creatorem sunt diversi, & objecta item, scilicet ratio motiva: ergo alia, & alia est virtus directiva. Et hinc dixit Glossa super illa verba Psal. 7. *Domine Deus meus in te speravi*: Domine omnium per potentiam, cui debetur dulia: Deus omnium per creationem, cui debetur latria, non quod Deus alia adoratione sit adorandus ut Deus, & alia ut Dominus; sed ut assignetur discrimen inter latriam, & duliam, secundùm quod sumitur analo- 243

gicè, vel æquivocè, ut importat aliquam reverentiam communem Creatori, & creaturæ debitam; quia ratio dominii communicatur creaturæ, non verò Deitatis. Ex qua doctrina infertur, quòd sumendo duliam secundùm generalem acceptationem, cum habeat pro objectoali quam excellentiam dignam reverentia, potest dividi in naturalem, & supernaturalem: naturalis est cultus civilis debitus excellentiæ humanæ, & naturali juxta cujuscumque debitum, v. g. Regum, Parentum, Sapientum: supernaturalis est, quæ habet pro objecto sanctitatem, & excellentiam particularem, cui debetur peculiaris veneratio; sicque etiam erunt diversi habitus cultus naturalis, & supernaturalis: Hic autem Calvinistæ, & alii Hæretici confundunt utrumque habitum in unum, solumque cultum Sanctorum exhibitum esse civilem, & non supernaturalem volunt.

QUÆSTIO IV.

An Sancti, & Angeli adorandi sint; & quo cultu.

244 Hanc adorationem Sanctorum pro viribus propugnasse semper in omnibus sæculis, & novissimè conati sunt Hæretici impii, sicut & in Ecclesia Catholica ex opposito fuit in usu, & prædicata in omnibus Conciliis, & à SS. PP.

Concl. 1. Sancti adoratione duliæ sanctè, & piè adorantur. Est D.Bon. *loc. cit.* & præcipuè *in Comp. Theol. & Centil.* Pr. quia in S. Script. pluribus locis habetur, Sanctos, & Angelos adoratos fuisse, de quibus fusè Controversistæ. Tum quia qualis est excellentia creaturæ rationalis super alios, talis est adoratio ei debita; sed in Sanctis reperitur sanctitas supernaturalis, ergo & adoratio supernaturalis eis debetur, & non solùm civilis.

Concl. 2. Sancti non sunt adorandi latria: Est communis, & de fide; ratio est, quia ista respicit Deum summè, & infini è excellentem, ad quam nulla creatura pura potest pertingere: & hinc conciliantur plures Textus S.Script. in quibus aliquando prohibiti sunt homines adorare, v. g. Angelos, & Sanctos, scilicet Latria, aliquando admissa fuit eorum adoratio scilicet duliæ.

Concl. 3. Dulia est actus Religionis spectans ad virtutem justitiæ, sed tamen specie distinctus à latria: Est Seraph.D. *loc.cit.* & communis: ratio est, quia (ut ait Seraph. *d.9.a.2.q.3.*) adoratio de sua ratione involuit actum interiorem, & exteriorem sub ratione debiti, & in comparatione ad alterum, & ideo est actus justitiæ tribuentis suum unicuique debitum, & cum respiciat naturam, & personam superiorem, & sanctam, ideo est actus Religionis; sed in Sanctis repetitur excellentia supereminens alios non Sanctos, ergo & eis debetur ex justitia, & religione etiam peculiaris. Dices: Posse adorari eodem actu Deum, & Sanctos; ergo absque dulia; prob.anteced. sicut eadem charitate diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum, ita eadem virtute, & actu potest Deus coli per se, & Sanctus propter Deum, ergo, &c. R.Vasq. alia virtute diligi Deum, & alia proximum; quòd tamen falsum est: S. Bon. *d.9.a.2. q.4. ad* 3. R. neg. paritatem; nam una charitate Theologica diligitur Deus per se, & proximus propter Deum; quia objectum principale illius est unum, nempe summum bonum, in quod charitas fertur sive diligendo Deum per se, sive volendo illud proximo, qui est Imago Dei; sicque ista duo ita se habent, quod unum est propter aliud, ideo censetur unum. At adoratio fertur in excellentias, quæ sunt toto cœlo diversæ, scilicet excellentia divina, & creata supernaturalis; verum quidem est, quod hæc emanat à divina gratia non tamen tollitur sub hac ratione, sed quatenus ei debetur reverentia peculiaris.

Q. *An possit adorari homo pro ut est imago Dei, vel ut membrum Christi?* R. Seraph. *d.9.q.5.a.1.1.* quòd adoratione latriæ non sunt adorandi homines sub hac ratione absoluta, quia esse imaginem Dei, vel membrum Christi non inest eis ex speciali institutione, vel missione, nempe ut repræsentaretur Trinitas, vel unio mystica cum Christo; aliunde enim, & ex alia ratione id eis inest; quatenus verò ista dicunt aliquam excellentiam peculiarem ad Deum ordinatam, sic possunt cum tali ordinatione adorari dulia cum aliqua speciali veneratione etiam inferiori, sic communiter Theologi.

QUÆSTIO V.

Quo cultu adorandæ sint Imagines Christi, & Sanctorum.

Imaginum cultus rejectus fuit à pluribus Hæreticis antiquis, & modernis, ut videre est apud 245 Bellarminum, quem cultum semper à tempore Christi, & Apostolorum derivatum retinuit Ecclesia Catholica; ut autem funditùs hæc veritas explicetur. N. 1, ex Seraph. D. *l.3.d.9. a.1.q.2.* quod imaginum usus sanctè in Ecclesia est introductus, & hoc præcipuè propter triplicem causam; primò propter simplicium ruditatem; 2. ob affectus tarditatem; 3. propter memoriæ labilitatem: ob simplicium ruditatem, qui non possunt legere in scripturis, & libris, voluit Deus, ut imagines inserviront loco librorum, ut scilicet legerent, & cognoscerent, quæ pro nobis fecit Christus, & Sancti ad adipiscendam gloriam: Propter affectus tarditatem, nempe ut qui non excitantur ad devotionem audiendo Verbum Dei saltem excitentur, dum eadem in sculpturis, & picturis tanquam præsentia oculis corporeis cernunt; plus enim excitatur noster affectus per ea, quæ videt, quam per ea, quæ audit: Propter memoriæ labilitatem, quia ea, quæ audiuntur solùm, faciliùs traduntur oblivioni, quàm ea, quæ videntur; Verbum enim intrat per unam aurem, & sæpè exit per aliam; tum quia semper præsto sunt nobis imagines, semper prædicantes beneficia à Deo nobis collata, ideo per ipsas de eis recordari faciliter possumus.

Not. 1. Quod imago, de qua hic est sermo, est species exteriùs repræsentans rem imaginatam, & secundùm exteriorem dispositionem, idea dicit essentialiter relationem ad rem imaginatam, & repræsentatam; unde advertendum, quod in imagine potest considerari honor, qui exhibetur ei, & pulchritudo, & perfecta dispositio ipsius imaginis, & utraque refertur ad prototypum, sed differenti modo; nam honor ei non debetur secundùm se ob defectum excellentiæ requisitæ ad debitum honoris, sed tantùm repetitur in prototypo, unde honor collatus imaginis totus refertur ad ipsum prototypum. Pulchritudo verò ita refertur ad prototypum, quod etiam reperitur in ipsa imagine, & istæ duæ pulchritudines sunt inter se separabiles, non sic honor, vel adoratio; potest enim quis admirari

mirari pulchritudinem illius picturæ, & totum ejus actum in ipsam terminare absque ordine ad prototypum; non verò potest separari prototypus ab adoratione imaginis; sic S. Bon. *l.1.d.3.p.2.q.1. & d.31.p.2.a.1.q.3.ad 2.*

246 Concl. 1. Imaginum adoratio est sancta, & pia, eisque debetur eadem, vel ejusdem rationis cum prototypo. Est communior ferè omnium Theologorum; licèt aliqui pauci dicant, quòd ultra hanc adorationem respectivam imagines sacræ per se possunt esse terminus alicujus adorationis, & venerationis inferioris; quæ discrepantia tamen est de nomine, cum talis veneratio eis debeatur, ut imagines sunt; ergo cum ordine relationis ad rem imaginatam, vel ut sunt res sanctæ à Deo dicatæ, & in hoc nulla est difficultas, cum etiam signis Sacramentorum aliqua veneratio præstetur, inferior quidem omni propria adoratione, ut rectè advertit D. Bon. Pr. autem à Seraph. ex SS. PP. quia honor, qui præstatur imagini non est ratione Divinitatis, vel sanctitatis in ipsa existentis, ut per se patet; illa enim est res inanimis; ergo ratione prototypi, idemque docet Concil. Trident. tum quia talis veneratio non est absoluta, sed relativa; ergo, &c. Tum quia imago se offert nobis ut objectum & cognoscendum, & venerandum, sed non se offert nobis ratione materiæ, ex qua compacta est; ergo ratione ejus, ad quod significandum facta est; ergo non est objectum terminans adorationem, nisi simul cum prototypo; tum quia nulla res inanimis, aut irrationalis est capax honoris secundùm se, sed imago est irrationalis, & inanimis, ergo si adoratur, idest ratione prototypi; major est certa ex supra traditis, nam adoratio exigit excellentiam in superiore, cui subordinatio debetur; sed irrationalia sunt inferiora homine, ergo, &c. Hanc rationem tanquam suam propriam, & à se excogitatam affert Vasq. quam tamen de more surripuit ex Seraph. D. *loc. cit.* D. Thom. aliisque antiquis. Pr. ult. ratione desumpta ex pluribus SS. PP. à Seraph. D. *q.4. in corp.* quæ est efficacissima: Imago, & quævis res irrationalis de se sumpta non est capax injuriæ; ergo nec adorationis nisi conjuncta cum rationali; valet enim consequentia ab oppositis; antecedens est certum; si enim injuriatur Equus, vel Asinus, vel lapis, vel manus, nihil infertur ei nocumenti, vel injuriæ nisi per ordinem ad Dominum; ergo è contrario etiam in imagine, quæ concl. magis patebit ex solutione objectionum.

247 Objic. 1. ex Exod. c. 20. Non facies tibi imaginem, nec sculptam similitudinem, ergo si non est licitum ipsam facere, multò minùs adorare, & confirmatur ex Damasc. dicente: Magnæ impietatis est, & insipientiæ figurari, quod divinitatis est, ergo majoris impietatis est rem figuratam adorare. R. S. Bon. quod tunc temporis erat prohibitum figurare Deum, vel Divinitatem; quia Deus nondum erat factus visibilis per Incarnationem; unde in tempore legis gratiæ piè, & sanctè fiunt imagines repræsentantes Christum, imò & Patrem, & Spiritum S. secundùm aliquam proprietatem, ut hinc nobis inserviant ad memoriam, & doctrinam. Nota etiam ex Seraph. *in op. sum. de Essentia*, quod in S. Script. metaphoricè membra corporalia Deo tribuuntur, ut ex talibus rebus intellectus introducatur in cognitionem plurium perfectionum; sic & itidem in Ecclesia imagines apponi divinitatem explicantes eodem modo, ut per hoc possint meliùs percipi ejus perfectiones, quæ tamen à Concionatoribus debent imperito vulgo declarari ex decreto Concil. Trid. *sess. 25. c. 2.*

Objic. 2. Melior est creatura vivens, quàm non vivens; sed multæ creaturæ viventes non possunt adorari, ut vespæ, & talpæ; ergo multò minùs imagines non viventes. R. Seraph. disting majorem: Creatura vivens est nobilior non vivente quoad nobilitatem realem, concedo: quoad significationem, nego: unde res pauci valoris potest significare rem nobilem, hincque ob istam significationem potest adorari, scilicet ut signum, & imago rei. Instas: lapides, & ligna, & alia inanimata ducunt in Deum, ergo & tali pacto poterunt adorari. R. neg. paritatem, & conseq. quia lapides, ligna, &c. Ducunt quidem in Dei cognitionem secundùm quandam generalitatem communem, & remotam, & ut sunt effectus Creatoris, sed tamen ad hoc primariò non sunt instituta per se; at imagines, & picturæ ex se, & primariò sunt institutæ ad repræsentandum ut signa res imaginatas; sic negatur paritas. Objic. 3. Nobilior est imago divinitùs impressa, quam ab hominibus sculpta; sed in Diabolo, & in peccatore est imago Dei, & tamen si quis ipsam adoraret, peccaret; ergo multò magis imagines sculptæ. R. S. Bon. *hîc, & d.39.a.2.q.2. ad arg.* neg. paritatem de imagine naturaliter impressa in anima, & imagine picta; illa enim se offert tanquam res, & objectum, non tanquam signum, ut etiam supra notatum est, nec ad id est instituta, sed ad privilegiandam creaturam rationalem; ideo honor tali imagini, sisteret in ea; honor autem picturæ in ea non sistit, quia defertur ad exemplar; cum imago nil nobilitatis in se habeat, cui honor debeatur, nisi ut est signum; ratio autem talis disparitatis est (ait Seraph.) quia homo est imago Dei in se veneranda, & ut in se est ob propriam excellentiam; hinc est, quòd creatura rationalis non proponitur adoranda etiam ut imago Dei, quia periculum esset, ne propter se coli putaretur, cum sit propter se capax honoris; non sic est imago, ut dictum est; sic etiam resp. Bellarm. *l.2. de Imaginib. c.19.* Valdensis cum aliis.

Dices: Saltem apparenter talis cultus coincidit cum errore idololatrantium, sicque potest esse occasio erroris. R. neg. coincidere cum idololatris, quia ipsi adorant rem tanquam aliquid divinum; non sic Catholici; & si aliquibus potest esse erroris occasio, id per se non evenit, sed vel ex ignorantia, vel malitia, sic etiam deberent destrui divinæ litteræ, quæ Hæreticis sunt occasio erroris; sed hoc est divini judicii, ut bonis in bonum, malis autem in mala convertantur tot sancta, quæ sunt in Ecclesia.

Objic. 4. Adoratio imaginum non constat apertè nec in veteri, nec in Novo Testamento; ergo malè introducta. R. Adorationem Imaginum transiisse in nos ex traditione Apostolica, quæ est scriptura non scripta; habentur tamen multa testimonia Historiarum sacrarum de hac veritate, ut est de imagine Missa à Christo Abagaro Regi, & de S. Luca qui depinxit imaginem Christi, & Mariæ: Vide *op. de dono piet. c. 2.*

Concl. 2. Imagines sacræ eodem cultu adorationis sunt adorandæ, quo adorantur exemplaria, & prototypi: Est communis, & sequitur ex traditis; cum enim totus honor ipsis deferatur pro ut sunt signa mera, & in gratia, & in ordine ad prototypum, sequitur, quòd adoratio debeat esse ejusdem rationis.

QUÆSTIO VI.

Quo cultu adoranda sit Crux, & crucis signum, & Reliquiæ item Sanctorum.

248 HÆretici tùm antiqui, tùm moderni pro viribus pugnant contra adorationem, quam semper sancta Ecclesia Catholica præstitit sanctæ Cruci, in quo unanimiter consentiunt omnes Theologi, discrepant tamen in qualitate, & modo adorationis. Hinc 2. op. est D.Thom. Henr. aliorumque adorandam esse hyperdulia, hanc refert Seraph. *q.*4. quam & rejicit. 2.Opinio admittit adorationem latriæ Cruci, quatenus adoratur in ea Crucifixus, sed de se non exigit aliquem cultum, sive Duliæ, sivè Hyperduliæ, hanc refert S. Bon. quam & rejicit. 3. Opinio est Seraph. Doct. asserentis, Crucem pro ut est imago Crucifixi adorandam esse latria; ei verò, in qua Christus pependit, alia reverentia honoraria debetur infra duliam, & hyperduliam: De Reliquiis verò infra dicetur. Not, tamen, quod de Cruce vera, in qua Christus pependit, potest esse quæstio de ipsius adoratione dupliciter, nempe, vel ratione materiæ, vel ratione formæ, quatenus signum est, & imago.

Concl. 1. Crux ipsa, in qua Christus mortuus est, adorabilis est cultu latriæ per ordinem tamen ad Crucifixum, tùm ratione materiæ, tùm ratione formæ. Est communis omnium SS. Patrum, & sensus totius Ecclesiæ: ut eam tradit Seraph. *cit. q.*4. in pluribus Conciliis determinatum fuit. Prob. à Seraph. Doct. quia adoratio est ad aliud oratio, & alloquutio; sed Ecclesia exorat illam dicens: O Crux ave spes unica, &c. ergo ab Ecclesia adoratur, sed ipsa est adorationis incapax, ergo ista adoratio terminat ad Christum: Tum quia est signum, & imago efficaciùs nos ducens in Christum, quàm aliqua alia imago, est enim ipsa Altare, ubi obtulit se ipsum Christus pro nobis, est gladius, quo Dæmonem vicit, & denique quam contactu suo Christus nobilitavit, & hinc infert Seraph. cum aliis Theologis, quòd ipsa Crux adoratur, non solùm ratione formæ, & imaginis, sed etiam ratione materiæ à Christo suo contactu consacratæ, unde quælibet ejus particula etiam non formata ad modum Crucis meretur adorationem Latriæ.

Objic. 1. Crux est pura Creatura non unita Verbo; sed latria solùm convenit Deo per se & naturæ assumptæ ratione personæ, ergo Crux non meretur talem adorationem. Resp. S. Bon. quòd Crux non adoratur ut res, sed ut signum rememorativuum ducens in Crucifixum, ut imago ducens ad rem imaginatam; sic negatur consequentia.

Objic. 2. B Virgo proximior est Christo, quàm Crux, & magis tetigit Christum, & cruce melior, & nobilior est; sed B. Virgo non adoratur latria; ergo nec Crux debet adorari. R. S. Bon. neg. paritatem; nam B. Virgini competit adoratio propria, & absoluta, sed cruci respectiva tantùm, quod & infra in sequenti disputatione magis explicabitur.

Objic. 3. Adoratur Crux, quia fuit lectulus Christi; sed Cælum est ejus sedes, & terra scabellum, & tamen impium est ista adorare latria, ergo & Crux. Resp neg. paritatem; Cælum enim, & Terra ducunt in cognitionem Christi secundùm quemdam modum generalem, secundùm quem methaphoticè dicuntur sedes, & scabellum, quatenus subjecta sunt Deo, at Crux est specialissimum memoriale Crucifixi, ob quod adoratur.

Objic. 4. Crux nec meretur, nec demeretur, nec sentit laudem, vel vituperium, cum sit insensibilis, ergo ei non debetur honor, & reverentia latriæ. Pro responsione notat Seraph. quòd duplex est laus, & duplex honor, laus competit alicui vel propter excellentiam suæ naturæ, sicut res pulchra, & bona per propriam naturam laudatur, vel propter virtutis strenuitatem, & hæc laus respicit merita, non illa. Honor item est duplex: alius enim est in testimonium Virtutis propriæ, & absolutæ, & meritorum, & iste non exhibetur Cruci, nisi ratione Crucifixi, cujus quidem virtutis, & excellentia, & intelligentia est super omnia: alius est honor, qui exhibetur in signum alicujus nobilitatis, & excellentiæ ab alio derivatæ, & hoc 2. modo honor non exigit merita, nec virtutem, nec cognitionem in honorato, sed aliquam rationem dignitatis, ob quam debet sibi reverentia exhiberi, & hic honor præstatur Cruci, & quia Christus nobilitavit Crucem, dum ipsa usus est veluti instrumento ad redemptionem hominum, dumque in ea pendens, genus hominum liberavit.

Concl. 2. Ultra adorationem latriæ respecti- 249
vam, quam præstamus Cruci, pro ut est Imago Crucifixi, & ducit ut memoriale in Christum, etiam per se aliquis alius cultus ei debetur, non tamen spectans ad latriam, nec hyperduliam, vel duliam, sed inferior: Est S. Bon. *citat. q.*4. ratio est, quia per contactum Christi, & quia fuit instrumentum salutis nostræ nobilitata fuit mirabiliter à Christo super omnia alia instrumenta; ergo ei debetur aliqua reverentia. Et hinc Crucem laudamus, & veneramur ex ista nobilitate contracta à Christo, & multiplices ejus laudes decantat Ecclesia, & per præsentiam illius sanctissimi Ligni multa sunt impensa beneficia fidelibus, & miracula patrata. Et hinc etiam Ecclesia celebrat festa duo ad honorem sanctæ Crucis, idem & dicendum de Clavis, &c. Prob. etiam à simili, quia Sacramentis aliquam reverentiam exhibemus, quia in eis aliquo modo est nostræ salutis causalitas, multò magis id debetur Cruci, & instrumentis Passionis.

Concl. 3. Aliis Crucibus debetur adoratio la- 250
triæ, non ratione materiæ, sed significationis. Est D. Bon. citat. & communis omnium. Prob. quia omnes Cruces sunt imagines Crucifixi, ergo adorandæ sunt ut tales eadem adoratione. Dices: Si vera est hæc concl. sequitur, quòd Crux, in qua pependit damnatus latro potuit adorari latria, consequens est indecens, ergo, &c. Resp. conced. sequelam, remoto tamen scandalo; sed de se cum sit imago Crucifixi, potest adorari.

Q. *Cur non omnes spinæ, clavi, & lanceæ adorantur,* 251
sicut omnes Cruces? Resp. quòd loquendo de instrumentis ipsis veris Passionis ratione contactus adorantur latria, loquendo de aliis non adorantur latria, & ratio est (ait Suarez) quia ad alios usus adhibentur, non verò Crux: addit, & si applicantur ad repræsentandum instrumenta Passionis, tunc adorari debent sicut Crux, vel saltem aliqua veneratio eis debetur inferior, quòd est probabilius. Dices: ergo & labia Judæ, quibus osculatus est Christum, & asina super quem sedit poterunt adorari ratione contactus, sic & ministri Tortores Christi. Resp. neg. conseq. ratio est, quia ista omnia habent talem, & tantam indecentiam, ut præponderet titulo, quem ex Christi contactu poterant

rant habere ad venerationem &c. talisque indecentia non oritur in Cruce mali latronis, quia Crux illa de se ut talis est repræsentativa Crucifixi; sic etiam Romæ in Ecclesia S. Crucis in Hierusalem adoratur nummus veluti prætium Christi, &c.

252 Q. 2. *Qualis reverentia est exhibenda aliis sacris rebus. v. g. Calici, Aræ, templis, Corporalibus, Nomini Iesu?* Resp. aliquam venerationem eis deberi per ordinem ad Christum: Nomini verò Jesus adorationem latriæ, cum sit imago repræsentativa Christi.

253 Q. 3. *Qualis adoratio competat speciebus Eucharistiæ?* Resp. 1. ipsi Eucharistiæ deberi adorationem latriæ, idque certum est, & de fide. R. 2. illas species adorari posse absolutè, prout continent Christum Jesum; respectivè verò prout habent ad Christum contentum sub ipsis relationem.

Concl. 4. Sanctorum Reliquiæ adorandæ sunt eodem cultu, quo adoratur Sanctus adoratione respectiva. Est communis omnium, & consensus Ecclesiæ; ratio est, quia si imagines adorantur eadem adoratione ac res imaginata, ergo à fortiori Reliquiæ, quæ aliquid ampliùs continent, tum quia unitæ fuerunt ipsorum Sanctorum animabus; tum quia fuerunt instrumenta propria ipsorum ad patrandas multas sanctas operationes; tum quia dicunt ordinem ad ipsos sanctos specialem.

254 Q. 1. *An omnes creaturæ possint adorari in ordine ad Deum?* Resp. Seraph. negativè, si ipsæ solùm ducunt in Deum per rationes generales, v.g. vestigii, imaginis, &c. si verò habent aliquid in se peculiare spectans ad virtutem religionis, possunt adorari, quod & supra notatum est de imagine Dei existente in homine, & Angelo.

Q. 2. *An cultus latriæ possit exhiberi Diabolo apparenti sub specie Crucifixi?* Resp. Seraph. *d. 9. art. 1. q. 6.* quod adoratio absolutè exhibita tali imagini non potest esse sine peccato, nec ignorantia excusare potest, quia debet adorans ad Deum recurrere, & se convertere per orationem, & suspendere credulitatem suam: affert postea ad hanc rem exempla deceptionis diabolicæ in hac materia; si verò adoratio præstatur sub conditione actuali, tunc adoratio non refertur ad Diabolum, sed ad Christum.

Q. 3. *An Eucharistia sit adoranda absolutè, an sub conditione, scilicet dummodo sit consecrata?* Resp. ibidem Seraph. quòd sufficit conditio implicita, nec est necessaria conditio actualis, imò superflua, & vitanda, talis enim actus est actus Religionis: *Vide Suarez in 3 p. tom. de Euchar, &c.*

Q. 4. *An signum Crucis, quod exteriori actu manus, & ore fit, adorandum sit?* Resp. quòd signum Crucis est oratio, qua fit invocatio Sanctissimæ Trinitatis, & meritorum Christi corde, ore, & opere; est & configuratio Crucis, & imaginis Crucifixi, ideo ut imago Crucifixi adorandum est latria, & ut oratio à Christo instituta venerabile est, & dignum summo honore, quia est ex opere operato virtuosissimum; de qua re vide S. Bon. *serm. in Exaltatione S. Crucis*; Bellarmin. & Suarez *in 3. p. tomo de Euchar.*

QUÆSTIO VII.

Expenduntur, & explicantur aliqua Christi Iesu Privilegia, dignitates, & præeminentiæ concomitantes, & consequentes ad dignitatem Redemptoris per varia quæsita.

Q. 1. *An Christus solus sit Redemptor, vel etiam Pater, & Spiritus S.* Resp. S. Bon. *lib. 3. d. 19. art. 2. q. 1.* quòd opus Redemptionis potest alicui attribui, aut ut principali auctori, aut sicut exequenti; primò modo competit Christo ut Deus est, sic etiam Patri, & Spiritui S. opera enim Dei ad extra sunt indivisa. 2. modo ut ab auctore simul, & exequente, competit soli Christo, sic etiam executio respicit humanitatem, per quam passus est, & satisfecit. 255

Q. 2. *An Christus sit Mediator secundùm humanam, vel secundùm divinam naturam?* Resp. Seraph. *ibidem q. 2.* quòd Christus dicitur & Medium, & mediator; medium enim dicit convenientiam cum extremis; mediator ultra convenientiam dicit officium reconciliationis; medium autem dicitur inter humanam, & divinam naturam, non secundùm convenientiam duarum naturarum in aliam tertiam, hoc enim est impossibile, sed ut in quantùm una persona est in duabus naturis; ob idque ratione utriusque naturæ, & iterùm dicitur medium, quatenùs humanitas habuit mortalitatem cum cæteris hominibus, & beatitudinem, in qua convenit cum Deo: Mediator autem dicitur Christus propriè, non secundùm divinam, (non enim quis dicitur mediator nisi differat ab illis, quos reconciliat) sed secundùm humanam naturam, in qua poterat reconciliare secundùm diversas proprietates, in quibus communicat cum Deo, & cum homine, habebat enim justitiam, & innocentiam, in qua communicat cum Deo, & mortalitatem, in qua communicat cum homine, & dum mors conjungitur justitiæ, in eodem confederatur homo peccator, & mortalis Deo justo, & immortali; reconciliati enim sumus per mortem hominis innocentis: fuit igitur Christus perfectus mediator primò per modum judicis arbitri ad causas nostras discernendas, & judicandas, quia constitutus est Judex Vivorum, & Mortuorum. 2. ad deferenda pacta ex una in alteram partem, fuit enim Angelus Testamenti, & ad hoc nuncius missus à Patre. 3. depræcando Deum pro nobis. 4. satisfaciendo in cruce pro nobis. 256

Q. 3. *An Christus sit Sacerdos, & quomodo dicitur Sacerdos in æternum, & secundùm ordinem Melchisedech?* Certum est & de fide, Christum esse verum Sacerdotem, sed difficultas est, an sit ratione humanæ naturæ, an divinæ, & quomodo dicatur Sacerdos in æternùm; an scilicet quia effectus, & fructus Sacerdotii Christi sit æternus, ut docuit D. Thomas: an quia perpetuò offert Christus Patri suam passionem usque ad finem Mundi, ut dixerunt Calvinus, aliique Hæretici, ut tollerent ab Ecclesia sacrificium Missæ tamquàm superfluum: vel quia Sacerdotio Christi nullum aliud successit, ut notat Seraph. *dist. 12. q. 1. ad 6.* an dicatur in æternum Sacerdos, quia durabit etiam post finem Mundi tale Sacerdotium, vel quoad potestatem tantùm, vel etiam quoad executionem 257

curionem; Omissis autem multis quæstionibus, quas Theologi exagitant de hac materia, de quibus possunt videri Suar. aliique recentiores. R. 1. Christum fuisse verè Sacerdotem secundùm humanam naturam, quia verè obtulit sacrificium pro nobis, & reconciliavit nos Deo, hocque habetur de fide ex pluribus S. Script. locis.

Dices: Christum esse Personam habentem humanam, & divinam naturam; ergo fuit Sacerdos etiam secundùm divinam naturam. R. quòd aliud est dicere Christum esse Deum, & Hominem; & aliud esse Sacerdotem secundùm divinam naturam; fuit quidem Christus Deus, & Homo, sed fuit Sacerdos secundùm humanam naturam. R. 2. Christum fuisse simul Sacerdotem, & Victimam; estque de fide, ait Apost. Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & Hostiam Deo in odorem suavitatis.* Sed officium Sacerdotii est offerre, Victimæ offerri, ergo, &c. R. 3. Effectus Sacrificii Christi fuit expiatio peccatorum; ait enim Apost. Hæbr. 9. *Sanguis Christi, qui per Spiritum S. se ipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram, &c.* R. 4. Christus obtulit sacrificium & pro se ipso, & pro nobis, sed differenti modo: pro se ipso, prout est actus latriæ, vel ut Eucharisticum est: pro nobis, ut est propitiatorium, & expiatorium; estque de fide: Ratio primæ partis est, quia sacrificium est cultus latriæ; at Christus ut homo debebat Patri talem cultum exhibere, & ei gratias agere; tum quia poterat mereri glorificationem corporis, ergo, &c. 2. pars, quia cum ipse esset impeccabilis, nihilque deberet satisfactionis pro se ipso, totum fuit ordinatum ad nostram utilitatem. R. 5. Christi Sacerdotium esse æternum tum ratione characteris; tum ratione potestatis, quæ duratura est in æternum, tum ratione unionis hypostaticæ æternæ, & hoc quo ad potestatem, quo ad executionem verò aliqualiter etiam erit in cœlo, quia in cœlo pro nobis orat, impetrat suis meritis conservationem Beatitudinis, &c. R. 6. Christus est Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech; iste enim erat Rex, & Sacerdos sine Patre, & sine Matre, sine genealogia; sed Christus fuit Rex justitiæ & pacis, sine matre secundùm divinitatem, sine patre secundùm humanitatem, obtulit panem, & vinum; & hinc tale Christi sacerdotium fuit cæteris nobilius tum ratione personæ efficientis, tum amplioris potestatis, à qua omnes Sacerdotes dependent, tum finis nobilioris, scilicet redemptionis omnium hominum. R. 7. Christum fuisse non solùm Sacerdotem, sed Episcopum, & Summum Sacerdotem, & Pontificem in gradu excellentissimo, cum sit ipse caput, & fons, à quo derivat omnis alia potestas 1. in suum Vicarium summum Pontificem, & successivè in alios Episcopos, & Sacerdotes, unde suo Vicario contulit triplicem potestatem, scilicet super totam Ecclesiam, super Sedem Romæ, & super omnes alios inferiores, ut ab ipso dimanaret in cæteros omnes potestas, de quibus omnibus supra traditis. Vide S Bon. *l. 3. d. 3. a. 1. q. 2. ad ult. & d. 22. q. 1. ad arg. & d. 17. a. 2. q. 1. & l. 4. d 8. p. 1. q. 3. corp. & d. 24. q. 3. ad arg. & in Psal. 109. & 49. & 55. & 44. & op. quare Fratres Minores prædicent, & opus Princip. Sacr. Script. in Eccles. c. 1. & in Sap. c. 8. & serm. 2. Dom. 1. Advent. serm. 2. Dom. Pass. & serm. 1. Dom. 3. Adv. serm. 6. in Rogat. & in Lucam c. 3. & c. 12. & c. 19. & in Joan. coll. 56. aliisque pluribus locis.*

Q. 4. *An cum Sacerdotio Christi juncta fuit Regia dignitas?* Suppon. 1. potestatem aliam esse spiritualem, aliam temporalem, spiritualem verò habuisse Christum ad instituendam Ecclesiam, ordinandaque Sacramenta, certum est de fide, & habetur ex multis locis S. Script. Sup. 2. Christum habuisse potestatem condendi leges, & verè condidisse; idque est de fide, unde quæstio reducitur ad potestatem temporalem super regna mundi, & super alias res; in qua aliqui dixerunt, Christum fuisse subjectum Regibus, & tributis ipsorum, quod tanquam hæreticum condemnatum fuit à Joan. 22. qua sententia omissa. 258

1. Opinio fuit, Christum habuisse jus regni temporalis in Regnum Judeæ ex vi generationis temporalis ex familia David; sic Armacanus, quæ tamen ut falsa ab omnibus rejicitur. 2. Docet fuisse Regem spiritualem, non temporalem, sic Driedo, Victoria, & Medina 3. Docet fuisse quidem Regem temporalem indirectè, nempe quatenus talis potestas super regna, & reges temporales conferebat ad spirituale regimen: sic enim poterat regibus imperare, & hæc est plurium, de quibus vide Bellarm. *l. 5. de Rom. Pont. c. 4 & 5.* quam & recognoscunt in Summo Pontifice. 4. Sententia tribuit Christo dominium regium temporale absolutè, sic D. Thom. cum plurimis; estque Seraph D. in pluribus locis, ut in Luc. c. 1. ibi. *Dabit Dominus Deus illi sedem David, &c.* & in Luc. c. 19. v. 32. super illud, *& si quis interrogaverit, quare solvitis? sic dicetis ei, quia Dominus operam ejus desiderat.* Nota, ait Seraph. quòd hic se Dominum universorum nominat, & in Joan. ad c. 19. *Tu es Rex Judæorum, & col. 56. Apol pauper. c. 3. resp. 3. ante medium, & ex Psal. 2. & 8. & l. 3. d. 14 dub 4.* R. Christum fuisse verum Regem, & Imperatorem totius mundi habentem dominium rectum super omnia creata; & ratio est, quia tale dominium ei conveniebat ex unione hypostatica, & dignitate humanitatis ejus ex ipsa redundante, ergo, &c.

Dices: Ad quid fuit illi concessa potestas hæc, si numquam ea usus est? R. ipsam habuisse in actu primo, in aliquibus rebus tamen tali potestate usum fuisse, ut in solutione jumenti, &c. In aliis verò nequaquam, quia venerat redimere mundum per viam humilitatis. Dices: ergo & Summus Pontifex erit Rex totius terræ, & Regnorum. R. neg. conseq. nam Christus non dedit omnem potestatem suam sive spiritualem, sive temporalem suo Viatico, non enim potest instituere Sacramenta; nec erat potestas temporalis necessaria ad regendam Ecclesiam. & hæc de Incarnatione, & dignitate Christi dicta sufficiunt, cui Regi sæculorum immortali, & invisibili, qui pro nobis factus homo, & crucem subiit, & gratiam multiplicem contulit, & mandata dedit, sit omnis honor, & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DISPVTATIO XIII.

De Beatiss. Virgine Deipara.

POst disputationes de Verbo Incarnato succedere debet alia de Beatissima Deipara, per quam nobis tantum bonum è Cœlo descendit; sicut enim ad cognoscendum Dei Filium Incarnatum necessaria est cognitio de Patris Persona, sic & suo modo ad perfectam expensionem Incarnati Filii perscrutari convenit Matris Personæ dignitas, cum aliis prærogativis specialibus eidem communicatis; alioquin mutila esset nostra Theologia, quæ de Angelorum, hominumque statibus differit, si horum meritissimam Reginam silentio obvolueret. Cum autem tum in libro 1. tum in 2. & etiam in hoc 3. multa à nobis pertractata fuerint ipsius Beatissimæ Virginis prærogativas exprimentia, nunc ordo doctrinæ postulat, ut alia edesserantur consequentia, ad Filii dignitatem ipsam Matrem respicientia; gratulabundus igitur hanc materiam ex professo de Sanctissima Virgine Maria ingredior confisus in ipsius dignissimo, & altissimo præsidio, & auxilio.

QUÆSTIO I.

An Beata Virgo Maria sit verè Mater Dei?

259 PRoponitur hoc loco ante omnia hæc quæstio in se tam certa apud fideles, ut sit veluti præliminaris ad infra dicenda de dono Maternitatis Mariæ; in qua plurimi Hæretici negant, Mariam esse veram Matrem Dei, contra quos scripserant Controversistæ; quibus omissis.

Concl. 1. B. Virgo Maria fuit vera Mater Dei, simulque Virgo. Est ut dixi, de fide, omniumque SS. Patrum, & Theologorum; & ratio est, quia genuit Christum verè; sed Christus est Deus, ergo, &c. Tum quia id, quod B. Virgo concepit, ac peperit, est terminus resultans per Incarnationem; sed Maria concepit, & peperit humanam Christi naturam subsistentiâ Verbi terminatam; ergo concepit, & peperit personam Filii Dei: Confirmatur, quia terminus resultans per Incarnationem est Christus non quidem subsistens in substantia creata, sed in substantia Verbi; sed hanc unionem, qua caro unita est animæ ut subsistenti in Verbo, effecit B. Virgo concipiendo Verbum; ergo concepit, & peperit naturam humanam subsistentem subsistentia Verbi; ergo concepit, & peperit Filium Dei. Tum quia terminus resultans ex Conceptione B. Virginis est substantia aliqua subsistens non natura sola in abstracto, ergo necesse est asserere fuisse personam non humanam, sed divinam, ergo, &c.

Dices: Priùs unita fuit anima carni Christi, quàm uniretur Verbo; ergo priùs Maria genuit humanitatem Christi; ergo terminus generationis non fuit persona Verbi. R. ex Seraph. in eodem instanti totum factum fuisse, scilicet terminum generationis, unionem carnis cum anima, & humanitatis cum Verbo, & ideò actionem generativam Mariæ terminatam fuisse ad Verbum in natura humana subsistens, licèt primò, & per se terminata fuerit ordine intensionis ad unionem animæ, & corporis; secundariò ad humanitatem unitam Verbo; & eò maximè, quia B. Virgo elevata fuit à Spiritus S. virtute, & in altiori ordine constituta supra naturam, ideo terrena, & inferiora despiciens in divinam hypostasim collimavit; tum quia quicquid præstat substantia creata respectu cujuscumque humanitatis, id totum præstitit divina; ergo & terminavit hanc actionem.

Concl. 2. Beatissima Virgo Maria, licèt possit dici Mater naturalis Filii Dei, magis tamen proprie dicitur supernaturalis; est Seraph. D. *l.* 3. *d.* 4. *a. ult. q.* 2. Gabriel, Manil. D. Thom. & communior; prima pars prob. quia Maria subministravit in Christi Conceptione id, quod naturale est omnibus matribus, nempe materiam sanguinis purissimi, uterum præbuit, alimentum subministravit, fœtum per novem menses fovit, aliaque hujusmodi, ergo dicitur naturalis Mater; prob. 2. pars, quia quod naturale præstitit huic conceptioni supernaturali modo, & virtute infusa supernaturali, & miraculosa operata est; uti jam diximus, & probavimus agentes supra de concursu B. Virginis ad Christi Conceptionem. 160

Dices: Quantacumque virtus infusa fuerit B. Virg. non tamen egredi fecit ipsam extra statum naturæ, cum illa potentia naturalis Mariæ non subjiceretur voluntati ipsius, ergo non supernaturalis, sed naturalis dicenda est. Confirmatur, quia posito etiam tali miraculo, & virtute superna, quasi naturali sequela natura materiam coagulat, fovet, perficit fœtum, sobolem elaborat, & sic absolvitur generatio, sic etiam posito lumine supernaturali gloriæ in intellectu Beati, ille intellectus connaturali, ac proportionata virtute visionem elicit: Cum ergo in generatione Christi præsupponatur solùm virtus miraculosa, ipsaque generaverit propria virtute innata, sequitur, quod naturalis tantum possit dici Mater. R. S. Bon. *q. cit.* neg: paritatem de visione Beata; non enim solùm miraculum fuit patratum per virtutem antecedenter divinitus illapsam, quando divinitus fuit facta fœcunda; sed etiam fuit opus miraculosum post fœcunditatem, quòd generet, quòd Virgo maneat, quòd mater existat, quòd virginitas cum generatione copuletur. Vnde ait Seraph. D. duplex miraculum hoc fuit, videlicet in potentiæ collatione, & in ipsa operatione, quod non evenit in visione beata; in qua intellectus informatus lumine sine alio auxilio supernaturali visionem elicit.

QVÆSTIO II.

Expenditur dignitas Maternitatis Dei in B. Virgine.

261 Constat ex traditis ex fide Mariam fuisse veram, & realem Matrem Dei, nunc titulus nos advocat ad inquirendam naturam Maternitatis Dei, qualis sit, & qualis ipsius effectus, & proprietates. Et quæstio præcipuè excitatur, quid sit istud donum maternitatis divinæ, an scilicet sit quid intrinsecum in Maria, an sit quid extrinsecum, & an excedat perfectiones gratiæ habitualis, ita ut præcisa gratia quacumque habituali potuerit sanctificare B. Virginem.

Not. 1. & suppon. quod in superioribus etiam probavimus, nempe Mariam fuisse elevatam per virtutem infusam à Spiritu S. spectantem ad potentiam generativam, fuisseque participationem divinæ fæcunditatis pro ut reperitur in Patre; quod totum fuit fusè probatum ex Seraph supra in quæst. de concursu Mariæ ad generationem Christi, tum etiam in tractatu de Immacul. Concept. B.M. Virg.

Not. 2. Maternitatem Dei dicere duo, scilicet maternitatem ipsam, & Deum, ut terminum, unde in recto intrinseca est ipsi Mariæ: quia est virtus, & potentia generativa elevata ad participationem divinæ fæcunditatis, in obliquo, quia importat pro parte, seu termino relationis ipsum Deum, sic etiam candidum in obliquo formaliter dicit candorem, in recto ipsum subjectum, in quo intrinsecè est albedo: cum hoc discrimine tamen, quod Filius sit extrinsecus personæ Matris: unde requiritur, quod licèt maternitas Dei sit extrinseca B. Virgini nempe ratione termini, moraliter tamen intrinseca est, & hinc eliciunt Doctores, maternitatem Dei dici optimo jure infinitam, & ut dicebant Sancti Bonav. & Thomas, tantam esse, & ita terminos perfectionis naturalis reliquarum fæminarum transilere, ut nequeat Deus meliorem, ac perfectiorem fæminam condere, & hinc dixit Seraph. supra cit. cum de gratia capitis in Christo agebamus: gratiam in Christo, & suo modo in Maria attigisse ultimos terminos gratiæ, & replevisse eorum capacitatem; pari modo dicendum est de hac maternitate, sicut enim diximus de unione hypostatica ad Verbum, esse ens omnium substantiarum perfectissimum non solum ratione termini, sed in se etiam, ratione cujus humanitas Christi, non solùm est optima in ratione subsistendi, sed etiam absolutè in se, & hæc illi convenit excellentia ratione termini, in quo subsistit, similiter Maria, non solùm est optima Mater in ratione Matris, sed optima inter puras creaturas ratione maternitatis, cui moraliter ad dignitatem est intrinsecus Filius Christus Jesus, tamersi physicè sit ipsi extrinsecus, atque adeo maternitas Deiparæ est infinita in genere æstimationis, in qua excellentia tanquam in radice fundantur privilegia omnia, beneficia, gratiæ, & prærogativæ à Deo in Deipara cumulatissimè collata.

262 Not. 3. Quòd inter Maternitatem divinam, & gratiam habitualem intercedit maximum discrimen: nam gratia habitualis Justorum est radix, & origo visionis Dei, & visio Dei est quasi effectus ipsius, maternitas verò est radix, & origo Dei hominis, qui effectus est immediatè proveniens à gratia maternitatis, cui ulterius est debita visio Dei perfectissima. Rursus gratia habitualis est productiva accidentium, scilicet visionis, & amoris Dei, reliquorumque actuum supernaturalium, gratia verò maternitatis etiam produxit substantiam divinam. Rursus gratia habitualis est ordinis quidem superioris naturæ, sed inferioris gratiæ maternitatis Dei, cum ista sit ordinis hypostatici.

Conc. 1. Maternitas Dei est forma de se eminentissimè sanctificans: Est plurium SS. Patrum apud Vegam *in sua Theologia Mariana à n 1606.* Seraph. Doct. *in specul. B. Mariæ lect. 5. super illud: Ave Maria gratia plena*, sic loquitur: Dicitur gratia plena, quia fuit immensa, immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud quo est plenum; Maria autem fuit vas immensissimum, ex quo illum, qui cœlo major est, continere potuit In quibus verbis manifestè apparet, ipsum loqui, sicut & communiter alii SS. Patres de gratia maternitatis, quæ dempta gratia unionis, major est omni gratia creata; si enim erat ista gratia immensa, nec poterat recipere augmentum, sicut faciebat in ea gratia habitualis. Pr. primo ratione: Dignitas maternitatis Dei est sublimior, & virtuosior, ac præstantior dignitate gratiæ habitualis, sed gratia habitualis reddit sua virtute subjectum, cui inhæret, sanctum, ac Deo gratum: ergo & Dei maternitas: Major est communis SS. Patrum, qui efferunt Dei maternitatem super omnes gratias, dempta unione hypostatica, eamque appellant immensam, infinitam, incompræhensibilem, ac primam post Deum ratione sui termini, qui est Deus, quæ attributa competere non possunt gratiæ habituali; tum quia nobilior est, est æstimabilior etiam in humanis maternitas naturalis, quam filiatio adoptiva: ergo & magis maternitas supernaturalis. Confirmatur, simulque prob. conseq. si enim est nobilior, & præstantior, & virtuosior maternitas, quam gratia habitualis: ergo & effectus nobiliores producit: ergo reddit amabiliorem, & Deo gratiorem personam, cui inest. Pr. 2. quia gratia adoptivum filium facit, tribuitque jus ad hæreditatem, sed maternitas Dei tribuit dominium super omnes creaturas, ergo, &c. Pr. 3. Religiosiori cultu colitur Deipara, qua Mater est, quam ex gratia habituali, sed cultus exhibitus est Sanctis ob sanctitatem ipsorum, ergo maternitati debetur, quia est formaliter sanctitas: major est certa, quia ideo hyperdulia colitur ut mater Dei, gratia autem habitualis exigit duliam. Prob. 4. Quia sicut duplicem gratiam recognoscunt in Christo scilicet unionis, & habitualem, ita conveniens est, ut hæc duplex gratia in Matre reperiatur, cum spectet ad gratiam unionis talis maternitas; sed gratia unionis, (ex traditis) formaliter sanctificat, ergo & gratia maternitatis.

Prob. 5. Quia ideo gratia habitualis est forma sanctificans, quia est participatio divinæ naturæ facta creaturæ rationali accidentali modo per formam, quatenus inhabitantem Spiritum sanctum fert in anima, eique conveniunt habitus supernaturales, estque principium actuum supernaturalium, multò magis istæ proprietates competunt gratiæ maternitatis, quia est participatio divinæ naturæ, prout fæcunda est, ob idque eminentiori modo ei debentur supradictæ perfectiones.

Objic.

264 Objic. 1. Materni as Dei moralis, & filiatio adoptiva potior, & nobilior est maternitate Dei naturali, ergo sola maternitas naturalis non est forma reddens animam sanctam. Consequentia patet, quia ex sola maternitate Dei sancta esset, sicut cum gratia habituali præferenda esset titulo maternitatis moralis, & filiationis adoptivæ, sed consequens est falsum, ergo, &c. Prob. minor ex Luc. c. 11. ubi Christus præfert maternitatem moralem naturali dicens: *Quinimò Beati, qui audiunt, &c.* & in Matth. 12. *Quæ est Mater mea, &c. Quicumque fecerit voluntatem, &c.* sic & D. August. dicit: Beatior fuit Maria concipiendo fidem Dei, quam carnem Christi, idem & alii Patres apud Suarez *tom.* 2. *d.* 1. *sect.* 1. R. Vega *n.* 1626. maternitatem Dei duplicem sanctitatem involuere: Aliam corpoream, de qua in superioribus ex Seraph. egimus per quam antecedenter ad unionem fuit purificata, & sanctificata caro: Aliam spiritualem, quæ respicit animam, & totam personam, quæ habet plures effectus communes cum gratia habituali, sed tamen eminentiori modo: Est enim participatio divinæ naturæ habere repugnantiam cum peccato, & sibi vindicat amicitiam cum Deo: Prima est inferior secunda, propriaque Matris Dei, & de ista loquitur Christus comparans maternitatem, idest sanctitatem corpoream cum spirituali, & istam præponens corporeæ: sic enim principaliùs extollenda est Maria ob istam sanctitatem spiritualem, sic & innuit, Guar. Abbas in Matth. supra cit. R. 2. Christum comparasse opus naturale præstitum in conceptione, & gestatione, ac lactatione, quæ sunt opera naturalia, & materialia cum opere morali obtemperandi voluntati Dei, ut patet, quia ibi loquitur de lactatione ex uberibus; non autem ibi sumere maternitatem, quatenus est participatio divinæ naturæ.

Objic. 2. Non repugnat maternitatem Dei componi cum peccato, sed repugnat gratiæ Dei ex natura sua, ergo maternitas Dei non est forma sanctificans: Poterat enim Mater Dei sejungi à gratia habituali, & cum haberet potentiam physicam ad peccatum, poterat verè peccare. R neg. majorem, & minorem, falsum enim est, pugnare physicè potentiam habitualem cum peccato, sed tantùm moraliter, ut ostendetur suo loco, cum de gratia agemus: maternitas autem Dei habet majorem oppositionem cum peccato, quod & nos tradidimus fusè in Tractat. de Conceptione Immac. Virg. Mariæ, & infra in secunda conclusione.

Objic. 3. In triduo mortis Christi non fuit Mater Dei, & tamen non erat minùs sancta, ergo non per maternitatem. Hoc argumentum petit aliam quæstionem: An in illo triduo Christus fuerit homo. Seraph. D. *l.* 3. *d.* 22. *q.* 1. affert varias opiniones, & tandem illam dicentium, verè fuisse hominem, non quòd humanitas non esset soluta, & sejuncta à Verbo, sed quatenus erat unita persona principiis constituentibus hominem, & quatenus illa principia dicebant ordinem intrinsecum ad unionem animæ cum corpore: hinc infert propriè non fuisse hominem, & sic verum est, tunc Mariam non fuisse Matrem Dei, prout maternitas importat relationem prædicamentalem ad filium, sed tamen negatur, non fuisse in ipsa tunc maternitatem in actu primo, scilicet virtutem generativam elevatam, quæ erat radix sanctitatis; & ideo erat mater secundùm moralem æstimationem, ad quam sufficit generatio præterita, & hoc patet, quia tunc ei debebatur adoratio hyperduliæ; sic neg. conseq.

Objic. 4. Forma sanctificans est intrinsecè supernaturalis; maternitas Dei relativa est naturalis sicut aliarum matrum, ergo, &c. R. neg. minorem ex supra traditis, est enim supernaturalis ista maternitas ratione termini supernaturalis, & ex traditis in fundamentis.

Objic. 5. Et est Achilles Adversariorum: Concilium Tridentinum definit in Sess. 6. Formam sanctificantem intrinsecè inhærere, nec posse sanctificare hominem per sanctitatem extrinsecam Dei, ut contendunt Hæretici, sed maternitas Dei, si sanctificaret, non posset sanctificare Matrem Dei, nisi extrinseca sanctitate Dei, nempe ex filii sui subsistentia, cum per hanc solam constituatur Mater Dei, ergo talis assertio est contra sacrum Concilium: Confirmatur fortiùs: maternitas Dei, quæ est relatio, vel est modus intrinsecus à fundamento, & termino distinctus ex natura rei, vel est denominatio solùm extrinseca desumpta à termino generata, à quo denominatur Dei maternitas: si primum, cum modus sit res imperfectissima recedens ab entitatis substantia, cujus est modus, sic est ignobilior ipsa gratia sanctificante, quæ est entitas absoluta, si secundùm, ut melior, & major pars Theologorum sentit, sic erit contra decretum Concilii, ergo alleganda est ista nostra conclusio. R. 1. ad object. ex S. Concilio, quod Concilium ibi determinat contra Calvinum duo: Primum non justificari hominem de facto per justitiam extrinsecam Dei, vel alterius personæ: 2. hominem sanctum reddi per gratiam sibi inhærentem, ex eo, quod Hæretici asserebant, sanctitatem Dei reddere hominem Deo gratum, & Sanctum per solam extrinsecam applicationem, & imputationem fidei solam, qua homo credit Christum, ac Deum esse nostram justitiam, & merita Christi pro nobis Patri oblata: Concilium autem non disputat, nec determinat, an præter gratiam physicè inhærentem sit alia gratia hominis justi propria, qua moraliter reddatur justus, ac Deo gratus. Plures enim Theologi docent, posse Deum hominem justificare per solam acceptationem suæ voluntatis extrinsecam: Alii ultra gratiam inhærentem volunt, requiri extrinsecum Dei favorem, nec ista adversantur Concilio, quòd solùm intendebat retundere sensum Hæreticorum constituentium nostram justificationem in sola imputatione fidei, qua homo credit Deum, & Christum esse nostram justitiam, unde objectio nihil urget contra nos, etiam dato, quòd maternitas Dei physicè sit extrinseca, cum moraliter sit intrinseca, nempe quatenus Maria arctissimo maternitatis Dei vinculo afficiebatur, tum & filiationis, quo Christi sanctitas, ac divinitas cum B. Virgine adnexa est, quia per unionem hypostaticam ex maternitate est unita persona Verbi substantiæ, & carni, ac sanguini matris, ut loquuntur Patres dicentes: Matrem, & Filium esse unius naturæ, & substantiæ, & hac ratione sub definitione Concilii nullo modo comprehenditur sanctitas maternitatis Dei, nec illi præjudicium ullum fit. Ad confirmationem R. quod dato etiam, quod maternitas Dei sit modus, non per hoc tollitur, quin sit forma sanctificans; sic enim idem diximus de unione hypostatica, sic & plures Theo-

logi dicunt, dilectionem, & visionem beatam esse modos, relationesque transcendentales, attamen licèt physicè sint ut modi quid imperfectius entitate physica, in esse tamen morali sunt perfectissimæ entitates, quatenus scilicet reddunt personam, cui inhærent honore, & amore dignam, & à peccato immunem, quia perfectiorem conjunctionem cum Deo important maximè gratia unionis, & maternitatis Dei, quàm gratia habitualis: idemque & dicimus de denominatione extrinseca divinæ maternitatis, quæ licèt physicè possit dici extrinseca, non tamen moraliter quoad æstimationem intrinsecam moralem ratione conjunctionis strictissimæ cum Deo.

265 Concl 2. Maternitas Dei, & peccatum opponuntur ex natura rei. Hanc conclusionem tenentur asserere, qui volunt, gratiam, & peccatum opponi physicè, ita ut per nullam potentiam possint simul stare in eodem subjecto, quales sunt plurimi Thomistæ, & de qua re nos in tractatu de gratia agemus, quod nos tamen (omissa disputatione, & controversia de oppositione gratiæ ad peccatum) asserimus de maternitate Dei, & ratio est ex supra traditis, quia maternitas Dei est formalis participatio divinæ sanctitatis, tum physica, tum moralis: physica, quia est sanctitas corporea eminentissima sanctificans corpus, & animam Mariæ, ut diximus in quæstione de concursu Mariæ ad Conceptionem Christi: moralis, quia ex natura sua reddit mundam, sanctam, & Deo charam animam, & personam: tum quia ipsa, & peccatum habent formales effectus oppositos.

266 Concl. 3. Ex gratia maternitatis Dei infusa in Maria in instanti Conceptionis consequuta est, veluti proprietas connaturalis, justitia originalis cum suis donis, demptis iis, quæ statui moralitatis opponuntur, ut etiam fuit in Christo de impassibilitate, immortalitate, fatigatione, tristitia, &c. Explicatur, & probatur conclusio, quæ his temporibus communis est, ut notant Savedra, & Vega cum Suarez *tom.* 2. *d.* 3. *s.* 6. qui plurimos Theologos, & Patres afferunt tali pacto: Justitia originalis secundùm suam rationem formalem, ultra dictos effectus oppositos statui mortalitatis, importat maximam tranquillitatem inter appetitum sensitivum, & rationalem, ob idque excludentem omnem pugnam inter utrumque; item & habitum, quo voluntas faciliter, & delectabiliter Deo adhæret, & dominatur sine ulla difficultate appetitui sensitivo, sibique reddit obedientem: De qua materia fusè agunt Theologi in secundo, de primo homine, & nos satis eodem loco diximus: Sed isti habitus fuerunt in Maria Virgine vi maternalis dignitatis, ergo, &c. Minor prob. quia ex consensu omnium SS. Patrum præcipuè Seraph. D. *Opusc. spec. B. Virg.* debet admitti in Maria omnis plenitudo gratiarum communicabilium puræ creaturæ, ergo & justitia originalis modo jam dicto: Nota tamen, hanc justitiam non dici propriè originalem, quia Mariæ non fuit communicata per originem, vel generationem, & communicanda foret Posteris Adæ, ipso non peccante, sed tantùm habente aliquam similitudinem cum ea VideVegam à n. 8 12. Doctoresque ab ipso citatos.

267 Concl. 4. Ex vi maternalis dignitatis Maria Virgo nullum habuit fomitem ad peccatum in actu primo, & multò minùs in actu secundo. Est plurimorum Theologorum, & Patrum apud Savedram *Vest.* 4. *d.* 2. *sect.* 4. Seraph. autem *l.* 3. *d.* 3. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 2. docet in prima sanctificatione (quæ ad mentem ipsius senioris facti fuit in primo instanti, ut probatum fuit à nobis in tract. de Concept. M.V.) habuisse consopitum fomitem, ita ut nullum inordinatum motum posset producere: in secunda verò, scilicet in Conceptione Christi fuisse extirpatum totaliter, ita ut nec in actu primo, nec nec in actu secundo ullum habuerit; quæ positio tamen Seraph. D. non pugnat cum nostra conclusione ex ratione, quam ibi adducit nempe talem extirpationem factam fuisse ex purissima sanctificatione facta, non solùm in anima, sed & in carne: Sed ad mentem ipsius talis sanctificatio in carne facta est in instanti Conceptionis: Pr. autem 1. In Maria debet admitti quæcumque perfectio communicabilis creaturæ: ergo & ista. Tum quia ab Angelo fuit ante Incarnationem Verbi declarata, plena gratia, scilicet omni gratia communicabili puræ creaturæ, tum quia fomes dicit in actu primo potentiam, & inclinationem ad motum inordinatum, & difficultatem ad bonum, sed ista dedecent ad statum, & dignitatem Matris, ergo, &c. Tum quia si fomes extinguendus esset in Maria, in Incarnatione, rationabiliùs est asserere id contigisse ante Conceptionem Christi; prob. quia ideo dicitur extinctus fomes in ea, ut ablegaretur omnis indecentia à tanto opere, sed id convenientiùs est ante Incarnationem, ergo, &c. Tum quia si consopitus fuit fomes ante Incarnationem ob decentiam debitam antecedenter ad tantùm opus, cur non dicitur ablatus totaliter ad majorem decentiam? Tum quia fuit præservata à peccato originali, ergo & à fomite ad ipsum inclinante, ut talis præservatio esset in omnimoda perfectione: quod verò talis ablatio fomitis provenerit ex vi maternalis dignitatis, patet ex supra traditis, quia est eminentissima sanctitas, & radix totius sanctitatis, ergo ei debebatur ut connaturalis proprietas.

Objic. Inclinatio naturalis rei ad objectum proprium non potest totaliter auferri, cum sit quid naturæ intrinsecum: Sed talis est inclinatio appetitus sensitivi ad bonum sensibile, ergo non potest auferri; licèt possit ligari. R. si inclinatio talis dicit perfectionem, concedo majorem; si imperfectionem, nego majorem, non poterat quidem auferri inclinatio ad bonum sensibile, sed cum subjectione ad rationem, contra rationem verò non potuit habere.

Concl. 5. Ex maternali dignitate pullularunt veluti proprietates connaturales omnes gratiæ perficientes animam: Ratio est, quia, cum talis maternitas sit forma sanctificans, eminenter ei etiam debentur omnes inferiores perfectiones, quæ conclusio aliàs à nobis fuit probata.

QUÆSTIO

QUÆSTIO III.

De Scientia B. Virginis solvuntur varia quæsita.

268 MAriam Virginem (quæ in Cant. cap. 1. se profitetur introductam in cellaria Dei) omnium scientiarum promptuaria spoliavisse, fatentur communiter SS. Patres, & Theologi, ob idque cunctos homines, & Angelos scientia, ac sapientia excelluisse, quæ breviori stylo, quo potetimus per varia dubia in hac quæstione enodabimus.

Q. 1. *Quandonam B. Virg. usum rationis acceperit?* Aliqui denegant usum rationis in Maria, dum in utero Matris existeret, ex hoc, quòd gloriæ Christi derogaret; quæ ratio est inanis, cum ex apposito magis ejus gloria, & potentia magnificatur. Communis opinio, & ferè omnium, & maximè his temporibus est habuisse usum rationis ab instanti Conceptionis perfectissimum, & deinceps usque ad finem vitæ, sic Suarez, Vasquez, Salaz. &c. S. Bernard. Senen. aliique plurimi; poteſtque probari ex multis locis Sacræ Script. & SS. PP. quos fusè expendit Vega *à n.953.* Ad proban.autem hanc concl.suppon. cum communi in Maria Virgine perfectissimas fuisse omnes potentias, tum ministrantes, quales sunt attractiva, nutritiva coctrix, & expultrix, tum ministratæ, quales sunt nutritivæ, & aliæ, & ideo omnia sua munera perfectissimè obierunt, quas natura conferre potuit, quibus etiam virtus corporea, seu sanctitas infusa ad ipsam carnem purificandam, & exaltandam superaddita fuit, ergo & quæ hebetudinem in pueris circa intellectionem afferunt, nempe excrementa, & excrementitiæ substantiæ, quæ temperamentum evertunt, & phantasmata interturbant, & offuscant, à Maria Virgine procul aberant etiam in utero existente. Confirmatur, quia, si omnes potentiæ perfectissimæ erant in suo munere, ergo, potentiæ ministrantes, ideoque concoctrix alimenrum exactè digerebat, & aptabat, postea nutritiva illud convertebat in substantiam aliti, & eo maximè quia nihil aliud erat alimentum, quàm vel purissimus sanguis, ac defæcatus, vel lac insolitum, & admirandum, ut potè senilis fœminæ, unde ab omni excrementitia materia secretum, & in quantitate ita sobria acceptum erat, ut nihil superfluum redundaret; & si superesset aliquid superfluum, à natura statim expellebatur ob perfectionem potentiarum: & confirmatur iterum, ex eo quod pueri infantes etiam in statu innocentiæ hanc perfectionem habuissent. Seraph. *l. 2. d. 20. dub. 6.* docet, quòd in illo statu vim habuissent cognitivam in habitu, non in usu ob imperfectiones complexionis; oppositam tamen appellat probabilem suam probabiliorem, sed quicquid sit de hoc hæc tamen perfectio non est deneganda Mariæ, cum fuerit exaltata in omnibus super omnes homines, & confirmatur, quia usus rationis Joanni in utero est collatus, quando exultavit in gaudio, &c. ergo à fortiori in B. Virgine.

269 Q. 2. *Quonam scientiarum genere mens B. Virginis imbuta fuerit.* Resp. quod duplex scientia in universum potest considerari in B. Virgine: Prima est scientia visionis, de qua *in lib. 1. in disput. de Visione Beata*, & hanc fuisse in B. Virgine ab instanti Conceptionis, fusè egimus, & probavimus ibidem: Alia est scientia per se infusa, qua attingere posset creaturas in proprio genere directè, & in se ipsis per propias species ipsarum infusas: Tertia est per accidens infusa, seu rerum naturalium, qua talium: Quarta est experimentalis, quam sensuum operationes inducere possunt, sicut diximus agentes de scientia Christi. Hinc R. 1. In Maria fuisse scientiam per se infusam, quæ proprio studio adquiri nequit, atque à Deo solùm infundi potest; sic Suarez *t.2.d.18. sect. 2.* Salaz. S. Bernard. Sen. *in serm.5. a.1.c.2.* plurimique alii, & in hoc totus est Seraph. *Op. specul. B. Virg. lect. 7. & 8. & l. 4. d. 30. q. 2. ad ult. in Lucam c. 1. v. 30. & serm. 1. de B. Virg. & Op. Phar. l. 1. c. 5.* Probatur autem primò, quia talis scienria à pluribus admittitur in Adam, in Salomone, & in pluribus Prophetis, ergo multò excellentiùs fuit in B. Virgine; tum quia ejus sublimissima, & jugis contemplatio rerum divinarum deposcebat species proprias, ut omnes nævos imperfectionis evitaret, & non indigeret auxilio sensuum; de hac scientia vide Vegam, &c. R. 2. Hanc scientiam per se infusam in ordine ad supernaturalia objecta in B. Virgine fuisse secundùm substantiam supernaturalem, sic & Suarez *d. 19.* & communior contra Vasquez volentem, esse partim supernaturalem, partim naturalem: Ratio est, quia talis scientia competebat Mariæ pro ut Matri Dei, & existenti in via ad dignoscendum objecta supernaturalia, & eliciendum actus supernaturales, illosque dirigendum; per talem enim scientiam poterat absque impedimento sensuum, & somni, ferri per jugem contemplationem in Deum; tum quia ei talis scientia competebat ratione maternitatis Dei, quæ est supernaturalis, & cum ei non esset nativa, sed superaddita, ergo nec erat naturalis. R. 3. In B.Virgine fuisse scientiam per se infusam in ordine ad cognitionem rerum naturalium, ob idque naturalem: Ratio est, quia in ejus intellectu inditæ fuerunt omnes species rerum meliùs quàm in Adam, & in Salomone, & in Angelis, ergo talem scientiam per se infusam habuit. Resp. 4. In Maria fuisse scientiam etiam experimentalem, & aquisitam; talis enim perfectio ei debebatur, nempe in ordine suo naturali, sicut primis parentibus in statu innocentiæ; tum ut ejus intellectus posset elicere suos actus proportionatos; tum quia talis scientia non pugnat cum per se infusa, ut dictum est etiam de Christo; hæc enim dependet à sensibus, illa nequaquam.

Q. 3. *Quid cognoverit B. Virg. Maria per istas* 270
scientias? Resp. primò, per scientiam supernaturalem cognovisse objectà supernaturalia, ut gratiam, virtutes, dona supernaturalia, & actus supernaturales, & etiam saltem indirectè Deum, ut unum, & trinum, nempe ex cognitione istorum objectorum supernaturalium ducentium in claram cognitionem Dei; item & futura libera habent enim determinatam veritatem, & sunt objectum proprium scientiæ, & talis cognitio debebatur maternitati Dei: His adde etiam cognitionem rerum possibilium successivam, ut de Christo di-

ctum est, licèt non tam perfecto modo. Vide Albert Magnum super missus, c. 149. & omnia ista sunt conformia Seraph. supra citato. R. 2. per scientiam infusam naturalem B. Virginem cognovisse omnes res materiales, earum naturas, existentias, & omnes conditiones, ita & Angelorum etiam, id enim spectabat ad perfectionem sui status cum esset ut Mater Dei, Domina etiam totius mundi, & consequenter etiam effectus futuros dependentes à causis naturalibus, non verò pendentia à libero arbitrio, nec secreta pura cordium, nisi per novam revelationem, & hæc est communior, & certa apud Theologos.

271 Q. 4. *An B. Virgo hac scientia viderit Christum existentem in Eucharistia.* Multi apud Suarez *tom.3. d.* 13. asserunt de Angelis, eorumque virtute naturali, quòd à fortiori concedere debent B. Virgini; sed probabilior tamen est negativa, nempe non potuisse videre Christum in Eucharistia existentem directè, sed tantùm indirectè ex absentia substantiæ panis, & vini: Ratio est, quia species, quam habebat de Christo, ejus corpore, & sanguine, solùm ipsam repræsentabat cum præsentia naturali, & extensa, sed quia inextensio erat indebita naturaliter ipsi Corpori, & Sanguini Christi in Eucharistia; & ob id supra naturam, ergo naturali virtute non poterat ista videre tali modo.

272 Q. 5. *Quid B. Virgo cognoverit per scientiam per accidens infusam?* Resp. primò in intellectu B. Virginis infusos fuisse omnes habitus perfectissimos, qui à quocumque comparari possunt; cum enim sint ejusdem rationis omnes isti habitus sive infusi, sive aquisiti; nulla est repugnantia, quin ad majorem perfectionem Mariæ ei fuerint infusi. R. 2. & sequitur ex dictis: Beatam Virginem peritissimam fuisse primò litteris humanioribus, Rectorica, & cæteris omnibus scientiis naturalibus; item & Sacra Theologia, & Sacra Scriptura, idque fusè probat Vega *n.*1064. & deinceps.

273 Q. 6. *Quid B. Virgo cognoverit per scientiam experimentalem?* Resp. quòd Maria, cum esset verè homo, veras etiam exercuit actiones humanas, & humanorum sensuum, etiam objecta præsentia percipiebat, sonos audiebat, &c. sed istæ operationes in intellectum statim inducunt intellectiones intuitivas suorum objectorum, quæ dicuntur experimentales, quia experientia comparantur: ergo decursu temporis augmentum recepit ista cognitio, &c. Ex quibus sequitur Mariam Doctiorem fuisse cæteris quibuscumque creaturis etiam Angelicis; quod & asserit Seraph. Doctor supra citatus, & communiter Sancti Patres.

QVÆSTIO IV.

De gratia Beatæ Virginis Mariæ.

274 Gratia B. Virg. Mariæ examinanda est per varia quæsita: primò illa, quam recepit in suæ conceptionis instanti debita dignitati maternitatis Dei: secundò illa, quam recepit ex sua dispositione in eodem instanti: tertiò de multiplici collata ipsi ex opere operato: quartò de illa, quam acquisivit ex continuo merito virtutum, & multiplicatione suorum actuum non interceptorum per spatium septuaginta duorum annorum, & ex conatu suarum virium, & potentiarum, & ex motivis.

Primò quæritur: *Qualis gratia in puncto Conceptionis Mariæ Virgini fuerit collata?* R. Primò gratiam maternitatis Dei fuisse collatam Beatæ Virgini in primo instanti, infusamque: Quid autem fuerit hæc gratia maternitatis divinæ, jam in tractatu de Conceptione B. Virginis declaratum est, nempe ultra virtutem nativam generationis, quam habuit in primo instanti sui esse, fuisse ipsi infusam aliam virtutem generativam supernaturalem à Spiritu sancto, per quam nativa elevata fuit supra esse naturale, & sublimata per fœcunditatis Patris participationem, ad hoc ut attingere posset Conceptionem Filii Dei, & hoc in esse permanenti, & ideo cum hæc esset participatio divinæ sanctitatis, & fœcunditatis Dei, fuit in illa verè forma sanctificans corpus, & animam; de qua in citato loco fusè actum est.

Resp. 2. Quod cum talis gratia maternitatis fuerit forma sanctificans eminentissimè, ob idque radix totius sanctitatis, cum ipsa fuerunt infusa gratia habitualis sublimissima, & dona, virtutesque supernaturales necessariæ ad complementum illius dignitatis, & hoc est inconfesso apud omnes Theologos sine ulla discrepantia maximè his temporibus, inter quos maximè elucet. Seraph. ut patet *in Op. specul. B. Virginis, & in serm. de B. Virgine, aliisque pluribus locis; quæ infra adducentur.* Addimus istas gratias fuisse majores incomparabiliter, quàm fuerint omnes aliæ aliis Sanctis, & Angelis collatæ: Ratio in promptu est, quia fuerunt proportionatæ infinitæ dignitati maternitatis Dei; & est argumentum Sephici Doct. D. Thomæ, & præcipuè Damasceni dicentis. *Orat. 1. de dormit. Mariæ*, priùs cum ratione electa fuit, ut Mater Dei esset, quam ad tantam gratiam, ergo & plenitudo gratiæ fuit ei exhibita, quæ Matrem Dei decebat; idem, & alii SS. Patres apud Vegam *à n.*1157. Pr. idem S. Bernard. Epist. 174. ex amore, quo à Deo afficiebatur: In illo instanti Conceptionis plùs amabatur à Deo, quàm cæteri Sancti, quia amabatur, ut Mater futura, ergo fuit mons cæteros montes, & Angelorum, & hominum sublimitatem exsuperans.

R. 3. B. Virginem in illo instanti, licèt munerata fuerit gratiis excedentibus omnes alios Sanctos, & Angelos, visam fuisse nubeculam parvam ab Elia 3. Reg. 18. de mari conscendentem quasi vestigium hominis, ut ait S. Joannes Hierosol. dum in visceribus Annæ morabatur, & tamen ea gratiarum diluvia hausit, qualia diu concretæ nubes sive hominum, sive Angelorum numquam effuderint. Addimus consequenter cum cit. Doctore ipsam B. Virginem hanc gratiam duplicasse quocumque opere & dormiens, & vigilans, & in Matris ventre delitescens semper negotiabatur, nundinabatur sine ulla intermissione, numquamque à novis lucris cessabat, sive balbutientibus labiis mammas appeteret, sugeretque jam tunc Martyrum agones superabat: quia sive infantilia ageret, sive Matri arrideret, sive lac sugeret, sive cum gerula luderet, jam Laurentii flammas, Martyrumque merita ob ingentia

gentia tormenta passa longo intervallo vincebat: Ratio est, quia fortior illi amor insidebat, ardentior in Deum flamma illam ustulabat, & ab ardentissimo amore in æternum numen ferebatur, dum illa omnia præstabat, ac charitatis actus, quo illa omnia crepundialia imperabantur multò ardentior, & intensior actibus illis, quibus Martyres necem Deo litabant, & hinc cum ex imperio charitatis, & amoris producebantur tales actus, etiam in immensum dignificabantur supra omnium hominum,& Angelorum gratiam, oh quàm verè dixit Psaltes divinus. Ps.86. *Fundamenta ejus in montibus Sanctis!*

275 Q. 2. *An Deipara aliam gratiam ex opere operato receperit, dempta ea, quæ per Sacramentorum susceptionem conferebatur?* Nota, quod hîc per gratiam ex opere operato intelligitur omnis illa gratia collata ex sola Dei voluntate ultra dignitatem meriti ipsius recipientis illam, quod duobus modis intelligi potest, vel sine ullo Sacramento, vel per Sacramentum, v. g. quis in eodem instanti, quo absolvitur Sacramentaliter,elicit actum contritionis, tunc non solùm recipit gratiam ex opere operantis respondentem contritionis actui tanquam merito de condigno, sed etiam gratiam ex opere operato respondentem Sacramento. Vasq. d.119. c. 9. negat B. Virgini collatam fuisse gratiam extra Sacramentum ultra merita propriæ dispositionis, quibus non obstantibus. R. Mariam Virginem præter gratiam collatam ei ex opere operato in susceptione Sacramentorum Baptismi, Eucharistiæ, Confirmationis, & Extremæ Unctionis multiplicem gratiam ex opere operato recepisse, sic S. Bon. qui *l. 3. d. 3.* dicit hanc accepisse in prima sanctificatione, & plenitudinem in Incarnatione, sic & D. Thomas: Unde non solùm talem gratiam ex opere operato, ultra illam, quam ex proprio concursu, & dispositione recepit, in primo instanti Conceptionis suæ, & Conceptionis Christi, sed etiam aliis temporibus de novo ex opere operato recepit: ex lactatione videlicet, ex tactu parvuli Jesu; docet enim S. Augustinus, quod dum Maria ori Pueri nectareum stillabat rorem, ipsa fiebat voluptatum cælestium particeps, docent enim plurimi Theologi, ut in superioribus à nobis fusiùs probatum est, quòd Christus tactu suo tum physico, tum morali, & curabat corpora, & gratiam conferebat, sic & accidit B.Virg. infinities, quæ privilegia erant fructus condigni debiti gratiæ maternitatis.

276 Q. 3. *An gratia tanta habitualis infusa fuerit in Maria, ut majorem non amplius recipere posset, perveneritque ad maximum quod sic pura creatura?* R. quòd in progressu vitæ usque ad mortem semper novum augmentum in gratia suis actibus recepit, & etiam ex opere operato, & hoc certum est apud ferè omnes; si verò loquimur de gratia ultima infusa in ultimo puncto vitæ,sic dicendum est, quòd repleta fuit tota capacitas puræ creaturæ omnimoda gratia, ita ut ampliùs non posset recipere, sic D. Bon. *l.1.d.17.p.2.q 4.& d.44. dub.3.& l. 3. d. 12. a. 2. q. 1. & d. 13. a. 1. q. 2.* sed vide in superioribus, ubi agimus de gratia animæ Christi, ubi habebis solutas difficultates, quæ objici possunt contra hanc conclusionem: Ratio autem potissima Seraph. D. est, quia talis plenitudo completa debebatur Matri Dei, quippe quæ proximior est unioni hypostaticæ; qui vult plura de plenitudine gratiarum Mariæ, adeat S. Bon. *in op. spec. B. Virginis,* ubi altissima mysteria pandit.

QVÆSTIO V.

De Donis supernaturalibus consequentibus gratiam maternitatis.

CUm omnes virtutes supernaturales infundantur in anima simul cum gratia habituali, multò magis dicendum idem de B.Virg.ideoque. 277

Q. 1. *An in B. Virgine fuerit fides, & qualis?* Resp. esse de fide, in Maria Virgine fuisse fidem Theologicam in summo: habetur enim ex Sacra Scripr. Luc. c.1. *Beata, quæ credidisti*, & ex SS. Patribus, & in cujus argumentum in triduo hebdomadæ majoris reliquis ceteris extinctis in Candelabro triangulari, unus semper accensus, & ille major remanet, ut fides Mariana semper stabilis, & accensa adumbretur: sic S. Bernard. *de lament. Virginis*, & ob hanc causam institutum fuisse diem Sabbati in honorem B. Virg. docet Seraph. D. cum multis aliis *l. 3. d. 3. p. 2. a.2.q.3. ad 2.& l. 2. d. 22. q.1. in Lucam c.1. v.36. & 43. & serm.1. Dom. infra Octavam Epiph.& l.3. d.24. a.2.q.1. & d.3. dub.4.* Verum quiem est, Caietanum *apud Cartagenam l. 6. Homil. 17. de Virgine dixisse*, hanc sententiam esse periculosam, ex hoc quòd fides Ecclesiæ non potest sistere in una persona, sed iste decipitur, quia sola Maria est potior, ac dignior, ac nobilior pars Ecclesiæ superans ipsa sola reliquam omnem Ecclesiam, dempto Christo, ut etiam notavit Ludovicus Torres de fide. R. 2. hanc fidem B. Virg. fuisse generaliorem, ut ait Gerson, Salmer. cum aliis, quia circa plura objecta se porrigebat, quam illa quæ fuit in Prophetis, Apostolis, & Angelis, fuit item constantior, ac firmior, quia nullo unquam tempore mutata fuit, fuit & ad impetrandum efficacior, ut docet Albertus Magnus, cum aliis Patribus. Et hinc inferunt multi Theologi, B. Virg. posse appellari caput omnium credentium in Lege Evangelica: Tum quia Christus cum fuerit comprehensor non habuit fidem saltem secundùm nostrum statum, tum quia fuit prima credentium fide Evangelica, tum quia fuit omnium perfectissima, tum quia influebat moraliter in alios; nec verum est, quòd aliqui ausi sunt dicere ipsam dubitasse in Angeli Annuntiatione, quòd & fusè explodit Vega cum aliis Theologis. *an.*1203.

Q. 2. *An in Maria Virgine fuerit spes Theologica.* Resp. inconfesso esse apud omnes, & Ecclesiam in Maria fuisse habitum, & actus spei; licèt enim haberet certitudinem suæ prædestinationis, sperabat tamen illam à Deo, in quem solum suam spem jactaverat, imò valde probabile est etiam nunc in cœlo talem spem habere in ordine ad continuationem suæ gloriæ, de quo videri potest Suarez *in 3. part. q. 7. a. 4.* Becan. *t. 3. q. 8. n. 13.* Vega *n. 1206.* Et hinc meritò ab Ecclesia appellatur spes nostra, & in Eccl. 24. ait: *Ego Mater spei sanctæ.* 278

Q. 3. *An in Maria Virgine fuerit habitus charitatis?* Vt solvatur ista quæstio, suppon. 1. cum communi Theologorum, præceptum charitatis in hac vita vix posse adimpleri secundùm omnes circumstantias, sed solùm in alia vita; hoc tamen dicitur 279

dicitur de cæteris viatoribus, nam dicimus charitatem supernaturalem perfectissimam fuisse in Maria, & adimplevisse ejus præceptum ex singulari privilegio, cum totali, & completissima perfectione; cum nullis obicibus detenta fuerit sicut alii mortales irretiri solent, quod & D. Augustinus acutissimè advertit *lib. de spir. & littera c. ult.* cum aliis SS. Patribus, hoc & probat Seraph. *Op. spec. B. Virg. lect. 6.* quia plus dilexit Filium, quàm omnes homines, & Angeli, & ad proportionem amoris Christi in ipsam, & hinc infertur, actum amoris B. Virg. in via in Deum fuisse intensiorem, quàm in Beatis. An verò in ipsa fuerit etiam infusus per accidens alius habitus amoris naturalis in Deum, communis Theologorum asserit, & fuisse etiam perfectiorem habitu infuso in Angelis, & primo homine, dum erant in via, & tali amore in filium semper, & incessanter in ipsum direxisse omnes actus suos. Addunt plurimi apud Vegam *Palestra* 10. & 17. *sect.* 4. etiam febre, & telo amoris in Deum ardentissimi vitam finiisse, de quo videndi sunt citati Auctores *ibidem.* De aliis Virtutibus Cardinalibus, & martyrio Mariæ vide S. Bonav. *in specul. B. Virginis*, qui sparsim omnes istas eminentissimè in Maria recognoscit, & præcipuè *in op. stim. div. Amoris*, aliisque pluribus locis, & passim alii Theologi, & Patres.

280 Q. 4. *An gratiæ gratis datæ animam B. Virginis exornarint?* Nota, quòd gratiæ gratis datæ nuncupantur illæ, quæ non ad accipientis sanctificationem, sed ad aliorum emolumentum conducunt; novemque enumerantur ab Apostolo 1. *Corinth. c.* 12. nempe sermo sapientiæ, scientiæque, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, Prophetæ, discretio Spirituum, genera linguarum, interpretatio sermonum: sermo sapientiæ est habitus infusus à Spiritus S. facilitans ad explicandas res fidei, & mysteria altissima per causas superiores: sermo scientiæ facilitat ad confirmandas res fidei per causas inferiores, & res morum: fides gratia gratis data vel est eximia intelligentia rerum fidei, quæ in promulgatione Evangelii requiritur, vel est fiducia illa, qua opus est ad miraculorum patrationem: interpretatio Sermonum est speciale donum ad Sacræ Script. intelligentiam acquirendam: gratia discretionis spirituum est speciale donum ad dijudicandos spiritus bonos, & malos conscientiarum: linguarum donum est speciale donum ad loquendum in variis linguis in explicatione mysteriorum fidei: operatio virtutum deservit ad manifestandam divinam potentiam per miracula: gratia sanitatum conducit ad sanandum corpora per miracula: Prophetia est revelatio certissima, & prædictio eventuum futurorum, quibus suppositis ut ceteris apud omnes Theologos.

281 R. 1. verissimum esse in B. Virg. fuisse infusas omnes supradictas gratias, cum ab Angelo indefinitè declarata fuerit plena gratia, ut rectè advertit Seraphicus Doct. in speculo, scilicet plena omni, & quacumque gratia, tales enim gratiæ illi debebantur, ut Matri Dei, & Corredemptrici cum Filio, & cum esset collocata ad protegendam Ecclesiam, omnesque fideles, *de quo vide Vegam à n.* 1334. R. 2. In Maria fuisse infusa omnia dona, & fructus Spiritus S. & beatitudinis in instanti suæ conceptionis, hæc enim infunduntur simul cum gratia sanctificante, & multò magis cum gratia maternitatis tanquam ipsi debita, & habetur ex illis verbis Eccles. 24. *In me omnis gratia viæ, &c.* Per quæ intelliguntur omnia dona, quæ conducunt ad finem ultimum consequendum, de quibus Seraph. D. *in spec.* sparsim, vide Vegam *à n.* 1349.

Q. 5. *An aliquod votum emiserit B. Virgo, & quale?* Suppon. votum spectare ad actum Religionis, ob idque esse effectum justitiæ, hinc & de hac materia nunc operæ pretium est agere ad gloriam B. Virginis. Dubium primum in hac materia proponitur de Voto Virginitatis, ubi quæritur: An ipsa emiserit hoc votum, & an solemne, an privatum, & quando nam, & an ipsa fuerit prima omnium hominum, quæ se hoc voto obstrinxerit. Resp. primò cum communi omnium Patrum, & Theologorum, Mariam primam vovisse virginitatem spontaneam: sic Vasq. *d.* 124. Nota autem quod hîc est sermo de virginitate spontanea, non de coacta ex Dei præcepto, vel hominum, vel ex necessitatis violentia, neque de integritate perpetua sine voto, talem enim aliqui ipsam recognoscunt in filia Jeptæ, in Elia, Hieremia, & aliis, & hinc infert Seraph. *l.* 4. *d.* 18. *q.* 6. *ad argum.* quod asserere, Mariam non vovisse virginitatem, est temerarium in fide. Resp. 2. Quod ista obligatio per votum facta est ex familiari Dei consilio: sic S. Bonav. *l.* 4. *d.* 30. *a.* 1. *q.* 2. Decuit enim Mariam vovere virginitatem triplici ratione, prima ut esset Deo decentissimum habitaculum, quia enim sapientia est candor lucis æternæ, & speculum sine macula, quod nihil inquinatum incurrit (Sap. c. 7.) Decebat, ut ex Matre incorrupta, & re, & voluntate firma conciperetur; quæ perfectio consistit in voto virginitatis: 2. Ratio est, ut esset mulieribus in exemplum; sicut enim Deus Pater Christum viris præposuit in exemplum, sic ejus Matrem in exemplum præposuit mulieribus; & quia maximè est imitandum, & laudandum scilicet votum virginitatis, ideo in Maria esse debuit. 3. Ratio, quia debet in Maria esse omnis sanctitatis, ac nobilitatis privilegium (absit enim, quod aliqua alia Virgo Beatam Mariam excellat) imò Altissimus, qui fundavit eam, omnis dignitatis privilegio ipsam adornavit, ut sicut ipse eam præ cæteris adamavit, sic ipsa omnibus esset sanctior, & amabilior universis. Vnde circumscripta etiam maternitate Dei adhuc ipsa præ cæteris Sanctis debet amari, & laudari: Cumque Spiritus S. aliis inspiravit virginitatis votum, ab ea non retinuit cælatum. R. 3. Beatam Virginem primam omnium emisisse votum spontaneum virginitatis: hæc conclusio est communiter apud Theologos, & Ecclesiam: Ratio autem potissima est, quam cum multis affert Seraph. *l.* 4. *d.* 33. *a.* 2. *q.* 2. quia in statu legis, status continentiæ conjugalis omnino præferebatur, & status virginitatis prohibebatur, & sterilis maledicebatur, & in contumelia habebatur, & hoc de jure divino, ideo virginitas est insigne votum solùm Legis Evangelicæ; asseruntur autem aliqui in lege scripta servasse virginitanitatem, ut Helias, Hieremias, Maria soror Moyses, Eliseus, &c. de quibus hoc valde incertum est, imò probabilius est oppositum, & si id verum est, intelligendi sunt servasse virginitatem ex præcepto, vel sine voto, vel castitatem tantùm conjugalem 282

conjugalem, vel vidualem; de qua videndus est Vega *à num.*140. qui fusè, & doctè examinat hanc quæstionem, undè concluditur, B. Virginem Mariam primam fuisse vexilliferam hujus voti Virginitatis, obidque meritò appellari Reginam, & Coronam Virginum; sic etiam D. Bon. *dist.*33. *art.*1. *quæst.*3. *in fund.* Resp. 4. Mariam emisisse votum Virginitatis in instanti Conceptionis suæ, & perfectiùs quàm fecerit unquam quicumque alius homo; prima pars est plurimorum Theologorum apud Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.*1. & apud Vegam *num.*1404. qui citat plures Doctores; secunda pars est communis omnium.

Prima pars prob. quia B. Virgo in primo instanti habuit perfectissimum usum rationis; ergo, & potuit tale votum elicere: addo, & decens fuit id; quia in illo primo momento se Deo meliori modo, quo potuit, devovit; decebat enim & Filio assimilari, qui in eodem primo momento vota sua Patri nuncupavit; tùm quia à primo suo momento Conceptionis ad omnium virtutum actus ferventissimos excitabatur à Spiritu S. ergo noluit nec per instans differre id, quod ad consummatam Virginitatis perfectionem., quale est votum ejusdem, conducere valde perspiciebat; tum quia nexus hic est quasi vinculum spiritalis conjugii inter Deiparam & Deum. Vide Suarez *tom.*2. *dist.*6. *sect.*1. Vasquez *dist.* 124. *num.* 81. aliosque apud Vegam. Dices: Infantilis ætas non est capax voti; ergo, &c. Resp. habuisse tunc, ut dictum est perfectissimum usum rationis. Prob. secunda pars, scilicet quod tale votum fuerit omnium perfectissimum, tum quoad immobilitatem, quia habuit Mariam propositum servandæ Virginitatis voto confirmatum; tum & quoad intensionem, quia ex perfectissimo Dei amore, & puritatis super omnes id præstitit; tum in executione, quia illud ita strictè servavit, ut ab omni vel levissimo motu contrario fuerit libera; tum quia comitatum fuit à cæteris virtutibus in gradu excellentissimo, quales sunt temperantia, modestia, animi submissio, & humilitas, & jugis sine ulla intermissione in Deum amor, de quo vide, quæ tradit Seraph. *in op. Medit. Vitæ Christi*, *c.*3. quæ verè mirabilia sunt.

284 Dices: hoc votum fuit privatum, & non solemne; sed solemne est perfectius; est enim Deo gratius, firmius, & immobilius secundùm se; ergo, &c. Major, & minor prob. quia per hoc votum non est facta inhabilis ad contrahendum matrimonium, quod verè contraxit; tum quia in lege veteri non fiebat votum solemne, solumque in evangelica à summis Pontificibus introductum est. Resp. 1. negando, perfectiorem esse castitatém de se, quæ voto solemni Deo sacratur voto simplici, sed tantùm per accidens; quia ista solemnitas non est necessaria, per se loquendo perfectioni Virginitatis, sed ex suppositione imperfectionis, & mobilitatis hominum, qua posita, fuit valde utilis, imò necessaria illis, qui ad perfectionem contendunt, ne retrocederent, sed firmiùs Deo per votorum solemnitatem adhærerent, quæ imperfectio longè fuit à Maria. Et ad id de matrimonio. Resp. Seraph. *lib.*4. *dist.*30. *art.*1. *quæst.* 2. quòd non solùm fuit conveniens, ut Maria voveret, sed etiam ut nuberet ex triplici causa; primò ob significationem unionis inter Christum, & Ecclesiam, quæ est spiritualis sponsa, & Virgo, & Mater, nec alia persona fuit magis ad id idonea: secundò ob infamiæ vitationem, ne scilicet crederetur fornicaria: tertiò ob consilii divini occultationem, ne adversario partus ejus notus fieret, qui à Virgine procul repellebatur; tum etiam quia tali homini S. Joseph debuit nubere, tum ratione generis, tum fidelitatis, & virtutis, & tum paupertatis.

Dices: de ratione matrimonii est, ut adsit consensus mutuus traditione sui corporis in alterum conjugem, & ad carnalem copulam, sed hoc pugnat cum voto Virginitatis; ergo, &c. verè enim Maria contraxit verum matrimonium. Resp. Seraph. *lib.*4. *dist.*28. *art.*1. *quæst.*6. conced. intervenisse inter Mariam, & Joseph verum matrimonium; est enim de fide, quòd consensus in matrimonio essentialiter est in mutuam cohabitationem, & corporum potestatem, non verò ad carnalem actualem; quæ licèt videatur necessaria, tamen in Virgine non intervenit, quia sciebat ex revelatione Spiritu S. & etiam facta Joseph custodituram esse suam Virginitatem. Hinc sibi ambo reservaverunt hanc conditionem. *Vide S. Bon. ibid. vide etiam Vegam locis citatis.*

Q. 6. *An B. Virgo votum emiserit paupertatis.* 285
Resp. affirmativè, ipsamque licèt jure hæreditario potuerit possidere multa bona temporalia ex hæreditate parentum sibi devoluentia, tamen omnia sponte abdicavit; de qua re vide Vegam *à num.*1426. Item & dicendum de voto obedientiæ: apud Vegam *à n.*1430. *& deinceps*, qui etiam elucidat, an B. Virgo vitam Religiosam duxerit.

Q. 7. *An B. Virgo aliquod Sacramentum susceperit?* 286
Resp. primò inconfesso apud omnes esse, Sacramentum legis naturæ, pro peccato originali institutum pro fæminis, suscepisse, non quidem ad delendum peccatum, quo numquam fuit infecta, sed ad implendum hoc præceptum, & ad augendam gratiam, quæ talibus suscipientibus conferebatur. Resp. 2. inconfesso etiam apud omnes ferè Theologos esse, Mariam suscepisse Sacramentum Baptismi; si enim Christus se ipsi subjecit, multò magis Mater ob rationem supra traditam de circumcisione, hancque recepisse de manibus ipsius Christi tradunt multi SS. Patres, & ex eadem ratione recepisse Sacramentum Confirmationis, & extremæ Unctionis; non verò Sacramentum pœnitentiæ; ratio est deficientia materiæ remotæ, & proximæ; scilicet peccatorum levium, vel mortalium, neque emisisse dolorem, seu contritionem de peccato, quod nunquàm habuit, vel habere potuit; *Vide Suarez dist.*35. *&c.* Resp. 3. Mariam recepisse quotidie post Resurrectionem Christi Sacramentum Eucharistiæ, de qua videndus est Vega *à n.*1286. citans plures SS. Patres, & Theologos idem asserentes. Item & dicendum de Sacramento matrimonii verum fuisse inter Mariam, & Joseph; de quo Seraph. D. supracit. & Vega fusè, & doctè, *à n.*1492.

QVÆSTIO VI.

Quænam fuerit in Maria radix, & fundamentum meritorum ipsius.

287 IN hac quæstione procedendum est eodem ordine, quo de merito in communi, & postea Christi, egimus. Et primò suppon. ex traditis conditiones ad meritum, quas numeravimus *in disp.* 10. *quæst.* 1. *&* 2.

Suppon. 2. ex traditis *in cit. disp. q.* 2. *in sexto dubio* augmentum meriti desumi principaliter ex dignitate personæ merentis ex majori gratia habituali. Suppon. 3. quòd gratia Maternitatis Dei in Virgine, sicut & unionis in Christo, est forma formaliter, & eminentissimè sanctificans perfectiori modo, quàm gratia habitualis.

Concl. 1. Meritum Mariæ fundatum fuit principaliter, ut in radice, in gratia Maternitatis Dei, & ex consequenti in gratia habituali. Conclusio quoad primam partem est contra Vasquez, Medinam, aliosque paucos, ipsam tamen sustinent cum Seraph. *citato in quæst. de Maternitate Mariæ* Suarez *dist.* 4. *& l.* 22. *de gratia*, Lugo *in* 3 *part. d.* 11. *num.* 54. Dipalda, aliique: in 2. parte conveniunt omnes. Prob. prima pars ex fundamento, quo Theologi asserunt, meritum infinitum in Christo esse ex dignitate infinita, & gratia personæ, ergo dignitas personæ, & sanctitas principaliter confert ad majus meritum, & hoc fuit determinatum in Concilio Eph. & à Clemen. VI. Pio V. & Greg. XIII. contra Michaelem Bajum; sed sic se habet Maternitas Dei in Matre, sicut unio in Christo, ergo & in B. Virgine ex maternitate ortum fuit augmentum immensum meriti. Prob. 2: Opus bonum præcisum à gratia non habet æqualitatem meriti ad præmium, neque condignitatem cum præmio, ut etiam docet Seraph. *citat. in quæst.* 2. *superallata*, sed exigit gratiam habitualem essentialiter; ergo per majorem gratiam, & dignitatem personæ merentis augetur meritum; ergo & in Maria ex dignitate personæ, & ratione Maternitatis divinæ; tùm quia meritum in ratione meriti ex majori augmento obsequii cedentis in majorem gloriam, & honorem Dei etiam augmentum accipit; sed talia sunt opera, quæ proficiscuntur à Virgine cum dignitate Matris Dei: augent enim obsequium Dei cedens in majorem gloriam Dei, ergo ex hac dignitate sequitur augmentum meriti in Maria.

288 Objic. 1. Commune proloquium; hominem promoveri actibus, non habitibus, quia juxta operum quantitatem datur unicuique præmium. R. conced. totum; sed tamen inspectis omnibus circumstantiis operantis, & operis ipsius, ex quibus valor operum accrescit, inter quas est dignitas, & sanctitas operantis. Aliæ objectiones circa hanc partem satis solutæ sunt in citata quæstione. 2. pars patet, quia sine gratia habituali non potest esse meritum, est enim in Justis ratione totius meriti redundantis in actibus, ergo major gratia majus meritum tribuit.

Q. *A quo tempore inceperit Maria mereri?* Huic dubio respondendum est proportionaliter, quo soluta est quæstio de principio meriti in Christo. Diximus enim *disp.* 10. *quæst.* 5. probabile esse dicere, Christum incæpisse mereri post primum instans; sed probabiliùs incæpisse in primo instanti; idem & dicimus de B. Virgine ex fundam. etiam Seraph. qui in ea immunitatem in primo instanti à peccato quocumque prædicavit, ut dictum est in propria disputatione; unde ait *lib.* 3. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *corp. & ad* 1. quòd in prima sanctificatione fuit plena gratia secundùm quod expediebat ad meritum; addit in *Brevil. part.* 3. *cap.* 7 quòd ei fuit data tanta gratia, qua major sub Deo nequit intelligi, ergo data fuit gratia cum perfectissimo usu rationis, & cum actu. Tum quia in eo instanti secundùm communiorem Theologorum maximè recentiorum fuit elevata in eodem instanti ad claram Dei visionem, non tamen consumatam, ergo tunc habuit virtutum usum; tùm quia à pluribus Theologis admittitur talis usus in Angelis, ergo multò fortiùs in Maria; tum quia non indigebat tempore ad deliberandum, tunc enim ex plenitudine gratiæ potuit advertere ad varias rationes boni, & mali in objectis propositis; sufficit enim ut voluntas præcedat indifferens in actu primo, ordine, & prioritate naturæ, non temporis. Dices: in illo instanti videbat Deum clarè, ergo non poterat simul exire in actus Viatorum, & meritorios. R. neg. conseq. tum quia non erat extra statum Viatorum, tùm quia poterat elicere, simulque habere actus visionis, & meriti, non enim sunt incompossibiles, quod & de Angelis affirmant plurimi Doctores.

QVÆSTIO VII.

Qualia merita fuerint in Maria in ordine ad se?

CONcl. 1. B. Virgo Maria non potuit mereri de condigno primam gratiam, vel ejus augmentum, sed tantùm de congruo; ratio primæ partis est, quia principium meriti non potest cadere sub ratione meriti; sed talis est gratia habitualis; ergo &c. ratio 2. partis est, quia actus bonus primus, quem supponimus fuisse in Maria, potuit esse dispositio conveniens de congruo, ex quo etiam infertur, B. Virginem per primum actum elicitum in primo instanti nec augmentum gratiæ meruisse, sed tantùm de congruo, quia prima gratia sanctificans confertur ratione talis actus, & eidem respondet gloria illi gratiæ proportionata, adeoque non habet talis actus valorem ad novum gratiæ gradum promerendum. *Vide Vegam. à n.* 1710. 289

Concl. 2. Probabilior est opinio asserens, B. Virginem de condigno meruisse donum Maternitatis divinæ, non quidem quoad electionem, sed quoad executionem, non quoad substantiam productionis Christi, sed quoad executionem, de quo vide Vegam *num.* 1692. Sic Suarez *de Incarnat. dist.* 10. *sect.* 7. Gabr. 3. *dist.* 4. *art.* 3. *dub.* 11. Abul. *Paradox.* 1. *cap.* 34. *&* 38. & alii plures apud Vegam *num.* 1695: quibus præivit Seraph. qui *lib.* 3. *dist.* 4. *art.* 2. *q.* 2. recognoscit in Maria respectu Conceptionis Christi (non absolutè, sed secundùm circumstantias, ut aliàs dictum est) meritum plusquam congrui, quod appellat meritum digni, quodque in substantia est idem ac condignum, & si hoc admittit ad ipsam Incarnationem multò magis ad donum Maternitatis. Hæc conclusio est contrà Vasquez, aliosque plures negantes in Maria talem condignitatem, imò Vasquez appellat 290

appellat oppositam, vel temerariam, vel erroneam, vel improbabilem, quæ censura tamen (ait Vega) nullum stabile fundamentum habet, sed innititur in nimia proclivitate hujus Auctoris in censuras ferendas adversus alios, in quo extremo passim incidit, & contra etiam SS. PP. & gravissimos Theologos, & Magistros. Prob. autem hæc concl. ex rationibus desumptis ex Seraph. *citato ex Luc. cap.1. Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino;* sed annunciata erat à Domino, ergo ideo concepit, & fuit Mater, quia credidit; sed talis credulitas non fuit causa efficiens, ergo meritoria. Confirmatur ex Collecta Ecclesiæ: *Omnipotens, &c. Qui gloriosæ Virginis Mariæ corpus, & Animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante, præparasti;* Ergo Maria si digna fuit, id meruit, idest merito digni concipere. Prob. 2. Aut Maria Virgo habuit gratiam sufficientem præparantem ipsam ad Conceptionem Filii, & Maternitatem, aut non: si sic, ergo per gratiam præparantem meruit illud, quod præparat merito condigni, cum tali gratia benè usa fuerit: si non, id est, quia non potuit recipere, vel quia Deus vel non potuit, vel noluit dare; hoc secundum non potest dici, sed nec primum, quia sic nec esset idonea ad concipiendum Filium Dei. Probatur, quia ideo Angelus expectavit consensum expræssum B. Virginis in illis verbis: *Fiat mihi secundùm Verbum tuum*, ut & ipsa suis meritis concurreret ad hanc executionem.

Objic. 1. ex Augustino: Conceptionem Christi non habuisse merita præcedentia, ergo nec Maternitas. Resp. Seraph. id debere intelligi de Incarnatione, & Maternitate secundùm substantiam, & electionem, quia fuit omninò gratuita, non secundùm executionem, & alias circumstantias; sic Seraph. *in corp. & ad 1. & 3. & 4.*

Objic. 2. cuicumque actui meritorio B. Virginis procedenti ex gratia collatum fuit præmium æquale gloriæ, ergo non potuit aliud præmium, scilicet Maternitatem promereri. Resp. Vegam afferre plura, & valdè fusè ad hanc objectionem solvendam; sed tamen breviter solvitur ex doctrina Seraph. cit. ad 5. quòd meritum Mariæ potuit excedere in intensione, & excellentia ipsa quamcumque gloriam, quia Maria Virgo fuit cumulata tanta gratia, quòd potuit aliquid mereri suprà id, quòd alii Sancti possunt, & cursu ordinario tribuitur actibus præcedentibus ex gratia habituali. Ex quibus sequitur primò quòd B. Virgo Maria non meruit sui ipsius electionem, tum ad gratiam, tum ad gloriam, tum ad Maternitatem Dei; ratio est, quia Deus sua sola voluntate elegit sibi Matrem, & hoc vocatione speciali sima, & præcedente omnia merita, ut ait Seraph. cit. ad primum. 2. meruisse de condigno (supposita electione divina secundùm substantiam) accelerationem tanti mysterii, quod potiùs in ipsa, quàm in alia quacumque fæmina sumeret carnem, & suum activum concursum ad ipsam, ad hoc enim data sunt tot munera gratiarum in ordine ad alios.

QUÆSTIO VIII.

De meritis Mariæ in ordine ad alios.

SUppon. 1. ex traditis supra *disp.* 10. *quæst.* 8. quòd meritum dicitur causa moralis non physica influens in alios compensationem debitam tali merito. 2. suppon. meritum fuisse in ordine ad nos de condigno, in Maria verò tantùm de congruo, vel de digno, quibus suppositis, dicimus 1. Mariam Virginem meruisse de congruo, seu ut loquitur Seraph. Doct. de digno expiationem peccati originalis nobis, & omnium actualium quoad sufficientiam, meruit enim nobis Baptismum, ut docent Cirillus, Christ. Hieronymus, & communiter SS. Patres; ratio est, quia superabundanter damna Evæ reparavit: Tum quia si Christus decretus fuit ex primaria intentione propter peccatum Adæ, & singula posterum originaria, ideóque meruit de condigno eorum expiationem, ergo & B. Virgo suis meritis nobis promeruit expiationem talium peccatorum de congruo; patet consequentia, quia plus concurrit Maria ad totius generis humani reparationem, quàm Eva ad infectionem, ergo, &c. 2. Dicimus meruisse omnibus hominibus gloriam, quodque sequitur ex dictis. 3. Dicimus, Mariam nobis promeruisse omnia auxilia gratiæ excitantia, & cooperativa necessaria homini ad se ultimò disponendum ad gratiam justificantem obtinendam; sic omnes SS. Patres loquentes de merito Christi de condigno, & de merito Mariæ de congruo; tale enim privilegium competebat Matri Dei, & Corredemptrici, & per consequens etiam quoad efficaciam meruit Electis specialia auxilia, perquæ infallibiliter salutem consequerentur; item & omnia dona gratiæ primam justificationem subsequentia, sunt enim debita ipsi gratiæ justificanti; ratio est, quia ad meritum Christi condignum voluit Deus privilegiare peculiariter dignitatem Matris. Dicimus 4. B. Virginem, sicut diximus de Christo Capite, promeruisse & Angelis, & hominibus ipsam incarnationem antecedentibus omnia bona; nam ad hoc, ut aliqua sit causa meritoria, non est necesse ut actu existat, sed quòd meritoria existant in mente, & acceptatione divina, etiam antecedenter.

Hinc concludimus hanc vastissimam materiam dicendo nihil in hominibus, & Angelis, boni, vel gratiæ provenisse, vel provenire à Deo, quod non cadat sub ratione meriti de condigno respectu Christi, & de congruo respectu Mariæ; de qua materia latissima videatur Seraph. Doct. *in spec. B. Virg. per tot.* Vega, *Palestra* 29. *per totam, &c.* Explicit totus Tractatus de Incarnatione Verbi, quæ omnia subjecta volo censuræ Sanctæ Matris Ecclesiæ.

DISPVTATIO XIV.

De Virtutibus Theologicis.

291 DEUS, qui dives eſt in miſericordia, convivificat in Chriſto duplici vita (ait S. Bon. *lib.* 3. *diſt.* 23. *in expoſ. textus.*) Vita ſcilicet naturæ noſtræ, quam aſſumpſit, & morti pro nobis expoſuit, & de qua hucuſque tractatum eſt: & Vita gratiæ, & hæc conſiſtit in multiplicitate habituum gratuitorum, & in impletione divinorum mandatorum; per habitus autem habetur vitæ gratuitæ complementum in actu primo, & per obſervantiam mandatorum habetur Vita in actu 2. & exercito. Cum autem de prima vita hucuſque actum fuerit, ſupereſt, ut de 2. agatur: in qua tractatione primo loco ſe offert conſideratio habituum ordinantium in finem, ſuntque virtutes Theologales, & hinc poſtea eorum, quæ media ſunt ad finem, ſuntque virtutes Cardinales, Dona Spiritus S. & obſervantia mandatorum Dei. Hinc primæ Diſputationes erunt de Fide, Spe, & Charitate, & quia fides eſt principium, & fundamentum veri Chriſtiani, manifeſtat enim nobis finem noſtrum ſupernaturalem, ideo in hac prima diſp. 1. agemus de fide, nempè quantùm ad ſuam eſſentiam, quantùm ad ejus objectum, ſive materiam, & quantùm ad ejus ſufficientiam: Deinde aliqua quæſita de ſpe reſolvemus.

De Fide.

QUÆSTIO I.

Quid ſit fide, quotuplex; & quodnam ſit ejus objectum.

293 SUppon. 1. Nomen fidei plures habere ſignificationes in S. Scriptura, & apud SS. PP. primò enim ſumitur ſecundùm nominis Ethimologiam: fides enim dicitur à fio, & dico, ideſt, id fieri, quod dicitur, quo pacto dicitur fidelis, qui eſt verax in promiſſis, & non fictus, & mendax. 2. pro ipſa promiſſione, quo pacto dicitur quis ſervare fidem. 3. pro exiſtimatione, & bona fama, qua quis dicitur fidelis, cujus auctoritas eſt magna. 4. pro conſcientia bona, & dictamine rationis. 5. pro Sacramento Baptiſmi. 6. pro fiducia vera in Deum, de qua dicitur Jacobi: poſtulet quis in fide nihil hæſitans, quæ tamen potiùs ſpectat ad ſpem, ut infrà dicetur. 7. pro actu, ſeu aſſenſu intellectus, quo alteri aliquid affirmanti credimus; ſumitur & pro habitu inclinante ad eliciendum hujuſmodi aſſenſum, & loquendo de ſupernaturali fides eſt aſſenſus firmus, quo credimus res à Deo revelatas: Hæc autem alia eſt informis cum peccato, alia formata ſine peccato, de quibus fusè S. Bon. *lib.* 3. *diſt.* 33. *dub.* 2. Et quæſtio procedit de fide hoc ultimo loco ſumpta, ſive pro ut ſcilicet eſt habitus, quo infallibiliter, & ſine ulla formidine credimus revelatis à Deo ob Dei revelantis auctoritatem.

Suppon. 2. quòd ut notat S. Bon. *diſt.* 33. *dub.* 1. poteſt fides conſiderari multipliciter, ſcilicet tum in comparatione ad genus, & naturam propriam, tum in ordine ad finem ultimum, tum ad ſubjectum, tum ad objectum, ſeu principium motivum, tum ad actum proprium, tum ad habitum diſparatum, à quo ſecernitur, & ideo de ipſo verificantur plures definitiones, ſeu potius deſcriptiones à diverſis SS. Patribus traditæ, & à D. Bon. cit. communiter tamen admittitur illa, quam tradit Apoſtolus ad Hæbreos, *cap.* 11. tamquam adæquatior, & magis explicans naturam fidei.

Concl. 1. Fides rectè definitur ab Apoſtolo tali 294 pacto: ſubſtantia rerum ſperandarum, argumentum non apparentium. Explicatur, & probatur ſic à Seraph. Doct. *cit. q.* 5. quem ſequuntur alii Theologi: Dicitur ſubſtantia (ſcilicet non prædicamentalis) ſed tranſumptiva pro fundamento, tum ſpei, tum totius fabricæ ſpiritualis ad ſimilitudinem materiæ, quæ præbet fulcimentum formis, & accidentibus, undè D. Damaſcenus dicit, quòd eſt hypoſtaſis eorum, quæ ſperantur. Hic tamen nota, quòd dupliciter fides dicitur fundamentum, ſcilicet, vel pro ut eſt informis, & ſecundùm hoc, eſt fundamentum eorum, quæ ſperantur, poſſunt enim fides, & ſpes ſtare cum peccato mortali. 2. vel pro ut eſt formata, & dicitur fundamentum omnis fabricæ ſpiritualis, ſcilicet omnium virtutum, continet namque veluti ſemen in virtute omnes virtutes proprias juſtorum, ideo dicitur ſubſtantia, & fundamentum in ordine ad affectum, ipſum ſtabiliens. 2. dicitur argumentum, quia arguit, convincit, & illuminat intellectum inducens ipſum ad aſſentiendum veritati revelatæ eo modo, quo argumentum ratiocinativum inducit intellectum ad amplexandam veritatem concluſionis. 3. dicitur rerum non apparentium, ut denotetur, fidem debere eſſe rerum, quæ non videntur; ob idque requiritur revelatio firma, & verax, per quam diſtinguitur ab evidentia phyſica; revelatio autem iſta eſt à Deo, qui eſt ſumma, & prima Veritas, & fit duobus modis, eſt enim libera actio Dei revelantis ea, quæ ſibi placent primo interiùs per divinam inſpirationem, ſicuti revelavit Prophetis, & Apoſtolis myſteria fidei. 2. per externam locutionem, ut per prædicationem, vel ſigna externa. Ex quibus infertur (ait Seraph. cit.) quòd hæc definitio totam eſſentiam fidei in ſe claudit, & ipſam notificat, & ab omnibus aliis virtutibus diſtinguit, ob idque dicitur ſubſtantia ſimul, & argumentum; ſicque involuit intellectus, & voluntatis actus: item & finem ultimum qui eſt æterna Beatitudo, quam ſperamus, & objectum, quod

eſt veritas non viſa, nec apparens: diſcernit etiam ab aliis virtutibus, ideo dicitur ſubſtantia totius fabricæ ſpiritualis, ut denotetur diſcrimen fidei formatæ ab informi: dicitur & argumentum (per quod includit etiam fidem informem,) & diſtinguitur ab aliis, ut à Spe, Charitate, &c. Qui vult alias deſcriptiones fidei, adeat S.Bon. *loc.cit.dub.* 1. *Cent.* *til. p.* 3. *ſect.* 37.

195 Objic. 1. Hanc definitionem poſſe competere ſpei; & probatur, quia ſpes eſt ſubſtantia rerum ſperandarum, & etiam argumentum rerum non apparentium, nempe quæ non videmus, ergo non eſt rectè aſſignata. R. Seraph. neg. antecedens, ad probationem neg. ſpem poſſe dici fundamentum, ſicut fides, quæ eſt prima virtutum; & licèt ſpes ſit aliquo modo fundamentum, non tamen ſicut fides, quæ eſt ſimul argumentum faciens intellectum aſſentire ipſi veritati, ſpei autem, nec charitati id non poteſt competere, licèt eis competat quoddam genus certitudinis experimentalis, maximè ſpei, ut infra ſuo loco dicetur.

Objic. 2. Definitio à priori parit evidentiam, & ideo dari debet per priora; ſed iſta definitio eſt per poſteriora, & per ignotiora, dicitur enim ſubſtantia reſpiciens affectionem, & poſtea argumentum reſpiciens intellectum; ſed actus intellectus eſt prior, voluntatis poſterior; item quia fides eſt notior iis, quæ non apparent; fides enim eſt actus exiſtens in corde, ob idque notior. Reſp. S. Bon. neg. minorem; ad probationem. R. 1. hîc præponi actum voluntatis intellectui, quia licèt naturaliter voluntatis actus conſequatur actum cognitionis, non tamen in fide, ejus enim actus debet imperari à voluntate, cum ſit de ratione virtutis. 2. definiri per finem, & objectum, finis autem eſt prior in intentione, licèt ſit poſterior in aſſecutione, & objectum, quod eſt veritas non apparens, licèt ſit incognitum homini infideli, non verò fideli, qui benè cognoſcit, tale objectum non apparere; ſic negatur conſeq.

Dices: ſi eſt rerum non evidentium, intellectus non coarctatur ab objecto ad aſſenſum, ergo non eſt argumentum inducens intellectum. Reſp S.Bon. quòd ideo in dicta definitione involuitur primo loco actus voluntatis, & ſecundo loco intellectus, cum enim intellectus non neceſſitetur ad aſſenſum ex parte objecti ſpecificantis, cum ſit veritas inevidens, hinc requiritur concurſus voluntatis imperantis talem aſſenſum firmum, ut infra meliùs explicabitur.

196 Concl. 3. Fides eſt habitus virtutis gratuitæ, aliarumque regula, & auriga: Eſt S.Bon *diſt.* 33. *q.* 1. Ratio autem potiſſima eſt, quia virtus per hoc differt ab habitibus purè intellectualibus, quòd virtus eſt rectitudo vitæ ſecundùm regulam juſtitiæ; ſed fides eſt hujuſmodi, ergo, &c. Minor prob. quia fides captivat intellectum noſtrum in obſequium ſummæ veritatis, & ſubjicit voluntatem ſummæ bonitati, ergo, &c. Quòd verò fides ſit regula, & auriga omnium virtutum patet, quia ſine cognitione ſummi, & veri boni non poteſt eſſe ſummi, & veri boni expectatio, & dilectio; ſicque eſt regula Spei, & Charitatis: rurſus quia ſine recta cognitione ſummi boni non poteſt eſſe vera intentio, quæ eſt neceſſaria ad omnem virtutem, & actum meritorium; ſed fides tradit talem cognitionem; ergo eſt regula omnis operationis bonæ.

Objic. 1. Fides eſt in verum, ſicut ſcientia, & virtus eſt in bonum, ergo fides non eſt in genere virtutis. Reſp. diſting. antecedens: Scientia eſt in verum, ſed viſum, & evidens; fides eſt quidem in verum non viſum, ſed ſalutiferum, ſcilicet bonum: & quia eſt in verum non viſum, exigitur ad ipſum cognoſcendum alius habitus à ſcientia differens: & quia eſt verum bonum, & ſalutiferum, ideo ille habitus ad ſalutem ordinat, & ad vitam beatam, ideo habet rationem virtutis completam: & quia fides eſt de re non viſa, & inevidente, ideo indiget concurſu voluntatis imperantis credulitatem, & quia eſt de vero bono, & ſalutifero, ideo creditur voluntariè, & meritoriè, quæ duo ſunt aliena à ſpeculatione ſcientiæ, obidque ſolùm agnita à Chriſtianis, non à Philoſophis gentilibus.

Objic. 2. Fides credit ſine ratione; ergo eſt quid vituperabile, ob idque nec virtus. Reſp. diſting. antecedens: Fides credit ſine ratione, ſcilicet evidentiæ, concedo, ſine ratione potiori, quàm naturalis ſit, nego: credit enim auctoritati ſummæ, & primæ veritati rationabiliter, imò rationabiliùs, quàm veritati philoſophycæ.

Inſtabis: ſi in credulitate fidei adeſt major rationabilitas, ſequitur, quòd fides non ſit virtus, cum virtus ſubjaceat voluntati, ratio intellectui. Reſp. S.Bon. quòd duplex eſt rationabilitas, alia eſt, quæ eſt ex converſione ad cognitionem ſenſibilem, & hæc non eſt virtuoſa, ex objecto enim clarè viſo cogitur intellectus ad aſſenſum: alia eſt ex ratione elevata à lumine veritatis ſupernæ, & hæc exigit concurſum voluntatis imperantis aſſenſum tali veritati cognitæ per lumen ſuperius, & hæc eſt virtuoſa. Et hinc nos in quæſtione proemiali Libri primi diximus, Theologiam eſſe veriori, & ſubl imiori modo ſcientiam, quàm quæcumque ſcientia naturalis; nam in viſis poteſt cadere deceptio, non in Theologia, & fide, quod rectè advertit Seraph. Doct. *cit. q.* 1. *ad ult.* idque manifeſtè apparet in tot erroribus, quibus ſcatent ſcientiæ traditæ à Philoſophis.

Q. *An fides ſit certior ſcientia naturali?* R. S.Bon. 197
q. 4. loquendo de certitudine ſpeculationis reſpicientis ſolum intellectum, & nudam veritatem, ſic poteſt aliqualiter dici ſcientia aliqua naturalis certior; loquendo verò de certitudine adhæſionis, & firmitatis, ſic eſt major certitudo fidei incomparabiliter, quia innititur veritati primæ, & ſummæ & lumini certiori ſuperiori, & divino; & hinc etiam diximus, Theologiam eſſe ſcientiam perfectiorem, certiorem, & evidentiorem evidentia ſuperiori ab evidentia naturali, & hinc patet ratio, quare nemo unquam dedit vitam pro defenſione veritatum Theologicarum, ſicut pro defendenda veritate Sacroſanctæ fidei. Vide Seraph. ibidem, ubi habet præclara ad hanc rem, &c. Nota autem, quod hoc diſcrimen eſt inter ſcientiam naturalem, & fidem, quòd illa eſt aſſenſus habitus per diſcurſum fundatum in lumine naturali ex principiis per ſe cognitis naturaliter ex inductione per ſenſus; ut omne totum eſt majus ſua parte: at fides eſt de objecto ſupernaturali per ſe vero, & innititur lumini infuſo, & divino, & primæ veritatis, & hinc infertur talis major certitudo, &c.

Concl. 3. Fides eſt habitus unus, & ſimplex re- 198
cognoſcens pro ſubjecto ipſum liberum arbitrium, prout complectitur intellectum, & voluntatem, & ob id eſt habitus practicus ſpectans ad utramque potentiam: Tres partes habet hæc Concluſio; prima quòd fides eſt unus habitus ſimplex in athomo. 2. quòd ejus ſubjectum ſit liberum arbitrium complectens intellectum, & voluntatem. 3. quòd ſit habitus practicus: Eſt Seraph. D. *cit. q.* 2. & 3.

Prima pars prob. quia licèt fides multa, & varia mysteria credat, tamen quia est in ea unica ratio credendi formalissima, nempe ipsa summa veritas, cui ipsa fides innititur propter se, & super omnia, ergo est una virtus simplex, & specifica; patet consequentia, quia habitus diversificantur secundùm formam & speciem à parte rationis motivæ, & intellectivæ, ergo, &c. Prob. 2. & 3. pars, quia intellectus fit practicus extensione, & extendendo se ad actus voluntatis dirigendos, & ad ipsam voluntatem etiam imperantem ipsi intellectui; sed fides speculatur summam veritatem, & ad talem assensum imperatur à voluntate, & ipsam voluntatem etiam movet ad tale imperium, ergo spectat ad utramque potentiam, ergo subject.vè est in utraque potentia; major est Aristotelis, & communis Philosophorum; minor probatur, quia fides est virtus, & principium totius fabricæ spiritualis, & meriti, ergo est in libero arbitrio ut in subjecto, à quo oritur omne meritum, & quia est habitus facilitans intellectum ad actus, ideo necessariò est in subjecto, quod facilitat, ergo in intellectu, & voluntate; sed habilitat ad sciendum verum, ergo est in intellectu; & quia operatur per dilectionem, & diligendo opus, mediante affectu; ergo respicit intellectum extensum, & ejus actum, qui est credere voluntariè, sive credendo in Deum tendere, & quia ad hoc ratio ex se non potest attingere, ideo respicit affectum, & voluntatem, ejusque actum, qui est velle assentire ei, ergo ad utramque potentiam pertinet.

Dices: Fides est unus habitus simplex, ergo est in una potentia ut in subjecto. Resp. esse in libero arbitrio, quod est una potentia complectens rationem, & voluntatem, quatenus continuantur, vel sunt idem realiter in anima, & cum anima; & hinc sequitur, quòd fides principaliter residet in intellectu, minùs principaliter in voluntate *Vide S. Bon. q.2. & l.2.d.25.p.1.q.2.*

299 Concl. 4. Fides habet duplex objectum, scilicet materiale, & formale: primum sunt omnia mysteria fidei, inter quæ subjectum attributionis est ipse Deus. 2. est ipsa summa Veritas Dei revelantis: Est communis D.Bon *l.3 dist.24. q 1. & seq* Nota tamen, quod est in quæstione apud Theologos: an subjectum materiale attributionis incomplexum sit Deus, an aliquid diversum à Deo; alii affirmant, alii negant, sed communior est affirmativa, & probatur, quia omnia, quæ proponit fides credenda ad Deum ordinantur, & ad ejus attributa cognoscenda, & amanda, idque de se patet. Dices: multa proponuntur in S. Scriptura, quæ non reducuntur in Deum, nisi forsan indirectè ut est v. g. motio canis Tobiæ, inventio asinorum à Saül facta, apologus arborum volentium constituere Regem, & similia. R. negando assumptum, inserviunt enim tum ad cognoscendum Dei attributa, eaque diligendum, tum & maximè ejus veracitatem, providentiam, & bonitatem; *sic dist.24. q.2.* Prob. 2. pars, quia in omnibus mysteriis fidei adest unica ratio motiva credendi, nempe in quantùm scimus esse revelata à summa veritate, quæ non potest decipere, vel decipi; unde rectè fides dicitur assensus ipsi credito propter se, & super omnia, sed quia multa occurrunt dubia, & objectiones circa hanc conclusionem, nempè circa objectum materiale complexum, & incomplexum. & super formale, hinc omnia ista solventur per sequentia dubia.

300 Q. 1. *Sub qua ratione Deus dicitur principale objectum, & attributionis?* Resp. id dici, non quòd non adsint multa credibilia præter Deum, sed quatenus ad ipsum reduci possunt, quatenus omnia continet virtualiter, & simul ad ipsum referuntur vel cognoscendum, vel amandum, vel providentem, vel revelantem. Et si multa creata creduntur per fidem, ista habent rationem tantùm materialis, & reducuntur in verum increatum.

Q. 2. *An fides sit circa complexum, an incomplexum?* 301
Resp. S. Bon. *dist.24. art.2. q 3.* quòd cum fidei habitus faciat mentem assentiri credibili objecto, seu credito, & assensus non feratur supra incomplexum, sed suprà complexum, sic objectum ejus est complexum: Nota autem, quod fides dicitur ferri in suum objectum dupliciter, aut implicitè, aut explicitè, ideo duplici modo dicitur complexum esse objectum ejus; aut fides consistere circa complexum; nam fides quantùm ad suam substantiam respicit complexum, seu enunciabile non concernendo determinatam differentiam temporis, sed dicit aliquod commune, & indifferens ad omne tempus, sicut Christum fuisse passurum: fides autem explicita respicit complexum sub differentia temporis determinata, sicut nunc oportet credere, incarnationem fuisse, & resurrectionem futuram esse, sicut ergo explicatio accidit fidei, nec minuit ejus essentiam, sic & variatio temporis determinati non variat fidem, ut sit alia, & alia secundùm speciem; hinc concluditur, quod fidei objectum est complexum secundùm primum modum, loquendo quoad essentiam. Et prob. quia fidei assensus non est supra incomplexum, nam intellectus fertur in tale objectum per assensum, vel componendo, vel dividendo, assentitur enim vero, & respicit falsum, quæ sunt qualitates propositionis: Tum quia cum Judæi credant incarnationem incomplexè, sequeretur, ipsos habere veram fidem essentialiter, quòd est falsum.

Objic. 1. Si fides est circa complexum, ergo fides est variata; ante Incarnationem enim credebatur futura, nunc jam præterita; sed variatio in fide est impossibilis, ergo est circa incomplexum. Resp. ex doctrina tradita, concedendo esse variatam circa rationem explicitam, non verò circa essentialem, idest explicatur secundùm differentiam temporis, undè variatio cadit in explicatione, non in fide.

Objic. 2. Fides est circa verum increatum, articulus enim fidei est veritas de Deo; sed in Deo nulla cadit complexio; ergo nec circa objectum fidei Resp. S. Bon. primò quòd licèt Deus in se sit simplicissimus, tamen circa ipsum contingit enunciare hoc de hoc per modum complexionis, & compositionis, & tunc complexio non cadit in Deo, sed in intellectu nostro, nec tamen errat, cum non possit simplicitatem divini esse intelligere sine complexione; sic est in fide. Resp. 2. quòd fides versatur etiam circa objecta creata; in quorum cognitione cadit complexio.

Objic. 3. De eodem objecto est fides, & visio beata; sed hæc est circa verum incomplexum, ergo & fides. Resp. disting. majorem, de eodem objecto præcisè sumpto, concedo, sed sumpto cum modo in ipsum tendendi, nego majorem, & paritatem, quia in Patria unico actu simplicissimo apprehenditur, non in via; sic etiam sensus apprehendit idem objectum, quod intellectus, sed sensus absque compositione, non intellectus. Instabis: in via tres virtutes Theologicæ habent idem objectum; sed Spes, & Charitas versantur

circa

circa incomplexum; ergo & fides. R. S. Bon. eodem modo: habent idem objectum, sed non eodem modo in ipsum tendunt; ratio differentiæ est, quia Spes, & Charitas appræhendit per affectum, qui habet negotiari circa rem ipsam, at fides per intellectum, qui exigit complexionem, unde variatio non est circa rem, sed circa modum. Hinc concluditur, quòd fides habet plura objecta materialia complexa, & tot, quot sunt veritates, sed unicum formale, nempè ipsam veritatem primam revelantem, ut infra patebit.

QUÆSTIO II.

Quænam sit ratio formalis, & motiva objecti formalis, sub qua intellectus assentitur articulis fidei?

302 PRimò suppon. quòd secundùm omnes Theologos, paucis exceptis, Deus ut summa veritas, & prima, est ratio motiva credendi; sed quia hæc summa veritas potest considerari ut talis in essendo, & ut talis in dicendo, & loquendo, hinc orta est differentia opinantium. Prima opinio Caietani, & Aureoli docet, Deum ut summam veritatem in essendo, & sub ratione Deitatis, vel veritatis esse rationem motivam credendi. 2. Est communis, & vera opinio omnium Thomistarum, Scotistarum, D. Bon. & aliorum, rationem formalem, & motivam objecti fidei esse Deum sub ratione veritatis in dicendo, seu loquendo, & testando, vel veritatem Dei revelantis; sed quia hæc quæstio involuit plures nodos difficiles, hinc fusiori calamo est resolvenda.

Notan. 1. quòd aliud est assensus, quo credimus veritatem mysteriorum fidei, aliud est assensus, quo credimus veritatem, & veracitatem Dei, & existentiam revelationis illorum; primus enim est veluti conclusio mediata illata ex 2. assensu, nempe ex revelatione, & testimonio Dei revelantis. 2. est ad modum assensus principiorum immediatus. v.g. cognosco hominem visibilem, quia est animal rationale; hæc est cognitio, seu assensus mediatus, cognosco hominem esse animal rationale, non ex alio principio, sed ex ipsa terminorum cognitione, qui immediatam dicunt connexionem; sic pari modo primo assensu credo, Deum esse Trinum, quia prima veritas revelat talem articulum. 2. assensu credo, Deum revelasse se esse Trinum, non quia revelaverit, se revelasse; sic enim daretur processus in infinitum, sed quia inter motiva extrinseca, ex quibus credenda proponuntur ab Ecclesia nostra fidei mysteria, & divinam attestationem est talis connexio, ut intellectus certò cognoscat, licèt obscurè, illam esse divinam revelationem; & hinc inferunt Mastrius *num.40. dist.6.* & Lugo de fide *d.1. sec.7.* quòd ultima fidei resolutio non fit neque in auctoritatem Ecclesiæ proponentis, neque in motiva extrinseca proposita ab Ecclesia pro credulitate mysteriorum fidei, alioquin prima radix fidei esset quid merè naturale, sed fit in divinum testimonium obscurè cognitum in propositione Ecclesiæ cum talibus motivis; hincque credo, Deum esse Trinum, quia prima veritas revelavit; at quòd revelaverit, neque scio evidenter, neque per aliam revelationem, sed immediatè credo ex modo, quo proponitur credendum.

Dices: si veritas Dei sufficienter cognoscitur lumine naturæ, seu per assensum naturalem ex motivis ab Ecclesia propositis, ut quid ergò ulteriùs cognosci debet per assensum elicitum ab habitu ipso fidei? Huic dubio multa dicit Lugo, respondens, quòd objectum quidem cognosci potest partialiter lumine naturæ, sed tamen ut assensus sit supernaturalis debet esse ex habitu fidei elicitus ad firmiter fundandum mysterii crediti assensum, quia cognitioni naturali potest subesse falsum. Seraph. *lib.3. dist.24. dub.2.* solvit hoc dubium tali pacto: dupliciter contingit scire, scilicet per inventionem, & ad hoc propriè facit sensus visus, & per doctrinam, & ad hoc facit sensus auditus; fides autem habetur per doctrinam, ideo est ex auditu: scilicet auditu exteriori, & interiori, auditus exterior parit notitiam naturalem, nempe quid est, quod per nomen dicitur: interior per infusionem fidei in corde; unde primus auditus se habet ut materiale, secundus ut formale: hinc propositio facta ab Ecclesia parit quidem cognitionem naturalem, estque veluti via ad assensum supernaturalem per fidei infusionem.

Notan. 2. ex traditis in antecedenti fundamen 303
to sequi, quòd licèt necessaria sit propositio, & doctrina, ex declaratione Ecclesiæ, & humana fides, seu cognitio naturalis, ut dictum est, ad credendum; & notat S. Bon. *d.23. art.2. q.2.* nihilominùs esse non potest formalis ratio motiva; in quam summa nostræ fidei certitudo resolvatur, sed solùm prævia dispositio, vel conditio ad assensum fidei ex propria ratione formali eliciendum, sed ratio formalis reduci debet adhoc, quia prima, & summa veritas id revelavit, & ad hujus veritatis assensum concurrit efficienter illuminatio Spiritus sancti loquentis per aurem cordis, ut ait D. Bon. cit. quæ illuminatio, posito prævio judicio de credibilitate testimonii divini per Prædicatorem, vel Ecclesiam propositi, & imperio voluntatis de credendo testimonio divino, efficienter inclinat intellectum credentis ad assensum præbendum rei revelatæ propter testimonium divinum, & propter motivum; unde assensus fidei pendet à tribus causis, scilicet à prima veritate ab Ecclesiæ auctoritate, & ab intellectu credentis lumine fidei illustrato, & ut sic ad credendum inclinato, & adhoc moto à voluntate piè affecta: & quidem à prima veritate pendet; ut à revelante, & ut à prima ratione formali credendi; ab Ecclesia verò ut à proponente, & docente ea, quæ sunt credenda in quantùm regitur à Spiritu sancto; & tandem ab intellectu lumine fidei illustrato, & à voluntate moto.

Notan. 3. quòd cum dictum sit, Deum pro ut est 304
prima veritas nobis revelans objecta fidei, esse objectum formale ipsius, quæstio est, quo pacto revelatio ad hoc objectum formale fidei pertineat; in qua Scotistæ tenent, revelationem esse tantùm conditionem requisitam, ut aliquod credibile in virtute primæ veritatis moveat: Alii dicunt, solam divinam revelationem esse objectum formale motivum sufficiens ad habendum actum fidei: sic Pontius, & alii pauci: Alii volunt, revelationem divinam esse de ratione formali integrante objectum formale fidei, & hæc est communior inter Thomistas. Seraph. stat cum prima opinione Scotistarum, nam *dist.24. q.2.* dicit, objectum formale proprium fidei esse verum, seu veritatem increatam, objectum materiale esse verum creatum, ibidem *dub.2.* notat, quòd fides habetur ex duplici auditu

auditu, scilicet exteriori per Prædicatorem,& Ecclesiam, & interiori per Spiritum Sanctum loquentem auribus cordis; unde patet, revelationem esse solùm conditionem,sine qua non,& ratio in promptu est (ait Seraph.) quia id est objectum formale, propter quod assentimur materiali, sed ob solam veritatem primam assentimur objectis revelatis, nam hæc sola veritas intellectum credentis certum reddit de veritate objecti revelati: hinc est, quod propter ipsam veritatem increatam assentimur rebus fidei propter se, & aliis rebus creatis assentimur, idest in ordine ad ipsam summam veritatem tamquam rationem formalem objecti; hinc sequitur, quòd ipsa dictio, seu revelatio est tantùm conditio sine qua non,& hinc sequitur, proximum, & immediatum effectum primæ veritatis revelantis respectu nostri esse facere infallibiliter credibilem rem revelatam; & ideò veritas divina in loquendo, & revelando est quid complexum, duas continens perfectiones, scilicet infallibilitatem, & certitudinem divinæ scientiæ, seu præscientiæ in ordine ad cognoscenda omnia, prout sunt in se, & summam ejus determinationem ad dicendum verum; prima spectat ad intellectum, & ad sapientiam Dei. 2. ad bonitatem arrestantis; ex 1. habetur, quod non potest falli; ex 2. quòd non potest fallere.

305 Not. 4. ex S. Bon. *dist.* 23. *dub* 4. quòd secundùm Augustinum fides essentialiter existens in anima cognoscitur, non verò charitas; cur autem fides cognosci possit à nobis existere, non autem charitas, varii varias rationes adducunt, sed Seraph. ait, quòd cognitio, qua anima cognoscit id, quod habet in se, est cognitio cujusdam experientiæ, unde habitus principaliter non respiciens usum alicujus potentiæ, non potest ab anima cognosci certitudinaliter,cum non sit in sua potestate; si autem quis ex experientia videat se habilem ad usum, vel aliquod opus, tunc potest cognoscere se habere talem habitum. Cum autem fides moveat ad assensum rei revelatæ, & unusquisque possit per experientiam videre, an sit habilis ad exeundum in actum assensus,sic potest cognoscere, fidem esse in ipsa anima, quia verò charitatis effectus est suprà potestatem animæ, ut est reddere Deo gratum, ad id enim requiritur acceptatio divina, quæ nobis est incerta, ut notat *lib.* 1. *d.* 17. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 4. & 5. quæ doctrina infrà ad calcem quæst. 5. fusiùs examinabitur; hinc est, quòd non potest haberi certitudo de tali habitu; vide ibidem. Ex quibus potest elici aliud fundamentum à Seraph. *ibidem dub* 5. positum, nempe illud, quod creditur per fidem, per ipsam fidem probatur; ipsum enim, quod videtur, probatur per auctoritatem,& testimonium divinum, auctoritas autem nihil facit, & probat, nisi per fidem. v.g. Articulus resurrectionis creditur, quia probatur per auctoritatem Sacræ Scripturæ. Et si ulteriùs quæratur, quomodo probatur, quòd auctoritas Sacræ Scripturæ sit vera, & infallibilis? Rursus responderi potest, id probari per fidem, & illuminationem divinam.

306 Concl. 1. Ratio formalis motiva objecti formalis fidei est prima veritas, non sub ratione Deitatis, vel in essendo, sed in dicendo, & revelando, seu testificando. Est communis cum D. Bon. cit. prob. ex eo quòd fides nostra nititur non evidenti cognitioni Dei ut sic, sed ejus testimonio; sed testimonii auctoritas in veracitatem testis resolvitur; ergo veritas Dei revelantis articulos fidei est ratio formalis motiva illius; Major constat ex tota Sacra Scriptura, quæ semper adducit Deum, ut testantem veritatem, ad hoc ut nos inducat ad ipsam amplexandam; tum quia objectum formale in qualibet doctrina est illud, quod cognitum est intellectui ratio assentiendi conclusioni, sed veritas divina testificans est ratio, qua intellectus assentitur rebus revelatis à Deo, ergo, &c. Minor prob. quia in tantùm homo credit articulos fidei, in quantùm sunt à Deo revelati, scitque, ipsum omnia noscere, nec posse decipere, vel decipi, ergo, &c.

Objic. cum Aureolo,& Çajetano: veritas summa in Deo non est ultima ratio, in quam resolvitur ratio formalis motiva fidei, & prob. quia si quæras, cur assentit intellectus huic propositioni: Deus Trinus est. 1. respondebis, quia Deus id docet; rursus cur id docet? quia est verax; rursus cur verax est? quia Deus est, ergo ultima ratio motiva est ipse Deus, quatenus est Deus. Resp. talem resolutionem in Deum sub ratione Deitatis esse communem ad omnes perfectiones divinas, secundùm quas apta est exercere diversas actiones, ut Omnipotentia, Misericordia, &c. obidque potiùs talis ratio dicitur remota, transcendens, & quasi materialiter, & concomitanter imbibita in omni perfectione divina; non verò potest dici ratio formalis, & proxima fidei, sicut dicitur veritas prima revelans, & ad hoc facit excellenter distinctio formalis, vel virtualis attributorum, ob quam concipimus cum fundamento varias perfectiones divinas in ordine ad varios effectus. 307

Objic. 2. sufficit habitus fidei immediatè inclinans ad assentiendum articulis fidei absque alia ratione formali assentiendi per ipsum habitum testimonia Dei; ergo ista ratio formalis est superflua, prob. antecedens, quia non possum per testimonium Dei assentiri rei attestatæ, nisi priùs assentiat testimonio Dei, & ipsi rationi formali assentiendi, ergo requiritur aliud testimonium, & revelatio, quòd ipse Deus sit veridicus testis, & de hac testificatione iterum redibit sermo, sicque dabitur processus in infinitum, & si dicas, hoc credi, quia id scitur per testimonium Ecclesiæ, vel Prædicatoris tale testimonium esse infallibile: Contra quia sic tale testimonium crederetur per fidem humanam, & minùs certam suo principio; ergo ad evitandum ista absurda sufficit ipse habitus fidei inclinans meum intellectum ad assensum. Resp. ex doctrina tradita in superioribus, habitum quidem inclinare ad assensum, id tamen non sufficere ad constituendum actum fidei, quæ innititur testimonio revelantis, unde assentior quidem revelationi priusquàm credam, Deum esse Trinum, non quidem tantùm motus ab habitu, sed etiam objectivè persuasus, & inductus à testimonio divino per illuminationem Spiritus Sancti mihi proposito; sic S. Bon. *dist.* 24. *dub.* 2. Et ad id, quòd necessaria esset alia revelatio certitudinis primæ revelationis, negatur sequela ex doctrina Seraphica loco citato, & *dist.* 23. *dub.* 5. quia quando aliquid denominativè, & formaliter est tale, standum est in illo, sic paries denominativè est albus, & albedo est formaliter talis, in ipsa est standum: modò ad rationem objecti formalem fidei sufficit, vel quòd sit revelatum, vel ipsa revelatio, sicque prima veritas revelans est objectum formale, quia creditur propter se, simulque est ratio credendi aliud, obidque datur status in ipsa, quia est credita, & ratio credendi

Objic. 3. quia inde sequitur vitiosus circulus, 308 vel

vel reducenda est ratio formalis credendi in fidem humanam. Prob. utrumque. v.g. si quis interrogatur: quare credit? respondet, quia Deus dicit, & si ulterius interrogetur: quare credit, Deum dicere? respondet, quia Ecclesia proponit; & si rursus interrogetur: quare credit Ecclesiæ proponenti? respondet, quia Deus dicit credendum esse Ecclesiæ proponenti; & ecce circulus. Vel propter fidem humanam, quia judicat Ecclesiam esse fide dignam; sicque tota fidei certitudo videtur in humanam fidem reduci. P. Casp. noster *d.* 1. *sect.*3. proponit hanc quæstionem, & doctissimè, & claré ipsam resolvit super alios Theologos, qui distracti valde sunt in varias responsiones; sic igitur dicit primò: quòd loquendo in genere causæ formalis nostra fides resolvitur tanquam in ultimam, in primam veritatem revelantem activè consideratam, inde enim sumitur propria certitudo nempe fidei, ut suprà probatum est. 2. loquendo in genere causæ efficientis, id, in quod resolvitur fides nostra est lumen internum, & motio Spiritu sancti causans in nobis assensum. 3. loquendo in genere causæ materialis fides nostra ultimò resolvitur in Ecclesiam proponentem ea, quæ sunt de fide credenda: Addit iste Doctissimus Pater, quòd cum dispositiones ad introductionem formæ se teneant ex parte materiæ, & cum ad negotium fidei necessarium sit disponi intellectum, & voluntatem, ille enim egrè assentitur rebus non visis, & ista facilis est decipi, & dura ad credendum; hinc Christus reliquit Ecclesiæ tollere ista impedimenta, ob idque totam firmitatem dedit, & auctoritatem rebus fidei proponendis, & explicandis: de qua re vide S Bon. *ser.*1.*&* 9.*Hex.&* *l.*4.*d.*8.*p.*2. *art.*1. *q.*2. *& d.*40.*q.*3.*ad ult. & l.*3. *d.*25.*q.*1. unde concludit cum aliis Theologis istam rationem materialem de Ecclesia, quatenus regitur à Spiritu sancto, appellari debere conditionem sine qua non: tandem dicit, quòd loquendo de causa finali, ejus proprium est conjungere nostrum intellectum cum Deo in ratione cogniti supernaturaliter; ex quibus conclusio reducitur ad duo capita; primum est, quòd ratio formalis assensus nostri divinæ fidei est ipsa prima veritas revelans. 2. quòd causa, vel conditio, ob quam quis voluit accipere fidem divinam, cum aliàs non convinceretur ad id ex sola ratione formali fidei inevidenti, est propositio facta à Spiritu sancto per Ecclesiam, & ad hoc caput reducitur, etiam fides humana orta ex signis, aut ex alio principio, hoc autem caput respiciens fidem humanam infert S. Bon. *ser.*9. *Hex.* ex testificantium fama præclara consistente in præclaritate meritorum, miraculorum, & martyriorum, in testificantium concordia plena, quæ apparet in tribus, scilicet in eloquiis scripturarum, in decretis Conciliorum, & in documentis Sanctorum. Ex quibus concludunt Theologi, ut plurimùm, & regulariter loquendo præcedere fidem humanam ante assensum fidei, de quo vide Caspensem citatum *sect.*3. *&* 4

309 Concl. 2. Sola locutio interna Dei, & inspiratio mera interna non sufficit ad objectum formale fidei in actu completo, & proximo constitutum respectu assensus nostri, sed requiritur aliqua externa revelatio, seu testificatio, tanquam conditio sine qua non, seu potiùs applicatio ipsius formalis motivi, quod est ipsa prima & summa veritas: Est S. Bon. *cit.dub.*2. quoad primam partem est communis omnium, quoad secundam est Scotistarum simul cum eodem Seraph. Prob. 1. & 2. pars, quia ut rectè notat S Bon. cit. impossibile est intellectui præbere assensum alicui propositioni absque eo quòd priùs appræhendatur significatio terminorum, ergo nec poterit præstari consensus alicui propositioni de fide absque aliquo signo externo tanquam medio, ad hoc ut appræhendatur talis veritas: unde dicitur fides ex auditu scilicet interiori, & exteriori. Prob. 3. pars, quia objectum formale est illud solùm, propter quod assentimus materiali; sed propter solam primam veritatem assentimur objectis revelaris; ergo revelatio non est ratio formalis, nec ingreditur ipsam rationem formalem objecti; minor patet, quia per solam veritatem primam reddimur certi de veritate objecti, ex qua certitudine oritur assensus, ergo, &c. Resp. Adversarii, non solùm veritatem attrahere consensum, sed & ea, quæ cum ipsa habent necessariam connexionem, qualis est relatio; sic in syllogismo non solùm præmissæ cognitæ sunt causa assensus conclusionis, sed & cognitio consequentiæ; sic & relatio in proposito nostro. Contra, quia præcisè loquendo, nec præmissæ cognita, nec bonitas consequentiæ, sed medius terminus dumtaxat est talis causa: licèt lato modo etiam dicantur præmissæ, & consequentia causa; sic & nos dicimus de revelatione, quæ utique concurrit ad hoc, ut intellectus assentiatur veritati articuli fidei; sed quia & ipsa revelatio resolvitur in eamdem primam veritatem tanquam causam omnis certitudinis, hinc dicimus esse conditionem sine qua non propriè, & rigorosè; unde ferè reducitur ad quæstionem de nomine. Et confirmatur, quia certitudo oritur ab ipsa prima veritate; ergo non à revelatione, ergo revelatio solùm est causa veluti extrinseca, & conditio, ob quam intellectus applicat proprium assensum ipsi summæ veritati.

Objic. 1. Fides nostra nititur testimonio Dei revelantis, ergo revelatio est de intrinseca ratione objecti formalis. Patet antecedens, & consequentia ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, ut Matth. c.16. Caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus: & Joan c.5. Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei vivi, sed Verbum manifestatio, revelatio, testimonium idem significant, & consistunt in manifestatione externa formalissimè conceptus divini, ergo, &c. Resp. istos textus nihil aliud velle dictare, nisi quòd Verbum Dei, testimoniumque significant Deum esse testem veracissimum nullo modo fallere, aut falli valentem, sicque nihil concludunt contra nos.

Instat Suarez, motivum credendi non est Deus utcumque, sed ut dicens, & revelans, ergo sub hac ratione, ut revelante, est objectum formale, & confirmatur, quia ex hac testificatione tot res creditæ habent unitatem specificam. Resp. disting. anteced. Deus ut revelans est motivum credendi formale, si ly, ut, reduplicet rationem formalem, nego, si conditionem tantùm, concedo; sic ignis calefacit manum, ut approximatus, &c. Ad confirmationem. Resp. S. Bon. *dist.*25.*q.*3. neg. unitatem objectorum materialium desumi à revelatione, sed à prima veritate summa, cui ipsa fides innititur propter se, & super omnia, ex eo enim multa credo, quia credo ipsum esse veracem, licet concurrat etiam revelatio ut applicans intellectum ad assensum, & per hoc possunt solvi omnes aliæ objectiones; quas congerunt Thomistæ adversarii, quæ nihil ampliùs probant.

QUÆSTIO III.

An fidei possit subesse falsum.

310 Ratio dubitandi est, quia cum inter objecta materialia multa sint contingentia, ob idque possint esse, & non esse ex natura sua, videtur quòd dato, quod proponatur aliquod futurum contingens, tanquàm de fide credendum eventurum, & cum possit non evenire, videtur, quòd fidei possit subesse falsum. At his non obstantibus.

Conclusio: De fide est negativa, & determinata in Concilio Trident. *sess. 6. cap. 4.* ratio à priori est, quam affert Seraph. Doctor *dist 24. q. 1.* quia habitus fidei ipsam mentem illuminat ad assentiendum veritati creditæ secundùm illustrationem divinæ præscientiæ; sed huic non potest subesse falsum, nec ipsa potest falsificari, ergo, &c. Prob. minor: Divina præscientia cognoscit res futuras independenter à rebus cognitis, sed secundùm suam divinam, & primam summamque veritatem, ob idque cognoscit certissimè non solùm futura necessaria, sed & contingentia eo modo, quo futura sunt, ergo cum fides innitatur huic primæ veritati, & præscientiæ divinæ, & ab ipsa illuminetur, & dirigatur, nec potest errare, nec decipi.

311 Objic. 1. Multa contingentia credit fides; sed contingentia possunt esse, & non esse, ergo & fidei potest subesse falsum. Resp. S. Bon. conced. majorem, ad minorem resp. quòd contingentia ut talia possunt esse, & non esse ut prævisa à Deo, & prærevelata, nego: remanent enim in suo esse contingentiæ, sed tamen futura prout sunt prævisa, & prærevelata, tuncque sunt necessaria necessitate consequentiæ, non consequentis. Contra: habitus debet conformari objecto, ergo & habitus fidei, si est de objecto contingente, debet subjacere contingentiæ, ergo & falsitati. Resp. S. Bon. concedendo antecedens de habitu dependente ab ipso cognoscibili secundùm exigentiam in proprio genere, ut patet de scientia naturali; negando antecedens de habitu non dependente à suo objecto secundùm exigentiam sui in se, sed dependente à lumine superiori causante talem habitum, qualis est habitus fidei, & quia tale lumen est certum certitudine divina, hinc negatur consequentia.

Objic. 2. Ante Incarnationem hæc propositio erat de fide: Verbum est incarnandum, & moriturum, hic articulus ab Abraham vivente credebatur de objecto contingente, quia poterat Verbum non incarnari, & Judæi poterant ipsum nolle occidere: post mortem hæc credulitas transiit in præteritum, ob idque factum est necessarium, ergo poterat talis credulitas subesse falso, vel esset necessaria, vel contingens. Resp S. Bon. ad 3. & ex doctrina, quam priùs tradidit *lib. 1. dist. 28. quæst. ult. & dist. 40. art. 2. q. 1. ad 4.* quod dictum de præterito, quantum est de ratione præteritionis, licèt prætereat in necessarium, tamen quando involuit, & connotat futurum contingens, ad quod illud præteritum ordinabatur, sic totum dictum judicandum est contingens, sicut etiam præscientia divina in se est necessaria, tamen quia est de futuro contingente, potest stare cum contingentia, quia non sunt opposita.

Objic. Demus in ultima hora antequam Christus conceptus esset, ut quis assentiretur huic propositioni. Christus est nasciturus, & deinde prosequeretur eumdem assensum talis propositionis, tunc in tali casu assentiretur objecto falso, & tamen esset idem assensus; ergo fidei potest subesse falsum. Resp. ex doctrina tradita à Seraph. *dist. 24. art. 2. q. 2.* quòd quando enuntiabilia variantur secundùm determinatam temporis differentiam substantia articuli fidei non dependet ab illa differentia temporis, cum sit quid extraneum, & accidentale habitui fidei; sic & *dist. 24. quæst 1. ad ultim.* unde si quis ignoraret conceptionem jam factam, adhuc hinc crederet, scilicet mysterium Incarnationis secundùm substantiam, quia habitus fidei est indifferens ad omne tempus: nec ei imputaretur talis variatio: si autem quis sciret, & crederet explicitè secundùm differentiam determinatam temporis, tunc usque ad punctum Incarnationis crederet benè, & per habitum fidei supernaturalis, post verò malè, & per fidem acquisitam, & humanam, qualis est in Judæis ipsam credentibus futuram: Et per hanc traditam doctrinam respondetur illi objectioni de adoratione Hostiæ consecratæ secundùm existimationem, licèt non secundùm veritatem, quia talis adoratio fit absolutè quidem secundùm regulas fidei dictantis existentiam Christi in Hostia consecrata in generali, unde in ordine ad hanc, vel illam semper involuitur conditio. Idem & dicendum in pluribus aliis casibus. v. g. in recognoscendo hunc Papam, in recipiendo ejus determinationes; nam credulitas fidei non dependet, nisi à Deo revelante ipsa dogmata in communi, &c.

Q. *An fides inclinet ad assensum magis unius articuli, quàm alterius?* Resp. negativè; ratio est, quia respectu omnium credendorum unica est ratio formalis fidei; & si assensus fieret ad unum articulum, mediante alio, jam assensus fieret cum discursu, & esset syllogisticus, & Theologicus, quod maximè verum est loquendo de articulis fidei secundùm se; nam in ordine ad nos, & ad majorem, vel minorem explicationem dantur aliqui, qui continent virtute alios articulos. v. g. Ecclesia regitur à Spiritu sancto, ex quo principio sequitur, nos debere credere omnia, quæ dictante Spiritu sancto, nobis tradita sunt.

QUÆSTIO IV.

De obscuritate, vel inevidentia, vel evidentia fidei plura resolvuntur.

Plures quæstiones involuuntur sub hoc titulo 312 nunc solvendæ; & primò an non visum sit, vel involvatur in ratione formali objecti. 2. an in objecto adsit ulla evidentia, scilicet vel credibilitatis, vel cognitionis. 3. qualis certitudo insit in fide; & an possit dici evidentia. 4. an fides, scientia, & cognitio sensibilis, & opinio possint simul stare circa idem objectum.

Not. 1. quòd revelatio duobus modis potest esse obscura, & inevidens; primo ex parte rei revelatæ; secundo ex parte Dei revelantis: ex parte rei revelatæ, quando objectum non repræsentatur evidenter intellectui: ex parte Dei revelantis, quando evidenter non constat, talem revelationem esse à Deo: cum autem omnes conveniant in hoc, quòd objectum materiale fidei debet esse obscurum, per quod differt ab objecto scientiæ; oritur

modò

modò quæſtio, an talis non viſio, ſeu obſcuritas ingrediatur rationem formalem objecti, vel an ſit tantùm pura conditio concomitans: primam partem affirmant Suarez, Turrian. aliique: ſecundam negant Scotus, & ſequaces, cum multis aliis: Not. tamen, quòd inter verum viſum, & non viſum, ſeu revelatum, hoc diſcrimen eſt, quòd viſum de ſe movet intellectum ad aſſenſum, ſed non viſum, revelatumque, cum non videatur, ideò tantùm movet intellectum ut propoſitum ab altero ad aſſenſum; unde in hoc concurrit & revelatio, manifeſtatioque teſtificantis, & obſcuritas ipſius objecti non viſi, quæ duæ rationes ſe habent, vel ut integrantes rationem formalem objecti fidei, vel concomitanter ut conditiones.

313 Not. 2. quoad ſecundum dubium, valde differre inter ſe dari evidentiam credibilitatis, & evidentiam objecti entitativè ſumpti; unde ſicut aliud eſt eſſe rem ſcibilem, aliud eſſe credibilem; ſic in propoſito, aliud eſt, eſſe evidenter verum, aliud evidenter credibile: res enim vera & ſcibilis per ſe, & ex natura ſua eſt talis per intrinſeca ſua principia, & cauſas, quia ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere, ait Ariſtoteles, intellige per cauſam, & etiam per effectus habentes intrinſecam connexionem cum cauſa, ut dicitur in Logica, res autem eſt credibilis per extrinſeca ipſius rei, nimirum per teſtimonia, & rationes extrinſecas, quæ faciunt rem credibilem; & ideo in evidenti cognitione rei res ipſa videtur in ſuis principiis, & in ſe: at in credibilitate evidenti res videtur in teſtimoniis, & rationibus externis, quæ doctrina eſt communis omnium Theologorum fundata in Philoſophia recta.

Not. 3. Quòd duplex fides datur: alia divina, alia humana; prima à Deo infunditur, & conſiſtit in lumine, quod à Deo infunditur, per quod intellectus inclinatur infallibiliter, & ſine ulla formidine ad aſſentiendum rebus à Deo revelatis ob auctoritatem infallibilem, & veracitatem revelantis: ſecunda acquiritur induſtria humana, oriturque ex aliquo motivo probabili rationis, vel auctoritatis proponentis, vel alicujus miraculi, & hæc fides humana, regulariter loquendo, prærequiritur tamquam introductoria ad divinam fidem; & per hoc patet diſcrimen inter fidem divinam, & ſcientiam; nam ad ſcientiam ſufficit intelligentia terminorum, qua habita, ſtatim intellectus trahitur ad aſſenſum, at in fide divina, regulariter loquendo, prærequiritur humana fides habita ex motivis efficacibus, quibus facilè inducitur intellectus ad credendum myſteria fidei tamquam à Deo revelata.

Not. 4. Quòd inconfeſſo eſt apud omnes Theologos, hoc diſcrimen eſſe inter ſcientiam naturalem, & fidem, quòd illa habet evidentiam, iſta inevidentiam in ordine ad objectum non viſum, ſed revelatum: conveniunt poſtea in hoc, quòd in fide major eſt certitudo, quam in ſcientia: nam hæc certitudo fundatur, tum in veracitate Dei, qui eſt prima, & ſumma veritas, tum in lumine ſupernaturali infuſo à Deo in intellectu, quo inclinatur ſine ulla formidine ad aſſenſum; ſcientia verò fundatur in lumine naturali, quod acquiritur per converſionem ad inferiora, & ad ſenſibilia per inductionem à ſingularibus; cum autem in tali converſione poſſit ſæpe cadere error; hinc non obtinet tantam certitudinem, quantam fides ex teſtimonio infallibili Dei revelantis, & ex lumine ſupernaturali infuſo: Addimus, quòd cum evidentia ſpeculationis reddat intellectum certum de objecto, obidque trahat ad aſſenſum, hinc etiam habetur ſcientia, ſed non cum omnimoda certitudine. In fide verò abeſt talis formido, & imperfectio, obidque æquivalenter poteſt dici evidens virtualiter objectum fidei, quod & nos fusè notavimus in quæſtionibus proœmialibus Sacræ Theologiæ.

Concl. 1. Obſcuritas objecti materialis fidei 314
non pertinet ad rationem formalem ipſius, ſed eſt pura conditio concomitans actum fidei: eſt Scoti, & ſequacium, Cajetani, Durandi, aliorumq. & eſt Seraphici Doctoris, qui tradens rationem formalem objecti, ſemper in hoc firmus ſtat eſſe ipſam ſummam veritatem teſtificantem, & revelantem, ſed quia teſtificationi de ſe eſt annexa obſcuritas, hinc dicitur concomitans; ſic Seraph. *lib. 3. diſt. 9. art. 2. ad 2. & diſt. 23. art. 1. q. 3. & q. 5. ad 6. & pluribus aliis locis.* Prob. quia illud tantùm pertinet ad rationem formalem objecti, quod integrat rationem formalem aſſentiendi: ſed obſcuritas non integrat rationem formalem; ergo non pertinet ad ipſam, & ſi pertinet, tantùm erit conditio concomitans; major patet ex deffinitione rationis formalis objectivæ, quæ eſt motiva potentiæ ad actum, ut de ſe patet: Minor prob. quia obſcuritas potiùs impedit, vel retardat, cum ſit negatio claritatis; ergo ſi objectum movet potentiam ad aſſenſum, id facit ut verax, & infallibile in atteſtando.

Reſp. Suarez, argumentum concludere de obſcuritate formaliter ſumpta, non fundamentaliter, ſic quia obſcuritas dicit entitatem poſitivam, in qua fundatur talis negatio claritatis. Sed contra: Obſcuritas ſimul cum fundamento non poteſt movere intellectum ad aſſenſum, niſi præconcepta, ſed ſic potiùs impedit, & retardat, quàm moveat, negat enim fundamentalem claritatem, quæ conducit ad objecti claritatem; nemo enim aſſentitur teſtimonio revelantis reſpiciens ad talem obſcuritatem, ſed ad ſummam veritatem. Dices, talem obſcuritatem eſſe eſſentialiter connexam cum objecto; ergo eſt de integritate ipſius. Reſp. neg. anteced. nempe, obſcuritatem eſſe eſſentialiter connexam objecto; eſt enim tantùm accidentaliter, ut dictum eſt; ſic negatur conſeq. ad integritatem enim objecti ſpectat tantùm id, quod poteſt movere intellectum, non retardare. Imò addit Lugo *diſt. 2. ſeſſ. 1.* obſcuritatem non ſe tenere ex parte objecti, ſed ex parte ipſius aſſenſus, ſcilicet ex modo tendendi in objectum, ſcilicet minùs claro, quàm in modo ſcientifico, quia eſt minor claritas in actu; ſic etiam S. Bon. *l. 3. d. 31. art. 1. q. 2. ad 4. & 6.*

Dices, fidem eſſe argumentum non apparentium, ex Apoſtolo, ergo involvitur in deffinitione fidei ipſa obſcuritas. Reſp. poni obſcuritatem in hac deffinitione, ut quid concomitans, non integrans, nempe (ait S. Bon. *diſt. 32. q. 5.*) ad majorem notificationem quidditatis fidei.

Dices iterum: fidem, & ſcientiam differre per evidentiam, & inevidentiam, ergo, &c. Reſp. neg. aſſumptum: Differunt enim per ſuas proprias rationes formales. Vide Maſtr. *num.* 84. qui affert aliam reſponſ.

Q. *An objectum fidei ex parte Dei revelantis involvat obſcuritatem?* Reſp. quòd non ſolùm in objecto adeſt obſcuritas concomitans; ſed etiam ex parte Dei revelantis, nempe nobis non conſtare evidenter, ſed obſcurè revelationem à Deo, propter quam

credimus articulis fidei, Deo esse factam, & in hoc conveniunt omnes, quia talis obscuritas est condiditio concomitans ipsam fidem. Et si constaret nobis evidenter revelationem factam esse à Deo, adhuc tamen objectum revelatum ferret secum obscuritatem, ut evenit in Prophetis: ratio est, quia ille assensus fundatur in testimonio revelantis, non in clara evidentia objecti: Vide Caspens. citatum, & Meldulam *num.* 86.

315 Concl. 2. Certitudo objecti fidei æquivalet, imò superior est evidentia objecti scientiæ: Est S. Bon. cit. in fundamen. 4. & à nobis probata fuit in quæst. proem. Theologiæ: ratio est, quia ponitur in scientia evidentia in objecto ex hoc quòd paritur ex principiis notis lumine naturæ, & assensus fidei innitur lumini supernaturali infuso, & infallibili, cui non potest subesse falsum, & primæ veritati revelanti, quæ sunt superiora quocumque lumine naturali, ergo &c. objectiones habes solutas in citata quæstione proemiali.

316 Concl. 3. Res fidei sunt evidenter credibiles: Est communis Theologorum, & S. Bon. *lib. 3. d. 32. art. 2. q 2.* idque elicitur ex Psal. 118. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: & Probatur. talis evidentia ex eo, quòd confirmata sunt, & testificata testimoniis, rationibus, & signis fide dignissimis, quæ omnia inducunt evidentiam claram credibilitatis. Prob. assumptum, adducendo motiva evidentiæ credibilitatis rerum fidei. 1. sumitur ex persona Christi auctoris Christianæ Religionis, qui fuit promissus in veteri testamento Legislator, & Doctor veram doctrinam traditurus, qui fuit Sanctissimus, & in confirmationem divinitatis ipsius, & doctrinæ suæ innumera patravit miracula: 2. sumitur ex qualitatibus doctrinæ nostræ fidei, quæ præcipuè sunt veritas sine admixtione falsitatis, & sanctitas, & puritas, nam omnia, quæ docet, sunt honesta, & nihil approbat, quod turpe sit, nihilque de Deo docet, quod sublime non sit, & nihil omittit, quo suos sectatores ad sanctitatem non perducat; ideo Psal. 118. dicitur: Lex Domini immaculata, &c. 3. est ejusdem doctrinæ efficacia, quæ colligitur ex modo, quo lex Christi introducta est in mundum, scilicet per homines pauperes, idiotas, &c. qui ad ipsam attraxerunt homines doctissimos, & ad renunciationem, abnegationemque sui, & omnium bonorum mundanorum. 4. est ejusdem doctrinæ constantia, quia semper intacta à principio permansit, licèt oppugnata ab Hæreticis Ethnicis, Regibus, & Imperatoribus. 5. est magna sanctitas eorum, qui Christi doctrinam perceperunt, & docuerunt. 6. Est maxima multitudo miraculorum, quibus semper illustrata fuit fides Christi. 7. ex vaticiniis innumeris Prophetarum. 8. ex constantia innumerabilium Martyrum omnis ætatis, sexus, & conditionis, qui mortem subiere ob defensionem ipsius fidei. 9. ex consensu omnium orthodoxorum in rebus fidei; & ex stabilitate Sedis Apostolicæ; nulla enim Monarchia unquàm habuit tam firmam, & stabilem successionem, sicut Ecclesia Christi.

Q. *An res nostræ sint fidei evidenter credibiles credibilitate fidei infusa, an acquisita?* Resp. S. Bon. *dist. 23. cit.* esse credibiles fide acquisita, quia testificatio Christi non est nobis evidens, sed credita tantùm fide divina; si enim esset evidens, jam non crederetur, sed necessariò sciretur, ut docet Seraph. *lib. 3. dist. 31. art. 1. q. 3. fundam. ult. & d. 23. art. 2. q. 2. per totum.*

317 Concl. 4. Fides, & cognitio sensibilis, & opinio, & scientia possunt stare simul: Est Seraph. Doct. *lib. 3. dist. 24. art. 2. per tot.* contra multos Theologos. Prob. & explicatur prima pars de cognitione sensibili, quia de S. Thoma dicitur: quia vidisti me, credidisti, sed vidit Christum, & credidit; ergo visio sensibilis potest stare cum fide: Notat tamen D. Bon. *cit. quæst. 5.* quòd quæ subjiciuntur totaliter sensui exteriori, non possunt subjacere simul fidei, sed tantùm ea, quæ secundùm unam partem subjacent sensui, & secundùm aliam latent. Prob. 2. pars de opinione, & explicatur: opinio dicitur dupliciter: uno modo assensus unius partis cum formidine, & vacillatione alterius: alio modo assensus generatus ex rationibus probabilibus, secundùm quod dicitur syllogismus dialecticus generare opinionem, & demonstrativus scientiam: primo modo non potest stare cum fide, quæ gignit assensum firmum de aliquo articulo absque ulla formidine falsitatis, & cum securitate falsitatis oppositorum, nec propter aliquam rationem supervenientem potest ad oppositum inclinari: opinio verò cum formidine alterius partis, scilicet quatenus dicit vaccillationem, & innitentiam ipsius assensus super probabilitatem rationis principaliter tamquam fundamentum, sic est incompossibilis cum fide: Opinio verò, seu assensus generatus ex rationibus probabilibus, in quo intellectus stat firmus, sic potest stare cum fide, imò valde confert, & famulatur fidei; nam tales ratiocinationes sunt in fidei fomentum quantùm ad infirmos, & oblectamentum, quantùm ad perfectos: de quo vide S. Bon. *lib. 1. in prol. q. 2.* ubi explicat mirabiliter quantùm juvat rationum probabilitas ipsi assensui fidei: & hinc est, quod Petrus Apostolus ait. 1. cap. 13. quòd debemus esse parati omni poscenti reddere rationem; tum ex S. Petro Grisologo, quia non est tutum credere sine ratione; tum quia donum scientiæ, & intellectus, & sapientiæ simul potest stare cum fide, sed quod credimus, debemus auctoritati, quod intelligimus rationi; ergo ratiocinatio potest stare cum fide; tum quia doctrina Theologiæ, in qua multæ sunt rationes probabiles, stat simul cum fide, ergo, &c.

Objic. 1. Fides est argumentum non apparentium, sed opinio facit cognoscere apparentia, ergo, &c. Resp. Ibi Apostolum excludere non omnia apparentia, sed tantùm certitudinalem visionem, ut in Beatis.

Objic. 2. ex D. Gregorio: Fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum, sed opinio generatur ex humana ratiocinatione, & credibile per fidem est suprà rationem, ergo sunt incompossibiles. Resp. D. Bon. veram esse majorem, quando fides innititur rationi, non verò quando ratio famulatur fidei, ita quòd intellectus assentit veritati fidei non propter se, sed propter amorem ejus, quod firmiter credit, quærit rationem. Dices, opinio est semper, & essentialiter cum formidine alterius partis; ergo non stat cum certitudine fidei. Resp. disting. anteced. opinio, quæ adhæret rationi propter se est cum formidine, concedo: quæ utitur ratione inserviente, & famulante fidei, & hoc est per donum intellectus, nego, &c.

Prob. 3. pars de scientia, non quidem beata, hæc enim non compatitur secum fidem, quæ fides evacuatur in gloria; sed de scientiæ habitu generato per ratiocinationem evidentem, quia non implicat,

plicat, eandem concluſionem poſſe ſimul cognoſci per ratiocinationem, & per fidem. v. g. Philoſophus per ratiocinationem evidenter cognoſcit Deum eſſe unum, & primam cauſam, & ut Chriſtianus idem credit ex revelatione Dei teſtificantis; tum quia cognitio habita per demonſtrationem ab effectu non deperditur per advenientem aliam à priori, licèt hæc ſit illa nobilior, & notior, ergo duæ cognitiones poſſunt haberi de eodem, quarum una nobilior eſt altera, & una non expellit aliam; ergo nec adeſt oppoſitio inter fidem, & ſcientiam; tum quia etiam Virgo Maria habuit duplicem cognitionem de Incarnatione Verbi, ſcilicet per fidem, & per experimentum; idem & de aliis cognitionibus habitis de Christo dicendum eſt.

Objic. 1 Evidentia, & obſcuritas directè opponuntur; ſed fides eſt obſcura, ſcientia eſt evidens, ergo non poſſunt ſtare ſimul. Reſp. conced. major. ſi eſt de eodem ſecundùm idem, nam ſcientia non poteſt eſſe fides,nec econverſo; negatur autem major, ſi ſumantur ſecundùm diverſa media ordinata ad idem objectum.

Dices: ergo evidentia,& inevidentia ſimul erunt in eodem ſubjecto ad idem objectum, quæ ſunt pugnantia ad invicem. Reſp. ſubjectum immediatum utriuſque eſſe non intellectum, ſed ipſos actus credendi, & ſciendi, qui actus non ſunt contrarii inter ſe; & licèt fidei actus habeat obſcuritatem, hæc tamen non eſt intrinſeca objecto credito, ſed extrinſeca, eò quia res creditur per alterius teſtimonium, quia dicens ut dicens, non poteſt facere rem dictam claram in ſe: Scientiæ verò actus reddit evidens idem objectum per aliud medium cognoſcendi, ſicque non opponuntur immediatè, ſed tantùm per accidens, licèt idem ſit objectum materiale, non verò formale.

Objic. 2. aſſentiri veritati propter ſe, & propter aliud pugnant ad invicem; ſed fides aſſentitur veritati propter ſe, & ſcientia propter aliud, ſcilicet propter demonſtrationem, & illationem, ergo, &c. Reſp. S. Bon. conced. majorem, ſi aſſenſus ſumatur ſecundùm idem, & eodem modo; ſic ad minorem reſpondetur, quòd fides aſſentitur veritati propter ſe principaliter, ſcientiæ verò aſſenſus eſt propter rationem minus principaliter, & veluti ſubordinatè actui fidei, quatenus ſcilicet ſcientia ſecundùm unam rationem objectum cognoſcit, & ſecundùm aliam latentem credit.

318 Q. *An aſſenſus fidei elicitatur ſolùm per ſimplicem adhæſionem ad primam veritatem; an etiam per diſcurſum?* Nota autem, quod ſimplex adhæſio ſolùm nititur primæ veritati, & teſtimonio ejuſdem tamquàm integro formali objecto aſſentiendi rei revelatæ: aſſenſus autem elicitus per diſcurſum exigit ultra aſſenſum ad primam veritatem aliud lumen naturale, vel ſupernaturale inferens unum ex alio propter naturalem connexionem unius cum alio; & hîc diſcurſus alius eſt formalis, quo primò aſſentitur præmiſſis realiter diſtinctis, & deinde concluſioni illatæ; alius eſt virtualis tantùm, quo unico tantùm actu aſſentimur objecto concluſionis, & præmiſſarum, non enim repugnat, intellectum in plura objecta ſubordinata tendere per unum indiviſibilem actum, ut patet in Libris de anima. Dubium verò non eſt de hoc virtuali diſcurſu, ſed de formali, v. g. Incarnatio facta eſt, quia Deus ſummè verax id revelavit, & dubium eſt non de diſcurſu formali ex propriis principiis, ut Christus eſt homo; ergo animal rationale, ſed ex ſola dicentis auctoritate, nam in diſcurſu ex propriis principiis certum eſt, non generari aſſenſum per fidem, ſed de diſcurſu ex ſola dicentis auctoritate, quæ eſt propria fidei. Huic dubio. Reſp. Thomiſtæ, negantes aſſenſum fidei poſſe generari per diſcurſum formalem: Communior, & verior eſt oppoſita D. Bon. Scoti, plurimorumque aliorum; ſic elicitur ex doctrina Seraph. *lib.* 3. *d.* 23. *dub.* 5. *& d.* 35. *dub.* 2. *& q.* 2. *& d.* 24. *art.* 1. *q.* 3. *& d.* 25. *quæſt. ult. & l.* 1. *prol. q.* 2. *ad* 5. & ratio eſt, quia quando creditur unum propter aliud, ſunt duo aſſenſus in intellectu, quorum unus eſt via ad alterum; at in fide unum creditur propter aliud, nempe res revelata propter revelationem, ita quòd moveatur intellectus à veritate unius tamquam objecti formalis ad amplexandam veritatem alterius tamquam objecti materialis, ergo per diſcurſum poteſt generari aſſenſus fidei: quo pacto poſſum uno actu credere omnia, quæ in Evangelio continentur eſſe à Deo revelata, & alio actu omnia illa eſſe vera propter divinam revelationem: in quo caſu intervenit unus diſcurſus, nempe intelligentia hujus poſt hoc: item & per hoc, ſive ex hoc, ſcilicet dependenter ab alio, & tandem per diverſos actus concupiſcentes antecedens, & conſequens.

Objic. SS. Patres dicere, fidem non inniti rationibus, & probationibus, ſed eſſe rationem ſimplicem non inquiſitivam; & ratio eſt, quia lumen fidei æquè inclinat in omnia fidei objecta, non autem unum propter alterum, & patet exemplo potentiæ viſivæ unica viſione tendentis in colorem,& lumen; ergo multò magis potentia intellectiva poterit tendere in rem revelatam, & revelationem. Reſp. S. Doct. SS. Patres dicere, fidem non inniti rationibus naturalibus, ſed benè rationibus per fidem elevatis,& per donum ſcientiæ, & intellectus; ſic *lib.* 1. *quæſt. proæm.* 2. *ad* 5 Ad aliud negatur abſolutè antecedens, æquè quidem lumen fidei inclinat in omnia objecta materialia à Deo revelata, priùs tamen inclinat in objectum formale, ſcilicet in auctoritatem Dei revelantis, & deinde in objecta materialia propter revelationem: ſic Seraph. Doct. *lib* 3. *d.* 23. *dub.* 5. *& d.* 25 *quæſt. ult.* Ad aliud exemplum negatur paritas de viſione luminis, & coloris, quia ambo ſunt per ſe viſibilia, at revelatio, & res revelata non ſunt æquè propter ſe credibilia primò, & immediatè, ſed unum eſt ratio credendi aliud.

Dices cum Caſpenſi: quia aſſenſus concluſionis inniteretur non in ſola Dei auctoritate, ſed etiam in bonitate illationis ſignificatæ per illam notam, ergo, &c. ſed hæc illatio eſt naturalis actus, ergo non poteſt eſſe ratio ſupernaturalis, & medium credendi ſupernaturale. R. adverſarios ipſos etiam teneri ad reſponſionem ejuſdem difficultatis, cum admittant diſcurſum virtualem per unicum actum, in quo involuitur talis illatio: nos autem reſpondemus etiam, talem illationem, licèt ſe teneat formaliter ex parte noſtri intellectus, tamen involui virtualiter in ipſis objectis tamquam conditionem, & quid ipſis annexum, non quidem ut motivum (quod) efficienter movens, ſed (ut quo) quia eſt, quæ applicat motivum, quod, ut poſſit efficienter movere, unde illa connexio cum illatione non cognoſcitur naturaliter, niſi forſan à poſteriori, ſed ex lumine fidei ſaltem principaliter; ex hac ratione infertur, quòd in tali diſcurſu non concurrunt duo habitus diſtincti, ut evenit in ſcientiis naturalibus, ſed unicus, quia eſt unica ratio formalis credendi tam in antecedente, quàm in conſequente;

assentimur enim conclusioni propter revelationem, & revelationi propter se; sic S Bon. *d.23.dub.5.*

Dices: talem discursum, ad hoc ut sit bonus, debere uniri illi maximæ, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; sed revelatio mysterii creati est creatura, & ipsum mysterium; ergo non potest identificari cum divina veritate, ergo & idem dicendum de ipso discursu, cum sit quid creatum. Resp. non esse necessariam identitatem realem extremorum cum tertio, & medio in verificanda illa maxima, ut patet in pluribus exemplis. v. g. omnis homo est coloratus; Petrus est homo, ergo est coloratus, sed sufficit, ut extrema habeant aliquam connexionem cum medio, sicut habent omnia credibilia cum veracitate divina.

QVÆSTIO V.

An fides sit unus habitus specie, & an practicus, an speculativus?

319 QUoad primam partem respondent omnes Theologi cum Seraph. *lib.3. dist.23. q.3.* esse unicum specie, quia in omnibus articulis est unica ratio formalis credendi, nempe ipsa prima, & summa veritas, & veracitas Dei, ob quam assentitur intellectus articulis fidei.

Dices: actus fidei sunt specie distincti, ergo & habitus, qui specificantur ab actibus. Resp. 1. negando antecedens, ob rationem adductam. 2. etiam dato hoc, negatur consequentia, quia sicut potentia, ita & habitus possunt producere actus specie diversos; unde illa maxima debet intelligi: habitus specificari per actus extrinsecè, & à posteriori dumtaxat, & ob id in eo præsertim sensu, quòd si potentiæ habent diversos actus specie distinctos, rectè ex diversitate actuum colligitur à posteriori diversitas potentiarum, non tamen quòd quotiescumque actus sunt diversæ speciei, debeant quoque potentiæ, à quibus proveniunt, esse diversæ speciei; sic D. Bon. *lib.2. d.24. q 1. ad 3. & l.4. d.14. q.2.* addit etiam intelligi de actibus, qui habent completionem ab objectis diversis; sic *lib.1. d.23. art.1 q.3. ad 1. & lib 3. dist 9. art.2. q.4. & lib.2. d.7. q.1. ad 5. aliisque locis, &c.* Quoad 2. partem communiter recentiores dicunt, fidem esse habitum practicum simul, & speculativum, sed Seraph. *lib.3. dist.23. art 1. q.1.* & Scotus docent, esse habitum practicum, non verò speculativum; pro cujus opinionis intelligentia.

320 Not. est (ait Seraph.) quòd intellectus fit practicus extensione, scilicet se extendendo ad voluntatem: contingit autem extendi tripliciter, vel per conjunctionem sui cum voluntate, à quo inclinatur & imperatur, facit enim hominem credere Deo in his, quæ non videt, non enim crederet, nisi vellet, & hoc est essentiale fidei: vel 2. per conjunctionem sui cum voluntate, ad quam inclinat, & hoc est proprium fidei formatæ, quæ existens in intellectu, per imperium voluntatis credit in Deum, in ipsum tendendo per amorem: vel 3. per conjunctionem sui cum operatione voluntatis, quam dirigit, & regulat, & hoc est proprium fidei perfectæ; quæ existens in intellectu, jam per imperium voluntatis, mediante voluntate dirigit opus; hinc est, quòd cum fides existat in libero arbitrio tangens, seu illuminans intellectum, prout imperatur à voluntate, & prout ipsam dirigit in opere, per consequens spectat ad virtutem omnino practicam, cum non respiciat intellectum omnino purè, sed in quantùm habet affectionem concomitantem, simulque quo ad opus consequentem: & per hoc probata remanet hæc conclusio; est enim hæc doctrina certissima, & ineluctabilis: cum enim certum sit, fidem ex natura sua movere voluntatem, & ab ipsa imperari; sequitur, quòd sit practica; tum quia licèt scientiæ speculativæ possint imperari à voluntate, id eis tamen est per accidens: at in practica est essentiale, quod imperatur à voluntate, & quòd dirigat in praxi voluntatem; sed talis directio competit fidei in omnibus veritatibus, quas proponit; manifestant enim Deum sub ratione finis ultimi, & modum tendendi in illum; id enim est credere in Deum, vitando malum, & prosequendo bonum, ergo simpliciter est practica: quod verò non possit esse simul speculativa, & practica, probatur, tum quia verificarentur contradictoria à parte rei; tum quia deberet assignari duplex objectum adæquatum eidem habitui; tum quia ratio communis superior fidei deberet attingere adæquatè secundùm rationem formalem utrumque habitum, quod est impossibile, ut patet de animali in ordine ad rationale, & irrationale.

Dices: fides elicit aliquas cognitiones speculativas puras, ut Deus est Trinus, alias practicas, ut Deus est colendus: ergo continet utramque rationem. R. ex doctrina superiùs allata negando, quòd detur objectum in fide merè speculabile, & non formaliter, vel virtualiter directivum ad praxim tamquam ad finem proprium fidei; sic negatur consequentia.

Q. *An quis possit esse certus, vel certò cognoscere, se habere fidem?* Prima opinio negat, aliquem certò posse cognoscere sine speciali revelatione divina se habere habitum fidei supernaturalem, nec actum credendi supernaturalem, & infallibilem, qui in sola revelatione divina per fidem credita innitatur, nec assensum fidei supernaturalem, cui subesse nequeat falsum, nec etiam ista posse sciri certitudine Theologica, quæ oritur ex duabus præmissis, quarum una est certa certitudine fidei, altera certitudine evidenti; sic Scotus, & Scotistæ, plurimique recentiores apud Mastrium *n.67.* 2. opinio est Cajetani, Banez, Medinæ, D. Thom. opposita est, estque etiam Seraph. D. *d.23. dub.4.* 321

Et prob. quia, ut diximus *in q.2. ad 4.* notabile, fides est talis, quòd per experientiam, & usum potest cognosci, cum talis usus sit in potestate animæ, ergo per experientiam potest quis cognoscere, an habeat fidem, & in hoc convenit etiam Scotus *d.23. q. unic. §. sed quid dicit*; tum quia quis potest ex pio affectu velle assentiri mysteriis fidei, sed talis assensus non potest esse aliter, quàm supernaturalis, ergo, &c. sic arguit Beccanus: addimus tamen, quòd hoc verum est loquendo de fide in communi, nempe posse aliquem evidenter credere, se habere aliquem actum credendi, quo assentiamur articulis fidei propter revelationem divinam, & in hoc conveniunt omnes; loquendo verò de cognitione directa habitus, & actuum supernaturalium probabiliùs est dicere, non posse evidenter sciri, inesse in nobis tales habitus, vel actus supernaturales; vide Becanum *c.11. q.5.* & Mastrium loco citato.

QUÆSTIO

QUÆSTIO VI.

An fides omnibus hominibus, & omni tempore fuerit necessaria ad salutem?

322 QUæstionis hujus solutio supponit ea, quæ à nobis tradita fuere in lib. 1. de Prædestinatione: an omnibus hominibus Deus providerit auxilia necessaria ad salutem: In qua Theologi distinguunt de necessitate vel medii, vel præcepti: prima est, ob quam sine tali medio de potentia ordinaria Dei nullus potest salvari, qualia sunt Sacramentum Baptismi in omnibus, & Contritio in adultis: 2. est quando aliquod præceptum datum est necessariò ad salutem observandum, cujus tamen obligatio cessat, adveniente aliquo impedimento: & hinc discrimen oritur inter has duas necessitates, quòd illa, quæ priori modo sunt necessaria, nullo modo omitti possunt sive culpabiliter, sive inculpabiliter: 2. verò omitti non possunt culpabiliter, benè autem inculpabiliter, quando non sunt in potestate nostra: quæritur ergo. An fides fuerit necessaria utroque modo, an unico tantùm, & quomodo; an scilicet fides habitualis; an actualis; an implicita; an explicita. Pro solutione: primò notandum quòd fides explicita, & implicita differunt: explicita est, quæ terminat actum ipsum credendi: implicita est quando una veritas continetur in altera tanquam in universaliori propositione, vel quando quis credit aliquid paratus credere alia, si ad sui notitiam pervenerint, vel si sunt necessaria: Ex quo fund. oritur discrimen inter Theologos: Nam Vega in Trident. solus asserit in statu naturæ lapsæ per solam cognitionem naturalem potuisse salvari homines, non habentes aliam majorem cognitionem, & per consequens etiam verè loquendo de hominibus, qui numquam Evangelium audierunt, nec Magistros docentes ea, quæ sunt fidei; quæ opinio ab omnibus rejicitur tanquam erronea, & Pelagianis favens. Alii Theologi apud Lugo *dist.* 12. *de fide sect.* 1. docent, non esse necessariam absolutè fidem strictè sumptam, scilicet qua credatur aliquid propter testimonium Dei revelantis, sed sufficere notitiam de eisdem objectis comparatam ex creaturis ostendentibus nobis bonitatem Creatoris, & honestatem virtutis, quam notitiam dicunt esse supernaturalem in actibus respicientibus finem ultimum hominis, & honestatem virtutis; de qua opinione Ripalta fusè t. 1. de ente supernaturali *d.* 20. *&* 63.

Not. 2. quòd maxima concertatio est inter Theologos; an possit dari ignorantia invincibilis in rebus necessariis ad salutem, & cum certè possit dari, an in tali casu quis moriens in tali ignorantia damnaretur, ob ignorantiam privativam, sed positivam, & ob alia peccata. Not. 3. & suppon. quòd à nobis traditum est in disp. de Providentia Dei, Deum ipsum providisse omnibus cujuscumque conditionis, status, & ætatis auxilia sufficientia ad salutem, sed tamen inæqualiter; intra tamen sphæram auxiliorum sufficientium, & ut advertit Seraph. *dist.* 25. *cit.* in quocumque tempore semper adfuerunt Præcones de verbo Dei docentes, quæ sunt necessaria ad salutem.

323 Concl. 1. Post lapsum primi hominis fuit in omni tempore fides necessaria necessitate medii ad justificationem, & salutem; ita ut nullus post lapsum Adæ poterat justificari, & salvari absque fide supernaturali: parvulis quidem absque fide habituali, adultis verò etiam absque fide actuali: est communissima inter omnes Theologos Catholicos, uno excepto Vega supra citato, quæ opinio ab omnibus rejicitur, ut dictum est tanquam temeraria, & parum tuta; sic etiam Seraph. *l.* 3. *d.* 25. *a.* 1. *q.* 3. qui licèt instituat quæstionem de fide Mediatoris, infert postea à fortiori talem necessitatem quo ad fidem in communi: De hac veritate habentur plures textus Sacræ Scripturæ præcipuè ad Romanos; & ad Galatas, & Marci ult. ut videre est apud Theologos: de fide habituali probatur; quia ad hoc, ut anima sit Deo accepta, exigit charitatem ipsam ornantem, & perficientem quo ad voluntatem; ergo exigit in intellectu habitum supernaturalem; sunt enim istæ potentiæ inter se ordinatæ in actibus suis, & hoc de lege ordinaria Dei; & hinc est, quòd Deus pro parvulis instituit remedium pro remissione peccati originalis in omni statu, in lege naturæ oblationem à parentibus faciendam Deo, in lege scripta Circumcisionem, & in Evangelica Sacramentum Baptismi, ut meritis Mediatoris possent salvari. De fide etiam actuali in adultis probat S. Bon. cum aliis, quia adulti sine meritis non possunt salvari; sed meritum in actu virtutis consistit, sed actus virtutis non potest dari sine actu fidei; ergo, &c. Tum quia homo rationis capax debet cognoscere finem propter quem operatur, qui est supernaturalis; ergo requiritur cognitio supernaturalis per fidem.

Dices: Potest dari ignorantia invincibilis: ergo tunc quis poterit salvari. R. 1. neg. antecedens, cum Deus velit, omnes salvos fieri, etiam providit omnibus necessaria media ad salutem, ideo illuminat omnem hominem, quantùm est de se; & si homines non illuminantur, id est ob nostrum defectum: vide quæ tradit Seraph. *l.* 1. *d.* 46. *q.* 1. Becanus *c.* 12. *q.* 1. & quæ à nobis in disp. de divina providentia, & prædest. & Casp. de fide *d.* 3. *sect.* 4. *& seq.* & Lugo de fide *d.* 12. *sect.* 1. Mastrium *à n.* 385. nemo enim ullam excusationem adducere poterit super suam damnationem.

Et si iterum instas: Quid si in aliquo daretur ignorantia invincibilis, sicut de facto potest dari? & iste nullum aliud peccatum mortale haberet: damnareturne, an salvaretur? R. communiter Theologi, quòd verè potest dari; & si talis damnaretur, id esset ob alia peccata, & in casu, quo nullum aliud peccatum haberet, Deus ex sua providentia generali, & particulari ipsum illuminaret vel per se, vel per Angelos, vel per alios: unde ait D. Bon. *d.* 25. *cit.* Deus semper in omni tempore providit sui Verbi præcones sufficienter, ad hoc ut nullus excusationem haberet; tum quia semper excitat, & illuminat homines ad observantiam legis naturæ, qua data, tribuit, & sua providentia alia majora auxilia, donec perveniat ad salutem.

Concl. 2. Fides de Deo Creatore, & remuneratore, & maximè de Christo mediatore fuit semper necessaria post lapsum primi hominis implicita quidem in multis ante Evangelii promulgationem, explicita post ipsius publicationem; licèt etiam valdè probabile sit sufficere in multis implicitam. Est communis inter Theologos; & S. Bonav. *l.* 3. *d.* 21. *q.* 2. *&* 3. Pr. & explicatur concl. & primò, quòd fides fuerit necessaria de Deo Creatore, & remuneratore habetur testimonium Apostoli Hæbr. c. 2. Oportet accedentem ad Deum credere, quia 324

est

est; hoc enim ad intellectum fide illustratum pertinet, & quia remunerator est, nempe quia Deus est unus, verus, & increatus, omnipotens, & habens esse à se; etsi alio modo crederetur, quid aliud à Deo crederetur; ratio est, quia ad fidem pertinet cultus, & religio exterior, quibus profitemur, Deum esse hominem Conditorem, & Dominum, & hinc credendum Deo placere virtutem, & vitia odisse, & simul animæ immortalitatem.

Nota tamen, quòd est necesse addere credulitatem etiam Mediatoris modo, mox dicendo: Addimus, ante Chr sti Adventum non erat necessarium ad justificationem credere explicitè necessitate medii mysterium Trinitatis, aut Christum futurum Deum verum, & hominem & sua morte liberaturum nos à peccatis, sed suffecisse fidem implicitam horum mysteriorum; sic Apostolus docet ad Ephesios 3. unde solùm aliquibus fuit revelatum; quòd verò fides implicita suffecerit, probatur, quia multi laborabant ignorantia invincibili, solùmque eis sufficerat credere aliquem Mediatorem daturum, ut ejus meritis Deus nos liberaret. Sic S. Bon. *dist.*25. *quæst.*2. *&* 3. *& dub.*1. Quod verò post promulgationem Evangelii sit necessaria fides explicita de Christo Deo, & homine mediatore probatur, ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ, ut Joan. 17. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum, in quibus verbis ponitur eadem necessitas fidei de Deo vero, & de Jesu Christo: & Marc. ult. Prædicate Evangelium, &c. Addimus tamen etiam probabile, & pium valde dicere, in multis sufficere fidem implicitam de Christo Mediatore, quòd & probat Seraph. D. citatus, & plurimi Theologi, licèt communiter hæc ut plurimum non sufficit (ait Seraph. D.) vide Caspensem *d.*3. *sect.*6. ubi docet, quænam sunt scienda, & credenda explicitè à Populo Christiano; ubi etiam explicat in quibus casibus possit quis se occultare esse Christianum, & in quibus non liceat.

QVÆSTIO VII.

An credibilia sint per certos articulos distinguenda, & an secundùm temporis successionem creverint?

325 PRimo not. ex Seraph. *lib.*3. *dist.*14. *art.*2. *q.*1. *&* 2. quòd hoc nomen Articulus dicitur ab arctando, & hoc dupliciter debet intelligi, scilicet activè, & passivè: activè quia alios arctat, ut evenit in articulis corporis, qui arctant, & uniunt alia membra, unde est principium distinctionis, & discretionis; passivè dicitur, quod in se est arctatum, terminusque resolutionis; hinc est, quòd in scientiis articuli dicuntur utroque modo activè, & passivè, nempe prout sunt termini resolutionis restringentes illas materias in unum, & pro ut sunt principium distinctionis, & discretionis, ideo & translatum est rectè nomen articuli ad fidem nostram, cui subserviunt omnes aliæ scientiæ; & quia fides dicit plurium cognitionem, & illa cognitio terminata est, & distincta, necesse est circa objectum fidei, quod est creditum, reperiri aliqua, ad quæ reducantur omnia credenda tanquam ad illa, in quibus stet resolutio omnium credendorum, & tanquam ad illa, quæ sunt principia directiva in omnibus, quæ creduntur, & illa sunt, quæ principaliter fides credit, & quæ propriè sunt objectum fidei: Et hinc Ricardus definivit articulum fidei ab hac duplici proprietate tali pacto: Articulus est veritas mentis indivisibilis de Deo, arctans nos ad credendum. In hoc autem, quod dicitur veritas mentis indivisibilis de Deo, insinuatur, quòd terminus est resolutionis, in quem omnia credenda resolvuntur. In hoc verò, quòd subditur, arctans nos ad credendum, insinuatur, quòd est principium discretionis: arctat enim sicut regula directiva respectu omnium credendorum: S. verò Isidorus assignat hanc aliam descriptionem: Articulus est perceptio divinæ veritatis tendens in ipsam: quæ duæ definitiones differunt principaliter, quòd superallata competit fidei, prout consideratur in se generaliter; ista autem competit tantùm fidei formatæ, quia talis perceptio veritatis inducit intellectum ad credendum, & voluntatem ad tendendum in Deum: Et hinc sequitur, quod articuli fidei dicantur speciales veritates, quæ rursus non distinguuntur, & diriguntur in alias magis speciales; & ideo ipsis articulis admissis, tota doctrina fidei copulatur.

Not. 2. quòd disquirunt Theologi, quodnam sit illud, quod constituit propositionem articulum fidei? cui communiter respondent cum Seraph. D. *cit.* quòd articulus fidei est, veluti in aliis scientiis, principium, & elementum, seu maxima, & fundamentum, ad quod cætera reducuntur tanquam ad caput aliorum credendorum: quo supposito, adhuc quærunt, an ita credantur articuli, ut mediantibus illis, cætera sint credibilia. Aliqui negant, ex eo quòd æquè in omnibus reperitur eadem ratio formalis assentiendi, alioquin fides esset discursiva; sic Caspensis cum aliis *d.*1. *sect.*12. quam rationem tamen supra rejecimus *q.*4. nam non implicat dari talem discursum vel virtualem, vel formalem, undè admittit Seraph. D. talem dirigibilitatem, & resolutionem aliorum credendorum in articulos; sic Seraph. *dist.*25. *q.*1.

Concl. 1. Articuli fidei definitio, seu potiùs des- 326
criptio supratradita est rectè assignata; ratio est, quia in ipsa realiter describitur ejus quidditas, & traditur simul nominis ethimologia: prob. anteced. quia describitur passivè, & activè, nempe pro ut est terminus resolutionis passivæ, ad quem arctantur, & resolvuntur omnia credenda: est & principium activè distinctionis, & directionis omnium credendorum: Addimus 2. definitionem rectè competere fidei formatæ, ut supra probatum est.

Objic. 1. Objectum fidei est verum complexum, ergo non est veritas indivisibilis, ut dicitur in definitione: & confirmatur, quia veritas circa Deum est indivisibilis, ergo, &c Resp. S. Bon. quòd indivisibile dictum de articulo non privat omnem divisionem, sed illam, quæ consistit in credibilium distinctione, articulus enim non distinguitur in alios articulos, cum sit velut principium aliorum. Resp. 2. indivisibilitatem stare quidem intactam in ordine ad Deum in se, non verò pro ut in intellectu percipitur cum complexione; hinc potest stare indivisibilitas in ipsa veritate, quæ est una, & divisio in intellectu, undè ad confirmationem resp. veritatem esse unam in se, sed multiplicem comparatam ad attributa.

Objic. 2. dantur aliæ veritates credendæ, quæ non sunt de Deo, sed de re aliqua creata, ut est resurrectio corporum, ergo articulus generaliter non est indivisibilis veritas de Deo. R. Serap. D. dist. ant. articulus est etiam de aliqua re creata immediatè, concedo,

concedo; mediatè, & virtualiter, nego; nam credere resurrectionem mortuorum est credere Deum resuscitaturum omnes homines.

Objic. 3. Articulus non potest arctare intellectum ad credendum, nihil enim, quod est supra rationem, & occultum rationi potest arctare rationem ad credendum, cum sit supra eam, tum quia credere subjicitur imperio libero voluntatis; ergo non potest arctare rationem. Resp. talem arctationem fieri in intellectu non quocumque, sed fide informato, hinc negatur non posse arctare rationem, ad aliud respond. arctationem istam opponi non libertati, sed ambiguitati, & vacillationi, &c.

327 Concl. 2. In Symbolo Apostolico sufficienter ea omnia continentur, quæ opportunum est credere quo ad ea, quæ principaliter credenda sunt, sic S. Bonav. *d.25.q.1.* cum communi. Ut probet Seraph. D. hanc conclusionem supponit, quòd, sicut in aliis scientiis sunt quædam antecedentia, ut sunt principia communia, & dignitates, quædam sunt principia scientiarum, ut sunt principia demonstrationum, quædam consequentia, suntque conclusiones illatæ; sic in doctrina fidei antecedentia sunt illa, quæ sunt de dictamine juris naturalis: principia sunt illa ad quæ fidei illuminatio dirigit directè, & ista dicuntur articuli; consequentia sunt illa, quæ ex istis articulis possunt elici, & ad illos articulos habent reduci; Conclusio verò est de principiis, & articulis fidei; & probatur sufficientia ex duplici capite: Primò ex parte ipsorum Auctorum componentium: 2. ex parte ipsorum articulorum constituentium Symbolum; & 1. ex parte Auctorum, qui fuerunt duodecim Apostoli, qui habuerunt perfectam fidem omnium credendorum, & super quos una Ecclesia fundata est; ergo per ipsos convenit etiam tradere totam fidem Ecclesiæ universalis: De hac parte vide S. Bon. *loc. cit.* 2. ex parte ipsorum articulorum probatur sufficientia, quia traduntur articuli spectantes ad credenda omnia de Divinitate secundùm se, & divinitate unita humanitati; ut de se patet, & clarè probat Seraph. D. nec enim adest aliqua propositio de fide, quæ ad aliquem istorum articulorum non reducatur, & sub quibus non contineatur.

328 Q. *Quare addita sunt alia symbola, nempe Concilii Nicæni, & Divi Athanasii.* Resp. Seraph. D. *loc. cit. ad 5.* Quòd ista fuerunt addita ad majorem explicationem fidei, & ad hæresum confutationem: Symbolum autem Divi Athanasii maximè fuit ordinatum contra errorem Arii, & ideo maximè exposuit unitatem essentiæ, & distinctionem personarum, & quomodo Christus est æqualis Patri secundùm divinitatem, minor secundùm humanitatem: Symbolum autem Concilii Nicæni æditum fuit ad confutationem multimodarum hæresum pullulantium, ideo adduntur aliqua ad majorem expressionem, per quæ possint hæreses confutari; hinc ad confutationem hæresis Manichæorum dicitur non tantùm: Credo in Deum, sed in unum Deum; nec tantùm Creatorem Cœli, & Terræ, sed etiam visibilium, & invisibilium: Ad confutationem hæresis Arianæ non tantùm dicitur credo in Jesum Christum Dominum nostrum; sed etiam additur: & in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum usque ibi, per quem omnia facta sunt: Ad confutationem hæresis Eutychii & Nestorii, qui dixerunt, Spiritum sanctum esse servum Patris, & Filii, ideo dicitur: Credo in Spiritum S. & additur: Dominum, & vivificantem, qui ex Patre; & Latini addiderunt: Filioque; propter errorem Græcorum: Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, &c. & additur: Qui locutus est per Prophetas: Ad destructionem errorum aliquorum, qui dixerunt Prophetas locutos fuisse sicut phanaticos; sicque patet, quod symbola ista non superfluunt, nec tamen Symbolum Apostolorum fuit diminutum, quia sufficienter in illo continetur fides quantùm ad propriam, & simplicem fidei confessionem, & tamen opportunum fuit aliquid addi ad explanationem propter confutandam hæresum pravitatem.

Q. *Quodnam sit majus istorum symbolorum, & cur differenter recitantur in Ecclesia?* R. Seraph. D. Symbolum Apostolorum dici majus cæteris, non quantùm ad continentiam verborum, sed quantùm ad continentiam articulorum, & ad auctoritatem componentium; nam in Nicæno non exprimitur articulus de descensu ad inferos, quia tunc non aderat error circa ipsum; & quia majoris auctoritatis fuit illud Apostolorum, qui erant fundamentum totius Ecclesiæ; & hinc est, quòd istud recitatur quotidie in Ecclesia bis de manè, & serò, & submissè; tum quia recitatur ad propriæ conscientiæ securitatem, tum quia est fundamentum bonarum operationum, ideò in manè recitatur; & ut sit scutum ad victoriam tentationum, ideo in serò recitatur. Alia recitantur de die tantùm; Symbolum autem Athanasii recitatur hora prima, aliud Nicænum in Missa, quia tunc magis populus convenit, & dicitur post Evangelium, ut ostendatur esse tantùm de Evangelii veritate, & ante communionem, ut per ipsam fidem præparentur corda fidelium ad dignam Corporis Christi susceptionem vel Sacramentalem, vel spiritualem.

Concl. 3. Fides quantùm ad substantiam credendorum non crevit successione temporum, sed tantùm quo ad explicationem majorem: Est communis Theologorum cum Seraph. *d.25.a.1.per tot.* explicatur, & probatur prima pars; quia semper fuit necessaria fides de Deo Auctore naturæ, & gratiæ; sed in hoc articulo, tanquam in principio universalissimo implicitè continentur cætera omnia, ergo, &c. Pr. 2. pars, & patet, quia in processu temporis nova, & nova explicatio articulorum fidei facta est à Spiritu S. & Ecclesiæ revelatio secundùm opportunitatem temporum; unde infert Seraph. D. *cit. q.2.* quòd etiam crevit successivè lumen quo ad explicationem fidei, quòd de se patet continua experientia. Infert, *& ibid. q. 3.* quòd certitudo articulorum in ordine ad veritatem summam dictantem numquam crevit, quia eadem formalis certitudo semper extitit intacta; quo ad certitudinem verò in ordine ad intellectum assentientem fidei crevit, tum propter clariorem cognitionem, tum propter majorem discretionem: Illa enim fides est certior, quæ apertiùs cognoscit, & devotiùs acquiescit; primum patet, quia successu temporis major cognitio indita est in sequentibus, quàm in primis credentibus: & secundum, quia magis roborati, & constantes fuerunt, & sunt sequentes, Vide S. Bon. *cit. q. 3.* 329

QUÆSTIO VIII.

An detur aliqua regula fidei, ubi de auctoritate S. Script. Ecclesiæ, Summi Pontificis, Conciliorum, &c.

330 QUia (ut ait S. Bon. *in Brevil. p. 5. c. 7.*) Veritas supra rationem, vel præter rationem est veritas non visa, sed magis occulta, & ad credendum difficillima; hinc est, quòd, ad hoc quod credatur firmiter, necessaria est illustratio veritatis animam elevans, & testificatio auctoritatis animam firmans; primum fit per fidem infusam; secundum per scripturam autenticam, quorum utrumque est à veritate summa per Jesum Christum, qui est splendor, & Verbum; & Spiritum S. qui veritatem ostendit, & dicit, & credere facit; hinc est, quòd auctoritas præbet fulcimentum fidei, & fides assentit auctoritati; ideo ut rectè ista duo habeant suum effectum, requiritur aliqua regula certa, cui innitatur & fides, & auctoritas in ordine ad credenda, ad hoc ut fides certa, & permanens resideat in Ecclesia; quæritur ergo quænam sit ista regula, scilicet an sit S. Script. an Ecclesiæ auctoritas, an aliquid aliud, v. g. traditio. Pro solut. quæst.

Not. 1. ex D. Bon. *in Op. Brevil. proœm. & p. 5. c. 7. & in Op. Princip. S. Script. & alibi sparsim,* quòd cum inconfesso sit apud omnes Theologos Scripturam S. esse stam regulam animam firmantem in fide, ad hoc ut cognoscatur quænam sit ratio formalis, & quidditativa S. Script. oportet explicare, quomodo se habeat scriptor sacer circa illam, pro cujus elucidatione advertendum, quòd Spiritus S. dupliciter solet assistere intellectui, ne erret circa aliquam veritatem; primò per modum directionis, quod tunc contingit, quando mediçante labore, industria, & discursu nostro aliquid indagante Spiritus S. assistit nostræ diligentiæ, ne deviet à veritatis via, sed dirigit nos, & se habet ut Pedagogus, non tamen ponit immediatè in nostro intellectu voluntatem ipsam, nec tribuit verba, quibus illam explicemus, sed supposita nostra industria, suggerit nobis ipsam veritatem, ut contingit, quando Concilia, & Summi Pontifices volunt decernere aliquid ad fidem, vel mores pertinens; tunc enim assistit Spiritus S. non quidem immediatè influendo in illis ipsam veritatem, sed dirigendo illorum laborem, & industriam, ne aberrent à scopo veritatis. Alio modo solet Spiritus S. assistere immediatè influendo menti alicujus sine ulla sua industria, & discursu, non solùm sententias ipsas, & propositiones mentales inspirando, sed etiam suggerendo, & dictando singula verba, quibus exprimantur; quare ut sacer scriptor S. Script. constituatur, non sufficit directio Spiritus S. primo modo, sed secundo modo, & hæc est ratio, quare decreta Conciliorum, & Summi Pontificis non reputantur S Script neque ipsi sunt sacri scriptores, etiamsi infallibilia, & certa sint ea, quæ continentur in suis decretis de fide. Unde ad hoc, ut quis sit sacer scriptor duo requiruntur; 1. assistentia Spiritus S. per modum influxus, nempe, ut in intellectu ponat mentales propositiones, & alterum est, ut in ore, in scripto, vel in verbis ipsa verba dictet: dicit enim Christus Joan. 14. *Ipse vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*, & Matth. 10. *Non enim vos estis, qui loquimini, &c.* unde (ait S. Bon.) S. Script. dicitur os Dei, lingua Dei, calamus Spiritus S.

Not. 2. Quòd loquendo de traditionibus Ecclesiæ traditio potest sumi tripliciter primò lata quadam significatione pro qulibet doctrina, sive scripta, sive voce transfusa: 2. magis strictè pro doctrina primò voce solùm transfusa, postea Scripturæ mandata: 3. strictissimè pro doctrina sola voce tradita, & transfusa in posteros sine scriptura, & ista alia est traditio divina, scilicet à Deo instituta, quæ ob id immutabilis est, v. g. in Ecclesia esse S. Script. Librosque Canonicos, Sacramenta, aliaque iterabilia, alia non, adorationem Reliquiarum, Invocationem Sanctorum, Mariam intactam ab omni peccato actuali, suffragia Defunctorum, & similia: Alia traditio est Apostolica, scilicet ab Apostolis instituta divino spiritu ductis, & istæ sunt juris humani, ob idque mutabiles, ut jejunium Quadragesimale, celebratio aliquorum Festorum, ritus plures Ecclesiæ: Alia est Ecclesiastica ab Ecclesia instituta, à Summis Pontificibus, vel Conciliis, de quibus possunt videri Bellarm. Gaud. *t. 1. d. 3. proœm.* Caspens *d. 2. s. 2.* aliique. Certum autem est, & de fide dari traditionem in Ecclesia, quæ est certa regula fidei, & definitum fuit in Concil. Trid. *sess. 4.* aliisque Conciliis, quæ omnia supponit, & tradit S. D. *infrà cit.* 331

Not. 3. Quòd potissima difficultas in hac quæstione, in qua supponitur, quòd supra probatum est, objectum fidei formale esse Deum, ut summam veritatem revelantem, est, an detur aliquod principium, in quod ultimò fit resolutio nostræ fidei, nempe quænam in homine fideli sit potissima ratio credendi; sicut enim scientia qualibet resolvit suas conclusiones in aliqua prima principia, ex quibus tanquam ex radice prodeunt, ita investigamus primam radicem credendi; an scilicet resolvenda sit in fidem humanam acquisitam, quod ab aliquibus attribuitur Scoto, sed falsissimè; an in aliquod principium supernaturale, ut fatentur omnes Catholici; sed tamen in hoc variant Doctores; nam difficile valdè est evitare circulum vitiosum, v. g. si quis interrogatur, quare credit Incarnationem? Respondebit quia Deus revelavit: Rursus si interrogetur cur credit revelationi? Respondebit, quia Deus mentiri non potest, estque summè verax: Rursus si interrogas, cur credit esse veracem? Respondebit, quia Deus revelavit se esse veracem; en circulus: Rursus revelatio talis est obscura, ideo non potest sui assensum parere; ergo oportet, ut reducatur in fidem humanam, nempe: ideo credo, quia revelatur ab Ecclesia, quæ mihi dicit id à Deo sibi revelatum fuisse: cum ergo credulitas reducatur in Deum veracem, qui tamen cum mihi sit inevidens, debet fieri evidens revelatio per aliquid aliud; & si per aliam revelationem, dabitur processus in infinitum: Hic igitur sistit totus nodus difficultatis, circa quam varii varia dicta excogitarunt, sed potior, clarior, & magis adæquata est responsio nostri Caspensis *d. 1. sect. 3.* cum quo conveniunt Lugo, Mastrius, Gaud. aliique plures. 332

Not. 4. ex eodem Caspensi *n. 14.* quòd sicut in aliis scientiis, quando investigatur id, in quod resolvitur conclusio, potest quæstio procedere de quatuor generibus causarum, quia id, in quod ultimò resolvitur conclusio; potest inducere rationem causæ materialis, vel formalis, vel efficientis, vel finalis, v. g. si quæratur in quod ultimò resolvatur 333

vatur

vatur conclusio habita per demonstrationem, non respondebitur sufficienter assignando unam tantùm rationem, sed assignando omnes rationes causarum, quia omnes concurrunt; sic conclusio resolvitur in medium tanquam in causam formalem assentiendi: In præmissas simul concurrentes cum medio tanquam in efficientem: In præmissas ut constantes subjecto, & prædicato ut in materiam: In notitiam verò vel speculativam, vel practicam, ut in finem. Talique modo respondendum quæsito huic: Quid est, in quo ultimò fides resolvitur: Quia potest esse quæstio de causa quadruplici, & tali modo resolvendum est diversimodè quæsitum, ut patebit in conclusionibus.

334 Concl. 1. S. Script. est infallibilis regula fidei: Est de fide, & determinatum in pluribus Conciliis, & in Trident. *sess.* 4. & id sparsim docuit S. Bon. tum *in Opusc. Princ. S. Script. tum in Brevil.* Prob. autem ex hoc, quia S.Script. nihil aliud est, quàm Verbum Dei scriptum, ergo necessariò debet esse regula infallibilis veritatis, cum impossibile sit Deum mentiri nec per se ipsum, nec per alium, de hac infallibilitate S. Script. vide Bellarm. aliosque Controversistas.

335 Concl. 2. Traditio divina est vera regula fidei, & ejusdem auctoritatis, ac S. Script. ita definitum est in Concil. Trident. *sess.* 4. & in Concil. Constantinop. & probatur, quia ut notat D. Bon. *serm.* 14. *&* 16. *Hexam. & l.* 3. *d.* 9. *q.* 2. *in fine*, à principio mundi usque ad Moysen viguit cultus verus Dei in Ecclesia, & tamen tunc temporis non extabat Verbum Dei scriptum: ergo solùm traditiones dirigebant fideles in iis, quæ spectant ad salutem, tum quia tota ratio credendi est Verbum Dei, sed sive sit scriptum, sive non, nulla ipsi oritur variatio essentialis; unde cum certum sit, omnia, quæ pertinent ad salutem credentium, contineri in Verbo Dei revelato, sequitur, quòd, sive sit scriptum, sive non, parum refert, vel nihil tollit validitatis, sive uno modo sit traditum, sive alio.

336 Concl. 3. Loquendo in genere causæ formalis nostra fides resolvitur tanquam in ultimum in primam veritatem revelantem activè consideratam: hoc fuit supra probatum: Ratio est, quia ut notat Seraph. D. prima veritas revelans activè est ratio formalis, sub qua, assentiendi omnibus à Deo revelatis, ex hac enim sumitur propria certitudo fidei nostræ, ergo, &c.

Concl. 4. Loquendo in genere causæ efficientis, id in quod ultimò resolvitur fides nostra est lumen internum, & motio Spiritus S. Est S. Bon. *d.* 23. *&* 24. *sparsim*, qui semper constanter docet à lumine interno, & concursu Spiritu S. causari assensum nostræ fidei. Idque manifestè elicitur ex Epist. ad Ephes. c. 2. *Gratia salvati estis per fidem, & hoc non ex vobis, donum Dei estis*, & 1. Joan. c. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*, idest in se habet, ut credat Deo testificanti, idest lumen supernaturale fidei, quod Deus infundit interiùs, quod facit videre credibilitatem Mysteriorum, & inclinat ad credendum, cujus interventu Deus movet efficienter intellectum nostrum ad assensum fidei: sic & D. August. 11. *Confess. c.* 3. & S. Bon. *l.* 3. *d.* 23 *a.* 2. *q.* 1. *& d.* 24. *dub.* 2. Ratio est, quia unaquæque res in primam causam efficienter resolvitur, sed sic est, quod virtus divina est causa effectiva assensus fidei, mediante illuminatione, *nemo enim potest venire ad me* (ait Christus Joan. 6.) *Nisi Pater meus traxerit eum*, ibique agitur de accessu ad Deum per fidem, ut notat S.Bon. in hunc locum, ergo talis resolutio fidei attendenda ad rationem causæ efficientis ad lumen istud interius movens ad credendum reducenda est: & ad hunc sensum reducendi sunt, qui recognoscunt hoc lumen tanquam ultimam resolutionem, scilicet non sumendo pro ratione formali assensus, sed pro efficiente.

Concl. 5. Loquendo in genere causæ materialis 337
fides nostra ultimò resolvitur in Ecclesiam proponentem id, quod fide credendum est: Est S. D. *loc. cit.* Ut autem hæc propositio innotescat, in qua continetur totus nodus difficultatis, observandum est, quòd, licèt verum sit lumen fidei ex æquo inclinare intellectum immediatè ad omnes articulos fidei, ita ut non inclinet ad unum primò per se, & deinde ad alium, sed ad omnes simul, & æqualiter cum sit una, & eadem ratio formalis fidei in omnibus, & cum assensus fidei fiat sine discursu, negari tamen non potest, quòd inter articulos fidei unus non detur, in quo, loquendo quo ad nos, tanquam in virtute reliqui omnes continentur, quòd in superioribus ex Seraph. D. à nobis notatum est, & talis est iste articulus: Ecclesia regitur à Spiritu S. ex quo cæteri omnes deducuntur, rectè enim sequitur: Ecclesia regitur à Spiritu S. & Ecclesia docet Deum esse trinum, & unum, ergo Deus est, unus & trinus.

Præterea not. est, quòd dispositiones materiæ ad introductionem formæ se tenent ex parte materiæ, & cum ad negocium fidei necessarium sit disponi intellectum, & voluntatem, quæ potentiæ habent suam difficultatem ad assensum rebus non visis, ideo tales difficultates removendæ sunt, ut lumen internum fidei munus suum illuminandi exercere valeat. Ad Ecclesiam autem pertinet tollere impedimenta hæc; fides enim est ex auditu, auditus autem per Verbum Christi propositum ab Ecclesia, ait S. Bon. *d.* 23. *&* 24. *cit.* hinc est, quòd hæc Ecclesiæ propositio ab aliis reputatur in genere causæ materialis, ab aliis appellatur conditio sine qua non; & per hoc evitatur optimè circulus supra positus: Ideo enim credo articulos fidei, quia mihi propositi sunt ab Ecclesia declarata à Christo Magistra veritatis mihi dictante Dei veritatem; hanc potestatem autem in Ecclesia docet S. Bon. *l.* 4. *d.* 40. *q.* 3. *ad ult.* posse probari per scripturam. Ex quibus patet, quomodo concurrat fides acquisita, & humana, nempe tanquam dispositio materialis ad fidem, & ad resolutionem fidei ultimam in hunc articulum tangentem auctoritatem Ecclesiæ, quodque infra in responsione ad objectiones magis patebit: Vide S.Bon. *loc. cit. & l.* 4. *d.* 4. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *ad arg.*

Concl. 6. Loquendo de causa finali, finis & scopus fidei nostræ est conjungere nostrum intellectum cum Deo in ratione cogniti supernaturaliter, pro ut patitur conditio nostræ peregrinationis. Hæc conclusio de se est manifesta, & ab omnibus Theologis admittitur.

Objic. Contra 1. Concl. 1. quia talis modus 338
resolvendi fidem in auctoritatem Ecclesiæ proponentis articulos credendos videtur favere hæreticis, exigentibus revelationem singulis fidelibus factam ad credendum; & probatur sequela, quia quòd nos exigamus revelationem fidei per alios Dei nuncios, hæretici verò dicant fieri à solo Deo, parum refert: nam etiam si dicerent non fieri sibi revelationem à Deo immediatè, sed per Angelos, vel Ministros Dei, ut Mosi evenit, idem periculum

esset in ea doctrina; sic arguit Hurtad. *d.* 13. *sect.* 9. & *d.* 14. *sect.* 1. R. neg. assumptum: nam hæretici nullam regulam credendorum ponunt, nisi privatam inspirationem, quæ unicuique interius fit: nos autem ultra lumen internum admittimus propositionem doctrinæ externam ab Ecclesia, & à ministris factam tanquam dispositionem materialem, seu conditionem sine qua non.

339 Dices: Si ultima resolutio fidei fit in auctoritatem Ecclesiæ proponentis, vel in motiva extrinseca, quæ illa proponit pro credulitate mysteriorum fidei, ergo prima radix fidei erit quid merè naturale, & fides aquisita, quod est impossibile, cum talis fides sit fallibilis. R. neg. absolutè nos asserere auctoritatem Ecclesiæ, vel motiva extrinseca esse primam radicem credulitatis mysteriorum fidei, sed dicimus esse divinum testimonium obscurè cognitum in propositione Ecclesiæ cum talibus motivis: Creditur enim Deum esse trinum; quia prima veritas revelavit: at quod revelaverit, neque scio evidenter, neque per aliam revelationem, sed immediatè credo ex modo, quo proponitur credendum: Ex quibus patet 1. quòd licèt necessaria sit propositio, & declaratio Ecclesiæ, & humana fides ad credendum, nihilominus non potest esse formalis ratio, in qua summa fidei certitudo resolvatur, sed solùm conditio ad assensum fidei ex propria ratione formali eliciendum. 2. Oportet distinguere duos processus in tali resolutione fidei; unus est, in quo inquiritur de ratione formali ipsius assensus divinæ fidei secundùm se: Alter est, quo non quæritur de ratione formali ipsius assensus divinæ fidei, sed de causa, ob quam quis voluit accipere fidem divinam, cùm aliàs non convinceretur ad id ex sola ratione formali fidei inevidenti in primo processu, sistere debemus in prima veritate revelante, quia ad hanc per se refertur firmitas, & certitudo summæ fidei, ut probatum est. in 2. verò sistendum est in Ecclesiæ propositione, aut in humana fide orta ex signis, aut ex aliis principiis; supra enim probatum fuit credibilitatem fidei esse evidentem. Hinc sequitur 3. hoc principium, prima veritas revelavit, nullam aliam habere causam formalem sui ad assentiendum fidei, quamvis supponat conditionem aliquam, qua proposita, habitus fidei inclinatur in illud, & sine qua nullus prudenter crederet. Ulteriùs infertur 4. testimonium Ecclesiæ non esse primum principium, in quod tanquam in formalem causam divina fides referatur, nam dicenti se credere propter testimonium Ecclesiæ adhuc restat ut respondeat, si rursus interrogetur, quomodo sciat, aut quare credat testimonium Ecclesiæ esse infallibile? Respondebit rectè, quia prima veritas dixit: Hoc enim principium: prima veritas revelavit: potest cadere supra testimonium Ecclesiæ tanquam super materiale objectum, non minùs quàm suprà alium articulum; quare hoc solum principium est per se credibile divina fide, nullam ulteriorem rationem formalem habens assentiendi, licèt postulet cognitionem aliquam materialem, ut dictum est. Vide Caspens. Lugo, Mastrium, Gaud. hæc fusè differentes: Hîc autem consequenter tractant Theologi de auctoritate Ecclesiæ super res fidei, & quænam sit nota ipsius: quæ omnia brevitatis causa omittimus, & maximè ista videri possunt apud Controversistas, de quibus etiam fusè agit P. Gaud. *d.* 1. *q.* 12. *seq.*

QUÆSTIO IX.

Quotuplex sit fides, ubi de fide formata, & informi.

PRoponitur hæc quæstio, ut pateſcat quid sit 340
fides informis, & formata, & quomodo differant.

Concl. 1. Fides actualis est multiplex: habitualis verò est unica tantum specie; estque communis omnium cum Seraph D. & supra probatum est. Nota hìc tamen, quod Calvinistæ triplicem fidem distinctam recognoscunt, scilicet historicam, miraculosam, & promissionum: Primam attribuunt divinæ veritati: 2. divinæ potentiæ; & 3. bonitati, istasque esse separabiles ab invicem tenent. Catholici verò recognoscunt multiplicem fidem actualem secundùm diversitates actuum, unicam verò habitualem, quòd jam probatum est.

Concl. 2. Divisio fidei in formatam, & informem est non essentialis, sed accidentalis, & extranea: Est communis omnium Theologorum: Ratio est, quia utraque est essentialiter habitus divinitùs infusus, per quem certificatur intellectus humanus, dum captivatur in obsequium Christi ad assentiendum primæ veritati propter se, & super omnia, vigoraturque, ut credat vera non apparentia, vitet erronea, & phantastica. Sic D. Bonav. *d.* 23. *a.* 2. *q.* 1. & 2. & *d.* 26. *a.* 1. *q.* 4. *ad* 3.

Concl. 3. Fides informis est, quæ caret societate gratiæ, & charitatis, virtus tamen est propriè rectificans intellectum aliqua rectitudine justitiæ: est S. Bon. & communis omnium Theologorum. Ratio est, quia etiam sine gratia habituali tollit difficultatem in credendo articulis fidei, & opponitur directè hæresi, & infidelitati, ergo, &c.

Concl. 4. Fides formata charitate est accidentaliter differens ab informi; est etiam communis omnium Theologorum; & S. Bon. *cit.* Ratio est, quia ut sic est principium operis meritorii: unde ad rectificationem supra traditam fidei superaddit etiam rationem meriti de condigno ratione charitatis: Sic S. Bon. *l.* 3. *d.* 23. *q.* 1.

Objic. 1. Fides sine operibus mortua est (ait 341
S. Jacobus c. 2.) sed nihil, quod est in se mortuum, habet rationem virtutis, ergo fides informis non est vera virtus. Resp. S. Bon. quod non dicitur mortua, eo quòd careat omni utilitate, & efficacia, sed quia caret gratuita, & meritoria; sic negatur conseq.

Objic. 2. Si fides informis est virtus, ergo est Theologica: sed non est talis, ergo, &c. Prob. minor, quia fides Theologica tendit in Deum; sed fides mortua non tendit in Deum, ergo, &c. Resp. S. Bon. neg. minorem, & ad prob. respondet non tendere in Deum meritoriè, sed benè tendit in Deum assentiendo primæ veritati.

Objic. 3. Nullum opus mortuum potest fieri vivum, ergo nec fides mortua. R. S. Bon. neg. paritatem de opere, & fide, quia opus mortuum jam transiit: sed fides informis remanet etiam cessante charitate. N. quòd in hoc puncto Catholici discrepant ab hæreticis: isti enim asserunt per peccatum mortale deperdi fidem, sed fides Catholica definita in Concil Trident. *sess.* 6. *c.* 15. & *can.* 18. docet veram fidem Theologicam in peccatore manere informem, quod à Theologis probatur multipliciter ex S. Script. & ex hac ratione

SS.

SS.DD. Bon. & Thom. inferunt, quòd id, quod non perficitur ab alio intrinsecè, sed extrinsecè advenit liberè, potest stare sine illo: talis est fides, quæ extrinsecè tantùm perficitur à charitate, quæ advenit liberè ex justificatione, ergo, &c.

Objic. 4. Multos SS. Patres dicere fidem sine charitate non esse veram fidem. R. S. Bon. in hoc sensu dici non veram fidem, idest esse imperfectam carentem suis operationibus meritoriis: Unde fides, ut sic, est initium, & radix salutis, non tamen sola, & in hoc sensu exponendi sunt plures textus allati ab Hæreticis, in quibus videtur tribui justificatio fidei, ut in Matth. 9. Luc. 8. Joan. 3. Rom. 5. Vide S. Bon. *l. 4. d. 23. a. 3. q. 1. corp.*

Q. *Qualis sit perfectio superveniens fidei ex charitatis societate?* R. formationem fidei à gratia, & charitate dicere duplicem perfectionem supervenientem: prima est in ordine ad opera meritoria facienda: 2. est, quia fidei actus per imperium charitatis refertur ad ultimum finem, quatenus scilicet credit aliquis propter Deum, ut summum bonum; tali enim pacto actus fidei pertinet ad eandem speciem rectitudinem, ad quam ipsa charitas; ac proinde est ejusdem speciei, cujus est ipsa charitas, cum hoc tamen discrimine, quòd rectitudo hæc est essentialis ipsi charitati, sed fidei advenit tanquam perfectio extrinseca, eo modo, quo lux advenit coloribus, eosque lucidos, ac venustos reddit, & sicut lux cum coloribus non facit unum compositum per essentiam, sed per ordinationem quandam, sic neque ex fide informi, & gratia fit unum per se, sed per quandam ordinationem, & relationem ad Deum, quam doctrinam sparsim tradit S. Bon. *l. 3. d. 23. dub. 3. & d. 25. dub. 4. & d. 14. p. 1. a. 2. q. 3. corp. & l. 2. d. 41. dub. 1.*

QVÆSTIO X.

De fidei effectibus, quales sint?

342 Potest esse quæstio de effectibus physicis, & de moralibus, qui sunt consequentes ex fide. D. Thomas assignat duos effectus tantùm fidei, scilicet timorem, & purificationem cordis: quòd elicit ex Jac. c. 2. ibi: *Dæmones credunt, & contremiscunt*, & ex 15. Act. *Fide purificans corda*: Seraph. autem plures alios assignat.

Concl. 1. Effectus physicè provenientes à fide sunt duo: 1. est purificare intellectum ab omni errore, dubietate, & phantasmate: 2. est ipsum vigorare in assensu rebus fidei, & inclinare voluntatem ad imperandum talem assensum, sic S. Bon. *l. 3. supra cit. in q. 8. ad 2. concl.* & patet ex supradictis.

Concl. 2. Fidei effectus morales sunt omnes virtutes infusæ in anima quando justificatur: Ratio est, quia fides est prima radix, & initium justificationis, & per consequens omnium virtutum; sic S. Bon. *cit. & subdit. Op. Comp. Theol. l. 5. c. 20.* Fides hominem salvat, mentem purgat, contra mundum pugnat, postulata impetrat; dat perseverantiam, temporalia contemnit, justificat, beatificat. Vide S. Bon. *ibid. & Op. Diet. sal. tit. 5. & 3. & serm. 1. de pluribus Martyribus, & Op. de dono piet. c. 3. in Psal. 103. & l. 4 d. 1. p 2 q. 1. & d. 14. a. 2. q. 3. & l. 3. d. 23. dub. 1. & q. 2. & a. 2. q. 1. d. 35. q. 3. ad ult.*

QUÆSTIO XI.

De Spe.

Inter virtutes Theologicas spes secundum locum obtinet, cum enim fides ostendat bonum supernaturale, ideo primum locum obtinet; hinc sequitur spes, qua sperat voluntas illud obtinere posse; ideo post tractatum de fide, spes nobis offertur consideranda, nempe quatenus est virtus Theologica; hancque materiam per aliqua quæsita breviter expediemus.

Quæres 1. *Quid sit spes Theologica, & quodnam sit ejus objectum, tum materiale, tum formale?* 343
Resp. 1. ex Seraph. D. *l. 3. d. 26. in dubiis, & in q. seq.* quod spes Christiana in S. Script. sumitur aliquando objectivè, scilicet pro re, quam speramus; aliquando objectivè etiam pro eo, in cujus auxilio speramus, quo pacto dicitur Deo: *Tu es spes mea*, sic B. Virgini *salve, &c. spes nostra*: aliquando pro actu formali sperandi, sic ad Romanos c. 8. Spe salvi facti sumus; aliquando pro habitu, sicque definitur habitus, quo voluntas immediatè tendit in Deum, pro ut est beatitudo nostra objectivè cognita, eaque ardua supra captum naturæ, divina tamen gratia possibilis: & de spe habitu hîc præcipuè est sermo, ejusdemque definitio est eadem proximè tradita à Theologis; licèt Seraph. *d. 26. dub. 1. & Comp. Theol. l. 5. c. 22.* Assignet tres notificationes, seu definitiones spei consideratæ secundùm diversas rationes, quæ tamen in supradictam coincidunt, ut infra patebit: & hæc quo ad quidditatem spei: Circa objectum verò. R. 2. objectum spei aliud esse materiale, aliud formale: materiale est ipse Deus, & beatitudo, seu visio ipsa; sic S. Bon. *d. 26. in dubiis litter. & a. 2. q. 4.* cum communi; sic enim convenit cum cæteris virtutibus Theologicis, à quibus postea discrepat per objectum formale; continet etiam & bonum increatum, & creatum: Deus enim non solùm ratione visionis, sed etiam ratione suæ bonitatis intrinsecè est summum bonum nostrum, quod clarè explicat Seraph. Doct. *cit. in dub. 1.* R. 3. Objectum formale spei esse Deum sub ratione boni ardui, & summè excellentis; sic Seraph. *cit. a. 2. q 4.* est contra Scotum assignantem pro objecto formali Deum ut summum bonum amabile amore concupiscentiæ, & Vasquez assignantem pro objecto auxilium omnipotentiæ divinæ.

Prob. à Seraph. quia per talem formalitatem boni, ut ardui, distinguitur à charitate, quæ habet pro objecto Deum summum bonum; nec valet responsio adversariorum, quod spes differt à charitate, quia respicit spes bonum, ut futurum, non valet inquam, quia etiam istud est objectum charitatis. Pr. 2. Quia per fidem rationalis potentia perficitur, per charitatem concupiscibilis, & per spem irascibilis in ordine ad Deum, ut bonum arduum; ergo per hanc rationem discernitur ab aliis virtutibus. Confirmatur, & explicatur hæc ratio à Seraph. tali pacto, Spes habet duos actus, quorum unus est principalis, & origo alterius: Spes enim facit confidere, & ex consequenti ex-

pectare; confidentia autem ista est in solo Deo, qui est potentissimus in virtute, magnificentissimus in liberalitate, & per consequens excellentissimus in virtute, & largitate; hinc est, quòd spes, cum habeat pro objecto magnum, & arduum in confidendo, ideo ejus objectum est bonum magnum, & arduum, quare fides ostendit hoc bonum, charitas concupiscit illud, & spes erigit animum ad expectationem tanti boni sub ratione ardui, & magni, & excellentis; & per hoc patet, quomodo homo per Virtutes Theologales elevatur ad statum supernaturalem, & divinum secundùm se totum: Per fidem elevatur, & conjungitur intellectus cum summa veritate; per charitatem ad amandum ipsum summum bonum, & per spem ad innitendum totum suum posse in Dei virtute expoliando se toto suo posse naturali, ut possit dicere: Omnia possum in eo, qui me confortat. Vide S. Bonav. *l.* 3. *d.* 26. *a.* 2. *q.* 4. ubi pulcherrima adducit ad exaltandam hanc fiduciam in Deum.

Objic. 1. Sicut se habet scientia ad verum, ita virtus ad bonum, sed omnis scientia respicit verum sub ratione veri: ergo omnis virtus respicit bonum sub ratione boni, ergo & spes. Resp. Seraph. Doct. neg. paritatem de scientia, & virtute, & affectiva; in scientia enim objectum habet unicam rationem veri; sed affectiva dividitur in duas vices, scilicet in concupiscibilem, & irascibilem: ergo & ejus objectum habet duplicem rationem, scilicet bonum, quod concupiscit, & arduum, ad quod se erigit.

Objic. 2. Essentiale est spei expectare bonum, & finem ultimum; ergo ejus objectum formale est bonum sub ratione expectati, & futuri. Resp. quòd amare bonum sive præsens, sive futurum spectat ad charitatem, sed in spe adest duplex actus, homo enim confidit in Deum, & in eo sperat, & expectat bonum: unde ratio motiva, & propria est arduitas, ad quam consequitur expectatio; sic S. Bon. *d* 26. *a*.1.*q* 2.

Objic. 3. Spes Theologica adspicit non solùm ad Deum, sed ad beatitudinem creatam etiam: ergo non est purè Theologica; tum quia potest dari excessus in spe per præsumptionem, qui excessus non reperitur in virtutibus Theologicis: tum etiam quia speramus etiam in B. Virgine, & in Sanctis, ergo, &c. Resp. S. Bonav. *d.* 26. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 1. *&* 3. *&* *l.* 1. *d.* 1. *dub.* 10. *&* *l.* 4. *d.* 5. *p.* 1. *dub.* 4. *&* *Compen. Theol. l.* 5. *c.* 22. quòd spes respicit etiam aliqua bona creata, veluti quoddam materiale tantùm, ordinatum tamen ad Deum, ut summum bonum arduum, & maximum obtinendum: & ad illud de excessu respondet S. Bonav. quòd in virtutibus Theologicis non datur excessus quo ad actus intensionem; sed benè quo ad conditiones necessarias per omissionem: Ad aliud de spe in B. Virgine, & Sanctis, respond. nos sperare in Sanctis, ut adjutoribus per sua merita, & intercessionem, non verò ut præmiantibus.

Q. 2. *In quo subjecto sit spes?* R. S. Bonav. 344 *d.* 26. *a.* 2. *q.* 5. Subjectari in irascibili, & per consequens in voluntate: Ratio est, quia est habitus directivus affectionis, tum quia desperatio est in voluntate, ergo & spes: Tum quia ejus objectum est bonum arduum, & magnum: ergo est in voluntate, cum sit objectum irascibilis. Objectiones vide solutas in textu, quæ sunt faciles, & planæ, continentque multiplicem doctrinam moralem.

Q. 3. *An spes evacuetur in gloria?* R. S. Bon. *l.* 3. *d.* 31. *a.* 1. *q.* 2. Duplicem opinionem circumferri, alteram affirmativam, alteram negativam: Prima, & est probabilior, docet evacuari, eò quòd essentialiter involuit expectationem boni non possessi, sed possidendi: Secunda negat, estque etiam probabilis, asserens remanere in gloria quantùm ad id, quod est perfectionis, nempe pro ut importat confidentiam, & certitudinem, quæ facit inniti ipsi summæ largitati, per quam Beati desiderant, non quidem assequi Deum, sed continuare in tali possessione.

Q. 4. *An spes differat à confidentia, & fiducia?* R. ex S. Bon. *l.* 3. *d.* 26. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 1. Non differre essentialiter, sed tantùm accidentaliter, imò includi in virtute spei, nempe quatenus addit maximam intensionem, & firmitatem, quæ aquiritur & ex frequentatis actibus, & ex firma consideratione bonitatis divinæ, omnipotentiæ, & fidelitatis in promissis servandis; ac proinde augetur, tum exercitio fidei dictantis supradicta; tum ejusdem spei innitentis totaliter in Deo sine hæsitatione opposita ipsi spei Theologicæ; & in hoc sensu dicitur spes de se certissima, & infallibilis, tutissimumque scutum, quia oritur à lumine fidei; & si aliquando est cum trepidatione, id evenit ob defectum nostrum: Ex qua confidentia producuntur in nobis innumeri effectus mirabiles. De qua confidentia agit fusè Pater Candidus Brugnolus in suo Manuali Exorcistico *p.* 1. *c.* 3. *a.* 2. Vide S. Bon. *Comp. Theol. l.* 5. *c.* 22. *&* *Op. Diæt. sal. tit.* 10. *c.* 10. *&* *Op. Phar. l.* 3. *c.* 14. *&* *l.* 2. *c.* 24.

DISPUTATIO

DISPVTATIO XV.

De Charitate, & Gratia.

QUÆSTIO I.

Quid sit Charitas Theologica; quodnam ipsius objectum materiale, & formale.

345 SUppon. 1. Quòd hoc nomen charitas, dicitur, à charè, verbo græco, quod est idem, ac Gratia, ob idque sumptum est ad significandum amorem appræciantem rem amatam, simulque virtutem gratuitam; sic S. Bon. *l. 1. in prol. dub. 4. & l. 3. d. 27. q. 3. corp.* unde licèr nomen amoris, dilectionis, & charitatis sæpè confundantur in unum, tamen propriè loquendo (ait Seraph. *l. 1. d.10. dub.1.*) differunt ad invicem; amor enim dicit affectus adhæsionem respectu amati: Dilectio addit ad amorem electionem, est enim ex diversis electio: & charitas ultra ista addit magnam appræciationem; charum enim dicitur illud, quod magni pretii æstimatur. Hinc est, quod, propriè loquendo, nomine charitatis communiter sumitur amor supernaturalis, quo Deus amatur; & de hoc solùm est disputatio ista.

Suppon. 2. Quòd, sicut aliàs dictum est de cæteris habitibus, sic charitatis duplex objectum potest considerari, nempe materiale, & formale: materiale est res, quæ respicitur, & dicitur objectum, quod: formale est ratio, sub qua respicitur, & dicitur objectum, quo, vel sub quo: Objectum materiale aliud est principale, aliud minùs principale: 1. est id, in ordine ad quod omnia intenduntur, & amantur; 2. quod amatur semper propter ipsum principale.

Suppon. 3. Agitari quæstionem apud Theologos: an detur charitas creata, quæ sit habitus informans animam: an verò sit quid increatum; in qua citatur communiter Magister sent. hîc, & *l.1.d.17.* quasi asseruerit charitatem non esse habitum creatum, sed ipsum Spiritum S. inclinantem, & moventem voluntatem nostram ad amandum Deum sine aliquo habitu infuso, qui tamen ab omnibus Theologis rejicitur; Seraph. autem *l.1.d.17.p.1.q.1.* piè opponit Magistrum dicens, quod illud, quo diligimus Deum, tripliciter potest sumi: primò quo diligimus effectivè, & sic charitas est Trinitatis, & Spiritus S. appropriatè: 2. quo diligimus exemplariter, & sic Spiritus S. est unio Patris, & Filii, & nexus amborum, & unitas, ad cujus unitatem charitas nos nectit, secundùm illud Joan. c.15. *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*: 3. Quo diligimus formaliter, sicque charitas est animi affectio: & in his omnibus magister dixit verum, nec erravit; sed defecit, quia præter ista tria debet assignari charitas, quæ est habitus creatus animam informans: & in hoc puncto discrepant Theologi, nam Sanctus D. interpretatur Magistrum locutum fuisse de charitate, quatenus essentialiter est idem, quod gratia, per quam movet Spiritus S. ad diligendum Deum, sed tamen addit, & recognoscit ultra gratiæ habitum etiam habitum charitatis essentialiter distinctum, & in hoc ait Seraph. Magister defecit.

Concl. 1. Datur charitas supernaturalis, habi- 346
tualis, necessaria ad diligendum Deum, & proximum supernaturaliter, estque habitus supernaturalis infusus, & superadditus voluntati, quo mediante Spiritus S. movet voluntatem ad diligendum Deum & proximum: est Seraph. D. *l.1.d.17. cit.* & communis omnium Theologorum, & certum de fide, ut in Concil. Trident. *Sess.6. c.7. & Can.11.* quodque probatur ex c. 5. ad Romanos: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis*, ergo si charitas diffunditur in cordibus nostris habet rationem formæ informantis infusæ à Deo, ergo est quid creatum, tum quia plùs ordinatur charitas ad reformationem animæ, quàm fides, & spes; sed istæ sunt formæ informantes, ergo & charitas, ubi enim est reformatio, ibi est informatio: tum quia charitas est principium merendi, sed non, quia bona facimus, ideo boni sumus, imò è converso, ideo bona facimus, quia boni sumus, ergo per aliquid de novo positum in anima.

Objic. 1. Charitas est accidens, ergo non potest elevare animam, quæ est quid perfectius charitate accidentali; ergo ad talem elevationem requiritur agens superior scilicet Spiritus Sanctus. R. S. Bon. esse accidens quidem, & esse meliorem anima, pro ut est medium, quo anima ordinatur ad finem supernaturalem; unde licèt entitativè anima sit nobilior quo ad esse naturale, non tamen quo ad benè esse, quia ex tali accidente elevatur, & perficitur supernaturaliter.

Objic. 2. Charitas æquivalet beatitudini, ad quam nulla bonitas creata potest pertingere: ergo cum sit quid infinitum, charitas erit quid increatum. R. Charitatem æquivalere non entitativè, sed quo ad extimationem apud Deum.

Objic. 3. Spiritus S. seipso inflammat affectum, ergo superflua est charitas: Deus enim est charitas, ait Apostolus Joan. 1. c.4. Resp. S. Bon. Spiritum S. inflammare affectum, & esse charitatem, & amorem efficienter, sed non formaliter; requiritur enim in affectu habitus charitatis informans non ex defectu divinæ virtutis, sed ut nos modo connaturali cooperemur Deo merenti per aliquod formaliter determinans; & hac distinctione respondetur omnibus objectionibus: Vide S. Bon. *citat. &c.*

Concl. 2. Charitas habitualis est virtus theo- 347
logica supernaturalis in substantia omnium virtutum excellentissima, quia diligimus Deum propter ipsum: vel, & in idem recidit, est virtus creata supernaturalis, qua homo diligit Deum, quatenus bonum quoddam spectans ad ordinem supernaturalem: Est communis omnium Theologorum, cum Seraph. qui *l.3.d.17. dub.1.* plures definitiones ex SS. Patribus affert, & explicat secundùm varias comparationes, quas admittit charitas; sic *& in Comp. Theol. l.5.c.23.* sed supradicta est propria,

pria, & magiſtralis: & prob. ſimulque explicatur: dicitur virtus theologica loco generis, pro ut convenit cum aliis virtutibus theologicis, & habet aliqualiter etiam locum differentiæ, quatenus differt à virtutibus moralibus: dicitur omnium virtutum excellentiſſima, cum ſit theologica, & cæterarum maxima, quia magis Deo adhæret, principiumque eſt omnis meriti: dicitur ſupernaturalis in ſubſtantia, ut diſtinguatur à virtutibus theologicis acquiſitis, quales vocari ſolent, fides, ſpes, & charitas naturalis in ſubſtantia reſpicientes Deum, ut Authorem naturæ: dicitur, qua diligitur Deus, ut diſtinguatur à fide, per quam creditur ob ejus ſummam veritatem: dicitur denique propter ſe ipſum, ut diſtinguatur à ſpe, qua diligitur Deus, ut bonum noſtrum ex amore concupiſcentiæ. Nota autem, quod iſte amor in Deum ſuper omnia non eſt neceſſe, quòd habeat iſtam excedentiam quo ad intenſionem, ſed ſufficit, quòd ſit apprætiativè, ita ut in amando Deum anteponatur, & quòd quis ipſum præferat omni pœnæ.

348 Concl. 3. Objectum materiale charitatis eſt quidquid poteſt amari propter Deum, unde objectum materiale principale attributionis, & adæquatum eſt ipſe Deus, ad quem omnia diligibilia ordinantur, objectum verò minùs principale ſunt omnia alia, quæ in ordine ad Deum ſunt diligibilia: Eſt communis Theologorum cum Seraph. *d.* 28. *per totam præcipuè quæſt.* 6. Ratio eſt, quia objectum adæquatum attributionis eſt id, ad quod omnia, quæ ſub habitu continentur, aliquo modo reducuntur, ſed Deus eſt tale objectum, cum per ordinem ad ipſum cætera ſint charitate diligibilia: ergo Deus eſt objectum primarium, cætera ſunt objectum ſecundarium & minùs principale. Et confirmatur, quia omnia alia objecta per charitatem amabilia reducuntur ad Deum ut ultimum finem, Deus autem ad nullum iſtorum reduci poteſt, ergo, &c.

Et ſi quæratur: *Quænam ſint iſta objecta materialia ſecundaria.* R. S. Bon. quòd poteſt moveri quæſtio primò de creaturis irrationalibus: 2. de Dæmonibus: 3. de omnibus hominibus indifferenter: 4 de corporibus noſtris: 5. de donis gratuitis: 6 de nobis ipſis, & quo ordine conſequenter ſint iſta diligenda.

349 Concl. 4. Quatuor ſunt diligenda ex charitate: 1. Deus, quòd eſt ſuprà nos: 2. nos ipſi: 3. proximus: 4. corpus noſtrum: Ratio autem ſumitur primò per comparationem ad ipſam dilectionem; cum enim ſit appetitus boni, in quo eſt ipſum bonum deſideratum, ideſt ſummum bonum, & ipſum, qui deſiderat, ideſt habens charitatem, & ipſum, cui deſideratur, iſte, cui deſideratur, vel eſt Deus, vel ipſe homo, ſibi deſiderans, vel ſimilis ipſi, id eſt proximus, vel ſibi adhærens, ſcilicet corpus: ergo ex hac parte ſunt quatuor diligenda.

Objic. 1. Diligens proximum non differt ſpecie à ſe ipſo: ergo cum non ſumus diverſa membra, non multiplicari poteſt tale objectum materiale. R. S. Bon. Quòd licèt conveniamus nos cum proximo in ſpecie, diſcrepamus tamen in ratione, & gradibus diligendi, quia primò charitas facit habentem ſe tendere ad beatitudinem, & poſteà ipſam extendit quaſi lateraliter ad proximum. Addit S. Bon. *ibid ad* 5. quòd alio modo habet comparari charitas ad ſe ipſum, & proximum, alio modo ad corpora tam noſtra, quàm proximi: nam charitas reſpicit æqualiter corpus noſtrum, & corpus proximi, facitque unum diligibile ex charitate, quia ad utrumque ſit comparatio ſicut ad inferiùs: Ad animam verò meam, & ad animam proximi diverſo modo me habeo; quia ad animam meam me habeo tanquam quid mihi intrinſecum, & me informans; ad animam verò proximi tanquam quid extrinſecum, & propinquum: corpora autem humana ſunt diligenda ex charitate ratione capacitatis gloriæ futuræ per redundantiam animæ, ſic *q.* 4. *cit.*

Concl. 5. Creaturæ irrationales non ſunt diligendæ propriè ex charitate eliciente, ſed tantùm ex imperante: Seraph. *d.* 28. *q.* 1. explicat, & probat tali pacto: charitas eliciens eſt, quæ tribuit meritum operi, ob idque tali pacto ſolùm diligit id, quòd eſt capax ſummi boni, quo creaturæ irrationales ſunt incapaces: charitas imperans ordinat omnia ad laudem, & amorem Dei, hinc eſt, quòd ſe extendit etiam ad irrationalia, quatenus redundant in Dei laudem, & excitant ad ipſum amandum: addit autem Seraph. quòd amor, quo homo fertur in tales creaturas directè, eſt naturalis, & pietatis, affectioniſque naturalis, quæ quo magis in aliquo eſt purior, eo magis accedit ad amorem, quo homines in ſtatu innocentiæ dilexiſſent creaturas. 350

Concl. 6. Dæmones non ſunt diligendi elicitivè ex charitate: ſic S. Bon. *cit. q.* 2. Ratio eſt, quia ſunt effecti impoſſibiles ad perveniendum ad beatitudinem: & licèt per naturam ſint beatificabiles, tamen cum repugnet divina Juſtitia, per quam damnati ſunt æternaliter, hinc, &c. Imperativè verò poſſunt diligi ratione naturæ dilectione tamen naturali, quia continent imaginem Dei; ſed quia iſta imago deturpata eſt à peccato, hinc minùs ſunt diligendi, quàm creaturæ irrationales.

Concl. 7. Mali homines ratione naturæ, & capacitatis ad beatificationem ſunt diligendi ex charitate, ratione malitiæ odiendi; ſic ex S. Bon. *q.* 5. & per ſe patet.

Concl. 8. Dona gratuita diligenda ſunt ex charitate amore concupiſcentiæ, non amicitiæ: Ratio eſt, quia amore amicitiæ diligitur id, quod poteſt pervenire ad ſummum bonum: unde ſi diliguntur id eſt, quia ſunt bona nobis, & medium perveniendi ad gloriam.

Concl. 9. Objectum formale charitatis eſt Deus, quatenus eſt ſummum bonum in ſe: Nota autem, quòd in hac formalitate objecti involuuntur omnes perfectiones divinæ, propter quas Deus, ut bonus amatur Unde ſi amatur ut ſapiens, ſapientia Dei erit objectum formale; ſic ſi ut potens, ſi ut miſericors, &c. Ratio eſt, quia objectum formale, nihil aliud eſt, quàm motivum, ob quod actus elicitur; ſed quæcumque perfectio divina eſt motivum, propter quod elicimus actum amoris circa Deum, ergo, &c. Dices: ergo dantur amores Dei diverſi ſpecie, ſi ſint diverſa objecta formalia. R. neg. conſeq. quia omnes illi actus conveniunt in ratione communi bonitatis, & perfectionis divinæ propter ſe. 351

Q. iterum: *An charitas ſit propriè hominis amicitia erga Deum?* Et ratio dubitandi eſt, quia perfecta amicitia ex Ariſtotele exigit æqualitatem, quæ non poteſt eſſe inter Deum, & hominem. Attamen communis Theologorum ſenſus cum Seraph. affirmat: Ratio eſt, quia etiam ex Ariſtotele adeſt duplex æqualitas in amicitia: Altera, quæ eſt 352

perfecta

perfecta inter omnino æquales entitativè, seu arithmeticè, ut est inter homines: Altera, est excellentiæ, quæ est inter eos, qui habent quidem communicationem, & convenientiam in ordine ad unum finem honestum, sed tamen constituti sunt in diverso gradu, ac dignitate, ut unusquisque alteri tribuit id amoris, honoris, ac beneficii, quod illi pro suo gradu, ac dignitate tribuendum est, qualis est inter Patrem, & Filium, Principem, & subditum, virum, & uxorem, inter quos est æqualitas geometrica, & proportionis; & hæc reperitur in homine elevato per gratiam, & divinæ naturæ factum participem, per quod participat eandem beatitudinem; itaque in tali amicitia concurrunt duo essentialia; primum est honestas diligibilis, scilicet quod ametur amore benevolentiæ, non concupiscentiæ, quo ipsum amemus, quia ei volumus bonum, non ob utilitatem nostram: secundum est redamatio, scilicet ut amicus amico vicem rependit eum redamando; hinc patet excellentia charitatis divinæ, quatenus Deus dignatur acceptare nos in suos amicos: Vide Mastrium, Suarez, aliosque Theologos fusè disputantes hanc materiam: solùm in hoc ex principiis Seraphicis discrepamus à Scotistis, quòd Scotistæ volunt, habitum gratiæ, & charitatis esse unum, & eundem habitum essentialiter, connotareque tantùm diversas formalitates, nempe, quatenus est gratia, constituere æqualitatem amicitiæ inter Deum, & hominem; quatenus dicitur charitas tribuere redamationem mutuam inter nos, & Deum: Seraph. verò vult esse habitus realiter distinctos, ut suo loco agentes de gratia demonstrabimus, dicimusque charitatem tribuere utrumque effectum amicitiæ, complerique per gratiam indivisibiliter ipsam concomitantem.

QUÆSTIO II.

An in objecto formali charitatis involuatur etiam proximus, & quomodo?

353 Certum est præter Deum, etiam proximum ad objectum charitatis spectare, idque constat ex pluribus textibus S. Scipt. ut 1. Joan. c. 4. *Si diligamus invicem, charitas Dei in nobis perfecta est*; aliisque pluribus locis; hinc quæritur, an eodem habitu charitatis infusæ sit diligendus proximus, vel an idem sit motivum charitatis Dei, & proximi, an diversum; in qua.

Prima opinio est Vasquez, Caspensis, aliorumque distinguentium de charitate, nam potest proximus amari propter solam Dei bonitatem, idest ex desiderio boni divini, quia bonum collatum in proximum est quodammodo bonum Dei juxta illud Matth. 25. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*, & hæc dilectio manifestè pertinet ad theologicam virtutem charitatis, & tali pacto unico actu tenditur in Deum, ut finem ultimum, & simul in proximum, ut objectum, & medium ordinatum in finem, & in hoc nulla est controversia, sed in hoc sensu non procedit quæstio: alio modo dilectio potest tendere in Deum, & proximum sicut in duo objecta diversa terminantia, ita quod charitas respiciat Deum, ut bonum propter se, & proximum, pro ut habet naturam rationalem, quam habet nostræ similem, vel propter morum sanctitatem, vel ut beatificabilem, sic involuit duo præcepta, & duos habitus.

2. Sent. Asserit unum esse motivum charitatis Dei, & proximi, unumque habitum tantùm, unamque rationem terminantem utrumque actum, scilicet bonitatem divinam. Ita S. Bon. Scotus, D. Thomas, & communiter alii Theologi: ob idque supra tradita distinctio pro prima sententia non est ad rem, cum hic quæramus de ratione formali objectiva charitatis; non materiali, dicimusque utroque modo spectare hanc dilectionem proximi ad charitatem Dei.

Not. 1. ex Seraph. *l. 3. d. 27. a. 2. q. 2. & 3. & d. 9. q. ult. ad 3.* quòd cum idem objectum specificet actum, sive directum, & principalem, sive reflexum, & minùs principalem, & mediatum: principale enim specificativum est id, quod principaliter intenditur, sive directè, & immediatè, sive indirectè, & mediatè ad actum concurrat, & cum in actu charitatis erga proximum principaliter intendatur bonitas increata Dei, sive primo, sive secundo modo diligatur, hinc semper ab ista sumitur principalis, & ultimata specificatio: Hincque sequitur, quòd dilectio proximi sive moveatur à bonitate Dei directè amata, sive excitetur similitudine in proximo reperta, vel ex sanctitate, non tamen ista movent dilectionem absolutè, sed tantùm respectivè, quatenus sunt singularis participatio divinæ bonitatis increatæ, ob idque, & ab ista principaliter movetur, & specificatur, & hanc doctrinam sumpsit Scotus à Seraph.

Conc. 1. Diversis actibus possunt amari Deus, 354 & proximus, tanquam termini materiales. Est S. Bon. *d. 27. a. 2. q. 3. & 4.* & prob. quia motus numeratur tripliciter, scilicet subjecto, tempore, & termino, sive objecto, sed alius est terminus, & objectum dilectionis, cum amatur Deus, & alius, cum amatur proximus; ergo motus dilectionis est hinc alius, & alius: tum quia dilectio Dei, & proximi diversas considerationes præexigunt, ergo uno actu non potest quis tendere in Deum, & simul in proximum tanquam terminos proprios dilectionis: tum quia motus dilectionis in Deum, & actus in proximum habent diversas qualitates; v. g. intensionem majorem, vel minorem, & diversos usus ex diversitate præceptorum, ergo, &c.

Concl. 2. Dilectio Dei, & proximi considerata secundùm rationem formalem charitatis, respicientis Deum, & bonum quod, & finem principalem, & proximum ut finem cui, & ut medium, est unicus actus formaliter: est S. Bon. *cit.* Scoti, & plurimorum; & probatur à Seraph. quia idem est motus in finem, & medium in ipsum finem ordinatum, motus enim numeratur, non secundùm differentiam medii, sed extremi, sed motus charitatis est in Deum ut in finem, & in proximum, ut in medium, ergo, &c. Confirm. quia talis motus dilectionis respicit tum Deum in se, tum Deum in proximo, & ob id unum dilectum, sed ubi est unum propter alterum, ibi unum tantum, ergo, &c.

Concl. 3. Unus est habitus charitatis, & unus 355 est actus formalis ejus in Deum, & in proximum: Est S. Bon. *cit.* & Scoti, communiterque aliorum Theologorum: & ratio est clarissima, quia in proximo est idem motivum, quo diligitur Deus, nempe ipse Deus diligitur in proximo, sed in tali dilectione (ait S. Bon.) adest unum dilectum principaliter dilectum, scilicet Deus absolutè dilectus, & proximus minùs principaliter, & relativè, seu collativè, seu reflexivè, quatenus in eo

relucet divina bonitas: ergo adest unum motivum specificativum in hac dilectione.

Objic. 1. Vel bonitas creata proximi est objectum formale charitatis, vel solùm materiale, si 1. ergo charitas in Deum, & proximum habent diversa objecta formalia, si 2. ergo bonitas supernaturalis non est bonum honestum, quia amatur non propter se, sed ut utilis proximo. Resp. S. Bon. *d.27. a.2.q.3.* bonitatem proximi esse objectum honestum, & terminativum charitatis, non tamen ultimò terminare actum, qui cum habeat pro objecto principali divinam bonitatem, tanquam objectum formale ultimum, pergit, & progreditur ad illam, etiamsi bonitas creata subalterna sit terminativa actus charitatis, veluti materialiter, quia enim specificatur ab ultimo, ad quod tendit, & terminatur actus, & ad quod objectum bonitatis creatæ subordinatur; hinc etiam non est duplex charitas, altera theologica, altera inferior, & moralis, ut dicebant Adversarii, sed unica, & theologica coalescens ex hac duplici dilectione, vel objectiva ratione.

Objic. 2. Quando do eleemosynam, actus ultimò terminatur ad objectum illud ex pietate in proximum, & non ascendit in Deum, & tali pacto est actus virtutis, habitusque distinctus, ergo & à simili bonitas creata directa in proximum constituit habitum, vel est ex habitu diverso à charitate in Deum; & confirmatur, quia dilectio proximi terminat affectum in ipsum independenter ab alio objecto. Resp. S. Bon. neg. paritatem de eleemosyna, & dilectione charitatis, hæc enim est una in Deum, & proximum; & ad confirmationem resp. quod dilectio terminat quidem in proximum, ut in medium, ideoque simul tendit ad ultimum finem: & hac ratione R. cæteris objectionibus: Ratione enim talis subordinationis ad finem principalem optimè salvatur dilectio proximi quoad bonitatem creatam in ipsa dilectam amore concupiscentiæ, & quatenus est manifestativa gloriæ Dei, simulque induta amore amicitiæ, quatenus subordinatur ultimo fini dilecto in creatura propter se, & propter suam intrinsecam rationem.

QVÆSTIO III.

An præter charitatem infusam detur alia charitas acquisita nostris actibus.

356 Multa dubia involuit iste titulus, nempe: an charitas sit una virtus specialis, an ultra charitatem supernaturalem detur charitas naturalis, vel actus naturalis dilectionis in Deum: an per actus charitatis supernaturalis generetur alius habitus vel naturalis, vel supernaturalis, quæ omnia ex Seraph. D. sequentibus conclusionibus solventur. Hinc.

Concl. 1. Charitas est una virtus specialis ab aliis virtutibus distincta, estque una specie specialissima; sic S. Bon. *d.27. q.1.* & D. Thom. Scot. cæterique Theologi, exceptis aliquibus, qui dixerunt, omnes virtutes indivisim coalescere in unam habentem diversos actus specie; & aliquibus aliis, qui dixerunt, charitatem esse virtutem generalem cæteras complectentem, quas Seraph. Doct. *cit.* cum cæteris Theologis rejicit tanquam falsas. Pr. 1 pars, ex 1. Corinth. c.13. *Manent fides, spes, & charitas, major autem est charitas:* tum quia habet objectum formale à cæteris diversum, nempe Deum ut summum bonum, tum ex diversitate actuum, quos habet, tum ratione subjecti diversi, quia rectificat concupiscibilem, fides rationalem, & spes irascibilem, tum ratione vitii oppositi, quod est odium Dei, ergo, &c. Pr. 2. pars, quia ratio formalis objectiva est una specie specialissima, nempe divina bonitas.

Dices: Charitas est præstantissima omnium virtutum, & ipsarum forma: ergo est virtus generalis cætera complectens in se. Resp. S. Bon. *l.1.d.17. dub.4 & q.4. & l.3.d.27. q.3. ad 1. & d.36. q.6.* charitatem esse quidem præstantissimam omnium virtutum, quia respicit Deum sub præstantissima ratione formali, nempe ut est summum bonum in se, esseque formam virtutum, non quod cæteris virtutibus det esse specificum, omnes enim habent suum proprium objectum eas specificans, sed quatenus eis tribuit esse vividum, & meritorium, easque sublevat ad altissimum finem, & hoc non informando eas, sed ab extrinseco sublevando ipsarum actus ad altiorem statum, & divinum; sic neg. conseq.

Concl. 2. Vltra habitum supernaturalem charitatis supernaturalis, datur etiam amor naturalis distinctus in Deum, ut Auctorem naturæ: Est D. Bon. *l.2.d.3.p.2.a.3.q.1. in corp. & ad 3.* Alensis, D. Thom. Scoti, & communis contra Vasquez, 1.2. *d.195.* qui plures pro se citat, sed malè: quæ conclusio definita fuit à Pio V. & Gregorio XIII. contra Michaelem Baium, qui in unum habitum confundebat amorem naturalem, & supernaturalem: Ratio evidens est, quia Deus cognosci potest utraque ratione, & ut Auctor naturæ præcisè, uti cognovere Philosophi, & ut Auctor gratiæ, & gloriæ, & utroque modo amari amore amicitiæ propter se, & super omnia. Addimus, Deum posse amari etiam per charitatem supernaturalem, ut est Auctor naturæ; sic enim Sancti ex hac consideratione bonorum naturalium consurgebant ad Dei laudem, & amorem, ut legitur de Seraphico P. S. Francisco. 357

Objic. 1. Amor ille naturalis, si daretur distinctus habitus à supernaturali, posset haberi sine gratia, quod est absonum, cum amor amicitiæ repugnet peccato mortali, ob idque non potest haberi sine gratia. Resp. transeat antecedens, non enim repugnat omnis amor amicitiæ peccato, sed tantùm supernaturalis.

Objic. 2. Vterque amor convenit in objecto formali, scilicet dilectionis summi boni propter se, ergo non dantur diversi habitus. R. habere idem objectum materiale, non verò formale; amor enim naturalis diligit Deum ut finem naturalem: charitas supernaturalis, ut finem supernaturalem.

Concl. 3. Ex actibus charitatis infusæ non generatur habitus acquisitus propriè Est S. Bon. *l.1. d.17.p.2.a.1.q.1. & 2.* D. Thom. sequacium contra Scotum, & Nominales apud Mastrium *d.5. q.23.* Ratio est, quia talis habitus acquisitus deberet esse ejusdem rationis cum actibus, scilicet supernaturalis, sed non potest esse, cum sit acquisitus, non infusus, quæ conclusio magis patebit infra, cum de augmento charitatis agetur.

Dices: Experientia patet, ex multiplicatione actuum facilitari magis potentiam ad actus, ergo signum est acquiri novum habitum. R. S Bon. augeri à Deo per novos gradus infusos, quod & infra dicemus.

QUÆSTIO

QVÆSTIO IV.

A quo sit charitas, ejusque augmentum, & quomodo.

358 Quæstio ista procedit de habitu charitatis supernaturalis, nam loquendo de charitate, seu amore naturali, certum est naturaliter oriri seu produci ex actibus naturalibus frequentatis, uti fit in aliis qualitatibus.

Q. ergo. *Unde proveniat habitus charitatis, ejusque augmentum?* In qua primò certum est, charitatem supernaturalem à Deo infundi, cum sit donum supernaturale, secundùm substantiam, solumque à Deo proveniens. Difficultas ergo reducitur ad augmentum qualiter fiat, & an sit capax diminutionis. In qua prima op. est asserentium; charitatem intendi præcisè per majorem abjectionem qualitatis contrariæ, idest amoris concupiscentiæ; sic color dicitur major præcisè, ubi minùs de frigiditate reperitur in subjecto, quam opinionem refert Seraph. *l.1. d.12. p.2. a. 1. q. 2.* & ipsam cum communi rejicit, quia ejus falsitas patet in gratia, & charitate in primo homine; & in Angelis, in quibus nihil contrarii præfuit.

Op. 2. ponit charitatem omnino simplicem in essentia, intensionem verò fieri per acquisitionem perfectioris existentiæ, remanente eadem essentia: ita aliqui à Toleto allati *in tract. de generat. & corrupt.* à quibus non multum differt D.Thomas cum suis asserens, charitatem intendi per majorem radicationem in subjecto: in qua mirum est, quàm variè loquantur Thomistæ in defendenda hac sententia, ut notat Mastrius *de generatione, & corruptione q. 2. 3.* Op. est Seraph. D. *l.1. d. 17. cit.* Scoti, & communioris Theologorum, intensionem fieri per novam qualitatem superadditam priori: in hac tamen sententia est dissensio inter Doctores: an gradus, secundùm quos fit intensio sint homogenei, an ætherogenei; in qua Nominales, & multi Thomistæ cum Vasquez, & Ruvio docent, esse homogeneos: Suarez, Hurtadus, aliique cum Seraph. volunt esse ætherogeneos.

Not. 1. ex Seraph. *l.1. d. 17. p.2. a.1. q.1. & 2.* quòd fundamentum constituendi intensionem in qualitatibus est quantitas virtutis, seu activitatis, quæ augetur, & ratione cujus una plus potest, quàm alia ejusdem speciei, & eadem qualitas in uno, eodemque subjecto plus, minusve potest agere, & hoc præcisè ratione talis quantitatis virtutis, præcisa quacumque alia re; nam per accidens potest dari, quòd eadem qualitas in se invariata possit producere aliquem effectum perfectiorem ratione mutationis factæ in subjecto, v. g. si subjectum fiat densius, ut calor in ferro ignito, magis sentitur, quàm in ligno, vel palea; sed quando subjectum idem manet invariatum, augmentum virtutis resolvi debet in mutationem aliquam ipsius qualitatis, quæ est immediatè operativa; sic & proportionaliter remissio virtutis in naturalibus ratione decrementi virtutis intrinsecæ.

359 Not. 2. Quòd gradus qualitatis dicitur à gradior, quasi gressus, quia per ipsum itur in perfectionem rei: gradus autem qualitatis est duplex, alius specificus, alius individualis; primus est quatenus determinatur ad certum genus, & speciem secundùm essentiam suam, isteque consistit in indivisibili, quia dicit etiam quidditatem formalem, & præcisam, & tali pacto sumitur forma secundùm se, & absolutè: & quia species dicit ordinem ad infinita individua sub se possibilia, hinc gradus individuales sunt portiones perfectionales formæ specificæ extra ejus conceptum quidditativum; sed includentes ipsam formam specificam in suo conceptu; & inclusæ intra conceptum individui: Unde cum sint veluti portiones perfectionales, ideo habent suam integralem perfectionem, tum secundùm se, tum & multò magis, ut simul aggregati in eodem subjecto, & quia sunt accidentia, ideo desumunt suam integralem unitatem numeralem ab eodem subjecto, licèt secundùm se sint divisibiles in plures partes, seu gradus numericè incompletè distinctos, quos Philosophi majoris claritatis gratia reduxerunt in octo loquendo de naturalibus, quæ limitatio inest in eis, tum ratione potentiæ activæ, à qua producuntur, tum ratione passivæ, à qua recipiuntur, limitato modo, & tali pacto sumitur forma; non secundùm se, sed in comparatione ad individuum suum, & sic ut est in alio, & alio individuo, magis vel minùs determinat sibi alium, & alium gradum: loquendo tamen de charitate; augmentum est à solo Deo efficienter, ab homine meritoriè tantùm, sic S.Doct. *cit.*

Not. 3. ex Scoto *l.1. d.17. q. 1.* quòd formam suscipere magis, & minùs, aliud non est, quàm 360
ipsa magnitudo formæ, vel ratione extensionis in tanto, & tanto subjecto, vel ratione intensionis in eadem parte subjecti proveniens ex latitudine graduali formæ: gradus actuum, alius est quidditativus, & hic consistit in indivisibili, ut suprà dictum est; alius est perfectionis indivisibilis, secundùm quam magis, vel minùs perfectè informat materiam, quo enim magis accedit ad summum, eò perfectiùs informat subjectum, hanc autem latitudinem negant multi in formis substantialibus: alii admittunt cum Seraph. ut fusè in Philosophia probavimus, tum in tractatu de alteratione, tum in tract. de anima rationali; omnes tamen ipsam admittunt in formis accidentalibus, absque eo quòd fiat præjudicium unitati specificæ. Unde in ipsis stare potest diversitas gradualis cum subordinatione secundùm magis; & minùs pro ut sunt partes componentes totum physicum integrale intensionis, quæ diversitas est tantùm in prædicatis materialibus, non formalibus, ideo cum tali diversitate graduali individuali benè stat unitas specifica; & graduum subordinatio ad unam completam individualitatem eo modo, quo etiam evenit in toto integrali ætherogeneo physico, in quo sunt plures partes individuales subordinatæ totali ejusdem totius.

Not. 4. ex D Bon. *l.1. d.17. cit. q.2. ad 3.* quòd 361
quantum molis differenter augetur à quanto virtutis; nam in quanto molis simplicissimum est imperfectissimum, quia est per diminutionem; & in hoc quanto, quò quid est magis compositum, eò magis perfectum; & è contra; quò minùs compositum; magis est imperfectum; ut patet in puncto: in quanto virtutis simplicissimum est maximum, quia accessus ad simplicitatem est per additionem virtutis, & majoris puritatis, perfectionisque; & in hoc verificatur, quòd quantò aliquid est minùs compositum partibus materialibus, est minùs perfectum, & quantò magis compositum partibus formalibus, & activis, est magis perfectum; & hinc magnus ignis est virtuosior, non ratione quantitatis majoris, sed majoris

virtutis, & accessus ad summum ex quo infero, quòd gradus magis accedentes ad summum sint virtuosiores uniformiter, difformiter.

Not. 5. ex Seraph. *l.1.d.17.cit.q.2.ad ult.* quòd
362 augmentatio in qualitatis intensione fit per additionem gradus ad gradum, quæ non est pura aggregatio, sed est vera constitutio entis completi ex hoc, quòd, cum primus gradus ferat secum suam perfectionem simul cum imperfectione passiva, ob idque, & perfectibilitatem, & unibilitatem cum alio perfectiori, & sic deinceps usque ad ultimum gradum totaliter perficientem qualitatem, hinc consequenter dicendum ex doctrina Seraphica *ibid. ad* 4. quòd necessariò debet assignari ætherogeneitas in istis gradibus, quòd patet in ultimo gradu, in quo non adest unibilitas, & perfectibilitas ad alium; quod si essent ejusdem rationis, ultimus se haberet passivè ad septimum, & septimus ad sextum, & sic deinceps, & ob id haberent mutuam passivitatem, quod est impossibile secundùm eandem rationem; id enim est unibile alteri, quod est ab eo perfectibile, non quod est perfectivum ipsius; quam diversitatem appellat S. Bon. *l.2.d.4.q.1. ad* 2. accidentalem, scilicet individualem, & veluti materialem; unde charitas, cum sit possibilis perfici, est unibilis rei perficienti, & habet possibilitatem ad illud, quod additur, non in quantùm charitas, sed in quantùm imperfecta, & ita ex charitate, & gradu superaddito fit unum per compositionem.

363 Concl. 1. Intensio charitatis non fit præcisè per majorem imperfectionem, & depurationem à contrario, scilicet concupiscentiæ, nec per majorem existentiam, & radicationem in subjecto. Prima pars est contra Platonicos; 2. contra Thomistas: Est tamen S. Bon. *cit.* Scoti, & communior: prima pars probata est à nobis fusè in qualitatibus naturalibus in tractatu de alteratione; & de supernaturalibus probatur à Seraph. *cit.* exemplo primi hominis, & Angelorum, in quibus fuit infusa, & augmentata charitas absque permixtione ulla concupiscentiæ. Pr. 2. pars à S.Bon. omnis motus à minori ad majus, remanente eadem qualitate, & entitate, est augmentum; sed charitas manens eadem essentialiter, quæ habetur in via, augetur in patria, ergo, &c. tum quia charitati viæ respondet præmium gloriæ, & charitatis patriæ, sed in patria erunt præmia inæqualia, ergo, &c.

Concl 2. Augmentum graduum charitatis efficienter est à Deo, & ab homine est meritoriè: Prob. prima pars à S. Bon. *q.2. fund.* 3. Ab eodem res augetur, à quo producitur, sed charitas infunditur à Deo, & augetur ab ipso, ergo, &c. major prob. quia eadem est virtus potens in essentiam, & in gradus essentiæ, & accidentia ejus: prob. 2. pars, quia tale additamentum fit à Deo ratione operis meritorii nostri, ergo, &c.

364 Objic. 1. Omnis forma est invariabilis consistens indivisibili, ergo & charitas. Resp. S. Bon. verum esse antecedens quo ad essentias universales, & etiam singulares quo ad essentialia, non autem ratione subjecti, & quatenus in subjecto habent capacitatem ad magis, & magis perfici per novam additionem.

Objic. 2 Simplicitas non admittit magnitudinem, & additionem; ergo nec charitas, cum sit quid simplicissimum. Resp. esse simplicissimam quantitate molis, non virtutis, ob idque hanc admittere augmentum.

Contra instas: augmentum in corporalibus est secundùm accidens, & non secundùm substantiam; ergo & in charitate, si est additio, erit accidentalis, & non entitativa. R. S. Doct. disting. de augmento quantitatis: ista quidem est accidentalis subjecto, sed ipsi quantitati est substantialis, & entitativa, sic & charitas addita charitati est entitativè substantialis ipsi charitati.

Objic. 3. Omnis additio dicit compositionem, & hæc diminutionem virtutis inducit, ergo additio entitativa tollit simplicitatem; & confirmatur, quia per additionem graduum, vel fit aggregatum per accidens, & hoc non, cum sit omnino contrarium simplicitati: vel compositum per se, & hoc non, quia charitas quò magis perficeretur, eò magis esset composita. Resp. S. Bon. additionem partium formalium, & activatum, qualis est in charitate, augere etiam virtutem: Ad confirmat. Resp. neg. sequi aggregatum per accidens: & ad id de compositione jam patet ex 5. Nota-bili, redundare compositionem quandam virtualem ex additione graduum, per quam additur virtus nova, & tollitur passivitas, & imperfectio, ob idque per additionem fit accessus ad summum, exemplum aliquale habemus in progressu formarum substantialium; nam ex Seraph. forma corporeitatis disponit ad formam elementarem, ista ad formam mixtionis, istaque ad formam sensitivam, usque ad rationalem, per quam habetur totale complementum actuatum; sic & pari modo prior gradus ad alterum gradum disponit, & sic successivè usque ad ultimum, in quo est major possibilis actualitas.

Contra instabis: ergo sequitur, quod unum sit in potentia ad aliud; & si hoc, ergo dabitur in charitate compositio major, & minor: ergo & major imperfectio, & diminutio virtutis, cum sit id transitus à simplicitate ad compositionem, quæ omnia sunt charitati, quæ est entitas simplex, absona. R. S. Bon. concedendo, unum gradum esse in potentia non ad conversionem, sed ad unionem cum alio; ad sequelam de compositione majori, & minori concedendo talem compositionem, sed negando ex ipsa inferri majorem imperfectionem, & minorem simplicitatem; nam ut notat Seraph. in quanto molis accessus ad simplicitatem est accessus ad imperfectionem: in quanto virtutis è contra, additio majoris, & majoris entitatis, & virtutis est accessus ad simplicitatem participantem de simplicitate Dei, & ob id ad majorem virtutem, & ratio est (ait Ricardus à Mediavilla) quia per talem additionem fit semper major, & major exclusio imperfectionis.

Dices: Termini motus sunt incompossibiles, nec possunt simul stare, quia semper aliquis terminorum abjicitur, sed charitas major, & minor sunt termini motus augmenti, & præmii, ergo non potest fieri talis additio gradus ad gradum, & augmentum in charitate. R. hoc fuisse argumentum Gotfredi, qui dicebat per adventum novæ charitatis deperdi veterem; qui ab omnibus rejicitur; & respondeo, terminos motus esse incompossibiles secundùm quod habent oppositionem, sed isti gradus non habent oppositionem ratione entitatis positivæ, sed tantùm privationis; quæ includebatur in gradu præcedenti; & tunc conceditur, quòd illa privatio non manet, remanente tantùm priori charitate. Sic Scotus cum Seraph. alias objectiones habebis solutas in nostra Philosophia *p.3.tom. de alteratione q.5.*

Concl. 3. Gradus charitatis in perfectione individuali 365

viduali sunt ætherogenei, sicut & in aliis qualitatibus; sic Suarez cum pluribus aliis, quam existimo esse Seraph. D. ex supra notatis. Prob. 1. quia augmentum in quanto est præexistentis quantitatis additamentum, ergo & in qualitate, sed in quantitate non est necesse, ut partes sint æquales, ut de se patet, ergo nec in qualitate. Pr. 2. ex doctrina Seraphica *l.* 1. *d.* 17. *p.* 2. *q.* 2. *ad ultim.* gradus quò magis accedunt ad summum, eò sunt perfectiores, ergo & ætherogenei; prob. antecedens, quia gradus inferiores habent cum sua perfectione unibilitatem, & perfectibilitatem, quam minimè vel saltem non tantam habet superior, & multò minùs supremus: ergo, &c. Confirmatur, quia quò majùs fit accessus ad summum; eò major quantitas virtutis acquiritur, ergo & major entitas perfectionalis, cum virtus entitativa sit idem, quod ipsa substantia rei, ut sæpe notat Seraph. Et magis confirmatur ex ratione infusionis supernaturalis horum graduum, nam isti à Deo infunduntur magis, vel minùs perfecti secundùm majorem, vel minorem intensionem, vel perfectionem nostrorum actuum; ergo difformiter, & ætherogeneè; vide quæ à nobis tradita sunt *in cit. p.* 3. *Philos. de alterat. q.* 4.

Concl. 4. Augmentum charitatis entitativè est à Deo solo, meritoriè est etiam ab homine. Est Seraph. D. *l.* 1. *d.* 17. *p.* 2. *q.* 1. *&* *a.* 1. *in fund.* & prob. prima pars, quia augmentum qualitatis est ab eo solo, à quo produci potest, sed charitas à solo Deo creatur, ergo & augetur entitativè: prob. 2. pars, quia ideo Deus præbet nobis tale augmentum, quatenus nobis ipsum per actus meritorios meremur, & disponimur, ergo, &c.

QUÆSTIO V.

An charitas possit augeri, & intendi in infinitum?

366 PRima sententia est D. Thomæ hîc, & sequacium, & communior recentiorum, cum Caspensi *d.* 2. *sect.* 8. posse augeri semper, & semper in infinitum. 2. Est S. Doct. *l.* 1. *d* 17. *q. ult.* Scot. & plurium aliorum asser. quod, dato, quod charitas de se esset augmentabilis in infinitum, tamen in tali subjecto, ut in homine certum haberet terminum suæ magnitudinis, nec ultra posset procedi.

Not. 1. Quòd processus est duplex, unus ad materiam, alter ad formam: in primo processu non est status, sed abitur in infinitum, ut patet in divisione continui: in 2. contingit status, ut constat in augmentatione rei determinatæ, v. g. in calore, in igne, quia proceditur ad formam, & perfectionem limitatam, qua habita, fit status. N. 2. quod controvertitur apud Theologos: an animæ capacitas per adventum gratiæ, & charitatis augeatur. D. Thomas asserit. S Bon. *l.* 3. *d.* 13. *a.* 1. *q.* 3. *ad ult.* negat; sic & Scotus, & sequaces: Pro solutione advertendum ex Seraph. *cit.* quòd aliud est disponi animam ad charitatem, aliud est acquirere novam capacitatem; hæc autem in qualibet creatura est intrinsecè finita, & limitata, cum quælibet habeat naturam finitam, & limitatam. N. 3. quod qualitates sunt in duplici differentia, quædam enim introducuntur per remissionem contrarii in subjecto, ut calor, & frigus; aliæ verò absque remissione contrarii, ut lumen in aere, & gratia in anima, quibus nullum est contrarium positivum: in introductione primarum qualitatum proceditur successivè disponendo, non verò in introductione secundarum.

N. 4. Quòd sicut augmentum in corporalibus 367 à tribus venit, sic & in spiritualibus; sic Seraph. *q. ult.* videlicet à virtute agentis, à subjecto recipiente, & à forma perficiente, idque patet in homine, cujus augmentum stat, quando virtus caloris, & carnis secundùm speciem, & formam non potest amplius convertere, quàm deperdatur, quando potentia humidi radicalis non potest plus extendi, cum corpus redactum est perfectioni congruæ animæ: in spiritualibus etiam augmentum stat à parte virtutis agentis, sed quia loquendo de charitate Deus est voluntarius agens, hinc augmentum stat secundùm dispositionem suæ sapientiæ, licèt ipse sit virtutis infinitæ. Ex parte verò suscipientis est status limitatus, & hic vel est secundùm statum, vel secundùm aptitudinem, vel secundùm possibilitatem suscipientis: secundùm statum est in viris perfectis; secundùm aptitudinem est in Beatis, qui non possent amplius se disponere: secundùm possibilitatem sic est status in Christo, & in B. Virgine, quia Christus habuit tantum de gratia, & gloria, quantum potest recipere creatura unita Deo, & B. Virgo quantùm potest recipere pura creatura: Ex parte augmentabilis, cum pervenit ad quantitatem perfectam, quæ in Deo quidem est infinita: in qualibet creatura est limitata.

Concl. 1. Per adventum charitatis capacitas 368 animæ non dilatatur, sed tantum disponitur ad opera meritoria, & per ista ad novum augmentum. Est Seraph. D. *cit.* Ratio potissima est, quia omnis creatura habet naturam necessariò intrinsecè finitam, ergo & capacitatem, & potentiam susceptivam finitam, & limitatam: capacitas enim, & & potentia susceptiva sequitur naturam, cujus est potentia; tum quia potentia creaturæ receptiva charitatis est voluntas, ergo est finita, voluntas enim, cum sit idem, quod substantia non minuitur, nec augetur per adventum charitatis, ergo nec capacitas; tum quia sequeretur, quod quantò quis amplius reciperet charitatem, si magis ejus capacitas dilataretur, tantò deficeret sibi major charitas, & ita virtute cujuscumque agentis nunquam posset capacitas creaturæ repleri, quod est absurdum: Addimus tamen ex Seraph. primò quod, licèt capacitas non augeatur in ordine ad ulteriorem gradum, tamen disponitur ad ipsum, quia charitas reddit animam magis dispositam ad aliam novam: 2. quod capacitas animæ dilatatur in ordine ad virtutem cooperandi; sic S. Bonav. *l.* 3. *d.* 13. *cit.*

Concl. 2. Charitas non potest augeri in infini- 369 tum, sed habet intrinsecum sui augmenti terminum. ultra quem non est possibilis processus: Est Seraph. Doct. *cit.* Scoti, &c. Pr. 1. Omne, quod est in aliquo non excedit capacitatem ejus, in quo est: sed charitas est in anima, ergo non excedit ejus capacitatem; sed capacitas est finita, ergo, &c. R. Thomistæ, gratiam, & charitatem non mensurari capacitate naturali, sed obedientiali, quæ est infinita in ordine ad Dei virtutem, capacitatem elevantem supra proprium posse. Contra, quia forma non confert materiæ, id quod pertinet ad ejus capacitatem cum sit prior forma,

ergo nec ipsam dilatare potest, vel mutare. Resp. Caiet. quòd licèt potentia remota sequatur naturam subjecti, proxima tamen sequitur dispositiositionem, & variatur; cum autem charitas praecedens disponat animam ad ulteriorem gratiam, sicut calor ut quatuor disponit ad calorem, ut quinque, idem & dicendum est de charitate. Sed contra, quia dispositio proxima non extrahit subjectum à sua natura, & limitatione, est enim tantùm ordinata ad introductionem formae, non ad dilatationem materiae, quam relinquit in suo esse passivo limitato. Pr. 2. quia charitas est participatio quaedam divinae bonitatis, ergo necessariò est secundùm aliquem gradum limitatum, alioquin esset aequalis perfectioni divinae, ergo datur summa non valens ulteriùs excedere.

370 Objic. 1. Tantùm extenditur augmentum, quantùm virtus augmentantis, sed virtus augmentans Dei est infinita, ergo ad infinitatem se extendit. R. 1. esse veram majorem in agentibus naturalibus, non in agente per voluntatem, uti est Deus, qui operatur secundùm limitationem datam creaturae. R. . quod si virtus augmentantis sumatur pro ipsa charitate, quae superadditur, sic negatur esse infinitam, cum sit finita, & limitata.

Contra: à parte ipsius suscipientis datur capacitas inexplebilis, idque patet in transparente corpore ad lumen, quia aer numquam tantum recipit lumen, quin aliud, & aliud posset recipere; ergo sim. i modo se habet anima ad lumen charitatis, & gratiae. R. S. Bon. quod illuminatio aeris potest in ellig fieri vel per ipsius clarificationem, vel per luminum aggregationem; primo modo habet statum, cum enim pervenerit ad suum summum, tunc per quamcumque additionem novi luminis non potest fieri major clarificatio: 2. modo potest fieri quidem additio, sed per lumina diversa non se mutuo expellentia, ideoque, & plura in eodem medio possunt esse, sed tali pacto non fit additio gradus ad gradum, cum semper sit unica charitas in unica anima.

Objic. 2. Quia tale augmentum in infinitum à parte augmentabilis charitatis non repugnat: & probatur, quia charitas est aequè, imò magis in actu, sicut ignis, sed ignis in infinitum potest semper, & semper augeri, ergo & charitas. Resp. S. Bon. quòd ignis potest augeri in infinitum extensivo modo, non intensivo, quaelibet enim qualitas habet suum statum, sic & charitas.

Objic. 3. Quia objectum charitatis est infinitum, ergo & charitas in ipsum tendens. R. neg. conseq. nam objectum charitatis semper idem est & infinitum, & immutabile, cui nunquam charitas potest commensurari, nec ad mensuram objecti potest variari, &c.

Q. *An charitas viatoris possit pervenire ad charitatem Beatorum?* R. ex Seraph. quòd loquendo de graduali intensione potest viator pervenire, imò transcendere charitatem Beatorum; si verò consideretur quo ad actum diligendi, non potest viator ad actum comprehensoris pervenire, cum sit actus perfectior perveniens à lumine gloriae, &c.

QUAESTIO VI.

An charitas possit minui, vel corrumpi?

Supra determinatum est, quod charitas secun- 371
dùm intensionem potest augeri per gradus usque ad summum: quaeritur, an eadem ratio procedat in remissione, an scilicet charitas remittatur per deperditionem gradus, & gradus, sicut in caeteris qualitatibus naturalibus? 1. Op. admittit talem remissionem, secundùm quod augetur cupiditas, & dehabilitatio liberi arbitrii per veniale peccatum, sic etiam ex opposito diminuitur: quam opinionem rejicit efficaciter Seraph. Doct. ex eo, quòd charitatis augmentum non provenit à libero arbitrio, neque à concupiscentiae diminutione, ut supra probatum est; ergo nec diminutio. 2. Op. communis Theologorum fatetur, augmentum posse fieri gradatim, sed negat fieri diminutionem per gradus, sed totaliter deperdi.

Not. 1. Quòd est maxima concertatio inter Doctores, quare qualitates naturales possint gradatim minui, non autem charitas supernaturalis: Ulteriùs disquirunt, an, cum de facto non minuatur gradatim, an saltem de possibili possit minui: in qua Ricardus, & Durandus dicunt, quòd possit à Deo minui gradatim, eò quòd ejus natura potest etiam salvari in minimo gradu. Seraph, *l.1.d.17.p.2.a.1.q.3.ad* 4. ait quòd ex parte naturae suae non potest charitas minui; & ratio est, quia ipsa habet esse ex Dei influentia secundùm divinam acceptationem, sed quod Deus acceptet, hoc est ab ipso, & quod magis, & magis acceptet, hoc non est ex se, sed oportet, quod à nobis veniat; & quia per nos non potest minui, licèt possit totaliter deperdi, hinc sequitur talis impossibilitas, quae tantùm debet sumi de potentia ordinata, non absoluta. Et hinc sequitur ratio, quare qualitates naturales possunt gradatim minui, quia in causis naturalibus habetur causa augens, & diminuens, quibus subjiciuntur & habitus: charitas autem à solo Deo dependet, & cum Deus sit causa efficiens, & perficiens, & non deficiens, hinc ex parte Dei non diminuitur, nec ex parte suscipientis, quia nec per cessationem actus, cum non generetur ex actibus, nec per inordinationem actus, quia ista inordinatio vel tollit totaliter charitatem, vel si non tollit, nec est contraria iis, quae sunt ad finem, ut est peccatum veniale; utque id intelligatur. N. 2. quod inter peccatum mortale, & veniale, inter alia hoc discrimen interest, quòd mortale charitatem omnino corrumpit, & effectivè secundùm Thomistas, quia charitati contrariatur, & meritoriè secundùm S. Bon. *l.3. d.13.q.1.* & Scotum, quia peccans mortaliter meretur substractionem charitatis: veniale verò neutro modo minuit charitatem, scilicet nec effectivè, quia non attingit ipsam, cum veniale sit circa media; charitas verò circa finem: nec meritoriè, si enim mereretur diminutionem, esset talis diminutio supra id, quod delinquit.

Concl 1. Peccatum veniale non potest charita- 372
tem corrumpere, nec diminuere: Est S. Bon. hîc, & communis contra aliquos paucos: & probatur, quia si posset veniale corrumpere charitatem, vel minuere, posset etiam reddere inimicum Dei, & per consequens damnationem causare, quod est impossibile; & si posset minuere, posset etiam ad nihilum ipsam redigere, &c.

Objic.

Objic. Peccatum veniale est malum; ergo est tale, quia per ipsum adimitur aliquid de bono; sed naturalis habilitas majoris adhærentiæ, quàm charitas, & veniale adimit de bonitate naturali; ergo & de charitate. R. S. Bon. quòd peccatum veniale adimit aliquid de bono, sed citra terminum disponendo tantùm remotè, unde non potest in charitatem, quæ est terminus substantialis vitæ spiritualis, unde charitati contrarium solùm est peccatum mortale; veniale verò solùm quantùm ad quemdam fervorem charitatis, ut ait Seraph. *q. 3. in corp.*

Concl. 2. Charitas solum per peccatum mortale potest tolli non quidem effectivè agendo in ipsam, ut volunt Thomistæ, sed tantum demeritoriè, sic S. Bon *l. 3. d. 31. cit.* Scotus, &c. Ratio efficax est (ait S. Bon. *d. 17. p. 2. q. 3.*) quia charitas effectivè est ab influentia Dei ipsam producentis, & dispositivè ab anima merente: ergo solùm tollitur per aversionem totalem à Deo, ob quam Deus deserit peccatorem, & deserendo facit ipsam deficere in se ipsa, ergo, &c.

373 Concl. 3. Charitas de potentia ordinaria Dei non est subjecta diminutioni graduali, sed tantùm totali annihilationi: Est S. Bon. & communis. Probatur à Seraph. quatruplici modo: primo ex causalitate charitatis, causatur enim à solo Deo, & ab ipso solùm recipit augmentum, ergo solum à Deo potest esse diminutio; sed id non potest esse; ergo, &c. minor prob. quia Deus non subtrahit, nec minuit influentiam suæ gratiæ, nisi ob demeritum peccati mortalis, ob quod totaliter tollitur; ergo non potest diminui. 2. Ex parte oppositi, quod est peccatum mortale, per quod totaliter annihilatur, ut dictum est. 3. A parte subjecti, quod est liberum arbitrium, quandocumque enim se disponit de congruo ad suscipiendum, Deus influit, & auget charitatem; sed non abstrahit, nisi cum se disponit ad abstractionem, vel substractionem gratiæ, & hoc fit solùm per peccatum mortale, & aversionem à Deo, quæ totum tollit, ergo, &c. 4. Ex parte divinæ misericordiæ; Deus enim promptior est ad dandum, quàm ad subtrahendum charitatem; hinc est, quòd per actus bonos auget charitatem, per malos citra aversionem non minuit, nec tollit, &c.

Objic. Opposita nata sunt fieri circa idem, sed augmentum, & diminutio sunt opposita: ergo versantur circa charitatem. Resp. S. Bon. majorem esse veram, nisi alterum insit per naturam, alterum non sic: augmentum autem inest charitati per naturam, non verò diminutio ex rationibus supra allatis. Dices, gradus charitatis sunt ad invicem separabiles, ergo potest fieri diminutio. R. S. Bon. transeat antecedens de potentia Dei absoluta, negatur de ordinaria: Ratio est, quia ista separatio non est in nostra potestate, sed Dei solius, Deus enim non influit in destructionem, vel subtrahit, nisi homine se totaliter à Deo avertente. Reliqua de charitate vide apud Seraph. D. *à d. 27. usque ad 31.*

DISPVTATIO XVI.

De Gratia divina.

QVÆSTIO I.

Quid sit gratia, quotque modis sumitur hoc nomen gratia?

374 Suppon. 1. Quod hoc nomen gratiæ, potest sumi ab adverbio, gratis, & adjectivo, gratus: ab adjectivo resultat esse gratiosum, & alicui acceptum, vel qui alicui non est ingratus, & in hoc sensu non sumitur gratia hoc loco: ab adverbio gratis sumitur gratia pro ut significat beneficium liberaliter ab alio datum in bonum, & commodum alterius, & tali pacto sumitur nomen, gratiæ à Deo provenientis nobis.

375 Concl. 1. Gratiæ nomen potest sumi primo largissimè; 2. minus communiter; 3. strictè, & propriissimè; Est communis cum Seraph. D. *Centil. p. 3 sect. 35. Brevil. p. 5. c. 1. & l. 2. d. 4. q 2. ad 1. & d. 27. dub. 1. & Comp. Theol. l. 5. c. 3.* Explicantur omnia ista membra. Gratia communissimè sumpta comprehendit omnia dona nobis à Deo provenientia tam naturalia, quàm supernaturalia, & gratuita, de qua vide Seraph. D. *l. 2. d. 4. cit.* gratia minus communiter sumpta dividitur in gratiam inhærentem, & non inhærentem in anima; non inhærens est extra nos, ut Incarnatio Verbi, prædicatio, institutio Sacramentorum, mors Christi, miracula. Inhærens est, quæ intra nos advenit, & hæc dividitur in gratiam gratis datam, & in gratiam gratum facientem, & utraque est donum nullo modo debitum naturæ, sed omninò gratis concessum, & ordinatum per se ad aliquem effectum supernaturalem: gratia gratis data, alia est in utilitatem aliorum, ut Prophetia, &c. alia in utilitatem propriam. Gratia propriissimè, & strictè sumpta stat pro gratia gratum faciente, quæ sanctificat animam: De gratia secundo & tertio modo tantùm sumpta hîc est sermo. Gratia ista verò alia est actualis, quæ datur per modum permanentis, & dicitur habitualis: & ista alia, quæ præcisè non sanctificat, ut fides, & spes; alia quæ formaliter sanctificat, ut est charitas, & gratia sanctificans.

Concl. 2. Gratia quæcumque supernaturalis, 376
cum sit una, unicumque donum à Deo gratis datum, admittit tamen multiplicem comparationem, & etiam descriptionem; sic S. Bonav. *citat.* potest enim comparari ad suum principium à quo: ad suum subjectum in quo: ad suum oppositum contra quod: & ad suum effectum ad quem ordinatur: in ordine ad principium à quo dividitur in gratiam prædestinationis, vocationis, justificationis, & magnificationis. Deus enim primò gratiam præparat; 2. offert; 3. confert; 4. complet: in ordine ad subjectum, in quo dividitur in gratiam cogitationis, voluntatis, & perfectionis, nempe secundùm potentiam intellectivam, affectivam, & operativam: in ordine ad suum oppositum in gratiam protectionis, liberationis, & salvationis: protegit enim à malo tentationis, & pugnæ, liberat

liberat à malo persecutionis, & miseriæ, & salvat, & extrahit à malo culpæ, & sequelæ: in ordine ad effectus dividitur in prævenientem, & subsequentem, seu in operantem, & cooperantem; prævenit enim ipsam voluntatem, quæ præventio est à Deo omnino gratuita, & cooperatur adjuvando ipsum liberum arbitrium operans: N. tamen S. Doct. *l.* 2. *d.* 22. *dub.* 1. quòd hoc nomen gratiæ prævenientis, & subsequentis est æquivocum: nam secundùm quòd gratia communissimè sumitur, compræhendit sub nomine gratiæ prævenientis dona naturalia superaddita libero arbitrio, quæ valent disponere ad rectitudinem ipsius, ut bonum ingenium, simplicitas, mititas, pietas naturalis, & sub nomine gratiæ subsequentis compræhendit omnia dona merè gratuita; pro ut verò sumitur gratia minùs communiter, gratia præveniens est quodcumque donum supernaturale præveniens, & excitans voluntatem; & subsequens quatenus concurrit virtualiter ad motus supernaturales: Prout verò sumitur strictè pro gratia sanctificante, præveniens dicitur, quatenus informat animam, sanctificans eam, & liberans à malo, & dicitur subsequens, quatenus movet, & adjuvat ad opus meritorium,

377 Concl. 3. Gratia gratis data sic diffiniri potest: adjutorium divinitùs, & gratis datum, ut quis se præparet ad suscipiendum Spiritus Sancti donum, quo perveniat ad statum meriti. Gratia verò gratum faciens sic diffinitur: adjutorium divinitùs datum ad merendum: gratia verò communiter sumpta compræhendens gratis datam, & gratum facientem, sic diffinitur: adjutorium divinitùs liberaliter, & gratis datum creaturæ ad quemcumque actum supernaturalem indifferenter: dicitur divinitùs datum, quia est supra vires naturæ, dicitur liberaliter, & gratis datum, quia non est ullo modo debitum naturæ, sed est supra exigentiam ipsius naturæ, dependens purè à misericordia Dei; dicitur ad quemcumque actum supernaturalem, quia absque tali dono impossibile est operari supernaturaliter: sic S. Bon. *loc. cit. & in op. declarat. termin. theol.*

QUÆSTIO II.

De necessitate gratiæ: ubi expenduntur errores Hæreticorum, & status differentiæ versantis inter Catholicos Theologos exponitur.

378 QVia hæc quæstio continet plura, & disparata quæsita, & valdè difficilia, & præcipuè fundamenta contra varios errores Hæreticorum; hinc primò explicandum, quid senserit Pelagius, & post ipsum Semipelagiani; Pelagius igitur, ut suum errorem, & gratiam, quam re ipsa negabat, saltem verbis confiteri videretur, ipsam naturam rationalem, & liberi arbitrii donum gratiam appellabat; sicque dicebat, quòd cum Deus nos gratis, & absque ullis meritis nostris creaverit, dederitque mentem nobis, & liberum arbitrium, quibus justificaremur, quæ sufficiebant ad nostram justificationem, ideo omnem aliam gratiam à Deo infusam supernaturaliter, aliquodve auxilium, sive donum supernaturale rejiciebat, quod conduceret ad nostram justificationem, & ita negabat gratiam propriè sumptam tanquam superfluam, sed sustinebat nostram justificationem provenire à libero arbitrio posito in suo statu merè naturali benè operante; cum autem perspexisset, hunc suum errorem à toto mundo rejici, addidit requiri quidem aliquam gratiam ad benè operandum, sed istam nihil aliud esse, nisi ipsum liberum arbitrium hominis, quod superveniente lege, & doctrina evangelica Christi poterat benè operari, & inchoare suam salutem, & deinde superveniente aliquo adjutorio supernaturali Dei, vel intrinsecè, vel extrinsecè reddebat faciliorem impletionem divinorum mandatorum, quod adjutorium (dicebat) erat tantùm respectu intellectus, quatenus immittitur recordatio peccatorum, & Christi imitatio, & ex parte voluntatis quandam excitationem non intrinsecam, sed tantùm objectivam, quatenus ex objecto allicitur ad operandum hunc, unde absoluiè negabat gratiam omnem excitantem intrinsecè: sic ex Joan. à S. Thoma *q.* 19. *a.* 5. *n.* 6. Semipelagiani verò (qui fuerunt quidam Episcopi, & Clerici Massilienses Galli admittebant quidem gratiam adjuvantem, & subsequentem, sed negabant prævenientem, unde dicebant, initium fidei, & bonæ voluntatis esse à nobis: qui errores à D. Aug. & à pluribus Conciliis confutati sunt plenissimè.

Secundus error Hæreticorum nostri temporis est 379
Lutheri, & Calvini, aliorumque antiqui Draconis capitum, qui suscitarunt multas hæreses antiquorum: Lutherus igitur docet voluntatem nostram non se movere ad actus, sed veluti quoddam inanime passivè eos recipere à Deo, & hinc aufert libertatem ab homine, refertque Deum solùm auctorem boni, & mali, quam positionem postea aliqui ejus sectatores moderarunt, dicendo: remansisse libertatem respectu actuum malorum, non verò respectu bonorum: Calvinus verè admittit motum activum voluntatis ad actus bonos, & malos, sed addit talem motum esse ex absoluta necessitate, unde admittens libertatem à coactione, voluntatem non eximit à necessitate, & hinc Hæretici moderni indifferenter attribuunt ipsi Deo omnes actus & bonos, & malos, de qua re fusè Suarez *de divina gratia tom.* 1. *prol.* 5. *c.* 7. & Joan. à S. Thoma supra cit. Becanus *de Justific.* Vlteriùs isti hæretici negant dari gratiam efficacem, qua voluntas operetur bonum; unde homo (aiunt) non potest ullum bonum facere post peccatum Adæ, sed omnes actus hominis sunt peccata mortalia, cum non possit homo implere præcepta Dei. Becanus autem *loc. cit.* reducit errores Calvini ad sequentia capita.

Primum, peccata non tolluntur in justificatione, sed tantùm teguntur, seu non imputantur, & hoc virtute justitiæ Christi per fidem appræhensæ. 2. In justificatione non infunditur gratia, & justitia inhærens, qua homo interiùs renovetur, & in se fiat justus, sed tantùm dicitur justificari, quatenus imputatur illi justitia externa Christi, quia extra se justus esse censeatur. 3. Homo in justificatione, non fit justus in se, sed remanet peccator, injustus, & immundus, sed solùm censetur justus exteriùs in Christo. 4 Omnia opera hominis justificati in se, & ex natura sua sunt peccata mortalia. 5. Sola fides justificat, idest sufficit ad hoc, ut nobis imputetur justitia Christi eo modo, quo eleemosyna recipitur à paupere directa ipsi à divite. 6. Hæc fides justificans consistit in hoc, quòd certò credat peccata omnia

sibi esse remissa propter merita Christi, ac se justum esse in conspectu Dei, & qui hoc non credit, non habet fidem, &c. 7. Triplex est fides, altera miraculorum, estque de narratis à Christo; altera est veritatum, quæ sunt in Sacra Scriptura: 3. est promissionum factarum à Christo: scil. de gratuita remissione peccatorum per merita Christi, & hæc sola justificat. 8. Hæc tertia fides solùm est electorum, non reproborum. 9. Hæc fides semel habita non potest amitti. 10. Omnes, qui habent hanc fidem, certi sunt de sua justitia, perseverantia, & prædestinatione. 11. Hæc fides sufficit absque adminiculo bonorum operum: Ecce quomodo abyssus abyssum invocavit in his monstris inferni, contra quos errores fusè Theologi Controversistæ, quos solùm innuimus occasione tractationis de gratia. Et quia tota difficultas contra ipsos Novatores consistit circa componendam efficaciam divinæ voluntatis, & gratiæ cum libertate nostra (vult enim Calvinus, quod ex tali efficacia divinæ voluntatis, seu gratiæ auferatur nostra libertas) hinc in duas classes divisi sunt Catholici Theologi in eversione talis erroris.

380 Nam Thomistæ sustinent, totam efficaciam, & infallibilitatem esse in divino decreto considerato secundùm se, & pro ut discendit ab omnipotentia divina, non autem ex præsuppositione nostri consensus, iste enim est quid consequens, non antecedens, & est effectus ex ipsa efficacia Dei, & cum hæc efficacia sit summa, & universalissima, & omnipotens, potest etiam dare substantiam actus, determinationemque, & etiam modum libertatis. Et hinc oritur discrimen inter Thomistas, Calvinum, & Pelagium (ut expendit Joan. à S. Thom. *q.19. a.5. n.15.*) Thomistæ enim discrepant à Calvino in antecedente, quia ponunt efficaciam divinæ voluntatis ex sua natura, & antecedenter ad consensum nostrum, influentem in nostram voluntatem, & determinantem speciem, & individuum actus, & agentem voluntatem ipsam moventem, & excitantem, tribuendo ei modum libertatis, ideo illa efficacia voluntatis divinæ est causa actus, & ipsius libertatis, quia vult ipsum liberè fieri. Calvinus verò efficaciam divinæ gratiæ, ejusque voluntatis posuit tollentem libertatem, & determinantem, ut opus fit necessariò. Pelagius verò, ut libertatem salvaret, negavit efficaciam gratiæ antecedentis, & ipsam collocavit in solis viribus naturæ modo supra explicato: Quæ omnia fusiùs explicavimus in disp. de Prædestinatione.

QUÆSTIO III.

De necessitate gratiæ in ordine ad intellectus cognitionem.

381 NOt. 1. Quòd hîc non est sermo de gratia habituali, sed de actuali actu illuminante, & concurrente ad cognitionem intellectualem rerum, & quæritur, an puris viribus naturæ possit homo aliqua cognoscere, sive naturalia, sive supernaturalia, an omnia? N. 2. Quod gratiæ auxilium est illud, quod nobis Christus acquisivit; non enim mortuus est pro iis, qui non sunt, ut obtineret eis beneficium creationis, sed gratiam bene vivendi, & justificationis, scilicet, vel ut formaliter justificaremur, vel ut per eam disponeremur ad justificationem, vel in ea roboraremur, nobis obtinuit. Hîc autem Vasquez *d. 185. c. 1.* temerè dicit, antiquos Theologos ignorasse, quæ esset disputatio cum Pelagio, nam sustinet fuisse concertationem solùm de actuali auxilio gratiæ, non de habituali; in quo valde errat, nam ut videre est apud D. Bon. D. Thom. & præcipuè D. Aug. fuit controversia de utraque gratia, tam actuali, quam habituali.

Concl. 1. Ad cognoscendum veritates naturales speculativas, & singillarim sumptas in quocumque statu, non est necessaria specialis gratia per Christum promerita, benè autem ad cognoscendas omnes collectivè, sine errore; & multò magis prout ad salutem, & justificationem ordinatæ sunt. Est communis Theologorum, quorum aliqui pauci discrepant in modo, idque docet Seraph. *l. 2. d 28. a. 2. q. 3.* Pr. prima pars, quia Christus nobis meruit auxilia, quæ ad officium salvatoris pertinent; qualia non sunt veritates, v. g. Mathematicæ, Physicæ, &c. Tum quia ad ista, quæ non excedunt ordinem naturalem, sufficit auxilium ejusdem ordinis, sed homo habet suas vires naturales perfectas; ergo potest exire in actus suos, & maximè quia talia objecta habent movere naturaliter potentias, ergo, &c. Unde Apostolus ait ad Romanos *c. 1.* Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, cognoscuntur, nempe abstractivè, & per naturales consequentias inferendo dari primam causam, ut patet in Philosophis Gentilibus, ergo, &c. Pr. 2. pars, quia numerus rerum cognoscendarum est pœnè infinitus, & ex parte hominis adest ignorantia inflicta in pœnam peccati; & obscuritas ex parte intellectus; ergo sine speciali aliquo auxilio non possunt omnes percipi clarè, & evidenter. Et hinc ortum est, quod pauca evidenter cognoscimus, multa probabiliter tantùm, & hinc etiam orti sunt innumeri errores, quibus scatet Phylosophia, & quælibet alia scientia naturalis, in quibus lapsi sunt Gentiles. Addimus, hanc gratiam necessariam, & specialem dari per Christum, vel per modum gratiæ gratis datæ, sicque non perficientem hominem ad ordinem supernaturalem, vel per modum auxilii ut conferentis ad salutem, & ordinem supernaturalem. 382

Objic. 1. Istæ cognitiones non superant potentiam naturalem; ergo & si potest percipi aliqua ipsarum sine auxilio speciali gratuito, poterunt, & omnes unitim sumptæ, cum non sit major ratio de una, & altera, ac de omnibus. R. neg. conseq. & paritatem de aliqua speciali veritate, & de omnibus simul sumptis; ratio est, quia intellectus cum sit potentia naturalis, potest quidem ferri in aliquod objectum particulare, in quo non adsit tanta difficultas, sed cum adsit in ipso ignorantia inflicta, ut dictum est, non potest sine aliquo lumine superno haberi perfecta perceptio, ut evenit Salomoni, qui imbutus fuit à Deo perfectissima scientia rerum naturalium, unde ad illa homo habet potentiam remotam, non proximam, & completam.

Concl. 2. Ad cognitionem practicam aliquarum veritatum moralium non est necessaria gratia specialis, sed benè ad cognitionem omnium simul sumptarum; ratio primæ partis est (ait S. Bon. *cit.*) quia indidit Deus lumen judicatorium in intellectu hominis, & in voluntate pondus ad amplexandum veritates practicas, quæ sunt lumini naturali notæ, in cujus virtute potest intellectus faciliter ad ipsas se extendere, ergo, &c. Ratio secundæ partis est, quia multa sunt valdè obscura, ut patet in 383

in materia de justitia, castitate, aliisque virtutibus moralibus, ergo absque gratia speciali non potest homo ad ipsa se extendere absque errore: Vide S. Bon. *l. 2. d. 26. a. 2. q. ult.* & Suarez *tom. 1. de gratia l. 1. c. 2.* idque patet experientia in viris justis etiam doctissimis, qui non potuerunt pervenire ad cognitionem omnium veritatum scientificarum.

Concl. 3. Ad cognitionem veritatum fidei necessaria est gratia specialis per Christum; est de fide, & communis Theologorum: Ratio est, quia istæ veritates excedunt vires naturæ, nec sunt ex natura homini debitæ, ergo aliquod donum supernaturale requiritur. Dices, Hæretici credunt multos articulos fidei, & tamen carent tali dono supernaturali, ergo, &c. R. ipsos credere tales articulos ex humana persuasione, non per fidem supernaturalem, ut aliàs diximus in disputatione de fide.

QUÆSTIO IV.

An homo post Adæ peccatum possit honestè operari, aliquosque actus bonos facere absque aliquo dono gratuito supernaturali.

384 QUæstio ista plura dubia involuit, potestque excitari de actu disponente hominem ad gratiam gratum facientem; item & de resistentia tentationibus facienda, item & de omni alio bono naturali, de quibus agit Seraph. *l. 2. d. 28. a. 2. per totum.*

Not. 1. ex Seraph. *l. 2. d. 28. a. 2. q. 3* quòd opus dicitur tripliciter bonum: primo modo simpliciter, & hoc est bonum meritorium vitæ æternæ, & ad hoc requiritur gratia sanctificans: 2. dicitur bonum, quod de congruo disponit ad justificationem, & hoc necessariò præexigit aliquam gratiam gratis datam: 3. Dicitur bonum, quod est ordinabile ad finem ultimum, vel de se, vel ex circumstantiis, & de hoc procedit quæstio circa bonum honestum.

Concl. 1. Homo non potest se disponere ad justificationem, & ad gratiam sanctificantem sine aliqua gratia supernaturali. Est communis omnium Catholicorum cum Seraph. D. *l. 2. d. 28. a. 2. q. 1. contra Pelagium*, & prob. à Seraph. ex pluribus textibus S. Script. & ratio est, quia ad gratiam gratum facientem recipiendam est necessaria ex divino decreto dispositio ex parte liberi arbitrii, scilicet ex parte intellectus, & voluntatis, nempe assurgendo ad cognoscendam gratiam, & ipsam petendam; sed id est supra vim naturæ; ergo aliquid supernaturale requiritur; idest gratia gratis data excitans. Confirmatur, quia dispositio est ejusdem generis cum eo, ad quod disponit, ergo & dispositio ad formam supernaturalem debet esse supernaturalis.

Objic. ex Zach c. 1. ubi ait Deus: *Convertimini*
385 *ad me, & ego convertar ad vos*, conversio Dei ad nos est collatio gratiæ; ergo exigit, ut prius convertamur ad ipsum; ergo id potest fieri ex viribus naturæ. R. S. Bon. quòd dum dicit Deus, convertimini ad me, tunc nos invitat, & excitat sua gratia, quæ semper præstò est nobis: quatuor enim in salutis opere concurrunt, scilicet invitare, aquiescere, adjuvare, & permanere; primum est inspirationis, & excitationis supernaturalis divinæ: 2. est libertatis arbitrii: 3. est muneris divini: 4. est quid mixtum scilicet sollicitudinis nostræ, & divini pariter adjutorii: unde patet citatum textum facere pro nostra conclusione.

Objic. 2. Naturaliter est in nobis cupiditas veri, & boni, & beatitudinis inserta; ergo naturaliter homo desiderat beatitudinem, & gratiam; sed tale desiderium est excitatio dispositiva ad ipsam, ergo, &c. Confirmatur, quia natura appetit suam perfectionem, ad quam est creata: ergo & gratiam, &c. R. conced. maj. quo ad beatitudinem, & bonum in generali, sed negatur quo ad specialem, & propriam beatitudinem, & gratiam, unde sine speciali cognitione non potest homo appetere elicitivè gratiam, & beatitudinem, & transire ab inclinatione naturali ad veram elicitionem actus, idque patet in Philosophis, qui beatitudinem prædicabant, quærebant, & desiderabant, numquam tamen gratiam Dei adepti sunt. Ad confirmationem R. eodem modo: natura appetit suam perfectionem, sed intra terminos naturæ, non illam, quæ est supra vim naturæ.

Objic. 3. Sufficienter se disponit, qui facit, quod in se est: facienti enim quod in se est Deus non denegat gratiam; ergo sufficienter se disponit liberum arbitrium naturaliter faciendo quod in se est, & secundùm proprias vires naturæ R. S. Bon. quòd facere hominis quod in se est potest sumi privativè, & positivè: privativè pro ut privatus est omni gratia; sic non potest se disponere: positivè pro ut habet aliquam gratiam superadditam, sic cum ipsius adjutorio potest se disponere, &c. posse enim hominis naturale est nihil posse in ordine ad gratiam, cum non habeant proportionem, sed tantùm posse cum adjutorio gratiæ.

Objic. 4. Omne peccatum non solùm est expulsivum gratiæ, sed etiam nocivum naturæ, sed quod est nocivum, natura refugit; ergo natura potest naturaliter detestari peccatum. R. S. Bon. quòd detestari peccatum pro ut est offensivum divinæ Majestatis, solùm est virtutis supernaturalis; non pro ut est offensivum naturæ: v.g. quia fornicatio inducit morbum, hoc est naturalis virtutis, sed id non est se disponere ad gratiam, &c.

Concl. 2. Liberum arbitrium omni gratia destitutum potest alicui tentationi resistere, sed non cuilibet: Est D. Bon. cum communiori Thomistarum & recentiorum contra Arimin. aliosque aliquos negantes, posse aliquam tentationem vinci sine auxilio gratiæ Dei. Nota autem cum Caspens. *d. 1. sect. 7.* quòd duobus modis potest vinci aliqua tentatio; primo non solùm dissentiendo tentationi, sed etiam diligendo bonum oppositum ordinatum ad beatitudinem, & tali pacto impossibile est vincere viribus naturæ tentationem: 2. modo resistendo tantum, & non consentiendo in malum, & hoc vel ob aliquem naturalem finem, vel supernaturalem: quæstio est de hoc secundo modo resistendi, & dicimus cum Seraph. D. posse hominem resistere tentationi alicui levi puris viribus naturæ; ratio est, quia potest ob fines aliquos naturales homo eas rejicere: v.g. ob pudorem, ob damnum, vel quia videtur contrarium rationi. Et in hoc sensu loquitur S. Bon. dum admittit quo ad primam partem conclusionis in homine potentiam vincendi, vel resistendi alicui tentationi levi, vel facili superari; ratio est, quia, ut ait Seraph. *a. 2. q. 2.* homo habet naturale indicatorium, & quemdam naturalem remurmurantem instinctum contra malum 386

lum, nec est in malo confirmatus; ergo non implicat, ut naturaliter possit resistere alicui tentationi; tum quia potest homo suis viribus naturalibus facere aliquod bonum morale, ut infra patebit, ergo poterit etiam vincere aliquas contradictiones insurgentes in ipsum: tum quia non minorem virtutem habet voluntas ad bonum, quam sensus ad prava; ergo si sensus trahit ad prava, etiam voluntas poterit ad aliquod bonum; alias probationes à S. Script. erutas ex Seraph. D. vide apud Gaud. *d.1.q.9.n.151*. Pr. 2. pars, nempe quòd homo viribus naturæ non potest omnes tentationes, nec singulas vehementes vincere absque speciali auxilio Dei per Christum; ratio autem potissima, quam adducit Seraph. Doct. fundatur in hominis instabilitate, & infirmitate, non enim potest diù stare contra insultus Diaboli, nisi misericordia Domini adjuvetur, & id probat Seraph. exemplo foraminum plurium navis, & pugilis, qui ut se defendat ab hoste magis experto, dum se ex sua parte cooperit scuto, & ex alia se discooperit, & tandem læditur, tum & ob infirmitatem naturalem, cum homo sit obtenebratus ignorantia, & alligatus carnis concupiscentia, & infidelitate, ideo necesse est aliquando cadere; tum quia in oratione petimus, ne nos permittat induci in tentationem; ergo per se ipsum homo non potest se liberare, &c. vide alias rationes allatas à Seraph. D. *loc. cit.* & à P. Gaud. coacervatas ex pluribus locis S. Script. ex eodem Seraph.

Notabile tamen est, quòd contra hanc rationem Seraph. D. desumptam ex Oratione Dominica: & ne nos inducas in tentationem, objicit Faber c.2. ut plurimum infestus doctrinæ Seraph. D. quia sequeretur, quòd omnia dona, quæ à Deo petimus, essent à gratia per Christum, quod est falsum, petimus enim panem, pluvias, serenitatem, & gratias agimus Deo pro istis beneficiis, & tamen Christus non est mortuus, ut dentur nobis pluviæ, &c. ergo nec petitio contra tentationes arguit indigentiam gratiæ per Christum: sed resp. hunc Authorem valde decipi, cum patenter Ecclesia petat ista beneficia per Christum Dominum nostrum, tanquam ordinata ad salutem, & ad Dei majus servitium. Instabis. si potest homo alicui tentationi vi naturæ resistere; ergo poterit & omni; non enim est major ratio de una, quàm de alia. R. neg. sequelam, & paritatem; potest enim alicui levi resistere, sed non omnibus propter vitiatam naturam, ut dictum est.

387 Concl. 3. Homo post peccatum Adæ potest absque auxilio gratiæ aliquod bonum opus morale facere, non tamen omne; Est S. Bon. *supra cit. l. 2. d. 28.* Prob. autem prima pars pluribus textibus S. Script. ut ex Matth. c. 5 *Si diligitis eos, qui vos diligunt, &c.* non ne & Publicani hoc faciunt? sic & D. Aug. *lib. de spiritu, & littera, c. 28. & l. 5. de Civit. Dei, c. 12. & 15.* ubi affert exemplum Romanorum, qui ob bonas virtutes fuerunt à Deo prosperati; sic & D. Hieron. *in c. 1. ad Gal.* & D. Chrisost. *s. 67. ad pop.* Ratio autem est, quia potest homo naturaliter compati alteri homini, dare eleemosynam; tale enim opus non excedit vim naturæ, cum non sit totaliter corrupta, ipsiusque actionibus concurrat Deus concursu generali. Pr. 2. pars, quia si posset omnia bona moralia facere, posset etiam perseverare, quod est impossibile, cum perseverantia sit donum speciale Dei; ergo, &c. sed vide P. Gaud. nostrum fusè etiam ad satietatem hanc concl. probantem *d. 1. q. 10.*

QUÆSTIO V.

An possit homo amore amicitiæ Deum diligere super omnia absque auxilio gratiæ.

NOt. 1. Quòd hæc quæstio agitatur de statu 388 naturæ lapsæ, non integræ; de isto enim satis in 2. lib. egimus de Angelis, & Homine. 2. suppon. hìc moveri quæstionem de amore amicitiæ, non concupiscentiæ; amor autem amicitiæ vult objecto amato bonum propter ipsum, non propter propriam utilitatem; ad hoc autem tria requiruntur: primo ex parte diligendi, ut ametur Deus ratione bonitatis suæ, & quatenus in se est bonus: 2. ex parte rei concupitæ, quam propter amorem Dei desideramus, nempe nostram obedientiam, & fugam eorum, quæ illi adversantur: 3. ex parte modi diligendi, scilicet, ut efficaciter velimus in omnibus Deo obedire saltem in rebus gravibus; quando igitur deficit aliqua ex istis conditionibus, tunc dicitur dilectio imperfecta; sic ex S. Bonav. *l. 2. d. 3. p. 2. a. 3. q. 1.* Quæritur hinc, an absque dono gratiæ superadditæ possit homo viribus naturæ puræ Deum diligere hoc amore?

Prima opinio negat, posse Deum amari super omnia absque aliquo dono gratiæ superadditæ; sic Marsil. Pasqual. aliique. 2. asserit, posse hominem viribus naturæ purè Deum amare super omnia ut finem naturalem amore imperfecto, non verò perfecto; estque Seraph. D. D. Thomæ, & communis. Hinc N. 1. quod Deus potest considerari ut finis naturalis hominis, nempè ut est Author naturæ, & ut finis supernaturalis, ut Author gratiæ, & gloriæ: primo modo potest solis viribus naturæ cognosci, quo pacto Phylosophi cognoverunt Deum primam rerum causam, non verò 2. modo, cum id excedat omnem ordinem naturæ, *l. 2. d. 3. p. 2. a. 3. q. 1.*

Not. 2. Quòd amare Deum super omnia potest variè explicari, nempe quo ad entitatem actus entitativam, vel quo ad æstimationem, apprætiationemve, unde disquirunt Theologi, an talis amor debeat esse intensissimus, an verò sufficiat amor in quocumque gradu entitativo: in qua quæst. communior est, quòd amor sufficiat, ut sit supræmus in Deum, quo ad appræciationem, quatenus homo vult Deo bonum ex complacentia ipsius Dei, & quatenus est bonum ipsi Deo, non nobis: hic autem potest esse imperfectus, quatenus amatur, scilicet Deus, ut Author naturæ, & ut objectum naturale, & ut est unus, Creator, conservator, &c. potest & esse perfectus, quatenus ejus objectum est Deus, ut trinus, Sanctificator, Redemptor, & Glorificator.

Concl. 1. Homo, & Angelus in statu naturæ 389 institutæ poterat amare Deum perfectè: in statu naturæ lapsæ potest amare Deum imperfectè absque auxilio gratiæ. 1. pars est Seraph. D. *l. 2. d. 3. cit.* & communis; ratio est, quia Deus fecit Angelum, & hominem rectum, & omnibus donis naturalibus præditum, ergo poterat diligere Deum propter se, & super omnia, quòd ut fusè probatum fuit à nobis in . lib. de Angelis. Pr. 2. pars, quo ad amorem imperfectum, quia Deus potest viribus naturæ cognosci sub aliqua ratione veri, ergo & amari. Pr. 3. pars de amore perfecto, quia amor perfectus involuit observantiam mandatorum Dei; sed

hæc non potest haberi absque gratia superaddita; ergo, nec perfectè potest amari Deus.

Objic. Si poterat homo in statu naturæ institutæ diligere perfectè Deum; ergo in statu naturæ lapsæ: prob. conseq. quia vires naturæ remanserunt integræ etiam post lapsum; ergo, &c. R. S. Bon. neg. conseq & paritatem, nam in statu lapsæ naturæ adest & concupiscentia, & infirmitas, ut supra dictum est, quæ impediunt vires naturæ ad faciendum actus perfectos.

Dices: Homo potest perfectè viribus naturæ diligere creaturam super omnia; ergo & Deum, ad quem majorem habet inclinationem. Resp. S. Bon. transeat antecedens, negando consequentiam, & paritatem; ratio est, quia, ad sensibilia homo post peccatum magis inclinatur, nec amor creaturæ adeo multa exigit, sicut amor Dei.

QUÆSTIO VI.

An homo indigeat gratia actuali, vel habituali ad servandam legem Dei, ejusque præcepta?

390 DUplicem partem, vel controversiam continet iste titulus: prima, an viribus naturæ solis possit quis implere mandata Dei: 2. est, an dato quòd indigeat gratia, hæc debeat esse habitualis, an sufficiat actualis, & præveniens; proponitur autem à Theologis ista quæstio ad evertendos errores Pelagii, qui negabat necessitatem non solùm gratiæ actualis, sed & habitualis. Inter Theologos Catholicos. 1. Sent. est Scoti, Henr. aliorumque asserentium posse servari legem Dei absque auxilio speciali aliquali tempore, sed non diuturno: glossant tamen Scotistæ hanc sententiam pro Scoto admittente necessitatem concursus generalis gratiæ actualis, & per hoc eximunt ab errore Pelagii. 2. Sent. asserit non sufficere sola auxilia actualia ad servandam totam legem quoad substantiam, sed requiri habitualem, ne quis labatur iterum; sic Thomistæ communiter cum aliquibus aliis. 3. Sent. est S. Bon. *l.* 2. *d.* 28. *a.* 1. *q.* 3. sufficere ad observantiam legis quoad substantiam auxilia actualia, quo ad intensionem verò mandantis, & quo ad meritum requiri gratiam habitualem; qui tamen notat, quòd nomine gratiæ gratis datæ intelligit etiam dotes naturales superadditas, ut est naturalis pietas, & devotio, de quo infra.

Not. 1. ex eodem Seraph. *l.* 2. *d.* 4. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 1. quòd gratia multipliciter dicitur, uno modo communiter pro ut compræhendit quidquid naturalibus est superadditum, naturalibus inquam, quæ sunt de essentiali constitutione rei, sicut quis dicitur ex gratia habere bonum ingenium, benè legere, cantare, & hujusmodi; alio modo dicitur gratia quod superadditum est libero arbitrio ad rectitudinem faciens, & disponens; sicut dicimus virtutes naturales, ut est innocentia, mititas, pietas: 3. modo dicitur superadditum tanquam rectificans, & complens, & elevans, & hæc dicitur gratia gratum faciens. N. autem, quòd hîc S. Bon. solùm tradit hanc divisionem gratiæ in ordine ad Angelorum statum, dum erant in via, nec intendit omnimodam divisionem gratiæ tradere, quam postea tradidit *l.* 2. *d.* 27. *dub.* 1. ubi inter alia notat, quòd gratia largissimè sumpta comprehendit dona naturalia, & dona gratuita, ita quòd dona naturalia (intellige de iis, quæ faciunt, & disponunt ad rectitudinem, ut supra dictum est) dicuntur gratia præveniens, gratuita verò, scilicet auxilia actualia subsequens, & deinde superaddit gratiam gratum facientem, de qua infra suo loco. Hinc patet sensus Seraph. D. in hac quæst. de observantia præceptorum Dei, ut mox dicemus.

Not. 2. Quòd Seraph. D. *l.* 2. *d.* 28. *a.* 1. *q.* 3. *in corp.* distinguit de opere implente præceptum Dei dicens, quòd contingit impleri mandata dupliciter, vel quantùm ad genus operis, vel quantùm ad intentionem mandantis; unde eadem actio, v. g. honoratio parentum, largitio eleemosynæ, actus charitatis in proximum potest sumi præcisè, & secundùm se, & potest sumi pro ut est præcepta à Deo; sic primo modo potest fieri, & adimpleri cum adjutorio gratiæ gratis datæ, sive propriè dictæ, sive pro ut dicit quid supra traditum naturalibus faciens ad rectitudinem voluntatis, eo modo quo supra dictum est: 2. modo debet esse meritoria, ob idque præsupponit gratiam gratum facientem, &c.

Concl. 1. Ad observantiam alicujus præcepti, 391 sumpto opere præcisè, & secundùm se non est necessaria gratia habitualis, nec etiam actualis, sed tantùm requiritur gratia aliqua superaddita naturalibus faciens ad rectitudinem voluntatis: Est S. Bon. *cit.* & patet ex supra traditis, nam absque aliqua gratia propriè dicta potest homo facere aliquod opus bonum moraliter; ergo & aliquod opus impletivum præcepti naturalis, seu divini, sufficit enim virtus naturalis animæ cum adjutorio gratiæ gratis datæ, ut supra explicatum est, &c.

Concl. 2. Ad observandam totam legem Dei, 392 & præcepta requiritur aliquod auxilium gratuitum actuale, & ad observantiam legis Dei secundùm intentionem Dei requiritur etiam gratia habitualis: Est S. Bon. *d.* 23. *cit.* & communior. 1. pars est communis omnium Theolog. contra Pelagium ex pluribus textibus S. Script. allatis à Seraph. D. *d.* 28. *q.* 3. ratio autem est, quia homo cum sit ligatus concupiscentia, & infirmitate pœnali, ideo ipsi necessariò occurrunt multa impedimenta, ob quæ aliquando deficere ipsi necessarium est; ideo indiget auxilio supernaturali Dei. Pr. 2. pars, quia ad observantiam perfectam legis divinæ requiritur dilectio Dei super omnia supernaturaliter; sed hæc non potest haberi absque gratia habituali; ergo, &c. vide Seraph. D. *cit.* & *a.* 2. *q.* 3.

Objic. ex Deut. 30. Dicere Deum mandata sua sua non esse supra virtutem hominum; nec procul posita, ergo subjacent potentiæ naturali hominum. R. S. Bon. cum cæteris Theologis, quòd duplex est potentia in homine alia physica, alia moralis; sic & impotentia physica, & moralis, potentia physica est quidem naturalis, sed per impedimenta aliqua superaddita fit impotens, ut evenit in homine ob concupiscentiam, & infirmitatem pœnalem, & talis est status hominis post peccatum in ordine ad præcepta considerata secundùm intentionem Legislatoris, quæ tamen non dicuntur supra posse hominis, quia Dei gratia semper præstò est homini.

Instas: potest homo implere aliquod præceptum particulare absque gratia Dei per vires naturæ; ergo & omnia: prob. conseq. quia ista collectio sumitur successivè, estque finita; ergo, &c. R. neg. conseq. & paritatem, imò in argumento est fallacia; scilicet transitus à divisa, sed determinata designatione ad confusam collectionem, ut si dicas, hoc continuum potest dividi in hanc, & illam partem; ergo & in omnem partem collectivè, non valet; ratio est, quia impossibilitas, quæ est in illa collectione, est diversæ rationis ab ea, quæ est in singulis acti-

bus determinatè: potentia enim vitandi hoc, vel illud peccatum provenit ex indifferentia libertatis, impotentia verò, quæ est in tota collectione, est ex impedimentis occurrentibus; sic & loquuntur Theologi de vitatione peccatorum venialium: vide Suarez *de divina gratia l.* 1. *c.* 18.

593 Concl. 3. Ad observandam totam legem Dei non secundùm substantiam non est necessaria gratia habitualis, sed sufficit, & est necessaria actualis. Est S.Bon. *cit.* & communior, & rationabilior; sic enim aufertur excusabilitas in infidelibus, & peccatoribus; & probatur à Seraph. Doct. *a.* 1. *q.* 3. *&* *a.* 2. *q.* 3. quia ad hoc ut observantia legis ordinetur ad finem, scilicet ut sit dispositiva ad justificationem, requiritur adjutorium supernaturale; sed hoc est gratia actualis disponens de congruo, quod & supra probatum est *in q.* 3. ergo, &c.

Q. *An homo possit etiam existens in gratia, & charitate perseverare viribus naturæ in observantia, & gratia absque auxilio gratiæ; vel, an sufficiat ipsa gratia habitualis?* R. non solùm hominem non posse perseverare in justitia usque ad mortem absque auxilio speciali, sed neque per longum tempus quo ad observantiam mandatorum omnium collectivè sumptorum. Est communis, & prima pars patet, quia perseverantia finalis est donum speciale Dei supernaturale; sic decrevit Concil. Trid. est enim effectus specialissimus supernaturalis providentiæ divinæ, & ob id donum diversum à gratia justificante; tum quia gratia justificans non tollit à nobis corruptionem, & infirmitatem naturæ, neque deordinationem appetitus, nec habitus vitiosos, neq. occasiones continuas peccandi, ergo per longum tempus non potest vitari peccatum absque auxilio speciali.

DISPUTATIO XVII.

De Gratia actuali.

QUÆSTIO I.

An gratia actualis sit aliquid inhærens in anima: an verò consistat in actuali concursu extrinseco ad actus nostros.

594 PRo explicatione tituli, & difficultatis supponimus, hîc sumi gratiam actualem, prout contra distinguitur à gratia habituali permanente in anima, & ideo pro actu Dei, quo convenit nobiscum, vel auxiliatur ad operandum, non per modum permanentis, sed transeuntis, & tandiu durante, quandiu operatio: unde per hoc differt gratia habitualis ab actuali, quòd illa sequitur modum potentiæ, quia datur per modum principii, & virtutis: actualis verò sequitur leges, & modum ipsius operationis transeuntis. Quæritur igitur, an illud auxilium actuale detur animæ per modum inhærentis, licèt transeunter, ita ut sit cum voluntate etiam principium actus, non enim repugnat, aliquam qualitatem reperiri in subjecto non per modum permanentis, & habitus, sed transeuntis, & ad modum dispositionis, seu passionis, ut patet in Logica c. de qualitate: an verò consistat tale auxilium actuale in concursu divino extrinseco, assistente, & elevante, seu applicante potentiam, & actum ad statum supernaturalem. In qua quæstione tres opiniones celebres adferuntur.

Prima est Thomistarum apud Suar. *de divina gratia tom.* 2. *l.* 3. *c.* 19. *n.* 2. asserentium, non solùm immitti à Deo auxilium gratiæ per modum concursus simultanei, & si est gratiæ actualis per modum transeuntis, sed & infundi antecedenter in potentia aliquam qualitatem præviam, præmoventem eam per modum motionis transeuntis; sic Caiet. aliique apud *cit.* Suar. 2. Op. est Gabriel Henrici, aliorumque admittentium tantùm auxilium extrinsecum supernaturale tanquam influens cum voluntate in effectum, seu actum. 3 Op. admittit auxilium intrinsecum inhærens, simulque extrinsecum, ita ut existimet, implicare contradictionem dari auxilium extrinsecum absque eo quòd intrinsecum infundatur in potentia, licèt per modum transeuntis; sic plures Theologi apud Savedram, & Cumel. 4. Op. est S. Doct. & plurimorum aliorum admittentium, de potentia absoluta Dei posse dari auxilium tantùm extrinsecum actuale eo modo, quo dictum est de concursu divino ad visionem beatam *lib.* 1. *sent.* sed de facto tamen auxilium actuale consistere in utraque ratione, nempe auxilium actuale à Deo datur, ita ut in animam immittatur, non tamen præmovendo, & prædeterminando eo modo, quo dicunt Thomistæ, simulque per modum transeuntis concurrat ad actum voluntatis, unde pro ut immittitur in animam, datur nobis sine nobis, quatenus concurrit ad actum datur nobis, sed nobis concurrentibus. Pro solut. quæst. & intelligentia sententiæ Seraphicæ.

Not. 1. ex Seraph. D. *l.* 2. *d.* 26 *q.* 6. quòd cum gratia sit quædam influentia procedens à luce superna, quæ semper habet conjunctionem cum sua origine, sicut lumen cum sole, & quia semper suæ origini conjungitur, ideo non tantùm ei attribuitur operatio ratione subjecti, à quo est; unde sicut lumen operatur, non solùm cum aere, sed etiam in ipsum aerem ratione continuationis cum suo fonte, sic & gratia non solùm operatur cum libero arbitrio, sed etiam operatur in liberum abitrium, & liberum arbitrium movet; unde non est aliud dicere, gratiam liberum arbitrium movere, quàm gratiam esse Spiritus Sancti instrumentum ad movendum liberum arbitrium; ex quibus patet Seraph. D. mens in hac quæstione; ut autem clariùs habeatur. 595

Not. 2. Quòd communiter à Theologis ista gratia actualis considerata in ordine ad suum subjectum dividitur in gratiam cogitationis, voluntatis, & perfectionis secundùm triplicem potentiam ejus substantiæ, in qua est gratia, videlicet secundùm intellectivam, affectivam, & operativam; in ordine verò ad effectum ad quem est, & quem habet in voluntate, dividitur in prævenientem, & subsequentem; præveniens appellatur operans; subsequens cooperans; diciturque præveniens, quia prævenit; non enim est à libero arbitrio, sed à Deo infunditur faciens ipsam voluntatem bonam, scilicet elevatam supra vim naturalem; dicitur verò cooperans, sive subsequens

quens in quantùm adjuvat liberum arbitrium respectu boni operis eliciendi; sic *l. 2. d. 27. dub. 1.* hancque doctrinam explicaverat *d. 26. q. 6. in corp.* dicens, quod gratia operans liberum arbitrium prævenit, & movet, quia voluntas tali dono gratiæ informata movet se ipsam, cum sit potentia movens se ipsam; & si quæratur quomodo dicitur voluntas mota à gratia, & se ipsam movere. Resp. Seraph. *ibid. in corp.* gratia dicitur movere liberum arbitrium, quia ipsa est dispositio ad quemdam motum supernaturalem eo modo, quo pondus in corporibus disponit ad motum; sic & suo modo pondus in spiritibus, gratia autem est quoddam spirituale pondus datum animæ, per quod habet sursum tendere; & quoniam liberum arbitrium est natum se ipsum movere secundùm actus, in quos potest de se, cum est adjutum, & informatum gratia, excellentiùs movet se ipsum, ita quod cum liberum arbitrium sit movens, & motum, gratia disponit ipsum sub ratione moventis: sicque pro tanto dicitur gratia movere liberum arbitrium, quia liberum arbitrium gratia informatum, & dispositum, vel utique positum in actu primo movet se ipsum, per quem modum amor dicitur movere hominem ad magna opera facienda, unde sic movetur à Deo voluntas, quod etiam movetur à se ipsa. Ex qua doctrina patet discrimen inter D. Bon. & Thomistas, nam isti volunt, quod ultra ipsam gratiam intrinsecè attingentem voluntatem per modum transeuntis, requiratur qualitas præmovens, & prædeterminans ipsam voluntatem ad talem, & talem actum. Seraph. verò non admittit istam qualitatem præmoventem, & prædeterminantem, sed tantùm vult gratiam operantem attingere intrinsecè animam, & simul concurrere ad actum, & effectum.

397 Not. 3. Quòd cum apud Theologos certum sit gratiam actualem dividi in prævenientem, sive operantem, & in cooperantem, seu subsequentem, maximum dissidium est inter ipsos, in quonam consistat ratio formalis istius gratiæ prævenientis, seu operantis: Alii enim esse volunt motum voluntatis primum à Deo causatum; alii primam cogitationem; alii impulsum à Deo impressum moventem: alii alio modo ipsam explicant, quæ differentia tamen meo videri est non in re, sed in modo ipsam explicandi: Seraph. Doct. *citat. & in Brevil. & p. 5. c. 2. & Centil. p. 3. sect. 35.* docet, istam gratiam prævenientem immitti à Deo in liberum arbitrium, & consequenter tangere, & disponere intellectum, & voluntatem, per quam & intellectus, & voluntas præventa elevatur ad statum supernaturalem, & sic cooperando tali motioni exit in actus liberos per concursum gratiæ cooperantis.

Concl. 1. Gratia actualis non præexigit quali-
398 tatem infusam in voluntatem præmoventem ipsam, & determinantem ad suos actus: Est Seraph. D. & communior contra Thomistas sustinentes voluntatem non movere se ipsam, sed moveri ab ista qualitate prædeterminante in ordine ad primum actum: hæc conclusio satis à nobis probata fuit *in lib. 1. sent. in disputat. de prædestinatione*, ad quam remitto Lectorem, ubi probatum est ex tali prædeterminatione auferri libertatem in actibus primis voluntatis.

Concl. 2. Ad actus supernaturales est necessarium auxilium speciale gratiæ concomitans infusum per modum transeuntis in voluntate, simulque concurrens ad ipsos actus voluntatis, ad quos voluntas ipsa se ipsam movet absque aliquo superaddito extrinseco: Est S. Bon. *citati in fundam.* & communis inter Theologos, exceptis Thomistis, & Caspense *d. 3. s. 2. n. 11.* qui sustinet auxilium actuale Dei non distingui ab actibus animæ, sed cum ipsis identificari. Pr. Actus supernaturales sunt actus vitales voluntatis; ergo exigunt principium vitale supernaturale; ergo voluntas exigit aliquid ipsam elevans ad statum, & posse supernaturale; ergo aliquid inhærens in ipsa; ergo non sufficit auxilium extrinsecum, seu decretum novum de assistentia applicationis omnipotentiæ ad causam secundam antecedenter, ut dicunt Adversarii: Prob. conseq. hæc ultima, quia sic talis actus non esset à principio vitali supernaturali; tum quia talis concursus per adversarios identificatur cum actu voluntatis creatæ; sicque talis concursus producet id, quod est idem sibi ipsi; tum quia ad actus supernaturales requiritur causa supernaturalis, & voluntas in actu primo ergo debet priùs qualificare animam.

Concl. 3. Gratia actualis, pro ut est operans, 399
seu præveniens, datur nobis sine nobis; pro ut est cooperans, vel subsequens datur nobis, sed simul nobis cooperantibus: Est S. Bon. supra cit. & communior contra 1. & 2. opinionem: Explicatur simul, & prob. Gratia actualis est præveniens omnem motum voluntatis, ipsamque elevans ad vim supernaturalem; ergo datur nobis sine nobis; ergo infunditur in ipsa voluntate; sed eadem gratia etiam concurrit cum voluntate ad actus supernaturales; ergo ex hac ratione meritò dicitur cooperans, & subsequens; sic Seraph. D. *l. 2. d. 26. q. 6.*

Dices: Gratia actualis, pro ut concurrit cum voluntate, est actus vitalis; ergo non potest esse in nobis sine nobis. R. talem gratiam dici vitalem dupliciter, nempe pro ut recipitur in potentia, & pro ut concurrit ad actum vitalem; primo modo datur nobis sine nobis, non 2. modo. Ex quibus sequitur primò quòd rejicientes necessitatem qualitatis prædeterminantis Thomistarum, item & positionem solius extrinseci concursus Suar. & aliorum, media via incedimus admittentes ultra auxilium extrinsecum etiam intrinsecum tangens, vel infusum in libero arbitrio à Deo, per quod ponitur in actu primo ad actus supernaturales. 2. tale auxilium actuale pro ut prevenit liberum arbitrium, dari nobis sine nobis; & pro ut convenit cum ipso ad actus bonos, datur nobis simul cooperantibus; ideoque ratione primæ conditionis dicitur gratia præveniens, & operans, ratione secundæ dicitur cooperans, & subsequens. 3. quòd tale auxilium potest dici actus vitalis, tum quatenus recipitur in libero arbitrio, tum & quatenus cum ipso concurrit ad actus supernaturales, & ex hac 2. conditione propriè dicitur vitalis actus. 4. quòd quatenus gratia prævenit liberum arbitrium, dicitur ipsius motrix per modum excitantis, seu disponentis, & imperantis, & regentis; sic S. Bon. *d. 26. cit.*

Objic. 1. Si gratia præveniens movet voluntatem ad operandum; ergo prædeterminat eo modo, quo ponitur à Thomistis, sicque aufertur ei libertas; ergo non est ponenda talis gratia movens voluntatem; & confirmatur hæc ultima consequentia, quia omnis motor sufficiens est hoc aliquid, & substantia completa distans à mobili; sed gratia est accidens; ergo non potest movere voluntatem. Resp. S. Bonav. cit. negand. conseq. aliud enim est præmovere, aliud prædeterminare volunta

voluntatem; præmissio enim est tantùm dispositio & excitatio voluntatis ad bonum relinquendo ipsam in sua mera libertate; non sic prædeterminatio, ut infra dicetur, neque implicat ait Seraph. *cit.* quod voluntas simul moveat se ipsam, & moveatur à gratia; dicitur enim liberum arbitrium moveri à gratia, quatenus excitat, & diponit ipsum, elevatque simul ad statum supernaturalem, ut sicut ad opera naturalia se ipsum movet adjutum à concursu naturali Dei, sic ad opera supernaturalia adjutum à gratia se ipsum movet, quatenus liberè consonat tali gratiæ; & ad ultimam consequentiam R. quòd illa propositio aristotelica de motore sufficienti, verificatur de motore, qui est tota causa efficiens, & sufficiens, & tota causa motus: nec talis est gratia, quæ solùm est dispositio excitans, & elevans animam.

Objic. 2. Si gratia movet liberum arbitrium, aut movet naturaliter, & hoc non, alioquin opera meritoria essent naturalia, aut violenter, & hoc non, quia non essent meritoria; ergo voluntariè; sed neque hoc potest dici, quia gratia nec habet intellectum, nec voluntatem valens movere voluntariè; ergo nullo modo. R. Seraph. quòd movet voluntariè, non quod ratio voluntarii sit ab ipsa gratia, sed quatenus voluntas elevata, & disposita à gratia vult sic movere se ipsam. Objic. 3. Idem movens idem, in creaturis semper est natum facere idem; sed gratia est quid creatum, & movet liberum arbitrium, & invariata remanet; ergo ad idem opus semper movebit; sed hoc est falsum, cum à voluntate informata tali gratia varia opera exerceantur; ergo talis motio non potest esse ab ipsa gratia. Hæc objectio solvitur in sequentibus.

QVÆSTIO II.

An gratia actualis divisa à Theologis in operantem, & cooperantem, & excitantem, adjuvantem, & subsequentem sit eadem habens plures effectus, vel, an sint diversæ entitates gratiæ.

400 SUppon. 1. hîc, quòd supra etiam innuimus, nomine gratiæ actualis, pro ut contradistinguitur ab habituali, venire gratiam omnem, quæ datur à Deo per modum effectus, & operationis, qua concurrit nobiscum, vel auxiliatur ad operandum, non imprimendo aliquid permanens, & per modum habitus, sed per modum transeuntis tandiu durans, quandiu durat operatio, ob idque sequitur legem operationis; sic Seraph. *d.* 27. *dub.* 1. Habitualis verò, licèt concurrat ad actum supernaturalem, tamen cum primarius ejus effectus sit informare animam per modum habitus, hinc se teneat, & detur per modum principii, & virtutis, & quia ex gratia actuali proveniunt plures, & varii effectus, ob idque dividitur in varia capita, nempe in operantem, & cooperantem adjuvantem, &c. hinc quæritur, an sit unica gratia varios effectus producens; an sint variæ gratiæ à Deo infusæ. 1. Opinio est plurium Theologorum apud Suarez asserentium esse plures gratias: 2. communior S. Bon. & aliorum esse unicam valentem producere varios effectus, &c.

Not. 1. ex Seraph. *l.* 1. *d.* 26. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 5. *&* *d.* 27. *dub.* 1. quòd, cum gratia, quam Deus influit in animam, sit influentia divina, per quam elevat animam, simulque concurrit ad ipsius actus, inde habet movere animam, quæ ratione intellectus, & voluntatis est capax diversorum actuum, hinc & eadem gratia una in se existens potest movere ad varia opera, & varios exercere actus, & munera ratione variationis in motore sibi conjuncto, sine quo non potest movere. N. 2. quòd, cum gratia actualis se teneat secundùm leges actus, & operationis; est enim id, quo Deus concurrit ad actus supernaturales, hinc & induit rationem causæ universalis, cum autem ex Seraph. D. *l.* 1. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 2. Divina voluntas sit causa prima, & universalissima, & actualissima, ideo potest in totum effectum, & in totam rei substantiam, simulque potest influere in varios effectus, idemque dicendum suo modo de gratia actuali, quæ cum sit veluti instrumentum divinæ voluntatis, potest pertingere in se una existens ad plures effectus.

Concl. 1. Gratia actualis est unica entitativè 401
plures effectus valens producere: Est S. Bon. *l.* 2. *d.* 27. *dub.* 1. *&* *d.* 26. *q.* 6 *per totam, præcipuè ad ult. &* *d.* 27. *cit.* & prob quia dum extenditur ad intellectum, & voluntatem nostram, ipsam habet elevare, & fæcundare in ordine ad proprios actus supernaturales, sed isti sunt plures, & varii; ergo una existens potest esse operans, & cooperans, adjuvans, & concomitans, & subsequens: tum quia ad actus supernaturales requiritur potentia in actu primo completa per aliquid supernaturale, quod est gratia; ergo sicut potentia potest producere plures actus diversos; sic & itidem gratia.

Objic. ex Caspensi *d.* 3. *sect.* 2. *n.* 11. Gratia actualis mensurari debet secundùm rationem concursus generalis Dei ad actiones creatas; sed iste concursus non se tenet ex parte principii, sed ex parte actuum, & effectuum, ergo eodem modo mensuranda est; sed talis concursus identificatur cum actione creata, & quælibet est unius speciei, & multipliciter se habet ad multiplicationem effectum, ergo & gratia: Confirmatur, quia si collocaret animam in actu primo esset de genere qualitatis, & non haberet rationem operationis, quod est absurdum. R. ex Seraph. D. *d.* 27. *&* 26. *cit.* quòd secundùm unam rationem mensurari debet secundùm rationem concursus generalis, sed pro ut attingit ipsam potentiam elevatam, habet simul rationem qualitatis transeuntis, ideo utrumque munus exercet; sic una existens veluti causa universalis plures effectus potest producere in anima.

Concl. 2. Hæc gratia actualis optimè dividitur 402
in prævenientem, & operantem, & in cooperantem, seu concomitantem, & in subsequentem: Est communis omnium Theologorum cum Seraph. D. *loc. cit.* *d.* 27. *dub.* 1. quæ divisio à Theologis eruitur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ, & SS. PP. & præcipuè D. August. ut videre est apud Seraph. D. Suarez, Caspensem, Gaud. aliosque: Explicantur singula membra, simulque probantur. Dicitur hæc gratia actualis operans, sive præveniens, quatenus prævenit omnem actum intellectus, & voluntatis, sed ipsius potentias elevat ad hoc, ut possint agere supernaturaliter, ideo datur nobis sine nobis: dicitur & excitans, quatenus quantùm est ex se excitat ad bonum opus intellectum, & voluntatem: dicitur, & cooperans, & concomitans, quatenus simul cum potentia concurrit ad opus bonum, adjuvans, & potentiam, & elevans ipsum actuum ad statum supernaturalem,

turalem, dicitur, & subsequens, quatenus concurrit ad omne opus bonum prosequendum.

Concl. 3. Hæc nomina attributa gratiæ actuali competunt ex diversa ratione etiam gratiæ habituali. Est S.Bon. *d.27.dub.1.* & communis Theologorum: explicat Seraph hanc conclusionem tali pacto: Gratia habitualis dicitur præveniens, pro ut gratia est viæ: dicitur subsequens, pro ut est gloriæ: dicitur item magis propriè gratia præveniens in ordine ad malum tollendum, & subsequens in ordine ad bonum complendum.

QVÆSTIO III.

Quomodo gratia sufficiens distinguatur ab efficaci.

403 NOtissima apud Theologos est divisio gratiæ actualis in sufficientem, & efficacem, habeturque ex pluribus locis Sacræ Script. quam & tradunt Concilia, præcipuè Trident. *sess. 6. c. 13.* sufficiens gratia dicitur propriè illa, quæ non tantùm sufficit, ut homo dicatur, utcumque posse operari, sed etiam ut actu operetur, si velit, absque eo, quod alia addatur, alioquin non esset verè sufficiens, nisi nomine, & ob id complectitur gratiam, non solùm excitantem; seu prævenientem, sed & adjuvantem, & cooperantem. Gratia verò efficax non dicitur illa tantùm, quæ ponit hominem in actu primo, id enim, & efficit sufficiens, sed & ponit in actu secundo, & sumitur quatenus est conjuncta cum actu secundo, sic etiam Seraph. *d.27. dub.1.* dicit, quòd eadem gratia dicitur sufficiens, quatenus dat & posse, & velle actu: & quia efficax superaddit aliquid ad sufficientem, quæritur hic, quid sit id, quod superaddit? Prima opin. est Thomistarum, quos fusè refert P. Gaud *d. 1. q.4.* asserentium efficaciam gratiæ supra sufficientem importare duo: primum est prædeterminatio physica, quæ est qualitas antecedenter immissa in potentia à Deo præmovens ipsam physicè ad actum determinatum: 2. est novum auxilium uberiùs ultra prævenientem, & excitantem, addens quandam intrinsecam vim, & efficaciam in ordine ad producendum actum conversionis, & bonitatis operis 2. Opin. negat prædeterminationem illam physicam, sed tamen admittit novam gratiam supra excitantem, &c. estque plurium recentiorum, qui tamen divisi sunt inter se in assignatione talis auxilii superadditi, ut simul salvent libertatem; ut videre est apud P. Gaudent. *cit.* 3.opin. ait nihil superaddi ad auxilium sufficiens præter cooperationem nostram loquendo de cursu ordinario, nam extraordinariè aliquando Deus superaddit novum auxilium, & hæc est, quam sequitur tanquam germana Seraph. D. aliorumque est plurium.

Not. 1. Quòd cum in hac quæstione quæramus qualiter auxilium sufficiens distingatur ab efficaci, non per hoc intendimus ingredi illam difficillimam quæstionem, in quonam sit posita formaliter gratiæ divinæ efficacia, de qua scribere vetitum est à Summis Pontificibus, Paulo V. & Vrbano VIII. qui definitioni Sedis Apostolicæ reservarunt ipsius decisionem, solumque intendimus assignare differentiam, quæ versatur inter gratiam sufficientem, & efficacem, efficaciamque provenientem à divina gratia, & concursu divino, non verò ex parte voluntatis humanæ, quæ est scopus supradictæ prohibitionis. N.2. quòd, dum quærimus, an efficacia gratiæ involvat aliquam prædeterminationem, quæstio non est de prædeterminatione extrinseca Dei, quæ propriè dicitur præfinitio objectiva Dei, de ista enim egimus in primo libro agentes de prædestinatione, ubi probavimus hanc nihil officere libertati nostræ; sed de intrinseca, quæ importat qualitatem intrinsecam à Deo in voluntatem immissam, qua posita, & posito nostro concursu voluntas determinata reperitur ad hunc, vel illum actum: & circa istam etiam non intendimus tempus terere, cum ipsam rejecerimus *in cit. lib. 1. disp. de prædest.* unde hac omissa, solùm nobis superest discutere, an ultra auxilium gratiæ actualis sufficientis sit necessaria nova gratia ad talem efficaciam. N3. ex supra traditis à Seraph. quòd differunt inter se præmotio, & prædeterminatio, nam prædeterminatio est in plus, quia includit & præmotionem, & superaddit qualitatem physicam determinantem voluntatem ad hunc actum, vel illum: non sic præmotio, ut infra patebit: hæc enim moraliter tantùm movet vel per expositionem objecti, vel per consuetudinem bonam, vel per suavem tractionem Dei: dicitur communiter motio congruá, idest data loco, & tempore congruo, & accommodato, ut sequatur actus secundus, quam & fusè explicavimus *in cit loco l. 1.*

Concl. 1. Datur gratia sufficiens aliqua ad salutem, & ista est indistincta ab excitante, & adjuvante in actu primo spectata: prima pars est de fide, contra Hæreticos nostri temporis, præcipuè Calvinum, qui negant hanc gratiam efficacem, volunt enim omnem gratiam esse vel efficacem, vel insufficientem; illam esse præmoventem necessariò; istam nihil operantem: nam sæpè Deus conquæritur, quòd peccatores ab ipso vocati ad pœnitentiam, noluerint converti, sed si non daretur auxilium sufficiens ad salutem, Deus justè non conquæreretur; ergo, &c. & Concil. Trid. *sess. 6. c. 5.* docet, dari hominibus gratiam, cum qua justitiam consequi possunt, nisi propria voluntate ei resistant; at ista gratia, si est valens, & potens ad salutem, est sufficiens, etiam si ei desit effectus, ergo, &c. tum quia alioquin daretur justa excusatio peccatoris de suo peccato, ergo, &c. 2. pars. Pr. quia gratia sufficiens ponit potentiam in actu primo; sed idem facit gratia excitans, & adjuvans, ut supra probatum est; ergo, &c. Tum quia sufficientia in causa est propter operationem; sed tale est munus gratiæ excitantis, & adjuvantis, ergo, &c. Tum quia alioquin homo non teneretur operari benè, si careret gratia sufficienti, sed per gratiam excitantem, & adjuvantem constringitur homo ad talem obligationem, ergo, &c.

404

Concl. 2. Auxilium sufficiens datur omnibus hominibus: hæc conclusio aliàs à nobis tradita est, & fusè probata *in lib. 1. sent.* ad quam remitto Lectorem, fundataque est in vi redemptionis, & meritorum Christi, qui pro omnibus saltem ad sufficientiam dedit bona voluntate suum sanguinem, & ab hac portione fructus redemptionis neminem exclusit, ne daretur excusatio ulla in peccato, & damnatione.

Concl. 3. Auxilium sufficiens à Deo non datur 405 quovis tempore, est tamen semper paratum omnibus ad vitandum novum peccatum, quod sine illo vitare non posset: prima pars probatur, quia

quia auxilium sufficiens consistit primò in actibus indeliberatis, cum respectu ipsius se habeat passivè anima; sed experientia patet non semper adesse istos motus; ergo, &c. 2. Pars prob. quia nisi Deus paratum haberet suum auxilium daretur excusatio in peccato: Vide S. Bonav. *l.* 2. *d.* 28. *quæst. ult.* Objic. contra primam partem, quia semper Deus hortatur peccatores ad pœnitentiam; ergo semper datur. Resp. hortatur Deus peccatores, ut amplectantur auxilia pro loco, & tempore; certum enim est, quòd homo, dum actu peccat, tunc caret tali auxilio actuali.

406 Concl. 4. Auxilium sufficiens non omnibus datur æquale. Est communis omnium Theologorum, quàm fusè tradit Suarez de divina gratia *l.* 4. *cap.* 19. Explicatur, & probatur, quia istud auxilium habet plures gradus secundùm magis, & minùs; ergo inæqualiter datur; nam respectu diversorum statuum datur: & diversimodè præparat: respectu verò diversarum personarum in particulari aliquibus exhibetur, vel offertur, sed non datur, quia licèt oblatus, non pervenit ad ipsos, v. g. illuminatio, fides, &c. & hoc ob eorum culpam; ait enim Spiritus Sanctus Oseæ: Perditio tua ex te Israel? Aliis datur posse, sed non velle, & in his Deus se habet permissivè tantùm; aliis datur de facto brevi tempore, aliis longo tempore, aliis finaliter, quæ differentia tamen non est essentialis, sed accidentalis, & per connotata, nempe ex parte hominis amplexantis, vel rejicientis talia auxilia.

407 Concl. 5. Auxilium actuale rectè dividitur in sufficiens, & efficax divisione non generis, & speciei, sed subjecti in accidentia, seu connotata: Est Seraph. Doct. *cit.* & communior contra Thomistas, qui volunt auxilium sufficiens essentialiter differre ab efficaci, nam sufficiens (secundùm illos) nec ex se, nec ex sua virtute intrinseca inducit effectum, & operationem, respectu cujus dicitur sufficiens, sed solùm tribuit voluntati, ut possit proximè illam producere: non sic efficax, quod ex se, & ex sua natura, seu virtute intrinseca, pro ut à Deo datur, antecedenter ad effectum habet efficaciam in actu primo ad illum producendum. Nos verò dicimus, auxilium actuale dividi in sufficiens, & efficax, quæ divisio est subjecti in accidentia, seu potiùs connotata, eo modo (ait Caspensis *d.* 3. *s.* 8.) quo dicitur, quòd homo alius est puer, alius est vir: sic auxilium dicitur sufficiens, quatenus connotat carentiam efficientiæ, vel actualis operationis, quia satis est ad efficiendum supernaturalem actum: Efficax verò connotat actualem operationem: sic & Lessius *d. de gratia efficaci c.* 9. aliique cum Seraph. D. cit. Prob. autem primò ex illo loco Matth. cap. 26. *Hic est Sanguis novi Testamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur.* Nota, quòd dicit pro multis, non pro omnibus, quia ibi, ut exponit D. Thomas, loquitur de sua Passione quo ad efficaciam, & addit Seraph. *l.* 3. *d.* 19. *a.* 1. *quæst.* 2. *& d.* 20. *quæst.* 5. *ad ultim. & d.* 21. *quæst.* 5. *in corp. & l.* 4. *d.* 4. *p.* 1. *quæst.* 3. *ad* 1. *& quæst.* 2. *ad* 3. Passio Christi quo ad sufficientiam omnibus prodest, sed quo ad efficaciam solùm illis, qui Passioni Christi per fidem, & charitatem conjunguntur; ergo auxilium gratiæ rectè dividitur in hæc duo membra penes connotata; quæ conclusio magis patebit ex sequentibus.

408 Concl. 6. Auxilium efficax supra sufficiens addit non novam gratiam, ordinariè loquendo, sed tantùm cooperationem nostram; quare inefficacia divinæ gratiæ sita est non in defectu prædeterminationis physicæ, nec in deficientia novæ gratiæ, sed in defectu nostræ cooperationis, quæ posita est in nostra libertate. Hæc conclusio est Seraph. D. & communior his temporibus: ut autem explicetur clarè hæc sententia, in qua totius difficultatis vis, & solutio quæst. consistit. Not. quòd in explicatione hujus difficultatis sunt varii modi Theologorum dicendi: nam cum omnes ferè conveniant efficaciam addere novum beneficium supra sufficientem. Hoc autem beneficium aliqui apud Suarez de auxilio *l.* 5. *c.* 10. dicunt esse quandam vim intrinsecam, & efficacem non quidem physicè cogentem, sed tantùm moraliter, ita ut numquam ei resistatur. Alii esse quandam contemperationem liberi arbitrii, & vocationis, ex qua infallibiliter sequitur consensus, præcisa quacumque scientia media: sic Mascarenus, & Valentia *d.* 8. *quæst.* 3. *p.* 4. *s.* 2. Alii istam vim infallibilem inefficaci recognoscunt non in ipsa entitate gratiæ, sed pro ut subest scientiæ Dei mediæ, quæ prævidit hominem, si tali gratia præveniatur, congruo tempore consenserit: unde prædestinatis datur cum tali congruitate, reprobis absque tali congruitate: Ita cum aliis Suarez: Alii verò (& est communior his temporibus) volunt efficaciam gratiæ addere solùm cooperationem factam à voluntate amplexante gratiam excitantem, & ideo involuere eamdem ut adjuvantem, & cooperantem; sic Faber, Molina, aliique plurimi, qui tamen dicunt id fieri cursu ordinario; nam dantur quædam vocationes extraordinariæ, ut in Magdalena, Saulo &c. quæ admittunt novam peculiarem gratiam, quod in tractatu de Prædestin. notavimus.

Nos autem ex Seraph. dicimus à Deo dari 409
omnibus gratiam prævenientem, quæ de se respectu omnium est congrua, & nulli dari incongruam, in nostraque potestate esse, supposito auxilio prævenienti, ipsam reddere congruam, scilicet amplexando, & cooperando ipsi gratiæ prævenienti, quod & Vasquez, pluresque alii docent; quòd vero hæc sit germana mens Seraph. Doct. clarè potest elici ex pluribus locis ejusdem Seraph. nam ut rectè notat P. Gaudent. *quæst.* 4. 69. *seq. in l.* 1. *d.* 47. *q.* 2. *in corp.* docet, quod Deus vult omnes homines salvos fieri, quantùm in se est, quæ voluntas non connotat salutem, nec propriè, & absolutè, ut ad effectus salutis, sed connotat ordinationem naturæ ad salutem, ad quam Deus paratus est concurrere, ita quod salus non deficit ex parte Dei, sed ex parte nostri; *& ibidem quæst.* 2. *ad* 3. dicit quòd divina voluntas non determinat absolutè salutem, quia vult, ut unusquisque habeat propriam libertatem, & faciat, quod vult: & *d.* 42. *a.* 1. *q.* 2. *corp.* Deum non omnes velle justificare ad justitiæ suæ ostensionem, & si hoc; ergo præsciti non justificantur, quia nolunt, alioquin non esset actus justitiæ eos non justificare, sed voluntatis, & secretæ sapientiæ, & ideo omnibus auxilia ad salutem necessaria præparavit, & si ista ad salutem actualem non conferunt, id evenit ob nostram culpam, ut explicat fusè *d.* 46. *q.* 1. *& d.* 40. *a.* 2. *q.* 2. pro qua probanda supponimus id quod *in lib.* 1. *cit.* traditum est à nobis: gratiam sufficientem esse donum gratuitum Dei per Christum, ejusque passionem nobis promeritum

promeritum, exhibitumque esse voluntate Dei antecedente vera, & sincera ad salutem consequendam, & ad opera legis rectè facienda, per quam Deus facit, nos posse facere non solùm in actu 1. sed & in actu 2. sic enim importat hoc nomen gratiæ sufficientis.

Prob. autem hæc conclusio primò Deus vult omnes homines salvos fieri; sed hæc est vera voluntas; ergo involuit omnia media necessaria ad talem finem: Igitur Deus præparat media de se efficacia ad salutem in tempore; alioquin non verè vellet salutem; sic S. Bon. *l.* 1. *d.*46. *cit.* Resp. Adversarii, homines illo auxilio posse salvari, sed de facto non esse salvandos. Contra, ergo ex parte auxiliorum adest efficacia, si possunt salvari; ergo omne aliud ab ipsis distinctum est superfluum; sicque damnatio provenit ex nostra culpa. Et pro hac conclusione faciunt innumera loca Sacræ Scripturæ, in quibus Deus præcipit observantiam suorum mandatorum omnibus hominibus; ergo (infert Seraph.) debent supponi auxilia necessaria ad talem observantiam, alioquin præciperet impossibilia, quod est nefas dicere; nec valet dicere, Deum dare reprobis gratiam incongruam, non quidem antecedenter, sed supposito eorum prævisio discensu, quæ responsio continet implicantiam: Si enim Deus prævidit reproborum discensum, vel poterant amplecti auxilia, vel non: Si primum id est, quod & nos dicimus: si non; ergo erit Pater, & Medicus illudens, & impius: & dabitur excusatio in peccato.

Prob. 2. Quia eadem entitativa vocatione unus trahitur, alius non, ut evenit ex prædicatione Petri Act. 2. ergo venit ex parte liberi arbitrii hominis renuentis talia auxilia.

Prob. 3. Si in reprobis gratia est incongrua; ergo non est sufficiens, quia eis deest aliquod principium ad operandum, & si non est necessaria talis congruitas; ergo est superflua.

Prob. 4. quia gratia ex sua intrinseca ratione non solùm in genere causæ formalis integrat posse in actu primo; sed etiam in genere causæ efficientis valet ad actum secundùm, & ad agendum; tum quia si non esset sufficiens nisi remotè, vel in actu primo tantùm, malè diceretur, & fictè sufficiens.

Objic. 1. ex Joan. c.6. Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum; ergo qui veniunt, speciali auxilio trahuntur. Huic textui varii variè respondent, sed Seraph. notat in hunc locum, Deum habere multos modos trahendi, revelationibus, imperrationibus, blanditiis, admonitionibus, comminationibus flagellis, quæ omnia indicant aliquam tractionem moralem, ad quam non omnes veniunt, sed tamen omnes ex se sunt efficaces, licèt aliæ aliis validiores secundùm divinam sapientiam dispositæ: quod auxilium supernaturale est omninò necessarium licèt non in omnes habeat effectum, & hoc ex defectu nostri.

Objic. 2. ex Joan. Ego cognosco oves meas, & nemo rapiet eas de manu mea, & ad Roman. c.8. Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei; & c.11. O altitudo, &c. quam incompræhensibilia, &c.& Matth.11.Confiteor tibi Pater,quia abscondisti hæc, &c R. S. Bon. omnia ista loca solùm probare oves Dei esse tales, quia sequuntur Christum, ejusque inspirationes: & ad illud de incompræhensibilitate judiciorum Dei. R. S. Bon. *l.* 1. *d.* 41. *q.* 1. imò ex hoc loco probari nostram conclusionem; non essent enim incompræhensibilia, sed tantùm voluntaria, si aliqui salvarentur, quia Deus eos vult salvos; alii damnantur, quia eos non vult positivè, sed benè mirabile, quod quibusdam dat majores gratias, aliis minores, sed tamen omnibus sufficientes ad salutem, ideo damnantur, quia ipsi respuunt talia auxilia. Vide ibidem Seraph. ubi plura ad hoc adducit dignissima. Afferuntur ab Adversariis plura loca ex D. Augustino, qui videtur recognoscere electionem Dei ex gratia, non à libero arbitrio; sed tamen notandum ex Seraph. quod Divus Augustinus, quando scribebat contra Pelagium, & Semipelagianos semper ad extremam probantem necessitatem gratiæ in nobis se stare; sed quando ex professo tractat de auxiliis gratiæ, recognoscit discrimen electorum, & reproborum ex libero consensu, vel discensu ipsorum hominum, quod fusè, & doctè expendit P. Gaudent. Vasquez, Lessius, &c.

Objic. 3. cum Joan. à S. Thom. *d.*24. *a.*1. *n.*3. *& a.*2. *n.*4. dicere, gratiam efficacem nihil addere gratiæ sufficienti, videtur propositio Semipelagianorum, probaturque, quia nos dicimus fieri efficacem ex nostra cooperatione, sicque nos tribuimus viribus naturæ talem efficacitatem, quæ objectio est Achilles Thomistarum. Resp. neg. sequelam, quam inferunt Thomistæ; ad probationem R. Auxilium sufficiens sumere efficaciam sufficienter à Deo, & formaliter à perfectione ejusdem auxilii, quæ intrinsecè est talis virtus agendi, sed quia tale auxilium non exercet actu suam efficaciam sine libero arbitrio concausante, & concurrente cum illo, hinc tamen non sequitur, quòd à voluntate nostra recipiat efficaciam, sed solùm quod non ipsam exercet sine voluntate nostra & ratio est, quia efficacia, pro ut dicit potestatem, est ab auxilio, prout dicit causalitatem in actu primo, est ab ipso auxilio illuminante intellectum, & inclinando affectum, & in actu secundo est simul cum actione nostra; nam ut notat *lib.*1. *d.*41. *q.*2. nostra justificatio est quidem à divina voluntate, sed cum operatione, & præparatione liberi arbitrii; sicque semper remanet, quòd efficacia formaliter non est à mea voluntate, licèt non sit sine ea; ratio est, quia licèt gratia efficax à solo Deo pendeat absque ullis meritis nostris, pendet tamen etiam à nostra voluntate, non quidem eam sibi comparante suis meritis, sed velut ab implente conditionem, quam nobis ad illam implendam Deus imposuit, quæ conditio in hoc consistit, quòd voluntas ex parte sui non desit gratiæ sufficienti jam datæ; sic Seraph. Doct.

Contra instant; ergo auxilium efficax non erit per se, si illi debet adjungi voluntas nostra, & per consequens gratia subjicietur libero arbitrio. Resp. dist. consequens: auxilium de se non erit efficax per se, si sumitur causalitas præveniens pro ut inducit ad consensum, nego, quia ipsum solùm attrahit, & allicit voluntatem: si sumitur in actuali executione, & determinatione voluntatis, seu cooperatione; sic concedo: sicque negatur ultima consequentia, nam requiritur tantùm, quod in aliquo genere causalitatis gratia comitetur liberum arbitrium: sed tamen essentialiter efficacitas debetur ipsi gratiæ per se. Ex quibus omnibus sequitur primò gratiam

tiam efficacem esse in entitate eamdem, ac excitantem, & sufficientem, solumque involuere habitudinem, seu connotationem ad cooperationem liberi arbitrii auxilio gratiæ simultaneo. 2. sequitur infallibilem connexionem, quæ in vocatione efficaci cum libero consensu invenitur, non esse merè causalem, cum non adsit qualitas prædeterminans, sed esse præscientiæ conditionatæ, qua scit Deus, quid sit actura voluntas tali, vel tali tempore; unde hæc infallibilitas stat ex parte intellectus, & cognitionis respectu objecti, sive effectus, non verò ex parte causæ secundùm se, seu auxilii. 3. Sequitur quod omnis vocatio facta per excitantem sit congrua de se, & valida ad trahendam voluntatem ad consensum, & cooperationem, licèt dentur varii gradus secundùm magis, & minùs validi ad excitandum, unde incongruitas vocationis, seu inefficacitas reproborum provenit tantùm ex parte nostra, non auxilii divini.

411 Q. *An qui consentit prævenienti gratiæ recipiat majus auxilium, quam qui non consentit?* Resp. 1. quod si sumatur auxilium præveniens per ordinem ad concomitantem, & adjuvantem, consequentemque, semper is, qui consentit, habet majus auxilium, quàm qui non consentit, hic enim caret adjuvante ex defectu suo; si verò comparatur gratia præveniens secundùm suam entitatem propriam, & secundùm vim physicam ad eamdem in ratione doni, & beneficii gratuiti secundùm aliquas peculiares circumstantias, v. g. oblatam in tali, & tali, & magis congruo tempore, potest dici ista gratia major eadem sumpta præcisè secundùm suam entitatem, non quòd adsit nova gratia, sed ratione circumstantiarum; nec item quod voluntas non possit etiam sine talibus circumstantiis ipsam amplecti, sed ob majorem congruitatem, vel facilitatem advenientem voluntati; sic docet Seraph. Doct. allatus Suarez cum communi, *t.* 2. *c.* 52. idque patet experientia, nam aliquibus prædicatur Evangelium, aliis non, aliquibus datur major excitatio in auditione Verbi Dei, aliis nequaquam.

412 Ut autem pateat, talem inæqualitatem non præjudicare supra traditis de plena libertate voluntatis valentis cum gratia præveniente se pro libito converti: Advertendum, quòd auxilia sufficientia sunt in duplici differentia: Alia sunt veluti essentialia, suntque debita homini jure redemptionis factæ per Christum, & ista à Deo omnibus offeruntur secundùm majorem, vel minorem latitudinem gradualem, prout divinæ sapientiæ, & providentiæ est conveniens: Alia sunt veluti supererogationis, quæ licèt non sint essentialia, facilitant tamen conversionem ad Deum; ad ista lucranda potest concurrere homo suis laboribus, industria, & diligentia auxilio præveniente adjutus, & præventus: qua doctrina, quàm fusè tradit Faber de Prædestinatione, & Lessius cum aliis satisfit pluribus difficultatibus in hac materia occurrentibus; cum enim plures destituantur his auxiliis supererogationis ob suam culpam, hinc maximè sæpè in morte conversiones redduntur non quidem impossibiles, sed valdè difficiles, maximè superaddita mala consuetudine, & vita habituali in peccatis, &c.

Q. *An semper sit necessaria major gratia in eo, qui actu convertitur?* Thomistæ respondent affirmativè ob physicam prædeterminationem, & uberiorem gratiam sufficientem requisitam: Alii idem asserunt, etiam præcisa prædeterminatione; sic Vasquez; sed communior, & verior est negativa; sic Seraph. D. *lib.* 4. *dist.* 16. *part.* 1. *art.* 4. *q.* 1. ubi notat, quòd charitas dicitur intendi, quantùm ad fervorem, & augeri quantùm ad essentialem virtutem, & primum est à cooperatione liberi arbitrii. 2. verò est à dono cælesti, & hinc contritio potest esse ferventior in uno ex cooperatione liberi arbitrii: unde ex æquali gratia aliquando magis fervens elicitur motus, aliquando minùs secundùm cooperationem liberi arbitrii: licèt postea major non dicitur, nisi virtute pœnitentiæ augmentatæ, & hoc est per gratiam; idem & docet & D. Thomas 3. *part. q.* 69. *art.* 8. *ad* 2. & in Matth. *ad cap.* 25. secundùm propriam virtutem; sic & S. Bon. aliique plurimi apud Suarez *cap* 52. *num.* 13. *seq.* qui affert plures SS. PP. idem clarissimè adstruentes; ratio autem potissima est, quia auxilium efficax non exigit necessariò novum auxilium præveniens ultra sufficiens; ergo cum eodem auxilio pari bene stat, quod unus convertitur, quia cooperatur; alius nequaquam, quia renuit cooperari, voluntas enim semper remanet libera in suo actu, ergo, &c. Ex quibus omnibus rectè infertur concordia libertatis humanæ cum auxilio sufficienti, & efficaci; nam cum *in lib.* 1. *de Prædestinat.* pateat Deum videre omnia possibilia, & futura cum suis modis scientia conditionata, cum omnibus suis conditionibus, licèt antecedenter omnes eligat ad salutem, tamen voluntate consequenti solùm eligit illos, quos prævidit cooperaturos in tempore liberè suis auxiliis, quod ibid. fusiùs traditum est. 413

DISPVTATIO XVIII.

De Gratia habituali.

QUÆSTIO I.

An detur gratia habitualis, & quid illa sit?

414 Quæstio est de gratia, per quam homo redditur justus, & Deo catus; an sit aliquid inhærens animæ per modum permanentis; circam quam multi errores Hæreticorum circumferuntur; nam Pelagiani præter naturam, & libertatem nostram, nullam aliam gratiam agnoscebant intrinsecè in nobis inhærentem; & si cogebantur admittere aliquam aliam gratiam, hanc affirmabant esse extrinsecam, nempe doctrinam, per quam intelligebant fidem, & legem, & remissionem peccatorum, quam dicebant esse benevolentiam quandam Dei: Lutherus cum suis Hæreticis asserebat gratiam, sive justitiam, qua homo redditur justus, non esse aliquam formam creatam animæ inhærentem, sed esse ipsammet justitiam Christi, quæ à solo Deo, mediante fide, imputatur, & applicatur homini, & per quam applicationem fiebat propria ipsi homini, ac si ipsam operatus esset. Ex qua hæresi orti sunt apud Hæreticos nostri temporis innumeri alii errores circa gratiam, circa opera nostra, circa satisfactionem operum nostrorum, circa Sacramenta, ut videri potest apud Bellarminum, aliosque Controversistas: Ipsorum fundamentum præcipuum est, quia verbum hoc, justificari, in S. Script. volunt non significare aliquem formaliter fieri justum per gratiam inhærentem, sed esse verbum forense, quod significat aliquem absolutum à peccatis; nam D. Paulus ad Romanos contraponit hoc verbum justificandi verbo condemnandi; contra quos est determinatio de fide in Concil. Trident. ut mox dicetur, & est omnium Catholicorum.

Not. 2. nos, dum quærimus: an detur gratia habitus, vel habitualis, non sumere gratiam pro habitu quocumque per se infuso, uti sunt virtutes infusæ quæ sunt principium proximum actuum supernaturalium, ut sunt fides, spes, charitas, aliæque morales, & dona Spiritus S. sed pro qualitate creata à Deo infusa in anima ipsam sanctificante, quæ sit veluti radix, & principium aliorum habituum: an scilicet detur, an verò consistat in actuali operatione extrinseca Dei nobiscum: vel an sit idem cum fide, spe, & charitate.

Concl. 1. Datur gratia habitualis inhærens in anima, ipsam justam, & Deo gratam reddens. Est de fide in Concil. Trident. determinatum *sess. 6. c.1.* & apud S. Bon. *l.2 d.26. q.1. & seq.* qui ex 1. Joan. *De plenitudine ejus accepimus gratiam pro gratia*, sic arguit; si accipimus gratiam de plenitudine gratiæ Christi; ergo in nobis est, quod accipimus; ergo divina gratia in gratificatis, seu acceptatis à Deo habet esse. Pr. 2. à Seraph. Doct. *in corp.* quotiescumque aliquis peccator de ingrato, & inimico fit Deo gratus, & amicus, intervenit semper, & necessariò aliqua mutatio; sed non in Deo, ergo in gratificato: major est certa, minor prob. quia divina voluntas in acceptando non afficitur de novo: divina veritas in approbando non fallitur, & neutra earum in gratificando mutatur; ergo si divina voluntas in acceptando non afficitur de novo, nec ei supervenit novus affectus, necesse est, quòd hominem afficiat propter aliquem effectum novum in acceptato: & si divina veritas in approbando unum, non approbato alio, non fallitur, ergo id est ob aliquid, quod ipsum approbatum magis dignum reddat: & si divina voluntas non mutatur in acceptando, nec veritas in approbando, cum aliquid de novo incipit approbari, vel acceptari: ergo mutatio stat penes approbatum: & cum ista mutatio non fit, quia aliquid ei auferatur; sed quia aliquid de novo ei confertur, sic sequitur, quòd gratia sanctificans est aliquid inhærens in anima: D. Thomas 1. 2. *q.110. a.1.* ex hac doctrina allata conficit hoc argumentum: Deus non amat creaturam, nisi ut bonam; ergo amando, illi confert bonitatem aliquam inhærentem, & permanentem. Pr. 3. quia unus spiritus est dividens gratias in homines ex 1. Cor. c.12. ergo si gratia dividitur, est quid creatum; & si dicas, Apostolum loqui de gratiis gratis datis: Contra si gratiæ gratis datæ ponunt aliquid in homine, multò magis gratia habitualis, quæ est majoris efficaciæ. Pr. 4. id, quod informat, reformat, & vivificat formaliter, est forma creata; talis est gratia, ergo est forma creata, ergo, &c. major est certa, quia Deus non potest gerere vices causæ formalis; minor etiam est certa ex variis locis S. Script. quibus ostenditur animam à gratia dealbari, mundari, regenerari, &c. Pr. 5. aut gratia sanctificans est aliquid in gratificato, aut nihil: hoc 2. non potest dici, cum adveniat mutatio in justificato: ergo si ponit aliquid, id est vel habitus, vel usus; si habitus, habemus intentum; si usus: ergo nullus habet gratiam, nisi dum ea utitur, quòd est falsum, cum in parvulis, & in justis dormientibus adsit, non autem in non Baptizatis, & peccatoribus. Ex quibus eliditur sententia, seu hæresis in gratificatione nihil aliud admittens præter acceptationem extrinsecam Dei, contra quam agit fusè S. Bon. *ibid. q.2.*

Objic. 1. Gratificatio nova potest esse in homine absque novo habitu: ut patet in Dan. cap. 1. ubi dicitur, quòd, *Dedit Deus gratiam Danieli in conspectu Principis.* R. S. Bon. neg. paritatem, de gratificatione apud homines, & apud Deum; nam apud homines fit gratificatio per amorem novum in ipso justificante, quod est novus effectus, quo alteri vult bonum, sed imperfectus absque executione; sed Dei acceptatio est efficax de præsenti prædestinans: tum etiam quia Deus in acceptando non fallitur, sicut sæpe homo, neque acceptat, quem non videt bonum, nisi quem facit bonum, ideo acceptando communicat bonum, & gratiam: tum & quia Deus in acceptando non mutatur, sicut homo, ideo acceptatus homo de non acceptato fit acceptatus, & sic mutatur. Dices: Deus dilexit nos ante mundi constitutionem, & cum adhuc peccatores essemus *ex Epist.1. ad Eph. & ad Rom.* 415

Rom. 3. ergo gratificatio nihil ponit in gratificato. R. Seraph. D. dilectionem æternam ponere aliquid de futuro; sed gratificatio in tempore ponit aliquid in gratificato.

Contra instat Durandus: Deus priùs natura amat creaturam, quàm faciat bonam: ergo potest stare talis amor sine gratia; priùs enim potest stare sine posteriori. R. conced. anteced. de amori inefficaci, negando de efficaci; simul enim, est amor Dei, & collatio boni, quod est objectum talis amoris; sic enim priùs non potest esse sine posteriori, à quo in esse completo dependet. Contra instas: Solis precibus aliquis ex inimico fit amicus; ergo & Deus, qui est clementior. R. S. Bon. argumentum valere in eo, qui erat iratus, & in eo fit mutatio: non in Deo, qui nullo modo mutatur, sed tota mutatio est in gratificato, ut dictum est.

416 Concl. 2. Gratia est accidens, & corruptibile, & de genere qualitatis permanentis; est S. Bon. *cit. q. 3. & 4.* Antequam prob. concl. notat Seraph. D. *in corp.* quòd accidens aliud comparatur ad aliquid sicut ad subjectum, & ad causam, aliud sicut ad subjectum tantùm, & ad aliud principium, sicut ad causam: 1. educitur de subjecto, in quo recipitur: 2. recipitur in subjecto, & habet esse aliunde; sic est lumen in aere, species intentionalis, item & gratia, quæ est influentia à Deo proveniens, & recipitur in animam, ipsam nobilitans, & uniens, & conformans principio, à quo exit. Hinc. Pr. prima pars concl. gratia advenit substantiæ jam completæ, scilicet animæ; ergo est accidens; tum quia adest, & abest præter subjecti corruptionem, tum quia recipit magis, & minùs in intensione; tum quia non est materia, nec forma substantialis, quia fieret unum per se cum anima, nec compositum; ergo, &c. tum quia est habitus: ergo accidens. Pr. 2. pars, quia est verè separabilis ab anima, ut de se patet, ergo, &c.

417 Objic. Gratia est nobilior anima, quia ipsam perficit, & complet, ergo est stabilior substantia, ergo non accidens. R. S. Bon. nullum accidens est nobilius substantia, quando dependet à subjecto, ut subjecto, & causa; non verò quando aliunde, & à causa superiori procedit, ut est gratia. Contra, gratia dat vitam animæ, & benè esse, ergo est substantia, cum vita sit substantia. R. Gratiam dare vitam spiritualem, sed accidentalem pertinentem ad benè esse, non ad esse primum, sic neg. conseq.

Objic. 2. Si gratia est accidens animæ, ergo per se inest in subjecto, ergo ortum habet ex principiis subjecti, sicque erit naturalis proprietas animæ, quod est falsum: & si inest animæ per accidens: ergo inest animæ per aliud accidens, sicque vel dabitur processus in infinitum, vel reducendum est ad accidens per se existens in subjecto alio; sed hoc subjectum aliud non datur, ergo non est accidens. R. S. Bon. gratiam existere in anima per se in ratione subjecti, sed non in ratione causæ, à qua dependet, hinc est, quod non inest omni animæ.

Objic. contra secundam partem concl. gratia est accidens non dependens à subjecto, sed à sua causa, ergo non variatur ad variationem subjecti, idque patet in specie existente in speculo, ergo non corrumpitur etiam ad peccatum animæ. R. S. Bon. si accidens non habens ortum à subjecto non mutatur ad mutationem subjecti, in quo est, id evenit non solùm, quia habet ortum aliunde, sed quia non tantum dependet ab eo, à quo est, scilicet à Deo, sed etiam ab anima, in qua est, nec persistit in ea, nisi quandiu faciem habet conversam ad Deum.

Objic. 2. Gratia nullum habet contrarium corrumpens, ergo, &c. probatur antecedens: non Deus, quia hoc est deficere; non liberum arbitrium, quia nullum subjectum corrumpit suam perfectionem: non peccatum, cum sit privatio, & modica gratia plus potest, quàm quodcumque peccatum: ergo nullo modo, & si corrumpitur, ergo non cedit in nihil: sed remanet in potentia subjecti. R. S. Bon. à nullo corrumpi, sed tantùm deficere in se ipsa: Ratio est, quia gratia non salvatur, nisi per continuationem influentiæ à bonitate divina super faciem mentis nostræ, unde quando anima à Deo avertitur per peccatum, tunc influentia non continuatur, & tunc dicitur corrumpi: ideò dicitur per peccatum corrumpi, non propriè agendo in animam, sed quatenus, existente peccato, cessat influentia divina, sicque necesse est ipsam gratiam deficere: ad aliud de corruptione. R. S. Bon. quòd accidentia, quæ ortum habent à subjecto, in quo sunt, non cedunt omnino in nihil, cum remaneant in potentia subjecti, sed accidentia, quæ aliundè ortum habent, ut est gratia, tunc, deficiente influentia, cedunt in nihil, ut patet de lumine: potest etiam dici redire ad originem suam, quia salvatur in principio efficiente.

Concl. 3. Ex traditis elicitur magistralis defini- 418
tio gratiæ habitualis, licèt multipliciter describitur à Seraph. D. *l. 2. d. 26. in dub. & Centil. p. 3. sect. 35.* gratia est qualitas quædam spiritualis, & supernaturalis in substantia sua, quæ non est operatio, neque actus secundus, sed forma quædam permanens, & per modum actus primi à Deo infusa, ut per eam divinæ naturæ, perfectionisque singulari modo, & ordinem naturæ superante participes efficiamur: Explicatur, & prob. dicitur qualitas, & forma spiritualis, loco generis: dicitur permanens, & per modum actus primi, ut distinguatur à gratia actuali, quæ datur per modum actus secundi: dicitur à Deo infusa, ut indicetur causa efficiens: dicitur, ut per eam divinæ naturæ consortes efficiamur, ut denotentur ejus effectus.

Q. *Qua certitudine credendum est dari gratiam habitualem infusam à Deo permanentem in anima?* Seraph. D. *d. 26. q. 2.* proponit hanc eandem quæstionem sub hoc titulo: an id, quod ponit gratia in gratificato sit quid creatum, an increatum, & resoluit esse de fide, quod absque dono gratiæ, & concursu Spiritus S. non potest quis Deo placere: an verò ista gratia sit quid permanens in anima, id est in quæstione, in qua aliqui sustinebant sufficere concursum Dei extrinsecum per modum efficientiæ, quatenus per gratiam dicitur anima recreari, vivificari, &c. alii probabiliùs sustinebant, ipsam gratiam infundi in anima per modum formæ permanentis, & informantis, & hanc, dicit, esse probabiliorem, veriorem, communiorem, & magis consonam S. Script. & SS. Patribus, & hanc ipse firmiter sustinet: unde usque ad tempus Concil. Trident. non erat articulus expressus de fide: postea verò in Concil. Trident. determinatum fuit dari in adultis gratiam permanentem: In qua determinatione advertendum, quòd Theologi apud Suarez *l. 6. c. 3. n. 5.* variant in hac assertione, nam aliqui dicunt, Concilium non

determinasse, an ista gratia sit quid distinctum ab actibus fidei, spei, & charitatis, aliis id asserentibus: aliis id negantibus: Communior tamen est, Concilium loqui de gratia habituali, pro ut est distincta ab actibus virtutum, quibus cessantibus, adhuc permanet in anima: & id est conforme etiam Cathechismo Pii V. ubi agit de Baptismo, quia in Baptismo applicatur meritum Christi per gratiæ infusionem inhærentis in anima, & ad hoc faciunt rationes Seraph. Doct. supra in prima concl. adductæ, &c. *vide Suarez, qui fusè hanc Controversiam solvit.*

QVÆSTIO II.

An gratia habitualis differat ab habitu charitatis, & ab aliis virtutibus,

419 PRimò certum est, fidem, & spem distingui realiter à gratia habituali, & à charitate: nam etiam carens gratia habet fidem, & spem: cum autem numquam separetur gratia à charitate, & viceversa, meritò quæritur, an diversi habitus sint, an verò sint unum, & idem. 1. op. est Scoti, & Scotistarum apud Mastrium *t.2. d.7.q.5.* Alensis, Alberti Magni, pluriumque aliorum asserentium, utramque esse realiter idem: citatur Seraph. pro hac sententia à Bellarmino, aliisque, sed immeritò, quorum tamen aliqui admittunt distinctionem formalem inter istos habitus, aliique distinctionem rationis tantùm. 2. opinio opposita asserit, distingui realiter; sic Seraph. D. *l. 1. a.17. a. 1. q. 2. & l. 3. d.27. a. 1. q. 3. & 4.* D. Thomas cum pluribus aliis Theologis apud Suar. *l.6. c.27.*

Not. 1. Quòd communiter asserentes, gratiam, & charitatem esse duos habitus distinctos etiam conveniunt in assignando diversa subjecta, nempe voluntatem pro subjecto charitatis, & animam pro subjecto gratiæ immediatè; hincque Vasquez *d.198.* & Suarez dicunt, se nescire, quo fundamento D. Bon. qui istam realem distinctionem inter gratiam, & charitatem admittit, postea ambas ponat in voluntate tanquam in subjecto, eò quòd superfluæ sint istæ duæ formæ in ea; idem & advertit Valentia: qui si S. D. attentè legissent, etiam clarè perspexissent convenientiam talis positionis, & hanc superfluitatem, vel inconsequentiam non notassent.

Not. 2. ex Seraph. *l. 2. d.26. a.1. q. 5. & l. 3, d.27. a.1. q.1. & l.4. d. 49. q. 3. in argum. in corp.* quòd licèt charitas, & gratia insit primò in voluntate, & secundariò in anima, id tamen est differenti modo, & ex diversa ratione; nam cum anima contineat tres potentias formaliter distinctas, cum quibus realiter identificatur: gratia dicitur esse primò in voluntate, quatenus idem est realiter cum anima? Charitas verò dicitur in voluntate, quatenus est quid formaliter distinctum ab anima; ratio hujus positionis, & differentiæ est, quia ob diversos fines ponitur gratia, & charitas, gratia quidem suscipitur in anima, mediantibus potentiis, ut simul tota cum ipsis sancta reddatur, Deoque accepta; hinc in voluntate primò intelligitur inesse in ordine ad animam suscipientem, cum qua potentiæ sunt idem: Potentiæ verò dicunt inclinationem ad actum, & operationem, hinc indigent virtute disponente, & elevante ad producendos actus supernaturales, hinc 1. infunduntur in potentiis, pro ut dicunt distinctionem ab anima; sic *l.1.d.17.p.1.q.1.ad 4.* ex qua doctrina patet hallucinatio Vasquez, aliorumque, & quàm falsò notent Seraph. D. inconstantiæ, non intelligentes, quomodo plures formæ possint esse in eadem potentia, & subjecto, ob diversas rationes, & indigentias, in quem sensum postea ipsi, velint, nolint, incidunt, sed ut funditùs doctrina sublimis Seraph. D. intelligatur.

Not. 3. *ex eodem l.2. d.26. q.5. corp.* quòd licèt communiter dicatur, gratiam primò respicere animæ substantiam, virtutes verò, præcipuéque charitatem respicere potentias, & voluntatem, ut sic per gratiam in virtutibus fiat reformatio imaginis creatæ, quæ consistit in Trinitate potentiarum, & unitate substantiæ; id tamen debet intelligi per quandam appropriationem; non quia Deus influat priùs gratiam in substantiam animæ, quàm in potentiam, sed quia cum anima suscipiat gratiam, & virtutes, mediante potentia, ideo tam gratia, quàm virtus, seu charitas inest animæ per potentiam, & voluntatem, aliter tamen inest hæc, & illa. Virtus enim, sicut charitas, dicit perfectionem respectu actuum, & operis; gratia verò dicit perfectionem respectu Dei acceptantis: & quoniam respectu operum potentiæ distinguuntur, hinc est, quod virtutes potentias respiciunt ut distinctas, & tunc sunt in actu, quando potentiæ sunt in actuali operatione: Potentiæ autem in quantùm comparantur ad Deum acceptantem, unica acceptatione acceptantur cum ipsa substantia animæ, cujus sunt, & secundùm unam naturam, & identificationem in eis repertam. Et hinc est, quod gratia est una, sicut est substantia, & est semper in actu continuo, & primò dicitur respicere substantiam animæ, non quia sit in illa substantia absque potentia, vel per priùs quàm in potentia, sed quia habet esse in potentiis, pro ut continuantur & identificantur ad unam essentiam: virtus verò dicitur esse in potentiis, quia est in eis, ut referuntur ad diversas operationes: quæ doctrina consonat sensui D. Augustini, & ratio est, quia gratia est influentia, & habitus, qui inest animæ ad Deum conversæ, cum talis habilitatio, & influentiæ susceptio, & conversio non possit esse, vel intelligi rectè, nisi per potentiam, quæ ad Deum convertitur; hinc patet non posse intelligi, gratiam esse in anima, abstracta potentia: rursus si gratia eò dicitur gratia, quia gratificat, eò ipso quòd gratificat, habet oppositionem ad peccatum, cum opposita secundùm idem nata sint inesse: ideo secundùm idem anima nata est gratificari, secundùm quod nata est culpari; ea culpatio autem, & laus, & vituperium insunt animæ primò secundùm liberum arbitrium, ac per hoc & gratiæ donum. 420

Not. 4. Quòd differenter gratia facit animam Deo gratam, ac charitas: nam licèt utraque sit participatio divinæ naturæ, vel ipsius attributorum; id tamen fit ab utroque differenti modo: nam gratia, est participatio divinæ naturæ pro ut est natura, seu una in tribus, quod & infra fusè explicabitur. At charitas est participatio divinæ naturæ pro ut est volitiva, idest participatio divini amoris: hinc est etiam quòd habilitat voluntatem ad amandum Deum propter se, & super omnia, eo modo quo fides habilitat intellectum ad assentiendum primæ veritati propter se, & super omnia, & quia cum tali amore non potest non esse unio, & amicitia cum Deo, loquendo de jure ordinario, 421

ordinario, nec poteſt ſtare cum peccato, hinc ex conſequenti dicitur charitas reddere hominem immunem à peccato mortali, & Deo carum: at gratia ex ſua intrinſeca ratione formali reddit acceptam Deo animam, & omnes virtutes in ea exiſtentes, ob idque non charitati præcisè, ſed gratiæ intrinſecè debetur hæreditas, & filiatio Dei; nam per gratiam ait S. Bon. *l.* 2. *d.* 29. *q.* 1. *corp.* anima conſecratur in templum, adoptatur in filiam, aſſumitur in conjugium, & ſponſam Dei, & ita Deo aſſimilatur, & conformatur, ut nullo modo poſſit deformari: Et hinc etiam evenit, quòd, cum numquam de lege ordinaria charitas, & gratia ſeparentur ad invicem, multi effectus attribuuntur charitati, qui proprii ſunt gratiæ, quod dicimus de lege ordinaria; nam de facto data eſt hæc ſeparatio in Angelis, & in primo homine, ut rectè advertit S. Bon. *l.* 2. *d.* 27. *a.* 1. *q.* 2. *ad ult.* qui ante gratiam gratum facientem habuerunt charitatem, ſic *l.* 3. *d.* 3. *p.* 2. *a.* 3. *q.* 2. *& d.* 4. *a.* 1. *q.* 2. *& l.* 2. *d.* 2 . *q.* 1. *&* 2.

422 Concl. 1. Gratia realiter differt à charitate: Eſt S. Bon. ſupra cit. aliorumque plurimorum. Pr. 1. à S. Bon. *d.* 27. *l.* 2. *a.* 1. *q.* 2. *fund. ult.* quia ab Apoſt. *Rom.* 3. *&* 10. *Phil.* 3. *& alibi*, gratia ſola recenſetur, charitas non adnumeratur inter alias virtutes, ergo. Prob. 2. quia gratia eſt quid commune, & charitati, & aliis virtutibus: ergo eſſentialiter non eſt charitas; generale enim non fit ſpeciale, niſi per additionem: tum quia gratia eſt continuè in actu ſuo, non verò charitas: tum quia gratia eſt, quæ movet ad actum virtutum, v. g. fidei, &c. & charitatis, ergo non eſt charitas, cum ſit medium ad tales actus: tum quia aliæ potentiæ ultrà gratiam habent expediri, indigentque habitibus facilitantibus ad actum, ergo & concupiſcentia indiget charitatis. Prob. conſeq. quia gratia non datur præcisè ad aliquem actum peculiarem, ergo differt à charitate: tum quia ſunt ſeparabiles ad invicem, ut docet S. Bon. de Angelo, in quo fuit in primo inſtanti charitas ſine gratia habituali, item in primo homine: tum quia charitas poteſt eſſe in peccatore abſque gratia: prob. antecedens: Habitus operativus non habet majorem repugnantiam, quam operatio ejus ex Ariſt. 9. *Metaph.* nam actus virtutis eſt porior ipſo habitu in bonitate, ſed potior charitatis actus non habet repugnantiam cum peccato habituali, ergo. Minor habetur ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 6. *c.* 7. *& ſeſſ.* 14. *c.* 4. ubi ait: dilectio Dei eſt in peccatore, quæ eſt diſpoſitio proxima ad juſtificationem: ubi loquitur de dilectione, quæ eſt diſpoſitiva ad juſtificationem, & hæc eſt perfecta dilectio: nota autem quòd hoc argumentum Seraph. Doct. habet maximam vim, quia ſupponit id, quod de facto evenit, nempe repugnare ad invicem gratiam, & peccatum, non verò dilectionem Dei perfectam: unde nihil valet reſponſio adverſariorum dicentium, de poſſibili poſſe ſtare gratiam, & peccatum ſimul: quæ reſponſio non eſt ad rem: nec enervat illationem de diſtinctione reali ſupra traditam.

423 Objic. 1. Cum Scotiſtis apud Maſtrium *d.* 7. *n.* 157. SS. Patres, & S. Script. ſæpe tribuere effectus gratiæ charitati, &c. ut Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, Luc. c. 7. His, & conſimilibus auctoritatibus. R. S. Bon. iſta omnia attribui charitati, non ratione ſui, ſed quatenus eſt gratia formata: tum etiam quia prædicantur de charitate tales effectus prædicatione non formali, ſed per concomitantiam, & etiam prædicatione veluti cauſali; quia enim charitas formata eſt veluti proprietas connaturalis gratiæ ab ipſa gratia promanans, ideo effectus radicis tribuuntur proprietati, quod & infra probabitur; vel etiam quia gratia, & charitas ordinantur ad Deum, ejuſque unionem; hinc quod eſt unius, ſæpe tribuitur alteri: vide S. Bon. *l.* 2. *d.* 27. *cit. & l.* 3. *d.* 27. *cit.*

Objic. 2. Charitas ex SS. Patribus dicitur informare, & vivificare cæteras virtutes, ſed hæc informatio, & vivificatio eſt eadem ac gratiæ, nempe gratuita: ergo ſunt idem. Reſp. S. Bonav. quòd virtutes poſſunt conſiderari tripliciter. 1. ſecundùm ſe, & proprium eſſe: 2. ſecundùm bene eſſe: 3. ſecundùm bene operari. 1. modo quælibet virtus habet ſuum proprium eſſe ab alia quacumque diſtinctum: 2. habent eſſe gratuitum à gratia ſanctificante: 3. modo informantur à charitate quantùm ad benè operari: charitas enim eſt pondus inclinans, & faciens tendere operationes aliarum virtutum ad ultimum finem: & per id patet falſitas illationis adverſariorum: quæ doctrina veriſſima, & fundamentalis debet diligenter notari, quia hæc omnes difficultates in hac materia tollit. Quaque doctrina ſolvitur alia objectio, ubi dicitur charitas vita animæ: dicitur enim vita animæ quo ad actum 2. & operationem, quo ad actum enim 1. & bene eſſe, vita eſt à gratia. Et ſi alicubi dicitur charitatem reddere animam Deo acceptam, & opus meritorium, id eſt ratione gratiæ concomitantis, nam præcisè datur charitas tantùm in ordine ad operationem, & dilectionem. *Vide quæ tradita ſunt in ult. fund.*

Objic. 3. Si diſtinguuntur realiter, ergo poterunt ſeparari ad invicem, ſed ſunt inſeparabiles, ergo. Et ſi ſunt ſeparabiles: tunc ponatur quis habere gratiam, iſte erit hæres gloriæ, ſicque ſalvabitur ſine charitate, quæ eſt ſignum diſtinctum inter filios Dei, & Diaboli: vel detur aliquis cum habitu charitatis perfectæ ſine gratia: ergo ſalvabitur ſine gratia, quæ ſunt maxima abſurda. Reſp. S. Bonav. *l.* 2. *d.* 27. *q.* 2. *ad ult.* quòd de lege ordinaria ſunt ad invicem ſeparabiles: de lege extraordinaria ſunt ſeparabiles (ut fuit in Angelis, & Adam) in quo caſu de lege extraordinaria homo eſſet acceptus ad gloriam, vel ſine charitate haberet gratiam, vel ſine gratia haberet charitatem.

Objic. 4. Gratia, & charitas habent idem ſubjectum proximum, ſcilicet voluntatem: ergo & identificantur in ſubjecto. Pro reſponſione, *vide quæ tradita ſunt in* 2. *&* 3. *fund. & infra etiam magis declarabitur.*

Concl. 2. Gratia eſt perfectior habitus dono quocumque etiam charitatis: ſequitur ex traditis; gratia enim eſt participatio divinæ naturæ: charitas verò unius attributi, ſicut & cæteri habitus: quod & magis infra patebit.

QUÆSTIO

QUÆSTIO III.

An gratia sit principium operativum: an solùm verò elevet potentiam, & animam ad statum supernaturalem.

424 PRima opinio est D. Thomæ, & sequacium, negantium gratiam habitualem esse principium operativum proximum, sed dari tantùm ad informandam, & elevandam animam ad statum supernaturalem, & ad participationem divinæ naturæ, unde solùm potest dici principium remotum, non proximum, alioquin habitus operativi essent superflui. 2. primæ opposita admittit gratiam non solùm ad elevandam animam, sed & ad cooperandum cum ipsa ad actus supernaturales. Sic S. Bon. *l. 2. d. 4. p. 1. a. 2. q. 3. ad 3. & d. 29. q. 1. Centil. p. 3. s. 35. & l. 2. d. 27. dub. 1. ad finem.*

Not. 1. ex Seraph. Doct. *l. 2. d. 26. per totam sparsim*, quòd nomine gratiæ sanctificantis intelligitur forma quædam accidentalis quidem in se, quia infunditur animæ, & illi inhæret: comparatione autem aliarum virtutum infusarum se habet ad modum formæ substantialis, quia non datur tanquam principium proximum, & proprium alicujus determinatæ operationis, sed principaliter ad dandum animæ esse quoddam divinum: unde per hanc formam participatur natura divina, non quidem pro ut est intellectus, vel voluntas, vel aliud attributum, quod sit operatio, vel principium proximum operandi, sed pro ut est essentia quædam & natura supra omnem naturam substantialem creatam, & creabilem: unde fit, ut sicut natura divina secundùm rationem est quasi radix intellectus, & voluntatis divinæ, ita hæc forma sit quasi radix secundùm rem infusarum virtutum, etiam charitatis: Et hinc tandem fit, ut per hanc formam primo deificetur anima, & consequenter ex vi ejus connaturaliter expellatur peccatum, ac denique ratione illius debeantur deificæ operationes usque ad visionem beatam suo tempore obtinendam: hinc S. Bon. *l. 3. d. 23. a. 2. q. 5.* notat gratiam esse formam animæ, omniumque virtutum, & principium omnium bonorum. Not. 2. quòd habitus, qui sunt propriè qualitates de prima specie, dantur in anima ad hoc, ut non solùm dent facilitatem operandi, sed ut sint etiam principium activuum simul cum potentia: cum autem ad hunc finem infundantur habitus virtutum, ut sint principium actuum supernaturalium, ut rectè advertit S. Bonav. *l. 3. d. 27. q. 3* videtur, quòd munus proprium gratiæ non sit ad eliciendos actus supernaturales, immò id videtur in ipsa superfluum: Attamen cum pateat ex philosophia, quòd anima ad opera vitalia concurrit simul cum potentiis, istæ quidem ut principium proximum, illa verò ut principium eminens, & universale, & radix omnis potentiæ. Hinc etiam dicendum idem est de gratia, quòd ejus munus sit non solùm elevare animam, & potentias ad statum supernaturalem, sed etiam eliciitivè concurrere ad actus supernaturales, & actus meritorios, ut rectè docet S. Bon. *l. 2. d. 26. q. 5. & 6.*

425 Concl. Gratia non solùm ponit in actu primo animam ipsam elevando, ad hoc ut potentia operetur, sed & habet influxum activum in omnes actus supernaturales tam viæ, ubi ipsa est inchoata, quam patriæ, ubi est consummata: qui influxus est formaliter distinctus ab influxu potentiæ: Est S. Bonav. *l. 2. d. 26. q. 5. & 6. & d. 27. dub. 1. in fine*, ubi advertit gratiam sanctificantem esse prævenientem, & subsequentem: ut est præveniens, informat animam: ut subsequens movet, & regit eandem animam, cum ad malum expellendum, cum ad bonum faciendum: Sic & *l. 3. d. 2. a. 3. q. 2. ad 3. & 4.* Idem & Suarez docet *l. 6. c. 13. num. 14.* Idem & August. *l. de nat. & gratia c. 32. tom. 7. & Ep. 106. t. 2.* Prob. autem S. Bonav. *cit. q. 6. ex S. August. serm. 12. de verbis Apost. &c.* ubi dicit, quòd gratia se habet ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum; sed sessor est motor equi, ergo & gratia motrix liberi arbitrii. 2. Quia gratia habitualis est principium vitæ, ergo & principium motus: Tum quia plus est potentiam supra se ipsam elevare, quàm movere, sed gratia elevat potentiam ad opera meritoria, ergo & movet: Tum quia si anima per gratiam non concurreret ad actus vitales, se haberet ad ipsos tantùm materialiter, & veluti per accidens, quod est absonum actui vitali, qui exigit conjunctionem cum suo principali principio per actualem emanationem ab illo, & non tantùm mediante potentia.

Objic. 1. Gratia est continuè in suo actu, potentiæ verò nequaqnam, nec ipsa anima semper operatur, ergo non est ad cooperandum: Confirm. ex S. Bon. *l. 4. d. 14. q. 1. corp.* ubi docet gratiam non dirigere liberum arbitrium ad aliquem motum specialem, nisi mediante virtute: ergo de se non est operativa immediatè: tum quia ipsa est forma, ergo munus diversum habet à virtute. R. S. Bon. *d. 26. q. 5. ad 1.* quod duplex est munus formæ: aliud informare, & sic semper est in actu: aliud efficere, & secundùm hoc non est semper in actu suo: sic etiam albedo subjectum suum dealbat, & oculum disgregat: & ad confirmationem resp. gratiam per hoc differre à potentiis, quod istæ habent motum specialem, at gratia veluti principium eminentiale, & primum habet concurrere ad omnes actus supernaturales.

Objic. 2. In actibus naturalibus sufficit unus habitus ad perfectum modum operandi animæ & potentiæ, v. g. amor ad actum voluntatis, ergo in actibus supernaturalibus sufficiet una virtus, & habitus in potentiis. R. neg. paritatem de actibus naturalibus, & supernaturalibus: nam in naturalibus anima est sufficiens principium proportionatum substantiale actuum, quos per potentias producit: tum etiam quia anima, cum identificetur cum potentiis realiter, est veluti radix talium actuum, non sic in actibus supernaturalibus, nam ad ipsos non solùm concurrit anima, & potentia, sed etiam principium elevans animam, & potentiam, ut sit proportionatum principium.

QUÆSTIO

QUÆSTIO IV.

Quomodo dicitur gratia tribuere animæ divinæ naturæ participationem.

426 Difficillima est hæc quæstio, quia cum dependeat à solutione alterius quæstionis valdè implexæ, undè sumatur ratio supernaturalitatis, non solùm gratiæ, sed & cujuscunque entis supernaturalis, in qua quot capita, tot sententiæ, ut videre est apud Ripaldum *de ente supernaturali lib.* 1. *d* 44. Enric. *part.* 1. *tit.* 4 *dist.* 48. aliosque hinc etiam difficilis solutio hujus difficultatis redditur. In qua omissis deliriis hæreticorum asserentium, gratiam esse denominationem tantùm extrinsecam amicitiæ divinæ. Prima opin. est Ocham. & Nominal. asserentium quidem gratiam qualitatem habitualem infusam esse, facereque animam Deo charam, sed tamen volunt id efficere non ex natura sua, & physicè, sed tantùm moraliter ex superveniente acceptatione divina. 2. Opin. communis D. Thom. D. Bon. Scoti, &c. est, animam fieri gratam, & Deo unitam, amicamque per qualitatem physicam, quæ est gratia, vel justitia, ob id, quia est participatio divinæ naturæ, accidentaliter tamen: sed quid sit hæc participatio divinæ naturæ, hoc opus hîc labor; & circa hoc variæ sunt sententiæ, & varia dicta Theologorum. Aliqui enim dicunt, dici participationem divinæ naturæ, quia est unio, per quam tota divinitas nobis extrinsecùs communicatur speciali modo nos constituens filios Dei adoptivos; sicut in divinis filius est talis, quia participat divinam naturam. Sic Lessius *de summo bono lib.* 2. *cap.* 1. Alii cum Suarez dicunt esse talem, quia ipsi competit connaturaliter suppellex omnium virtutum supernaturalium. Alii dicunt esse talem, quia est principium universale concurrens ad omnes actus supernaturales intellectus, & voluntatis, & elevat substantiam animæ ad intellectualitatem divinam participatam: qui omnes, & alii modi verum dicunt, sed præcisè non exprimunt formalem participationem divinæ naturæ resultantem ex infusione gratiæ, sicut egregiè facit Seraph. Doct.

Not. 1. & supponendum id, quod certum est apud omnes, nempè in gratia habituali duo consideranda esse specialia eidem gratiæ. 1. est ratio supernaturalitatis, quæ ei inest secundùm substantiam, quam habet communem cum Deo, & aliis entibus supernaturalibus creatis. 2. est propria ratio sua specialis, quatenus est talis forma, & entitas: supernaturalitas autem est quædam ratio, vel perfectio excedens ordinem naturæ, ipsique omnimodè indebita, quæ à solo Deo potest obtineri, estque elevativa entis naturalis ad ordinem superiorem: Cum autem supernaturale dicatur aliquid per ordinem ad naturam, seu esse naturale, id potest dici dupliciter: vel per comparationem ad subjectum, vel ad causam. 1. modo sunt omnia entia supernaturalia secundùm substantiam, quales sunt formæ, & perfectiones advenientes alicui naturæ, ut gratia, unio hypostatica, beatitudo, virtutes per se infusæ, istæ enim ab extrinseco, scilicet à Deo, adveniunt subjecto suprà exigentiam ipsius, cum relatione tamen ad causam supernaturalem, ut diximus *in disput. de visione beata lib* 1. contra Thomistas, qui hanc supernaturalitatem admittunt ex sola habitudine ad subjectum, nos verò ex habitudine ad subjectum simul & ad causam: nam subjectum ut sic habet potentiam passivam naturalem ad quodcunque supernaturale, ut latè à nobis probatum est *in lib.* 1. *physica ex S. Bon.* Et hinc diximus non posse dari substantiam supernaturalem, quia quicquid advenit suprà naturam, & vim naturæ, à solo Deo potest esse, ut agente supernaturali ab extrinseco; si verò comparatio supernaturalitatis est ad solam causam, tunc dicitur supernaturale secundùm modum, quia fit præter ordinem naturæ: sed quia omnis supernaturalitas creaturæ debet reduci ad increatam supernaturalitatem, à qua habeat tale esse participatum; hinc quæstio est, undè desumatur prima ratio supernaturalitatis in Deo, nempè an ut Deus, an ut Trinus.

Not. 2. quòd, licèt unitas essentiæ divinæ sit 427 quid supernaturale in ordine ad perfectam nostram cognoscibilitatem, tamen cum ejus unitas, aliaque attributa Dei possint etiam cognosci media ratiocinatione nostra ex ipsis creaturis, hinc præcipua, & prima ratio supernaturalitatis quoad nostram cognoscibilitatem debet reduci ad Trinitatem divinam, solùm enim per fidem potest cognosci ut Trinus, ejusque fæcunditas divinæ naturæ, per quam dignoscitur in tribus suppositis, ideò meritò ad Deum ut unum, simulque trinum reducitur prima ratio supernaturalitatis: Et hinc consequenter participatio divinæ naturæ, quæ per gratiam nobis communicatur, debet recognosci in assimilatione animæ ad Deum ut unum, & trinum, quatenùs scilicet gratia elevat animæ substantiam ad statum supernaturalem, ejusque simul potentias intellectum, & voluntatem ad Dei cognitionem, amorem, & unionem: quæ doctrina est germana Seraph. D. ut infrà patebit. Ex quibus sequitur, quòd cum ratio supernaturalitatis secundùm substantiam, ut repetitur in creaturis, consistat in formali participatione divinæ naturæ, ut habet communicabilitatem ad intra, & petit esse in tribus suppositis, atque adeo in participatione Dei, ut est Trinus, & unus, sequitur etiam nullum ens supernaturale esse, quod secundùm suam rationem non habeat convenientiam formalem, vel cum ipsa fæcunditate divina, vel cum prædicatis, & perfectionibus, quæ consequuntur ad illam usque ad actualem, & formalem Trinitatem, non quidem cum omnibus simulque sumptis, sed cum una, vel altera illarum sumpta, ut distinguitur ab aliis: qua ratione gratia est formalis participatio divinæ naturæ, ut est intellectualitas fæcunda: charitas participatio divini amoris, ut terminatur ad Deum trinum, & unum: visio beata formalis participatio divinæ intellectionis, ut per illam cognoscitur, & videtur Deus unus, & trinus; & sic de aliis entibus supernaturalibus, in quibus repetitur hæc participatio vel immediatè, vel solùm mediatè antecedenter, vel consequenter.

Concl. 1. Gratia habitualis est participatio divinæ naturæ, quatenus confertur cum Deo, exprimitque Deum unum, & trinum: nempè divinam naturam ut potentem ob sui fæcunditatem esse in tribus media intellectione, & volitione: seu ut exprimentem Deum unum, & trinum. Hæc concl. est contra Enric. Fasolum, Arpald. Nominales, aliosque plures supra cit. est tamen expressa Seraph. D. Suarez *lib.* 2. *cap.* 2. aliorumque Theologorum apud Savedram. Quod hæc sit mens expressa S. Bon. patet ex *lib.* 3. *dist.* 2. *art.* 3. *q.* 2. *corp.* ubi 428

ubi docet gratiam habitualem, quia est unio amoris, & cognitionis, facitque hominem conformem esse Deo, à Deo exiens, & in Deum rediens convenienter respicere tres personas; idem & *l.2.d.26. q.2. 3. 4. 5. & 6. & ibid. ad 3. & 4.* docet, quòd gratia dicitur ferre inhabitationem Dei in anima, & fruitionem Dei, ex hoc quòd gignitur in anima actus aliquis, nempè cognitio, & amor, respectu cujus gratia infusa est, & ad quem habilitatur anima mediante gratia, & in quem exit, cum à gratia est adjuta, & regulata: idem & *lib.1. dist.29. q.1.* Idem & expressiùs *lib.4. d.6. p.1. q.3. ad ult. & lib.1. d.3. part.2. art.2. per totum, & Brevil. part.5. cap.1.* probat gratiam animæ imaginem reformare ad sanctissimã Trinitatem, prout dicit unitatem, & trinitatem. Prob. quia ratio entis creati supernaturalis consistit in formali participatione supernaturalitatis increatæ, & divinæ, sed hæc consistit in divina natura, ut dicit innatam communicabilitatem ad intra, & ut petit esse in tribus suppositis, ergo, si gratia est ens supernaturale creatum, debet continere participationem talis supernaturalitatis in ordine ad Deum unum, & trinum. Confirmatur quia sicut divina natura est origo omnium perfectionum supernaturalium Dei, sic & gratia est origo, forma, fons omnium bonorum supernaturalium: sed natura divina est talis quatenus petit esse una in tribus, ergo & gratia dicit ordinem, & participationem ad naturam divinam unam & in tribus suppositis: & hinc est quòd gratia adoptat hominem in filium Dei, facit animam sponsam, amicam D. i, & habitaculum Spiritus S. & advocat ad se Patrem, Filium, & Spiritum S. non secundùm esse tantùm, quo omnibus est præsens, sed quantùm ad cognitionem, & amorem: ergo hæc participatio est assimilatio Dei unius, & trini. *Vid. S. Bon. l.2. d.26. art.1 q.2. ad arg. & q.6. & lib.3. d.10. q.2. ad 3. & l.2. d.27. q.1. ad 4. & Brevil. p.5. c.1. & l.3. d.13. q.1. & d.34. p.2. dub.3.*

Dices talis communicatio divinæ naturæ per gratiam nihil importat plus, quàm præsentia Dei, qua omnibus rebus præsens est per essentiam, præsentiã, & potentiam: & si addatur aliquis effectus per gratiam productus, id est fieri Deo gratum, & amicum, sed ista non important participationem divinæ naturæ, ergo malè tradita est talis definitio gratiæ. R. negan. majorem, & minorem præcisè: nam gratia etiam sublevat ad esse nobilius respectu animæ in ordine ad ipsam præsentiam Dei per essentiam, præsentiam, & potentiam, quia ista gratia facit Deum præsentem animæ, ut, etiamsi ipsa divina natura non esset immensa, & ubique, tamen eam nobis intimè præsentem faceret, ità ut redundet unio divinitatis per gratiam, non solùm per affectum, sed per naturæ communicationem, & inhabitationem Spiritus S. quæ est assimilatio animæ supernaturalis ad Deum unum, & trinum; undè gratia se habet veluti natura intellectualis, quatenus est expressa imago referens deitatem per intellectum, & voluntatem existentem in tribus; & ideo dicitur reformare, & elevare animæ substantiam ad esse divinum participatum, & informans simul intellectum, & voluntatem ad hoc ut possit elicere actus supernaturales.

418 Ex quibus sequitur, quòd gratia comparata, & collata cum Deo dici verè potest participatio divinæ naturæ petentis ex sui fæcunditate esse in tribus: item & amicitia cum Deo, & filiatio adoptiva comparata, cum virtutibus infusis dicitur natura quædam supernaturalis, quæ sit principium, & radix, ac forma virtutum: composita cum actibus virtutum appellatur dignitas, & valor ipsorum, quia ipsis tribuit valorem in ordine ad merita; & hinc ait S. Bon. quòd actus virtutum acceptantur ratione gratiæ existentis in potentiis, & ipsæ potentiæ sunt Deo acceptæ ratione gratiæ existentis in anima: si comparatur verò gratia cum gloria, vocatur semen gloriæ, ac jus hæreditarium ad illam, quia per illam homo jus acquirit ad gloriam, atque ipsius hæres constituitur; si denique collatio fiat cum natura rationali, dicitur gratia, justitia, vita, pulchritudo, & munditia ab omni fæditate, ac turpitudine peccati lethalis: Ecce quot, & qualia attributa gratiæ, quatenus est participatio divinæ naturæ.

QVÆSTIO V.

An gratia habitualis includat habitus, & virtutes infusas.

Quæstionis hujus solutio inservit ad meliùs comprehendendam excellentiam gratiæ habitualis, in qua quæritur: an ultra gratiam habitualẽ, quam supra diximus esse operativam, & cooperativam in actibus supernaturalibus, requirantur habitus operativi, qui sint in potentiis principiũ actuum particularium supernaturalium, & quid operentur in ipsis potentiis: & tandem qualem connexionem habeant isti habitus particulares cum gratia sanctificante, & habituali. Suppon. 1. quòd, & aliàs à nobis traditum est: nomine habitus, per se infusi, venire illos habitus, qui à solo Deo possunt infundi, nec naturaliter possunt obtineri, & hoc ad differentiam habituum per accidens infusorum, qui sunt acquisibiles etiam viribus naturæ, & ideo si aliquando à Deo infunduntur, dicuntur habitus per accidens infusi. Sup. 2. Neminem Theologum Catholicum unquam negasse hos habitus infusos per se ultra gratiam habitualem, qui sunt principia proxima operationum, quod & notavit Suarez *de div. gr. l.6. c.4. n.5.* solúmque fuisse controversiam, an isti habitus infundantur à Deo etiam in parvulis in baptismo; in qua quæstione aliqui id negabant ante Concil. Trid. quod postea in eodem Concil. fuit affirmativè determinatum. Not. 3. quòd habitus potentiarum concurrentium ad actus sunt in duplici discrimine: alii enim insunt in anima per actus, sunt que illi per multiplicationem actuum viribus naturæ, vel etiam adjutorio supernaturali possunt acquiri, & dicuntur habitus acquisiti: alii verò non insunt per actus, sed præcedunt omnem operationem potentiarum, suntque infusi per se à Deo solo. Sic S Bon. *l.1. d.27. p.1. art.1. q.2. ad 2.* differunt autem isti habitus (*ait S. Doct. l.2. d.28. dub.1.*) quòd habitus acquisiti non dant novam potentiam animæ, sed tantùm habilitant, & facilitant potentiam ad exeundum in actum; at habitus infusi per se à Deo elevant, & nobilitant potentiam, adduntque ipsi novam potentiam, nempè ad exeundum in actus supernaturales, ipsam movendo, & cum ipsa concurrendo ad eosdem actus: ratio discriminis est, quia primi habitus generantur ex actibus, undè præsupponunt potentiam in actu primo completo, nec actus excedunt eamdem potentiam: at habitus per se infusi à Deo descendunt, & ob id ab ipso infunduntur, ad hoc ut potentia ponatur in actu primo supernaturali excedente proprias vires, quod & iterum notat S. Bon. *l.2. dist.25. art.1. q.5.* N.4. quòd hæc differentia intercedit inter gratiam habitualem, & habitus infusos: quòd gratia habitualis, licèt sit cooperativa cum anima, non tamen dirigit

429 · 430 · 431

dirigit ipſam ad actus ſpeciales per ſe,niſi mediante virtute, & habitu: At virtus, & habitus diriguntur ad actus ſpeciales, & proprios, ut fides ad actum credendi, charitas ad actum amandi Deum propter ſe,& ſuper omnia: Unde differenti modo gratia, & habitus exercent ſua munera, nam cum gratia inſit in anima mediantibus potentiis, ut infra dicetur, primò informat animæ eſſentiam, & ſimul potentias, prout ſunt unum, & idem realiter; & hinc advenientes habitus per gratiam informati elevant potentias, & eis dant novam potentiam ad actus ſupernaturales; in quo caſu (*ait S. Bon. lib.3. diſt.27. art.1. q.3. ad 4.*) & actus potentiæ, & ipſa virtus, ſeu habitus ſe habet veluti ſubſtratum, & materiale ad gratiam, quæ & animam, & potentias, & habitus, & actus informat, & reddit Deo acceptos, nam gratificatio, & acceptatio habetur præcipuè per gratiam. Not. 5. quòd eodem modo hîc diſcurrendum eſt de actuum vitalitate, & ſupernaturalitate, ſicut diximus de viſione beata: nempè vitalitatem deſumi principaliter à potentia, minùs principaliter à lumine,& habitu infuſo: ſupernaturaliter verò actus principaliter deſumi ab habitu infuſo, & minùs principaliter à potentia elevata: *de quo vide in diſput. de lumine gloriæ.*

432 Concl. 1. Dantur (ultra gratiam habitualem) interna quædam principia ſupernaturalia Chriſtianæ juſtitiæ, & conſequenter diſtincta ab ipſis actibus, & permanentia ſine ipſis: iſtaque ſunt habitus per ſe infuſi operativi: Concluſio iſta an ſit de fide, an verò nequaquam, eſt in quæſtione apud Theologos, ſed tamen communis, & vera eſt,eſſe de fide, & determinata ſub nomine habituum, & virtutum in Concil. Vien. *Clement. unic. de ſum. Trinit.* ubi quoad parvulos ſolùm, ut probabilior approbatur, ſed tantùm quoad adultos ſupponitur receptum ab omnibus Theologis; poſt Concil. Trid. verò etiam determinatum intelligitur quoad parvulos, nempè per baptiſma eis infundi gratiam ſanctificantem, & cum ipſa etiam omnes habitus ſupernaturales. Not. tamen, quod Scotus, & ſequac. volunt, actum ſupernaturalem productum à potentiis ſimul cum habitu, & per habitum eſſe ſupernaturalem tantùm, quoad modum,non quoad ſubſtantiam, entitatemque actus, nempè ſupernaturalem dici non entitativè, ſed quatenus provenit etiam ab habitu ſupernaturali, elevante potentiam; Nos verò ſuſtinemus eſſe ſupernaturalem utroque modo. Hinc prob. concl.& pro adultis, & pro parvulis: Ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, charitatis, &c. potentiæ ex vi ſua nativa non poſſunt pertingere ob improportionem naturalitatis, & ſupernaturalitatis, ergo indigent habitibus per ſe infuſis ipſas diſponentibus,& elevantibus, & proportionatis ad tales actus. Prob. conſeq. quia ad ſuavem Dei providentiam pertinet dare unicuique agenti, & cauſæ ſecundæ principium intrinſecum ſuæ operationi proportionatum; ergo & homo conſtitutus per gratiam habitualem in ſtatu ſupernaturali debuit provideri habitibus, qui eſſent principium ſimul cum potentiis talium actuum. Hanc neceſſitatem, & diverſitatem habituum recognoſcit, & probat Seraph. Doct. *lib.2. diſt.24 part.1. art.2. q.1. ad 8. & per totam quæſt. & diſt.23. part.1. q.5. & diſt.28. dub.1.* Dices ſufficere ad hoc gratiam habitualem: Contra: Gratia habitualis acceptas Deo reddit cum anima potentias,nec eſt ordinata præciſè ad ſpeciales actus potentiarum, ergo iſtæ indigent diſponi ad actus ſupernaturales per alios habitus.

Quod autem iſti habitus neceſſariò ſint inter ſe diſtincti, & diverſi. Prob. à Seraph. Doct. *lib.3. diſt.27. art.1. q.1.* primò ex comparatione ad varia objecta motiva; nam alio modo movet objectum fidei, alio ſpei, alio charitatis, &c. 2. per comparationem ad actum proprium, alius eſt enim actus credendi, ſperandi, &c. 3. per comparationem ad ſubjecta, quæ ſunt vel iraſcibilis, vel concupiſcibilis, vel rationalis. 4. per comparationem ad oppoſitum, quod cuilibet determinatè opponitur. 5. per comparationem ad præmium, in quo alii evacuantur, alii perficiuntur. 6. per comparationem ad ſuum principium, quod repræſentant, quod maximè intervenit in tribus virtutibus Theologicis.

Objic. 1. Iſti habitus ſi dantur, id eſt vel, ut homo faciliùs eliciat ſuos actus, vel ſimpliciter,ut eos poſſit elicere: ſed neutrum dici poteſt, ergo. Prob. minor. 1. dici non poteſt, quia habitus, qui ſolùm dant facilitatem, poſſunt per actus acquiri, ſicque non erunt per ſe infuſi; tùm etiam quia tales habitus dantes ſolùm facilitatem operandi ſupponunt in potentia facultatem integram operandi: Qualis non ineſt in nobis ad actus ſupernaturales. Nec 2. poteſt dici: quia hoc eſt contra, vel ſupra rationem habitus: nam habitus perficit potentiam, & auget vim operandi, & ſic etiam dat facilitatem operandi, & ideo habitus ſupponit eminentialiter potentiam,& facultatem, ergo ipſam non dat. Et confirmatur, quia iſti habitus vel dant totam virtutem proximam operandi, ita ut unuſquiſque habitus ſit tota ratio proxima operandi, & eliciendi actum, vel tantùm complent ipſam virtutem potentiarum: hoc 2. non poteſt dici, ut probatum eſt, nec 1. quia ſic iſti actus non eſſent vitales, ſi ab habitibus ſolùm elicerentur, ergo ſufficit gratia habitualis in ſubſtantia animæ, Reſp. ex doctrina tradita in 3. & 4. notabili ex S. Bon. quia de ratione habitus eſſentialiter, pro ut abſtrahit ab acquiſitis, & per ſe infuſis eſt ut ſit qualitas de ſe permanens, benè diſponens potentiam in ordine ad operationem: quòd verò det ſolùm facilitatem, vel compleat potentiæ facultatem, hoc ſpectat ad ſpeciales habitus; unde habitus, qui acquiruntur ex actibus ſolùm dant facilitatem: habitus, qui à Deo ſolùm infunduntur, dant vires potentiis ad agendum ſuprà proprias naturales: *Sic S. Bon. lib.2.d.28. dub.1.*

Concl. 2. Habitus per ſe infuſi in juſtis fluunt 433 à gratia habituali, tamquam à radice, & à primo principio veluti connaturales proprietates: Hæc concl. eſt contra multos, præcipuè Calpenſ. *d.2. ſect 3. num.18.* Suar. *lib.6. cap.13. num.19.* eſt tamen Seraph. Doct. *lib.2. d.26. ad 5. & d.27. q 1. ad 4. & lib.4. d.18. part.2. dub.13. & lib.3.d.33. q.5.a.2.* & plurium Theologorum, à quibus tamen exiſtimo non diſſentire ſupradictos Doctores, rectè intellecta emanatione, quam nos ſupponimus, & explicavimus alias: nam loquentes de dono maternitatis Mariæ diximus ipſi deberi veluti proprietates emanantes ab ipſa veluti à radice, omnes gratias, virtutes, dona ſupernaturalia: & notavimus aliam eſſe emanationem phyſicam, aliam moralem: in 1. radix, & principium radicale concurrit phyſicè aliquo modo ad productionem proprietatum, ut eſt in anima ad potentias: in 2. ſufficit, ut ab agente producente naturam, ſeu principium comproducantur ordine veluti connaturali alia, quæ conſequenter concurrunt veluti debitæ aliæ proprietates, ſeu perfectiones: ex quo fundamento Seraph.D. ait *l.3.d.34.part.1.art.2.q.3.in corp.*

perfectio gratiæ, ratione suæ dignitatis, & eminentiæ, tribuit homini omnes habitus facientes ad integritatem justitiæ secundùm comparationem variam ad actus, & objecta, & secundùm status, & opportunitates, quæ reperiuntur in statu viæ: & *lib.2. dist.27. art.1. q.2. ad* 1. docet quòd gratia dicitur fides cum dilectione à Theologis ex hoc, quòd talis prædicatio non est per essentiam, & formalis, sed per quamdam concomitantiam, & significantiam: *& ibid. ad* 3. quòd gratia, sicut virtus, dicitur cooperans, sed primò competit gratiæ, & virtuti ex consequenti: *& ibid. ad* 4. dicit, quòd gratiæ competunt prædicata, quæ per circumincessionem competunt virtuti, nempe ob quam unum habet ordinate alterum: *& lib.4. d.18. p.2. dub.3.* dicit quòd gratia meritò comparatur luci; quia sicut lux in se habet & virtutem illuminandi, & illuminando magis, & magis virtutem calefaciendi: ideo dicitur forma totius orbis, scilicet quoad influentiam in ordine ad generationes, cujus est una ratio actualitatis, & diffusionis; sic & gratia in quantùm lux respicit non tantùm intellectum, sed etiam affectum, ideo dicitur lux magis, quia respicit totam animam, ideo rectè dicitur radix omnium habituum gratuitorum, & principium omnis operis boni. Ex qua doctrina sic conficitur argumentum ineluctabile. Id emanare tamquam proprietas à sua radice dicitur, quod producitur ab agente in ordine quodam veluti connaturali ad productionem radicis, veluti ipsi radici debitum, sed omnes habitus gratuiti, & dona sunt hujusmodi in ordine ad gratiam: ergo. Minor patet ex supra traditis de gratia, quæ est veluti altera natura in ordine supernaturali, à qua pullulant omnia bona gratuita, & sine qua nec anima, nec potentiæ, nec virtutes, nec dona sunt in suo esse proprio perfecta, ergo. Confirmatur ex Seraph. Doct. *lib.3. dist* 23. *art.2. q* 4 *ad* 4. *& q.5.* quia licèt virtutes, & habitus non emanent physicè, & quo ad substractum à gratia, emanant tamen, vel dependent ab ipsa quo ad esse formale, & gratuitum, & hoc certum est apud omnes Theologos: ergo vera concl.

Objic. cum Caspensi cit. & Suarez. In actionibus supernaturalibus, nihil est propter quod sit necessaria dependentia illarum à gratia justificante; ergo hæc non concurrit physicè ad hujusmodi actiones. Prob. anteced. quia in actu dilectionis Dei, essentia est, esse amorem Dei propter ipsum, sicuti in actu fidei, esse assensum propter auctoritatem divinam; sed ratio amoris sufficienter pendet à voluntate, & anima, & quatenus amor est erga Deum sufficienter pendet à charitate; ergo in hoc actu nihil est quod requirat dependentiam ab alio principio. Nec valet (ait Caspens.) si dicas pendere à gratia quo ad esse meritorium: Non valet inquam, quia ratio meriti nihil aliud est, quam relativa quædam dignitas ad præmium, quæ oritur ex ipsa bonitate actionis; ergo solùm ad id sufficit id quod est causa actionis. Et confirm. ex ratione fidei, & luminis gloriæ: nam fides stat sine gratia, & in Beatis gratia est sine fide, & in viatoribus est gratia sine lumine gloriæ, ergo non habent connexionem ullam ad invicem cum gratia. His omnibus, & consimilibus objectionibus. Resp. ex doctrina tradita à Seraph. Doct. quòd omnes habitus gratuiti debentur gratiæ veluti naturæ, & primo principio supernaturali etiam physicè, & entitativè, saltem quo ad esse gratuitum, & ad quæ vel gratia concurrit activè concursu generali gratuito, vel ea format quoad esse completum, & si aliquando repeciuntur separatæ ad invicem, tunc non dicuntur habere esse completum.

Concl. 3. Nomine habituum per se infusorum 434 cum gratia habituali veniunt tria genera gratiarum, seu habituum, seu donorum. 1. virtutes scilicet Theologicæ, & morales. 2. dona Spiritus S. 3. beatitudines, & fructus Spiritus S. quæ duo ultima genera lato modo, & minùs propriè appellantur habitus: Est communis Theologorum cum Seraph. Doct. suprà citato. Prob.1. de virtutibus Theologicis, & Cardinalibus ex S. Bon. *lib.3. d.33. q.1.* Homo in statu naturæ lapsæ indiget ordinari, & rectificari, & vigorari in ordine ad Deum, ad proximum, & ad se ipsum, ergo omnibus istis indiget; sed Deus, ut summus provisor, tenetur providere ea, quæ sunt necessaria ad rectam ordinationem hominis ad finem consequendum, ob quem creavit illum; ergo eas infundit cum gratia: major per se patet, quia ut notat S. Bon. *loco cit. & d.34. q.1.* cum virtus faciat potentiam rectam, & vigorosam, & homo subsit obliquitati peccati, & vitiorum, & habeat potentias vulneratas à culpa, sequitur indigentia virtutum vigorantium, &c. Minor etiam patet, quia virtutes Theologicæ habent pro objecto Deum: Cardinales, & morales habent pro objecto bonum creatum justificans animam ad proximum, & ad se ipsum; & hinc Deus dedit præcepta 1. tabulæ, ordinantia virtutes Theologicas, & 2. ordinantia Cardinales. Prob. 2. de donis, beatitudinibus, & fructibus Spiritus S. ex S. Bon. *lib.3, dist.34. q.1. seq.* quia in potentiis sunt actus primi, secundi, & ultimi, seu perfecti: quoad actum 1. rectificantur potentiæ per virtutes Theologicas, & Cardinales, ut probatum est: quoad actum 2. quia indigent expeditè agere, ideo adduntur dona Spiritus S. addentia ulteriorem abundantiam bonitatis in agendo; ideoque dicuntur dona, & magis attestantur divinæ liberalitati: quoad actus ultimos, & perfectos adduntur beatitudines, & tali nomine appellantur, quia faciunt hominem Deo proximum, & conformem ipsi gloriæ summæ, ac beatitudini, in qua est summa perfectio: & quia status hujus perfectionis, in quo est refectio exigit fruitionem, hinc adduntur fructus Spiritus S. quorum munus, & usus est, secundùm quem illa perceptio suscipitur, ideo rectè dicitur sensus spiritualis, quoniam sensus est cognoscere rem ut præsentem: & tandem adminicula omnium illorum, in quibus datur gratia animam sanctificans, & à peccatis curans, & ad omnem sanctitatis perfectionem adjuvans, rectissimè dicuntur Sacramenta. *Hæc S. Bon. loco cit.* qui vult plura de hac materia tùm ad percipiendum effectus gratiæ, & istorum habituum, donorum, beatitudinum, præceptorum adeat Seraph. D. *lib.3. à dist.33. & deinceps*, ubi parat, & exponit & Theologis, & Concionatoribus, & mysticis plurima arcana spectantia ad virtutes Cardinales, & alios habitus: Causæ gratiæ ad 4. capita reducuntur, nempè ad efficientem, ad formalem, ad materialem, & subjectivam, & ad finalem: de formali, jam explicata est quidditas gratiæ: de finali agetur infrà de effectibus gratiæ; superest de subjecto gratiæ, & causa efficiente.

QUÆSTIO

QVÆSTIO VI.

Quodnam sit subiectum proprium gratiæ habitualis.

435 Titulus istæ duas quæstiones continet. 1. est quænam sit causa subjectiva, in qua inhæret gratia; an scilicet sit substantia animæ, an voluntas. 2. quænam sit causa subjectiva ex qua; an scilicet gratia habeat causam subjectivam, ex qua educatur, an verò ipsa careat: In qua certum est hanc causam subjectivam, si datur, non esse carnem, vel corpus, cum gratia sit quid spirituale: undè dato quod habeat talem causam materialem, nihil aliud esse potest præter substantiam animæ. Et quoad 1. quæst. prima opin. est D. Thomæ, & sequacium apud Suarez *tom.3. de divina gratia lib.6. cap.12. num 13.* gratiam non esse in potentiis, sed in essentia animæ, tamquam in proximo subjecto: & ità docent omnes, qui tenent gratiam esse distinctam à charitate, uno excepto S. Bon. in quo ait Suarez, rectè, non consequenter loquitur; sed decipitur Suarez, qui non attigit, vel legit fundamenta Seraph. D. ob quæ cum distinctione reali inter charitatem, & gratiam ipse assent, subjectum proximum esse voluntatem, ut infrà patebit. 2. Opinio docet subjectum proximum, & primarium esse voluntatem: secundariò substantiam animæ: ita Seraph. Doct. Scotus, aliique plurimi: Quo ad aliam quæstionem de subjecto ex quo. 1. Opin. est Thomistarum asserentium, animam esse subjectum ex quo, ex cujus potentia obedientiali educitur gratia: sic apud Suarez *lib 8. cap.2. num.4.* 2. negat, vultque animam à Deo creari: sic S.Bon. Scotus, plurimique alii.

Not. 1. & suppon. id quod supra *in quæst.2. in 2. fund.* traditum est, quibus nunc addimus ex Seraph. D. *lib. . dist 26. art.1. q.5. & lib.4. dist.49. part.1. art.1. q.3. in fund.& q.4. in corp. & l.2.d.27. dub.1.* quòd habitus, & qualitates collocantur, & superadduntur potentiis ex duplici motivo, & ratione; vel enim superadduntur ad ipsas habilitandas ad proprios actus, sic fides sic charitas, sic prudentia habilitant potentias ad proprios actus, & cum ipsis concurrunt ad eos; & hoc pacto potentiæ distinguuntur per actus, & ob id multiplicantur potentiæ, & actus; quia sic qualitates sunt in ipsis secundùm rationem potentiæ, & actus; quia qualitates respiciunt potentias ut distinctas, & in ordine ad operationes diversas, & tunc dicuntur esse in actu, quando potentiæ sunt in actu: Alio modo verò qualitas aliqua dicitur in potentia non in ratione principii, sed secundùm conformitatem ipsius potentiæ ad unam essentiam, & quatenùs continuantur, & identificantur cum ipsa essentia animæ: & hoc pacto liberum arbitrium dicitur unum, quia licèt respiciat simul intellectum, & voluntatem, tamen id est in ordine ad continuationem, & identificationem cum anima (*de quo vid. lib.2.dist. 5. part.1. art 1. q.3. & 4.* sic & gratia respicit quidem primò potentias, sed quatenùs continuantur, & identificantur cum anima, ex eo quòd in tantùm recipitur in anima, in quantùm conversa est ad Deum per intellectum, & voluntatem, & cum unica informatione informet & animam, & potentias; & unica acceptatione, & anima, & potentiæ acceptantur à Deo, quatenùs important reformationem imaginis: hinc patet quam consequenter S. Bon. supponens distinctionem charitatis, & gratiæ, attamen dicat gratiam primò recipi in potentiis, & consequenter in anima; undè nota, in consequentia allata à Suarez contra Seraph.D. nullum aliud fundamentum haberi, nisi defectum lecturæ textus Seraphici.

Not.2. quòd, cum communiter à pluribus Thomistis, & Suarez dicatur gratiam educi de potentia obedientiali animæ, per quod intendunt tollere rationem creationis animæ; in hoc potest esse maxima hallucinatio, dum recognoscunt ipsam animam subjectum gratiæ ex quo, vel ex qua: nam ut in physica in quæstione de seminario formarum notavimus ex Seraph. D. illa sola dicitur causa materialis ex qua, quando est secundùm definitionem Aristotelis ibidem dicentis causam materialem esse id ex quo, cum inquit, idest ex quo inexistente aliquid fit; undè propriè causa materialis est, quæ existit, vel ingreditur in esse causati intrinsecè: vel est in ordine ad accidentia, quando causatum non posset habere esse nisi cum dependentia essentiali ex subjecto, quales sunt formæ omnes accidentales, quæ recognoscunt subjectum pro principio, causaque, & pro subjecto simul; non verò illæ, quæ aliud pro causa originali habent principium, & aliud pro subjecto, qualis est gratia, quòd in sequenti quæstione magis explicabitur: Hinc ad aures Seraph. D. non potest secundùm veram philosophiam recognosci in gratia subjectum ex qua. 436

Not 3. ex Seraph. D *lib 2.dist.26. q.5. corp. & ad 1* quòd in infusione gratiæ in anima duo distinguenda sunt: alterum est antecedens necessariò, simulque concomitans ipsam infusionem: alterum est consequens: primum est habilitatio, & dispositio necessaria in anima ad hoc ut infundatur, & hæc consistit in conversione animæ ad Deum per liberum arbitrium, scilicet per actum intellectus, & voluntatis se ferentium, & convertentium totaliter in Deum: per quam conversionem redundat à Deo infusio gratiæ; & hinc est quod ista infusio primò respicit potentias ad Deum conversas, quatenùs ipsa anima per ipsas tota fertur in Deum: Et quia hinc consequitur acceptatio divina, & gratificatio animæ, hinc talis gratificatio animæ adveniens redundat etiam in potentiis, respicitque simul potentias, & animam: ex qua doctrina sequitur, quòd gratia inest animæ ratione potentiarum, prout respicit subjectum, & ratione effectus, & gratificationis inest potentiis ratione animæ. 437

Concl. 1. Gratia primò inest potentiis, & per potentias animæ, prout cum ipsa identificantur in ratione subjecti; sed tamen est in illis prout continuantur, & identificantur ad unicam substantiam: ideoque acceptatio illis advenit ratione acceptationis animæ: Est S.Bon. *lib.2.dist.26.& 27.& l.4. dist.49.* & Scoti *lib.2.dist.26.* plurimorumque aliorum. Prob prima pars à Seraph. D. *lib.2. dist 26. cit. ex D. Aug.* dicente gratiam se habere ad liberum arbitrium, sicut sessor ad equum, ergo residet in anima ratione liberi arbitrii, sed liberum arbitrium nominat potentiam, ergo mediante potentia gratia inest animæ, & hinc est ait Seraph. Doct. quòd gratia definitur à D. Aug. per comparationem ad voluntatem, tamquam ad primum subjectum. Prob. 2. sic se habet substantia animæ ad subjectum, sicut potentia ad actum, sed inter potentiam, & actum mediat habitus, ergo & inter substantiam, & habitum mediat potentia, ergo priùs potentia inest gratiæ. Prob. 3. opposita nata 438

ſ nt fieri circa idem: ſed gratia ut gratia opponitur culpæ in quantùm culpa; ſed culpa primò reſpicit voluntatem, ergo & gratia: conſequentia patet, quia anima nata eſt gratificari, prout nata eſt culpari, &c. ſed culpatio, & laus ineſt animæ primò ſecundùm liberum arbitrium, ergo & gratia. Confirm. quia non quæcunque acceptatio gratificatio dicitur, ſed illa ſola, qua Deus ſic acceptat animam, ut reputet eam remuneratione dignam, & ut talis reſpicit ipſam arbitrii libertatem, ergo gratia, &c. Prob. 4. Gratia (ex D. Aug.) animæ ineſt ſecundùm ſuum ſupremum, ſed hoc non eſt ipſa ſubſtantia animæ præcisè, ſed potentia ſuprema, ideſt voluntas, ergo. Et confirm. quia gratia exiſtit in anima ſecundùm totalem converſionem in Deum, ſicut amittitur per averſionem, ergo per potentiam convertentem, & avertentem ſe, quæ eſt voluntas: alioquin poſſet eſſe grata Deo abſtractis potentiis, quod eſt impoſſibile. Prob. 2. pars, quia effectus gratiæ habitualis eſt informare, gratificare, & elevare ſubjectum, in quo ineſt, ſed id competit propriè primò ſubſtantiæ animæ, & ſecundariò potentiis, prout identificantur animæ, ergo. Probatur minor, quia acceptatio divina, gratificatio, & informatio eſt propter animam primò, & non præcisè propter potentias, ergo. Confirmatur, quia per gratiam anima eſt ſemper in ſuo actu, ſcilicet grata, elevata, & accepta Deo, potentiæ verò non ſemper ſunt in ſuo actu, ergo iſta actualitas, & effectus primò competit animæ.

439 Objic. primò. Nulla potentia eſt in actu continuo, ſed gratia eſt ſemper in actu reddens hominem Deo gratum, ergo non eſt in potentia animæ. Reſp. S. Bon. 1. diſt. majorem: Nulla potentia eſt continuè in ſuo actu proprio, & formali, concedo; ſic enim exigit virtutem cooperantem; non eſt in ſuo actu in comparatione ad ſubſtantiam animæ, cum qua continuatur, & identificatur, nego; nam ratione gratiæ exiſtentis in anima tota, ſunt & ipſæ gratæ, & acceptæ Deo. Reſp. 2. quòd duplex eſt actus formæ, unus eſt per modum informantis: alter per modum efficientis, ſicut albedo ſubjectum ſuum informat, & ſimul diſgregat viſum. 1. modo gratia eſt ſemper in actu ſuo continuo in ordine ad animam, & potentias. 2. modo non eſt ſemper in actu ſuo, quem habet per modum prævenientis, ſive cooperantis, & ſubſequentis, ſive operantis, quia ſolùm concurrit cum potentia, dum elicit actus ſuos.

Objic. 2. Gratia eſt vita animæ; ſed vita competit animæ per ſe, non per potentias, ergo nec gratia. Reſp. Seraph. D. quòd gratia eſt vita animæ accidentalis, & ſupernaturalis: ad minorem, vita competit ſubſtantiæ animæ per ſe: diſtinguo: vita naturalis concedo: ſupernaturalis nego: ratio eſt, quia cum gratia ſit accidens ſuperadditum ineſt animæ ratione potentiæ, & mediante potentia: ſic enim alia accidentia etiam naturalia inſunt ſubſtantiæ mediante potentia, ut color corpori ratione ſuperficiei: ratio verò hujus differentiæ eſt, quia gratia ſuperveniens, & informans totum informat, ipſamque veluti induit.

Objic. 3. Accidens numeratur per ſuum proprium ſubjectum, ergo ſi gratia primò eſt in potentiis, quia iſtæ ſunt plures, etiam gratia erit multiplex. Reſp. S. Bon. accidens numerari per ſubjectum eo modo, quo ſubjicitur, ſcilicet vel per modum multiplicem, & per diverſas rationes; tunc forma multiplicatur; ſi eſt per modum unius naturæ, & rationis, ſic non multiplicatur forma, ex tali modo potentiæ, prout continuantur ad unam animam, ſunt ſubjectum gratiæ: ſic & ſanitas una eſt in toto corpore, & membris: Dices potentiæ diſtinguuntur formaliter ab anima ſecundùm Seraph. D. ergo anima poteſt abſtrahi à potentiis, & ſic fieri grata primò. Reſp. Gratiam advenire animæ mediantibus potentiis, non prout diſtinguuntur, ſed prout uniuntur in anima: ſic negatur conſeq.

Objic. 4. Reformatio animæ ſimilis eſt formationi ipſius: ſed in formatione conſtituitur unitas eſſentiæ, & trinitas potentiarum, ergo & debet conſtitui in reformatione talis imaginis: ſed potentiis correſpondent tres virtutes Theologicæ reformantes ipſas, ergo & aliquid aliud debet reſpondere eſſentiæ animæ, at non poteſt aſſignari niſi gratia: ergo iſta non pertinet primò ad potentias. Reſp. S. Bon. quòd reformatio debet fieri oppoſito modo, ac deformatio: iſta autem fit in potentiis: ſic & reformatio per gratiam primò in potentiis, poſtea in anima.

Objic. 5. Sicut operatio exit à potentia, ſic potentia oritur à ſubſtantia, ſed non placet Deo operatio, niſi priùs acceptetur potentia, ergo nec potentia abſque eo quòd priùs acceptetur anima. Reſp. S. Doctor negan. paritatem de acceptatione potentiæ, & actuum ejus, & de acceptatione animæ: ratio eſt, quia potentia poteſt eſſe ſine actu: non verò anima ſine potentiis, quæ poteſt habere gratiam ſine merito operis: nec poteſt intelligi ſuſcipere gratiam ſine potentiis, & mediis ipſis, per quas decoratur anima, & hinc conſequitur acceptatio. Objic. 6. In parvulis baptizatis adeſt gratia ſanctificans abſque uſu potentiarum, ergo non recipitur gratia mediantibus potentiis. Reſp. S. Doctor in parvulis dari gratiam eo modo quo datur in adultis, & licèt actu potentiæ non exeant in actum, reſpiciunt tamen habilitatem ad exeundum tempore opportuno, & quando auferretur impedimentum corporis: ſed de hac materia alibi *in 4. d. 4.* agetur, cum de effectibus baptiſmi.

QVÆSTIO VII.

An Gratia educatur de ſubiecto: an verò creetur.

Prima opin. ſuſtinet educi de potentia obedientiali animæ: eſtque Suarez *in Met. d. 15. ſeſſ. 2. & 3. & de gratia tom. 3. lib. 8. cap 2.* Vaſq. *p. 1. d 174.* eamque mordicùs ſuſtinet Maſtrius *in Phyſ. diſt. 3. q. 5. art. 2. de gener. diſt. 5. q 2. n. 65. In metaph. diſt. 12. q. 4. art. 4. & in l. 2. ſent. diſt. 1. q. 2.* eſt & aliorum plurium modernorum. 2. Opin. eſt Seraph. D. Scoti, plurimorumque aliorum, & ferè omnium Scotiſtarum, paucis aliquibus exceptis, aſſerentium non educi, ſed creari. Sic Seraph D. *lib 2. diſt. 26. q. 2. & ſeq. pluribuſque aliis locis infrà cit.* 440

Not. 1. quòd ſolutio hujus quæſtionis pendet ex explicatione alterius, quæ pertractatur in Phyſica, nempè quid ſit, formam educi de potentia ſubjecti, ſeu dependere in fieri, & conſervari à ſubjecto: In qua, ut notavimus in Phyſica, communiter aſſeritur, educi, conſiſtere in dependentia formæ in fieri, eſſe, & conſervari. ſed quia hoc dictum patitur æquivocationem, poteſtque benè, vel malè intelligi, ut rectè intelligatur. Not. 441 quod dependentia unius rei ab alia in univerſum eſt triplex, ut notat S Doct. *lib. 1. diſt. 8. p. 2. art. 2. q. 2. & lib. 2. d. 1. p. 2. art. 1. q. 2. & lib. 3. d. ſt. 1. q. 1.* Alia

Alia est per comparationem rei ad principia, ex quibus, & dicitur componibilitas ex aliis, ut totum ex partibus, homo ex corpore, & anima. 2. dicitur causati ad suam causam, sic creatura essentialiter dependet à Deo. 3. dicitur componibilitas cum aliis, importatque comparationem unius ad aliud, scilicet ad tertium principiatum. 1. & 2. est antecedens, & essentialis rei principiatæ. 3. est accidentalis, estque consequens ad ipsam rem dependentem ex quibus sequitur, quòd illa forma, quæ non dependet à subjecto, ut à suo principio, in esse, & fieri, licet dependeat in conservari, non dicitur educi à subjecto, quia nullam dependentiam essentialem habet ab ipso, sed tantùm accidentalem, & consequentem ad suum esse: ratio autem hujus assertionis est, quia eductio, seu productio formæ ex subjecto exigit concursum causalem materialem ipsius subjecti, ob idque antecedentem, sicut in qualibet causa in ordine ad proprium effectum, ergo formæ, quæ nullam dependentiam essentialem antecedentem important ad subjectum, non possunt dici educi ex subjecto, vel habere subjectum ex quo. Ut autem intelligatur quænam sint istæ formæ.

442 Not. 3. ex Seraph. D. *lib.* 2. *dist.* 26. *q.* 3. & 4. & 13. *art.* 3. *q.* 2. *ad arg.* quòd, cum omnia accidentia dependeant à subjecto, ut à sustentante, tamen hoc discrimen est inter ipsa; quòd aliqua sunt, quæ habent idem subjectum pro causa materiali, & idem pro sustentante, suntque omnia accidentia materialia: alia sunt quæ habent aliud pro subjecto sustentante, aliud pro causa originali, suntque illa, quæ insunt in subjecto non per modum solùm formæ, vel naturæ, sed magis per modum habitus, scilicet ab extra advenientis, ut sunt gratia, lumen, species intentionales: ista enim habent rationem habitus in subjecto, non præcisè per modum inhæsionis, seu informationis, sed magis per modum defferentis, inserviuntque ad hoc, ut potentia ad plura de se indeterminata determinetur ad unum, & ut faciliùs operetur, vel intensiùs, & perfectiùs: unde ista accidentia nullum subjectum materiale recognoscunt, ex quo educantur, sed tantùm originale activum, quod vel est quid superius secundùm perfectam influentiam, sic est gratia Dei, & lumen proveniens à sole: vel est à principio pari, ut similitudo speculi in speculo, & speciei ab objecto: vel est à principio inferiori, ut species lapidis in oculo, & in intellectu: differunt autem ista accidentia, quod hæc duo ultima derivant à suis principiis, non secundùm perfectam, sed imperfectam influentiam, & causalitatem, ob idque dicuntur purè intentionalia, prima verò secundùm perfectam causalitatem, undè habent rationem accidentis physici, & veri, realisque habitus, ob idque sunt ab extra advenientia; & præcipuè gratia divina, de qua materia fusè à nobis actum est *tract.* 1. *de anima q.* 5. Hinc sequitur, quod cum corrumpuntur, redeunt omninò in nihil, solumque dicuntur redire in suum principium: quatenùs ab eodem possunt produci similia accidentia: Ut autem intelligatur modus, quo producitur gratia à Deo.

443 Not. 4. quod Seraph. Doct. *lib.* 1. *dist.* 14. *art.* 1. *quæst.* 2. docet, Deum influere gratiam per illapsum; ut id rectè intelligatur supponendum ex eodem *lib.* 2. *dist.* 8. *part.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. & *lib.* 1. *d.* 19. *art.* 1. *q.* 4. *ad* 3. & *alibi sæpe*: quod illapsus Dei cum sit intima Dei præsentialitas in creatura: id potest fieri dupliciter: vel per illapsum generalem, quo Deus est omni creaturæ præsens, super ipsam exercens præsidentiam manuducendo, & conservando, & cooperando ei: Vel est per illapsum specialem, quo Deus est intimè præsens creaturæ rationali influendo in ejus intellectum, & voluntatem quandam qualitatem supernaturalem, ei participando accidentaliter suam naturam, & hæc est influentia gratiæ, per quam animam gratificat, & acceptat, & specialiter vivificat, elevando eam ad opera supernaturalia, simulque eam sibi unit speciali modo per cognitionem, & amorem: Cum igitur solus Deus possit illabi animæ, quia solus potest super eam, sibique perfectè assimilare, & cum id fiat per gratiam, cum sit lumen superni solis, ideò etiam solus potest ipsam in animam imprimere: Ulteriùs est not. ex eodem Doct. *l.* 1. *dist.* 9. *quæst. ult.* quod cum hoc discrimen adsit inter entia successiva, & permanentia, quod in successivis est idem esse, & fieri, non autem esse, & factum esse: dum enim fiunt, sunt, & dum facta sunt, non amplius sunt, ut patet de tempore: Permanentia verò sunt in duplici discrimine: alia enim dependent à suo proximo principio in fieri, sed non in esse, & factum esse, ut Filius à Patre: alia dependent & in fieri, & in esse, & in facto esse à principio proximo, ut lumen à sole: In primis permanentibus non est idem fieri, & factum esse: In secundis est idem esse, & factum esse, ideò lumen, quando fit, factum est, & semper nascitur: sic & gratia Dei, cum fiat per continuum influxum Dei ad modum lucis, & luminis semper nascitur, est, & facta est; & hinc est (ait Seraph. *lib.* 2. *dist.* 26. *art.* 1. *q.* 2. & 4.) quod gratia comparatur luci, ideoque cessante influentia continua Dei ipsa gratia desinit esse: Ex qua dignissima doctrina sequitur, quod gratia alia actione producitur, & alia inest, & inhæret animæ, quicquid dicat cum aliis Suar. quia sunt diversi termini.

Concl. 1. Gratia habitualis nullam causam materialem, ex qua, habet, ob idque nec potest educi de potentia etiam obedientiali animæ, sed tantùm habet esse creationem propriè dictam: Conclusio hæc est contra Authores primæ sententiæ: est tamen Seraph. Doct. infra & supra cit. aliorumque 444
1. pars docetur à S. Bon. *lib.* 2. *dist.* 26. *q.* 3. & 4. & *dist.* 27. *art.* 1. *q.* 2. & *l.* 1. *d.* 14. *art.* 1. *q.* 2. *in arg.* & *l.* 4. *d.* 1. *art.* 2. *q.* 1. *ad* 3. & *l.* 3. *d.* 31. *q.* 1. *ad* 2. & *Brevil. part.* 4. *cap.* 5. & *p.* 5. *cap.* 1 & 2. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 3. *ad* 4. Secunda pars docetur à S. Doct. *lib.* 1. *d.* 14. *q.* 2. & *lib.* 3. *d.* 2. *q.* 2. & *lib.* 4. *d.* 1. *q.* 4. & *d.* 14. Prob. autem, quia educi de potentia subjecti formam, est dependere ab eo dependentia essentiali, & intrinseca, & à subjecto simul educi ab intra: sed gratia non dependet hoc modo ab anima, ergo. Major est adversariorum, & communis in Physica: Minor prob. Gratia est influentia, seu qualitas à solo Deo procedens, & recipiens esse, nec ab agente creato potest produci; ergo non educitur de potentia animæ, nec ab ipsa dependet. Prob. conseq. quia si à solo Deo dependet, ergo non potest dependere ab aliqua creatura. Prob. 2. Gratia solùm à Deo infunditur, ergo non educitur: antecedens est communis omnium: consequentia patet, quia, quod infunditur, venit ab extra: quod educitur venit ab intra: tùm quia infusio est à solo Deo, ergo ad ipsam non potest concurrere subjectum materiale: tùm quia quod educitur debet contineri virtute in eo, à quo educitur, sed gratia non

non continetur in animæ virtute, quoad fieri, & produci, ergo. Resp. Suar. *in metaph. d.17. sect.2. num.10. & tom.3. de gratia lib.8. cap.2. num.16.* Gratiam fieri quidem per modum influentiæ, quæ non excludit concursum causæ materialis, educi tamen de potentia non quidem naturali, sed obedientiali animæ: & ratio est, quia sicut anima est capax per naturam suam gratiæ, ità gratia ex natura sua postulat recipi, & fieri in subjecto capaci, ad quod dicit habitudinem sibi connaturalem, & hoc satis est, ut verè dicatur educi de potentia animæ, licèt hæc eductio sit alterius rationis ab eductione merè naturali formarum naturalium: ità etiam Mastrius respondet.

Sed contra, quia hæc responsio se ipsam jugulat: & probatur, quia productio gratiæ est supernaturalis secundùm substantiam, concursus passivus animæ est naturalis, ergo non potest ad ipsam concurrere: tum quia alia actione gratia à Deo solo recipit esse, alia subjectatur in anima: nam actio productiva exigit potentiam infinitam, & est supernaturalis; actio subjectiva est naturalis, & intra sphæram naturæ; ergo ad ipsam actio, vel concursus creatus naturalis non potest pertingere: tum quia dependentia sustentativa animæ est quid posterius ipsa gratia, quæ præintelligitur esse à Deo influente; ergo non potest tribuere rationem eductionis ex subjecto, quæ exigit dependentiam entitativam, & essentialem à subjecto, ut patet exemplis allatis in ultimo fundamento: tùm quia si habeat anima concurrere saltem materialiter, id non potest, nisi ut elevata, ergo præsupponitur elevatio, sed non potest intelligi elevata, nisi per gratiam in ea existentem, ergo erit antè sui productionem jam producta: tùm quia gratia annihilatur, & per annihilationem desinit esse, remanens solùm in potentia Dei; ergo & per creationem solùm recipit esse, contrariorum enim est eadem ratio: fundatur hæc ratio maxima communi allata à S. Doctore, quia unumquodque in id cedit, unde productum est, sed cessante gratia non remanet, nec migrat de subjecto in subjectum, ergo: tùm quia Angelus secundùm Thomistas simul habuit esse, & gratiam; ergo tunc, cum non fuerit ex subjecto præsupposito, habuit esse per creationem. Suadetur etiam hæc assertio à Seraph Doct. *lib.2. dist.26. q.2.* & antiquis SS. Patribus, & Scholasticis, quia nostra Conclusio magis recedit ab hæresi Pelagii asserentis creaturam posse viribus naturæ facere opera supernaturalia. Nec valet responsio Mastrii, & Vasq. frustrà formidasse scholasticos in concedendo gratiam educi de potentia animæ ob errorem Pelagii, iste enim solùm voluit opus bonum posse fieri sine gratia Dei: non valet, inquam; nam si viribus naturæ non potest fieri opus bonum supernaturale; ergo multò minus potest creatura sua virtute naturali concurrere ad eductionem, & productionem gratiæ, quod est opus supernaturale secundùm substantiam: & si id poterit naturaliter anima, ergo multò magis poterit facere opus supernaturale. R. Medul. quod ex ratione supernaturalitatis intrinsecæ non potest inferri creatio gratiæ, & negari concursus animæ: cum etiam visio beata sit supernaturalis, & tamen producitur etiam à creatura: Contra, quia gratia est in altiori ordine supernaturalitatis, quàm quodcunque aliud, & hinc differt ab actibus vitalibus, qui toto genere non sunt supernaturales, cum vitalitas ipsorum sit ab anima; at gratia omnimodè est supernaturalis; tùm etiam quia supernaturalitas, quæ inest in visione beata, & in aliis actibus est ratione elevationis potentiæ factæ per gratiam, & æqualitatem præinfusam in ipsa, at in productione gratiæ non potest præintelligi gratia elevans animam, alioquin gratia esset ante se ipsam, suique productionem.

Objic. 1. ex Concil. Trid. *sess.6. cap.7. can.11.&15* Gratia dum producitur, producitur inhærenter in anima; ergo ab ipsa dependet ut à subjecto, ergo educitur ex animæ potentia. Hoc est argumentum Suarez *loco cit. de div. gratia*, sed nihil concludit. Resp. igitur disting. antecedens: gratia producitur inhærenter in anima per eamdem actionem, nego; per diversas actiones, concedo: & ad consequens distinguo: dependet gratia ab anima dependentia entitativa, & essentiali, nego; consequente, concedo: nam prius natura habet esse, & posterius inhæret, ut supra in fundamento dictum est: & ad hoc habemus exemplum patens etiam in naturalibus de luce, quæ priùs intelligitur habere esse à principio originali, quam inhærere in subjecto, & hoc per diversam actionem: sic & gratia (ait Seraph. D. *lib.4. dist.17. part.1. art.1. q.1. ad 4.*) ubi habet hæc aurea verba: Gratia triplicem comparationem habet: ad principium, à quo procedit: ad peccatum contrarium, quod expellit: & ad subjectum, quod perficit: omnes istæ comparationes sunt simul tempore: naturaliter tamen prius comparatur gratia ad principium, à quo procedit. 2. ad peccatum, quod expellit. 3. ad subjectum, quod informat, &c. ex quibus patet hallucinatio adversariorum: Et confirmatur à Seraph. quia unibilia præsupponi debent unitioni; ergo & gratia informationi, & inhærentiæ.

Objic. 2. Gratia est accidens, ergo non potest esse terminus creationis: antecedens est certum. Prob. consequentia primò à Suarez, & aliis: quia terminus creationis solùm est ens per se subsistens: ratio est, quia creatio est productio totius entis ex nihilo, id est, non ex subjecto præsupposito: at gratia præsupponit subjectum, scilicet animam: ergo. Resp. neg. conseq. ad probationem. R. neg. anteced. terminus enim creationis est id, quod ex nihilo sui creatur, sive sit substantia, sive accidens: ad rationem resp. quod verum est, accidens dependere à subjecto præsupposito, quando subjectum est subjectum, simulque causa: non verò quando solùm est subjectum, causaque est aliquid aliud. Probant adversarii couseq. alio medio. Gratia est accidens, sed accidentis esse est inesse, & inhærere subjecto, ergo accidentis esse est dependens intrinsecè à subjecto, ergo verè educitur, sicut alia accidentia. Resp. ex doctrina Seraph. D. suprà allata, quod definitio accidentis data ab Aristotele, accidentis esse est inhærere, non est propria definitio à priori, sed potius descriptio à posteriori: & ratio est, quia si essentia accidentis esset inhærentia, non daretur ullum accidens absolutum, ideoque traditur per proprietatem consequentem, quæ est inhæsio, ideo ad inhærentiam præsupponitur in esse, quare ratio naturæ accidentis sumenda est non ex inhærentia, sed ex proprio genere entis: si enim sit accidens recognoscens subjectum pro subjecto, & causa, sic involuit dependentiam entitativam, & essentialem à subjecto, ob idque tale accidens non est terminus creationis; si verò recognoscit causam superiorem, & supernaturalem, & infinitam, qualis est gratia, tunc cum non dependeat nisi à posteriori à subjecto potest esse terminus creationis, sic exigente ipsius natura

natura nobilissima excedente omnem virtutem creatam: qualis etiam independentia recognoscitur in anima in ordine ad corpus: vide quæ supra dicta sunt in responsione ad primam objectionem ex S.Bon. *l.4 d.17.*

Dices: Seraphicus Doct. assignat alia accidentia, quæ habent aliquid pro subjecto, & aliud pro causa, nempe species intentionales, lumen delatum in aere, ergo & ista erunt terminus creationis. R neg. sequelam, & paritatem de gratia: Ratio est, quia ista accidentia non excedunt vires causæ naturalis, cum sint imperfectissima, & recipiant esse per diffusionem virtutis naturalis, ideoque cum sint independentia à priori à subjecto recognoscunt subjectum tantùm ut deferens, non inhæsivum, hincque radius aere moto stabilis remanet, transiens de subjecto in subjectum: at gratia cum sit ordinis supernaturalis, & divini, ideo solùm causam creantem infinitam potest habere: sic S.Bon. *l.2.d.26.q.4.*

Dices 2. si gratia non dependet ab anima essentialiter, non mutabitur ad mutationem animæ, eo modo quo dictum est de radio respectu aeris; sed hoc est falsum, tum quia gratia & genericè, & specificè considerata habet rationem accidentis, ob idque dependens ab anima; ergo. R.neg.sequelam majoris, & paritatem de radio solis, & gratia; ad hoc enim ut accidens non mutetur ad mutationem subjecti duo requiruntur, primum est, quod aliunde habeat originem præter subjectum: secundum est, ut non dependeat à subjecto per inhærentiam; radius habet utrumque, sed gratia tantùm habet primum, non secundum: Gratia enim creatur, & infunditur inhærenter in anima, & ab ipsa ut à sustentante dependet, quatenus anima habet faciem suam conversam ad Deum totaliter; hinc si avertitur à Deo, & convertitur ad creaturam, tunc desinit ejus influentia; sic S.Bon. *l.2.d.26.a.1.q.4. ad 2.3.4. & 5.* Et ad aliud, quod gratia semper est accidens, ob idque dependens ab anima. R. S. Bon. esse quidem accidens, sed superius anima, quatenus animæ tribuit esse divinum, ob idque quandam independentiam cum aliquali dependentia habens: Ex quibus infertur, quod gratia inest animæ aliquo modo dependenter ab ipsa, ut subjecto sustentante, & quodammodo per accidens, quatenus tale subjectum non est causa gratiæ, nec oritur ex ejus principiis, ideoque inest animæ non per modum naturæ, sed per modum habitus aliunde venientis, & infusi à Deo. Sic Seraph. D. *ibid. ad ult.*

446 Concl. . Habitus infusi à solo Deo creantur. Est S. Bon. aliorum plurimorum, D.Thom.Scoti, sequaciumque, aliquibus exceptis. Ratio evidens est ex doctrina superiùs allata, quia si infunduntur à Deo, ergo ab extrinseco veniunt, ergo à solo Deo producuntur per creationem.

Dices: actus procedentes ex his habitibus procedunt à creatura, ergo & ipsi habitus. Prob.conseq. quia non minus sunt supernaturales actus, quàm habitus: ergo. R. conced. anteced. & neg. conseq. Ad probationem negando paritatem de actibus, & habitibus, nam actus non sunt omnimodè supernaturales cum insit in eis vitalitas procedens ab anima: at in habitibus quicquid est, totum est à Deo. Contra instas: Isti habitus possunt per actus acquiri, ex multiplicatis enim actibus ipsorum potest acquiri habitus, ergo non necessariò sunt à Deo. R. ex aliàs traditis ex Seraph. *l.1. d.17.p.2. a. 1. q.1.* negando assumptum; falsum enim est posse acquiri habitus supernaturales, & per se infusos per actus, cum à solo Deo, & ipsorum entitas, & intensio, & quantitas pendeat: & ratio est, quia isti habitus habent plus rationem potentiæ, quam habitus, eo quod dant potentiæ non facilitatem solùm, ut alii habitus naturales, sed potentiam simpliciter operandi supernaturaliter, ideo quia actus ab ipsis procedentes, cum sint inferioris virtutis, non possunt gignere similes habitus; tum quia tales actus semper præsupponunt habitum: An verò ex frequentatis actibus possint adquiri novi habitus, v. g. fidei, spei, &c. est in quæstione, sed communior est negativa: licèt probabilis sit etiam opposita ad aures Seraph. D. etiam ex *l. 1. d. 17. q. 3.* in quo casu tales habitus erunt acquisiti, & naturales, &c. sed de hac materia alibi dictum est: Videatur Suar. *de div. gratia l.8. a.4.&c.* Vasq. *p.1.d.79.c.10.* Scotus *l.2.d.26. vide quæ dicta sunt supra d.16.q.3. ad finem.*

Q. *An, cum à solo Deo possit infundi gratia, & verè infundatur, detur æqualiter omnibus ex vi dispositionum?* R.1. certum esse loquendo de adultis, non dari à Deo gratiam habitualem sine præcedenti dispositione originante tamen à gratia actuali, & sufficiente, ut in superioribus traditum est; hæc dispositio autem (ait Seraph. D. *l.4. d.17. p.1. a.2. q. 3.*) consistit in conversione ad Deum per fidem, & amorem. R. 2. non omnibus infundi æqualem gratiam, sed secundùm dispositionis proportionem: unicuique enim dedit talenta secundùm propriam virtutem ex Matth. c.25. idest, explicat Seraph. *l.2. d. 9. q. 3.* secundùm virtutem disponentem de congruo, & actualem præparationem. Vide ibid. S. Doct. *& in Comp.Theol. l. 4.c.1. & l 3.sent.d.13.* 447

Q. *An quis certò scire valeat, se in gratia esse constitutum, præcisa revelatione?* Hæretici omnes maximè moderni respondent affirmativè: sed tamen fides catholica negat, aliquem posse id scire certò, præcisa revelatione: & ad probandam hanc veritatem adsunt plurimi textus S. Script. clarissimi, quos fusè expendit P. Gaud. *d.2.q.7.* Ratio hujus veritatis, quam Seraph. *l.1.d.17.q.3.* adfert: prima est ex parte divinæ acceptationis necessariæ, quam homo ignorat: 2. est ex similitudine dilectionis acquisitæ, & infusæ inter quas nescit homo discernere: 3. ex ratione nostræ lippitudinis, nescimus enim discernere inter gratiam habitualem, & gratis datam, à quali istarum procedant actus nostri: 4. ex divinorum judiciorum dispositione, ne in superbiam efferamur, & semper vivamus cum timore, & humilitate: vide ibid. S. Doct. & *l. 2. d.38.dub.1.*

DISPVTATIO XIX.

De justificatione, & effectibus gratiæ habitualis.

QVÆSTIO I.

Quinam sint effectus formales gratiæ habitualis, & quomodo à gratia producantur.

449 DUas partes continet hic titulus: prima effectus formales, secunda quomodo producantur: & circa primam partem vel nulla, vel modica est difficultas inter Theologos, sed præcipua reducitur ad secundam partem, nempe an isti effectus sint effectus gratiæ physicæ, & ex natura sua ab ipsa procedentes, uti ex albedine paries fit albus: an verò potius sint effectus morales à Deo prodeuntes ex sua ordinatione ad positionem gratiæ. In qua 1. op. est Nominal. asserentium, esse effectus tantùm morales, v. g. justificationem, remissionem peccatorum, filiationem divinam, aliosque prodire à Deo ad positionem gratiæ in anima: ad quam etiam accedunt Scotistæ plures admittentes hos effectus ex gratia, sed tamen superveniente acceptatione divina: in qua assertione tamen melior pars Scotistarum non recedit à secunda sententia commun. infra exponenda, nisi in modo, quod & nos notavimus agentes de merito; & refert Mastrius *d.7.n.5.seq.* 2. op. communissima est Seraph. Doct. *infra cit.* D.Thom. Scoti, & sequacium apud Mastrium cit. & Suar. *l.7.cap.11. & 20. de div. gratia, & t. 4. in 3.p.d. 9.s.3.* gratiam habitualem suapte natura reddere hominem justum, sanctum, Filium Dei adoptivum, aliosque effectus producere infra explicandos, ita quod omnes isti effectus sint ejus physici effectus in genere causæ formalis, & aliqualiter etiam efficientis, ut notat S.Bon. *l.2.d.26.q.2.*

Not.1. ex S. Bon. *l.2. d.27. q.1. in corp.* quod gratia potest comparari primò ad suum originale principium: secundò ad subjectum, in quo à Deo collocatur: tertiò ad suum finem; primo modo est influentia, vel lumen à Deo procedens, & terminans ad animam, secundùm quam Deus totam animam in ipsam illabendo, & influendo sibi assimilat, communicando ei suam excellentiam, & divinam naturam accidentaliter, sicque duo hîc importantur, primò divina dignatio, qua homines acceptat, & sibi confœderat, & secundò humana exaltatio, ex qua homo, quæ Dei sunt, excellenter participat, ut notat *ibid. q. 3. in corp.* secundo modo comparatur ad subjectum, quatenus ei dat vitam in esse morali, & gratuito: tertio ad suum finem, scilicet vel ad finem primum, vel ad intermedium, vel ad ultimum: ad finem primum quatenus facit hominem Deo acceptum: ad intermedium, quatenus reddit opus liberi arbitrii acceptum, & meritorium: ad ultimum quatenus dat jus ad hæreditatem, & conducit ad unum, & summum bonum gloriæ: Ex quibus patet quàm verum sit id quod à nobis traditum est supra *in disp.10. de merito q.1. ad 5. conclusionem*, ex Seraph. *l. 2. d 17. a.2.q. 3. & l.4. d.17. a.1. q. 3. in corp.* duplicem acceptationem divinam reperiri, aliam intrinsecam involutam in gratia, aliam extrinsecam procedentem ex promissione liberalitèr à Deo facta dandi gloriam operi facto in gratia, & ex gratia procedenti: & hinc est, quod gratia de se involuit intrinsecè talem acceptationem divinam, per quod dignificantur etiam opera, & Deo accepta redduntur, & digna vita æterna, & ad majorem hujus veritatis explicationem subdit *d.26. a.1. q.2. in corp. ad finem, & l.1.d.17.p.1.a.1.q.3. ad argum.* Hæc influentia gratiæ dicitur meritò gratia, quia datur ex mera liberalitate, nulla naturæ necessitate cogente, ideoque dicitur influentia secundùm divinam acceptationem, non enim oritur ex principiis subjecti, nec à Deo exit de necessitate, sed sua mera benignitate, sicque gratum facit, & amicum Deo hominem, ipsum Deo conformando, & assimilando, &c.

Not. 2. quod gratia est qualitas eminentialis 450 habens eminentialem perfectionem, & cum sit una, tamen valet producere plures, & varios effectus, ut rectè notat S. Doct. *l.2.d.27. q.1. ad 4 & q.2. & d.26.q 6. ad 5.* nec hîc currit illa maxima, quod habitus diversificantur per actus, maximè in spiritualibus, quando scilicet actus, & effectus habent ordinem inter se, & maximè quando habitus est eminentialiter perfectus, valens plures effectus sine sui multiplicatione producere, qualis est gratia habitualis. Et hinc S. Doctor *l. 4. d.18. p. 2. dub.3.* ait, quod gratia se habet ad modum formæ primi orbis, à qua proveniunt omnes influxus corporei, quia gratia est radix omnium habituum gratuitorum, & principium omnium actuum bonorum, *& l.3. d.23. a.1. q.5.* ipsam appellat veluti seminarium omnium habituum, & bonorum quantùm ad esse gratuitum, & hinc sequitur, quod effectus à gratia provenientes, & varii sunt veluti proprietates formales emanantes ut à radice ab ipsa gratia.

Not.3. ex Seraph. *l.1.d.17.p.1.a.1.q.3.corp.* quod 451 gratiæ proprium est reddere subjectum Deo gratum, & charum; idque potest esse dupliciter, vel activè, vel passivè: activè quatenus habens gratiam habet charum amatum, idest quatenus principium per gratiam est elevatum, & inclinatur ad amandum Deum super omnia: Passivè quatenus per ipsam homo redditur Deo gratus, charus, & acceptus, & divinæ naturæ consors: primo modo importatur habitus charitatis, per quem anima inclinatur ad amandum Deum, & secundùm hunc respectum verum est, ipsi non deberi connaturaliter effectus gratiæ formales: sed tamen secundo modo importat dignitatem veram ob quam acceptatur à Deo homo dignus remuneratione; sic *l. 2. d.26.q.5.corp.*

Concl.1. Homo fit justus, & Deo gratus, amabilisque per qualitatem in ipso inhærentem, sive 452 ista qualitas appelletur justitia, sive gratia, sive requiratur ordinatio divina, sive non. Conclusio hæc post Concil. Trident. *sess. 6. c. 4. & 7.* est de fide; nam ante Concil. Trident. aliqui existimarunt hominem fieri justum per inhabitationem doni increati, quod est Spiritus Sanctus,

non

non verò per infusionem doni creati, quamque Seraph. *l.2.d.26.q.6* affert, & rejicit: & meritò, quia ansam magnam tribuit hæreticis, maximè nostri temporis Luthero, Calvino, aliisque monstris inferni, qui asserunt, hominem fieri justum, non per justitiam inhærentem, sed vel per fidem, vel per Christum fide appræhensum, vel per imputationem justitiæ Christi: de quibus variis modis dicendi istorum hæreticorum, vide Gaudent. *d.3.q.1.* & *d.1. q.1.* Bellarm. aliosque Controversistas.

Prob. autem à Seraph. & aliis Catholicis Theologis ex pluribus locis S. Scripturæ, præcipuè *ex 1. Cor.c.12.* ubi ait Apostolus: Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem Spiritus; sed divisio non potest inesse in dono increato, ergo solùm in dono creato, sed hoc est gratia, & forma inhærens, ergo: tum quia per gratiam homo intrinsecè reformatur, informatur, & vivificatur formaliter, sed Deus non potest esse forma informans, reformans, & vivificans, ergo. Tum quia cum homo fit justus, substat alicui mutationi, per quam formaliter discernitur à non justo, ergo per aliquid creatum de novo illi adveniens: sed hoc est vel habitus, vel actus: non actus, quia etiam peccator facit opera bona; tum etiam quia in parvulo non est actus, & tamen est justus, ergo per habitum infusum intrinsecè. Confirmatur: aut gratia ponit aliquid in sanctificato, aut nihil: si nihil, ergo nulla fit in eo commutatio; ergo mutatio erit in Deo, quod est impossibile; tum etiam quia sic ille, qui gratus est, non esset intrinsecè melior non grato: cum autem id sit impossibile, sequitur dari aliquam bonitatem novam in gratificato: si verò aliquid ponit, sequitur ut supra, scilicet vel quod sit habitus, vel actus, &c. Tum etiam quia impossibile est meritum esse sine gratia; ergo ista est necessaria ad elevandam animam ad opera meritoria: sed vide quæ tradita sunt à nobis supra *disput. anteced. q.1.* ubi hanc eamdem veritatem docuimus, & solvimus objectiones in oppositum, solumque supra tradita repetimus, cum sint scitu maximè necessaria, ut meliùs effectus divinæ gratiæ percipiantur infra tradendi.

453 Concl. 2. Gratia habitualis, cum sit una specie, tamen plures excellentissimos effectus etiam specie distinctos valet physicè, simulque moraliter producere: Est Seraph.D. *supra cit. in 2. not.* & communis omnium Theologorum, exceptis Nominalibus, & pluribus Scotistis, non verò omnibus, qui tales effectus tribuunt acceptationi extrinsecæ Dei: Ratio est quam dedimus supra in 2. not. ex Seraph. quia gratia in genere moris entitativè est veluti forma orbis, fonsque omnium bonorum, & veluti altera natura supernaturalis, à qua derivat totum bene esse, ergo valet gignere plures effectus supernaturales diversos specie.

Prob.2. à Seraph. quia proprium est formæ producere suos effectus formales physicè, sed gratia est forma vera physica, & supernaturalis, ergo habet producere physicè, & non tantùm moraliter suos effectus formales (nota autem quod in conclusione diximus, gratiam producere effectus, non solùm physicè, sed etiam moraliter,) addimus autem moralitatem, tùm quia necessariò in ipsa gratia entitativè involuitur acceptatio divina, tum quatenus isti effectus non sunt naturales, sed supernaturales, & excedentes naturam puram, sed tamen sunt magis propriè physici, idest connaturales proportionati ad naturam physicam, & entitativam gratiæ.

Et si quæras: *Quinam sint isti effectus formales?* 454
R. S. Bon. *d. 26. q. 1.* & *2.* quod primus effectus formalis gratiæ est recreare hominem, novamque creaturam facere & *2. Cor. cap. 5.* & *Gal. 5.* & *1. Petri cap. 1.* & *ad Titum c. 3.* & *ex Ioan. 5.* per quod accipitur ab homine novum esse divinum: 2. effectus est, animam informare, ex Gal. *c.4.* Donec formetur Christus in vobis: 3. effectus est vivificare peccatorem mortuum, ex *c. 5. Rom. 4.* est illuminare ex *1. Cor. c. 6.* gratia enim est lux illuminans mentem: 5. est assimulare animam Deo: 6. est unire ipsam Deo per cognitionem & amorem: 7. est stabilire in Dei servitio, & sanctitare ex c. 13. Hæbr.8. est reddere hominem Deo gratum, & acceptum: 9. est sursum elevare animam ad statum supernaturalem, ut habetur in pluribus locis Sacræ Scripturæ. Ex quibus addit, & infert Seraph. *d.26. q.2.* sed isti sunt effectus formales producti in anima, ergo ultra causam efficientem, scilicet Deum influentem, requiritur forma complens, à qua informatur. Tum quia in tantùm Spiritus S. dicitur nobis donari, in quantùm est in nobis, & habetur à nobis, sed non habetur à nobis, nisi per cognitionem, & fruitionem, & hoc est per donum gratiæ, ergo, &c.

Objic. 1. cum Meldula: Gratia ex natura sua Physica aliam rationem habere non potest in ratione principii activi, nisi quod sit principium diligendi Deum, sed ex hoc capite nullam exigentiam naturalem, saltem proximam, habet ad amicitiam Dei formalem, vel ad jus regni cælestis, ergo rectè infertur, istos effectus non procedere ab ipsa gratia, nisi moraliter, scilicet ex ordinatione, & acceptatione extrinseca Dei. R. 1. Istum Auctorem supponere gratiam, & charitatem esse unum, & idem realiter, quod apud nos est falsum; inclinatio autem ad diligendum Deum proximè provenit ab habitu charitatis, remotè à gratia. R. 2. negando antecedens: nam gratia habet quidem inclinare activè animam ad dilectionem Dei, sed ultra hoc habet passivè, & formaliter reddere animam Deo charam, &c. ut supra dictum est in 3. nor. sic neg. conseq.

Objic. 2. Gratia hæc non potest nos justificare sine meritis Christi, ergo necesse est, ut merita Christi imputentur nobis, ergo justitia Christi ad id concurrit saltem ut partialis causa, sicq. incidimus saltem ex parte in sensum hæreticorum. R. conced. anteced. si sumantur merita Christi tanquam causa efficiens, seu meritoria nostræ justificationis, non verò tanquam causa formalis: sic enim gratia est causa formalis talium effectuum, sumpta secundùm suam propriam rationem formalem, & entitativam, etiam præcisis meritis Christi, licèt talis gratia nobis detur ex meritis Christi.

Objic. 2. Nulla qualitas est, quæ natura sua cogere possit Deum, ut acceptet ad vitam æternam hominem illa qualitate affectum, vel ut cum illo speciale vinculum amicitiæ contrahat: sed gratia est qualitas, ergo ex natura sua non potest tribuere jus ad divinam amicitiam, ergo tantùm ex ordinatione extrinseca Dei: Major est clara, quia nulla est implicantia, quin Deus velit dare talem qualitatem homini, simulque ei negare beatitudinem, vel communicationem supremi boni. Et confirmatur, quia potest Deus nolle remittere peccatum homini, cui tribuit talem qualitatem: Huic argumento nititur maximè Mastrius contra nostram conclusionem: Cui ex supradictis facilè. R. ad majorem: Aliud est, qualitatem reddere quale subjectum, & ob id gratiam reddere Deo

gratam animam, aliud est, quod ad talem qualificationem sequatur operatio, quæ est separabilis: dicimus enim per gratiam subjectum reddi gratum, Deoque amicum intrinsecè, & formaliter, quod postea Deus in actu exercito tribuat ipsam gloriam, hoc pendet ex ejus libertate, & voluntate, & supremo dominio; unde in tali casu adesset quidem acceptatio intrinseca involuta in ratione gratiæ, sed deesset extrinseca, quæ est veluti complens primam, ut satis dictum est *in disp.16.q.1.* Ad aliud de consistentia simultanea gratiæ, & peccati infra in propria quæstione respondebitur.

455 Q. *An absque justitia inhærente possit Deus reddere hominem sibi gratum?* Solutio hujus dubii facit maximè ad majorem declarationem conclusionis præcedentis: In quo prima opinio est plurium antiquorum, Scoti, Medinæ, aliorumque affirmantium id posse fieri. 2. est negativa, estque Aureoli, pluriumque aliorum, & Caspens. *d. 5. sect. 5.* & hæc est expressa sententia Seraph D. infra cit. hinc. R. 1. ex traditis in superiori quæstione, quod esse gratum, & acceptum Deo, vel ab eo dilectum, pro ut præcisè significant objectum proportionatum tali amori, vel acceptationi, non possunt homini convenire sine intrinseca gratia, quæ conferat homini participationem divinæ naturæ, ratione cujus deificari dicatur, & reddi aptus, & proportionatus tali dilectioni: Ratio est, quia hæc gratificatio est effectus formalis, & intrinsecus gratiæ, nec potest Deus illum supplere, ergo. Tum quia implicat, quod denominatio intrinseca fiat absque forma intrinseca, & solùm per formam extrinsecam; ergo prædicata, quæ talem denominationem dicunt, non possunt suppleri sine intrinseca forma: tum quia hoc modo esse gratum nil aliud est, quam habere in se intrinsecè participationem divinæ naturæ, cui connaturaliter debeantur actus videndi, & amandi Deum, aliique actus formales consequentes: sed sine forma intrinseca inhærente impossibile est intelligere hominem factum hoc modo participem divinæ naturæ; ergo. Et confirmatur ex doctrina Seraph. superiùs tradita, quia gratia intrinsecè fert secum acceptationem divinam radicalem ex natura sua. Et hoc est quod dicit Seraph. *l.1.d.17.p.1.q.1.fund.3.* quod gratificatio est id, in quo distinguitur bonus à malo, impius à justo, distinctio autem boni à malo non fit per bonitatem increatam, quia illa est omnibus communis, ergo per creatam, & inhærentem: & *l. 2. d. 26. q. 1. in corp.* ait, quòd necessariò divina gratia ponit aliquid circa gratificatum, & acceptatum; non enim voluntas divina in acceptando afficitur in se de novo ob aliquem affectum, ideo necesse est, quod acceptet ob aliquem effectum; ergo nemo est gratus Deo, nisi in se habeat aliquid, per quod sit approbatione dignus, & hoc per mutationem in ipso factam, & aliquid de novo in ipsum immissum, & *l.2.d.29.q.1.* fusè, & doctè probat, quod impossibile est, Deum acceptare hominem acceptatione speciali in ordine ad beatitudinem absque dono gratiæ superadditæ, & in anima infusæ, quia talis status exigit aliquid supra naturam exaltans animam, eique tribuens ea, quæ formaliter tali statui competunt; additque ad ult. quod talis impossibilitas venit, non ex parte Dei, sed ex incapacitate creaturæ, quæ ad statum supernaturalem ut elevetur, exigit aliquod donum supernaturale.

Objic. 1. Anima Christi fuit sanctificata per unionem hypostaticam etiam præcisa gratia habituali, ergo ad sanctificationem non est necessaria absolutè gratia inhærens. R. neg. paritatem de anima Christi, & cæteris: Anima Christi ex vi unionis substantialis intrinsecè fuit sanctificata sanctitate superioris ordinis à gratia habituali, & tali, quod ipsi debebatur connaturaliter gratia habitualis perfectissima: sicque argumentum nihil concludit contra nos.

Objic. 2. Acceptatio divina est actus liber Dei; ergo data etiam gratia, posset Deus non acceptare ad gloriam personam gratificatam: idem & dicendum est de cæteris effectibus formalibus supra traditis, ut est filiatio adoptiva, amicitia, &c. R. ex doctrina tradita in præcedenti quæstione, & in *disp.10. q. 1.* quod duplex est acceptatio divina, alia radicalis, alia specialis superaddita: prima consistit in ipsa gratia, quatenus est participatio divinæ naturæ, & huic debentur intrinsecè effectus formales tanquam connaturales veluti in actu primo; & de hac procedit nostra conclusio; alia acceptatio est superaddita à Deo per suum liberum concursum specialem, & ex mera benignitate, de quo S. Doct. *l.2.d.27.q.ult.& d.29 q.1.* & de hac extrinseca conceditur totum argumentum; sed nihil concludit contra nos: concedimus enim, quod secundùm hanc actualem acceptationem extrinsecam potest ipsa separari à gratia, &c.

QUÆSTIO II.

An justificatio sit effectus formalis gratiæ habitualis; ita ut solùm per ipsam possit haberi?

Suppon. 1. Hæreticos circa hanc quæstionem dupliciter errare: primò quatenus à vera justificatione excludunt omnem verum effectum positivum gratiæ, & in sola remissione peccatorum illam constituunt: secundò, quia nec ipsam peccatorum remissionem veram agnoscunt, sed fictam per quamdam non imputationem, & de hoc secundo infra suo loco agetur. Circa autem primum errorem sustinent hæretici, justificationem nihil aliud esse, nisi hominem à peccatis vel absolvere, vel absolutum declarare eo modo, quo in foro humano accipitur justificatio pro ut est nomen forense: sed catholica veritas definita in Concil. Trident. est, justificationem consistere in hoc, quod homo verè fit justus per internam rectitudinem, & per gratiam sanctificantem. N. 2. ex Seraph. *l.2. d.5. a.3. q.1. ad 1.* quod justificationis actus dupliciter dicitur: Justificare enim aliquem est de non justo facere justum: Non justus autem accipitur vel privativè, vel negativè: privativè est idem non justum, ac injustum esse, sicque justificare tali pacto est idem, quod de impio facere pium: negativè est idem ac non habere justitiam gratiæ, etiamsi non habeat impietatem, quo pacto justificati sunt Angeli: Præterea justitia alia est prima, alia secunda: Prima est, qua homo de non justo fit justus per infusionem gratiæ, secunda est quando de justo quis fit magis justus per augmentum gratiæ. N. 3. aliud esse, justificationem involuere remissionem peccatorum, aliud est consistere formaliter in ipsa remissione: hoc secundum negamus contra hæreticos: primum affirmamus. 456

Concl. 1. Justificatio formaliter non consistit in remissione peccatorum, licèt ipsam includat, sed consistit in positivo effectu gratiæ habitualis: 457

Conclusio

Conclusio est de fide definita in Concil. Trident. *sess.6.can.*11.*& cap.*7. contra hæreticos confundentes in unum utramque. Et patet ex traditis in antecedentibus, nam homo non justificatur, nisi fiat Deo gratus, sed hic est positivus gratiæ effectus, ut supra ostensum est: tum quia si justificatio diceret solùm absolutionem, vel declarationem absolutionis à delicto secundùm forensem usum, Deus judicio esset mendax, vel iniquus, quod est blasphemum. Prob. sequela, quia si justificatio esset pura declaratio impii in pium, & justum, dato quod nihil aliud superadderetur positivum, falsò iste diceretur justus positivè, sed ad summum solùm non malus, idque patenter declarat Apostolus 2. Cor. c.4. Nihil mihi conscius sum (scilicet culpæ) sed non in hoc justificatus sum, idque etiam patet ex pluribus aliis textibus Sacræ Script. apud Suar. *l.*7.*c.*6.*&* 7. Seraph. *l.*4.*d.*17.*p.*1.*q.*1. affert alium textum ex Ep. ad Rom. c. 3. ubi dicitur Justificati per gratiam; ergo justificatio est effectus gratiæ: probat 2. tali pacto: Peccatum est privatio, sed privatio non tollitur nisi per collationem habitus; ergo in remissione peccati confertur aliquis habitus: sed peccatum Deo displicebat, & displicere peccatum faciebat: ergo ab oppositis habitus ille Deo placet, & placere facit, sed hunc dicimus gratiam gratum facientem, ergo. Tum quia per peccatum separatur homo à Deo, ergo ab oppositis in justificatione unitur Deo, sed unio in Deo non est sine dispositione uniente, alioquin peccator inimicus Deo haberet gratiam Dei; ergo. Tum etiam quia per justificationem non tantùm fit homo non malus, seu non peccator, sed etiam positivè bonus, & justus: sed homo non fit bonus, & justus per extrinsecam denominationem, nec per imputationem alienæ, & extrinsecæ justitiæ, ergo necesse est, ut justitia, per quam homo fit justus, sit forma intrinsecè inhærens, ac informans hominem: major est certa, quia justificari apud Deum idem est, ac fieri justum simpliciter, & vera justitia affectum, qua Deo placeat, ac homo gratus Deo reddatur. Sic enim ad Rom. c.3. dicitur: Justificati gratis per gratiam ipsius per redemptionem, quæ est in Christo Jesu: idest justificari facti justi, non declarari: nam declaratio non spectat ad gratiam, sed magis ad justitiam, nec fit per redemptionem, sed per judicium: Deus enim non justificat impium declarando illum justum, aliàs falsum declararet: justificat ergo impium, cum ex improbo facit pium, ut dicit August. in Psal. 30. quod evincitur ex pluribus aliis textibus apud Suar. c. 6. Minor etiam per se est clara ex terminis, nec etiam ab ethnicis negata, sic & Arist. 1. ethic. c.12. Et hinc Paulus semper de justificatione loquitur per ordinem ad sanctas operationes: gratia enim includit omnia necessaria ad constituendum hominem justum. Objectiones, quas contra nostram catholicam conclusionem congerunt hæretici ex S. Script. habentur solutæ apud Bellarm. *l.*2.*de justific.* aliosque Controv.

458 Concl. 2. Justificatio est effectus formalis gratiæ sanctificantis physicus, & moralis simul: Conclusio partim est contra Thomistas, partim contra plures Scotistas, sed tamen conciliativa utriusque sententiæ: Prima pars supra probata est, quod justificatio, sanctitas, amicitia cum Deo sint effectus physicus formalis gratiæ: secunda pars, quòd sit etiam causa moralis, jam ex traditis patet: supra enim tum *in disp* 10. *q.* 1. tum in anteced. quæst. probavimus ex Seraph. Doct. involui in ipsa entitate gratiæ acceptationem intrinsecam, seu ordinationem divinam, qua decrevit creaturam tam nobilem, & divinam, qualitas est gratia, quatenus est participatio divinæ naturæ habere tantam virtutem, ut elevare posset hominem ad justificationem, & sanctitatem, & cui connaturaliter debeatur amicitia divina, & jus ad hæreditatem cælestem, quodque clarè docet S. Bon. *l.* 4. *d.*17.*q.*1.*in fine corp.*

Objicit hic Mastrius *d.*7.*n.*11. Gratia ex natura sua physica aliam rationem habere non potest in ratione principii activi, quam quòd sit principium diligendi Deum supernaturaliter, sed ex hoc capite nullam exigentiam connaturalem dicit saltem proximam, ob quam Deus dare debeat, ut naturaliter agat, vitam æternam habenti talem habitum, illumque acceptare ut filium, & hæredem, &c. ergo non habet ex natura sua illos effectus tribuere præciso quocumque decreto divino. Huic objectioni supra satisfactum est sufficienter, & iterum R. neg. majorem, in qua supponitur charitas, & gratia una & eadem entitas realis, quod est falsum ex supra traditis, gratia enim est participatio divinæ naturæ, cui connaturaliter exigitur charitas, amicitia cum Deo, sanctitas, & acceptatio radicalis, & sic negatur etiam minor: verum quidem est, quod acceptatio nova extrinseca Dei ei absolutè non debetur, sed pendet à liberalitate divina; & hæc est veluti complementum coexigentiæ connaturalis gratiæ, & acceptationis radicalis quo ad executionem; & hinc diximus gratiam habere rationem causæ physicæ, simulque moralis.

Objic. Vasq. nos adjungendo gratiæ acceptationem divinam facere ipsam imperfectam de se, cum hæreticis, qui requirunt ad valorem justitiæ imputationem meritorum Christi: sed R. nos non convenire cum hæreticis; isti enim negantes gratiam inhærentem collocant rationem justitiæ in fide cum adjuncta applicatione meritorum Christi: nos verò gratiam inhærentem propriè admittimus justificantem, quatenus ex ordinatione divina ipsa habet virtutem de se sanctificandi absque addita nova acceptatione, eo modo, quo supra declaratum est. Instat Mastrius *d.* 7. *n.* 8. implicat quod sanctificatio simul physicè, & moraliter proveniat à gratia: Ratio est, quia dum in actu primo gratiæ debetur sanctificatio tanquam effectus physicus, nihil facit ordinatio divina superaddita, alioquin talis ordinatio divina gratiæ connaturaliter deberetur, quod est impossibile, quia gratia, cum sit accidens, & quid inferius, nullam entitativam commensurationem, vel connexionem naturalem cum Deo habet: R. neg. talem implicantiam, imò esse valde consonum tribuere gratiæ tales effectus physicos ex ordinatione divina inclusa in productione gratiæ, per quam possunt etiam dici morales, quatenus talis ordinatio procedit ex mera liberalitate divina.

Concl. 3. Justificatio perfecta non potest fieri absque infusione gratiæ habitualis. Antequam probetur hæc conclusio advertendum, quod multi confundunt in unum justificationem peccatoris cum remissione peccati, ut videre est apud Gaud. *d.*3.*q.*5. Suar. *in* 3.*p. tom.*4.*d.*9.*sect.*3. qui admittunt posse remitti culpam præteritam à Deo absque infusione, quod nec nos negamus, sed tamen in hunc scopum non tendit nostra conclusio, quæ supponit valde differre justificationem, & remissionem peccati, ut infra dicemus: sed loquimur 459

de justificatione perfecta, & habituali: unde N. ex S. Bon. *l.3.d.40. q.2. in corp. & l.4.d.17. p.1. q.3. in corp.* quod justificatio sumitur dupliciter: 1. ad justitiam præparatio, quæ fit contritione: 2. justitiæ infusio, sumiturque formaliter pro gratiæ infusione: 3. modo est in justitia exercitatio: hîc autem sumimus justificationem secundo modo secundùm suam rationem formalem. Pr. 1. concl. Implicat dari effectum formalem absque ipsa forma, quæ est principium talis effectus formalis, sed justificatio perfecta, & formalis est effectus formalis justitiæ, & gratiæ; ergo. Nec valet dicere posse suppleri à Deo per efficientiam: nam, ut rectè arguit S. Bon. *l. 2. d.26. q.1. & 2.* Deus non potest supplere rationem causæ formalis: Dices, potest per extrinsecam condonationem remittere peccatum, ergo & justificare. R. transeat antecedens, & nego conseq. aliud enim est remittere culpam, aliud est informare animam justitia, & illam facere justam. Dices: justificatio de sua ratione importat exercitium actuum supernaturalium, sed Deus per concursum extrinsecum potest supplere concursum formæ inhærentis in anima; ergo & justificare tali modo. R. conced. totum, sed negando, hinc sequi posse formaliter justificare, licèt possit justificare, seu elevare actus procedentes ab anima: sed tamen semper supponitur in tali casu bonitas gratiæ formalis in anima, per quam homo fit justus.

QUÆSTIO III.

An gratia, seu justitia concurrens ad justificationem concurrat ut habitus, an ut actus?

460 Supra dictum est, formam justificantem esse inhærentem homini justificato, sed quia esse formam inhærentem potest convenire, non solùm habitui, sed etiam actibus quæritur, an justificatio sit ab habituali gratia præcisè spectata, & sine actu, vel an actus v. g. dilectionis, vel contritionis sit per se sufficiens forma justificans. In qua quæstione prima opinio est Vasq. *in 2. d 203.* Meratii, Gasp. Hurt. Turriani, aliorumque paucorum, asserentium in adultis actum, v. g. contritionis, vel dilectionis, præcisa gratia habituali, posse justificare hominem formaliter. 2. op. communis omnium ferè Theologorum, tam antiquorum, quam recentiorum est justificationem formaliter non posse fieri absque infusione gratiæ habitualis, nec actus posse talem justificationem invehere formaliter in animam: sic Doctores apud Bellarm. *l. 2. de justificat. l. 15. & 16.* & Mastr. *de justificat. d.7.q.8.* sic Seraph. Doct. qui in hoc stat firmus, actus solùm concurrere ad justificationem dispositivè, & meritoriè de congruo, de quo *l.2. d. 26. dub. 3. & l. 4. d. 17. p. 1. per totam*, & alibi etiam agemus, in qua sententia tamen aliqui negant de facto: affirmat de possibili: alii negant utroque modo.

Not. 1. quod à gratia habituali plures effectus proveniunt, sed tamen alii sunt primarii, & formales, alii secundarii, & secundariò ab ipsa profluentes ex primariis: nam gratia primò datur ad sanctificandam animam, ipsam reddendam gratam, & charam Deo: ad quod postea secundariò consequitur expulsio peccati in hominibus post peccatum, qui effectus est separabilis à primis, ut patet in Angelis, & primo homine. N. 2. ad infusionem gratiæ habitualis requiri dispositiones præcedentes in anima: quarum aliæ sunt proximæ, aliæ remotæ: remotæ sunt actus fidei, & spei; proximæ sunt contritio, & dilectio Dei super omnia, quæ tamen præcedunt infusionem gratiæ, non tempore, sed tantùm natura: notat autem Seraph. *l.4.d.17. p.1. a.2 q. 2.* quod contritio non provenit à gratia sanctificante, cum ipsam præcedat, sed ab auxilio gratiæ specialis, & actualis: nam anima elevata per fidem, & spem incipit detestare peccatum, sicque gratia inveniens liberum arbitrium in actu, & animam, & simul actum format.

Concl. 1. Per actum purum contritionis, sive 461 dilectionis Dei non potest fieri formaliter justificatio, nec peccati expulsio, nec à pura gratia actuali, sed tantùm à gratia habituali: conclusio est communis, & elicitur ex determinatione S. Concil. Trident. *sess.6.c.7.* ubi docet unicam causam nostræ justificationis esse gratiam inhærentem, & habitualem, cujus verba fusè expendit ad litteram Suar. *de div. gratia, l.7.c. 8.* ubi ostendit, ibi Concilium tradere doctrinam generalem pro adultis, & parvulis, quæ determinatio fundatur in variis textibus S. Script. ut *in 1. ad Cor. c. 6. ad Ephes.c.5. ad Tit. c. 3.* & in sententiis SS. PP. Pr. autem prima pars, quia actus contritionis vel sumitur ut in formis præcisè, vel ut formatus: si hoc secundo modo, idest per gratiam sanctificantem, ergo si aliquid meritorii de condigno habet est à gratia habituali: si primo modo sequitur quod non sit satisfactorius de condigno pro offensa Deo illata; ergo non sufficit ad justificationem; tum quia contritio, aliique actus supernaturales sunt dispositiones ad justificationem, ergo non possunt esse forma justificans; tum quia etiam dilectio, & actus charitatis ad hoc ut sit meritorius, exigit gratiam habitualem informantem voluntatem, & ipsam charitatem, ut aliàs probatum est, ergo. Pr. 2. pars directè de gratia habituali ratione theologica ex fundam. Seraph. Doct. *l.2.d.26.q.2.* quia tunc homo efficitur justus, quando ex Deo nascitur, & Filius Dei constituitur; ergo per eandem formam justificatur, per quam ex Deo generatur, sed hæc est gratia habitualis, per quam participat homo divinam naturam, ergo eadem est forma sanctificans; tum quia ut notat Seraph. *d.26.q 2. fund.3.* si justificatio est per actum, vel actus, ergo nihil amplius ponit in gratificato, quàm in non gratificato ex parte Dei, nisi quando, & pro ut operatur; ergo non erit gratia in parvulis, & dormientibus, magis quàm in peccatoribus: sed hoc est alienum à fide; ergo. Tum quia homo non dicitur justus, quia hoc, vel illud operatur, sed quia permanenter, & stabiliter est bene dispositus intrinsecè ad justè operandum, sed talis dispositio est per gratiam habitualem, ergo hæc est forma justificans.

Resp. Vasq. conced. totum in parvulis, & ex vi Sacramenti, non autem extra Sacramentum. Sed contra: quia ex Concil. Trident. una est forma justificandi, quæ est habitus, ut latè expendit, & probat Suarez cit. tum quia justus est Spiritus Sancti habitaculum permanenter, etiam dum non operatur; ergo non potest esse tale habitaculum, nisi per gratiam habitualem; tum quia, ut arguit Seraph. loco cit. etiam post actus nostros datur gratia, & augeri potest; tum quia ut docet idem

idem Seraph. *l. 4. d. 17. q. 1. & 3. in fund.* Id quo tollitur habitualis privatio, debet eſſe forma habitualis, ſed gratia tollitur macula habitualis culpæ, ergo eſt habitus: tum quia contritio, & dilectio eſt via ad ſanctificationem; ergo non eſt forma ſanctificans: Antecedens eſt communis, & infra etiam probabitur: conſequentia patet, quia cauſa diſpoſitiva eſt diſtincta à formali reſpectu ejuſdem effectus; imò in genere cauſæ materialis eſt cauſa aliqualiter illius formæ, ad quam diſponit, ergo non poteſt conferre ipſa eumdem effectum formalem: & confirmatur, quia ſi cauſa diſponens daret effectum formalem, ad quem diſponit, jam eſſet ſuperflua alia forma, ad quam diſponeret; ſicque eſſet ſuperflua gratia juſtificans, cum jam præſupponeretur juſtificatio facta: Vel conſequerentur duæ juſtificationes, altera per actum contritionis, altera per infuſionem gratiæ; quæ ſemper conſequitur ad contritionem ſive in Sacramento, ſive extra: nec ſecunda juſtificatio impediri per primam, cum ſupponatur in ipſa ratio formæ inhærentis, quæ ſemper tribuit ſuum effectum formalem: ſicque fieret multiplicatio ſuperflua.

Dicent: per actum contritionis hominem fieri formaliter juſtum, per adventum gratiæ, fieri juſtiorem: Contra, quia hoc eſt contra Conci. Trid. qui primam juſtificationem recognoſcit à gratia habituali, ut fusè, & ſolidè probat Suar. *c. 8. n. 11.* tum quia id eſt contra communem conſenſum Theolog. tum quia ſequeretur, quod per contritionem facientem formaliter juſtum homo poſſet de condigno mereri primam gratiam, quod eſt contra doctrinam communem Theologorum. R. Adverſarii, negando ſequelam, ſcilicet per contritionem mereri de condigno primam gratiam, eo quod ultima diſpoſitio ad gratiam procedit effectivè ab illo habitu gratiæ conſequente; ſed hoc quàm falſum ſit infrà probabitur, nempe impoſſibile eſſe, quod diſpoſitio præcedens ſit effectus formæ conſequentis.

462 Prob. tandem concluſio à priori ex doctrina Seraphica ſupra; quià duæ conditiones ſunt de ratione formæ juſtificantis: prima eſt, ut ſit forma natura ſua permanens in anima, etiamſi actu non operetur: ſecunda eſt, ut forma juſtificans contineat omnem rectitudinem neceſſariam in ordine ad ultimum finem vel formaliter, vel virtualiter, vel radicaliter, eamque formaliter conferat illi, quem juſtum conſtituit, tali enim pacto ſolùm homo fit juſtus apud Deum, ideòque debet eſſe univerſalis juſtitia per modum totius integralis omnem rectitudinem complens: ſed neutra conditio reperitur in actu, v. g. contritionis, vel dilectionis; ergo. Prob. minor (nam major eſt certà apud omnes Theologos, & ex Concil. Trident.) non quidem prima, quia actus tranſit, non permanet: nec ſecunda, quia actualis gratia non poteſt continere omnem æquitatem, ſed tantùm habitualis gratia: Et hinc eſt quod contra Michaelem Baium decreverunt Summi Pontifices, non poſſe per ſolam gratiam actualem haberi formaliter rationem meritoriàm de condigno præmii æterni. R. neg. actum contritionis, vel dilectionis, etiamſi ſtatim tranſeat, non relinquere hominem juſtum permanenter: ad id probandum afferunt exemplum de peccato actuali, qui ſtatim tranſit, & tamen relinquit permanenter maculam peccati habitualis. Sed contra, quia eſt maxima diſparitas inter ſtatum habitualem juſtitiæ, & peccati: peccatum numquam conſtituit hominem habitualiter peccatorem per imputationem, & moralem quandam informationem, & perſeverantiam, ſed ut diximus *in lib. 2. d. 17. q. 10.* in debito paſſivè contracto ex actu præterito ſimul cum deformitate contracta; quæ eſt privatio modi, ſpeciei, & ordinis, ut ibidem explicavimus: unde tandiu permanet peccator, quandiu permanet talis privatio, & imputatio moralis: at actus contritionis non ſanctificat per imputationem, neque per ſolam moralem ejus permanentiam, videlicet deberet id facere per veram, & phyſicam inhærentiam, ergo ad hoc ut formaliter ſanctificet permanenter, debet verè inhærere, ſed non permanet, nec permanenter inhæret, ſed tranſit, ergo non poteſt permanenter ſanctificare.

In oppoſitum Adverſarii congerunt varia loca 463 S. Scripr. & SS. Patrum, in quibus dilectioni Dei, & contritioni adſcribitur formalis animæ ſanctificatio, purgatio à peccatis, conjunctio, & adhæſio cum Deo, ut 1. Petri: Charitas operit multitudinem peccatorum. Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, &c. quibus omnibus R. quod dilectio Dei poteſt ſumi velut diſpoſitiva ad gratiam, ſic etiam contritio, vel poſtquam formata eſt: primo modo de ipſis verificatur, ſecundùm quod ſumitur diſpoſitivè: ſecundo modo pro ut ſupponitur gratia informans in anima, in cujus virtute habet producere plures effectus ſupernaturales: ſed tamen ex his non poteſt inferri, charitatem, vel contritionem juſtificare formaliter, ſed tantùm diſpoſitivè, vel efficienter, quatenus diſponunt ad actus ſupernaturales. Vide Suar. cit. Caſpenſ. *d. 5. ſect. 3.* Gaud. *d. 3. q. 2.* qui fusè reſolvunt iſtas difficultates.

Objic. 2. Si homo peccator aſſumeretur ad viſionem beatam, hoc ipſo juſtificaretur formaliter per viſionem beatam, & à fortiori per dilectionem annexam, ergo etiam in via actus dilectionis, qui eſt ejuſdem rationis cum dilectione patriæ, habet vim juſtificandi à peccato. Et confirmatur, quia diligens Deum etiam ſine habitu unitur perfectè Deo affectu, & in Deo manet, & Deus in eo: amor enim habet vim transformativam amantis in amatum. R. neg. paritatem de viſione, & fruitione patriæ, & viæ: tranſeat antecedens de actu patriæ, qui eſt perfectiſſimus, negatur de actu viæ, dato enim quod eſſent ejuſdem ſpeciei, ſunt tamen differentes individuali perfectione, &c. Ad confirmationem negatur, abſque habitu gratiæ per dilectionem ſolam, reſultare talem amicitiam, & unionem mutuam: requiritur enim ad perfectum amorem Dei in nos dignitas per gratiam, ut docet Seraph. Vnde concluſio firma ſtat, quòd, cum omnis dignitas, quà redditur homo dignus amicitia Dei, ejuſque amore, & per quam ejus entitas, & operationes ſunt dignæ vita æterna, conſiſtat in gratia habituali, ſequitur quod nec poſſit juſtificari, niſi per gratiam.

Concl. 2. Valde probabile eſt, poſſe per Dei 464 potentiam juſtificari hominem per actus contritionis, vel dilectionis: Eſt contra Thomiſtas, nec tamen eſt contraria tertiæ concluſioni præcedentis quæſtionis, imò nec ipſis Thomiſtis: quia ibi loquimur de juſtificatione perfecta cum omnibus conditionibus, quas de facto Deus ordinavit; potuit enim Deus aliter ſtatuere juſtificationem, nempe ut data acceptatione divina in ordine ad actum dilectionis Dei, & contritionis moraliter perſiſteret

persisteret effectus illorum actuum, nec ulla implicantia potest afferri, quod & Seraph. *l.4.d.17. q.1.ad 5.* notavit: de quo vide Mastrium *quaest. cit.8.* & magis in sequentibus patebit.

QVÆSTIO IV.

Vtrum remissio peccati sit effectus formalis, & connaturalis gratiæ inhærentis, & quomodo, & quo ordine fiat expulsio peccati.

465 PRo explicatione tituli advertendum, quod hic non est quæstio de remissione activa, qua Deus condonat offensam, est enim idem et quod Deus: sed de passiva, hæcque potest sumi duobus modis, primo pro ipsa mutatione in fieri, qua verè mutatur peccator in justum; secundo pro termino mutationis, nempe pro ipsa remissione in facto esse: & quæritur præcipuè in secundo sensu, nam certum est in justificatione fieri mutationem aliquam in peccatore, ideo quæritur de termino: primò, an remissio peccati sit effectus physicus, an moralis tantùm gratiæ sanctificantis: 2. an in justificatione peccatoris interveniat unica mutatio in se, ita quod per eandem indivisibilem informationem, seu mutationem fiat informatio justitiæ, & expulsio peccati eo modo, quo privatio expellitur per habitum, cæcitas per visum, tenebræ per lumen; an verò sint duæ mutationes in re distinctæ, ita quod sicut una forma in introductione sui aliam expellit per quandam consecutionem unius mutationis ex alia, sicut intervenit in generatione unius, & corruptione alterius, & quando calor expellit frigus, sic quæritur, an una mutatio in re sit informatio justitiæ, & alia expulsio peccati, & quo ordine se habeant. Et quo ad primam quæstionem Scotistæ sustinent, remissionem peccati esse effectum moralem tantùm gratiæ: Nos verò cum Thomistis, esse physicum, simulque moralem effectum gratiæ eo modo, quo supra traditum est de justificatione. Quo ad diversitatem mutationum.

1. Opinio est Ricardi *l. 4. d. 17. a. 4. q. 4.* qui tamen etiam oppositam probabilem censet, Vasq. aliorumque admittentium inter istas duas mutationes distinctionem rationis tantùm. 2. Op. est Seraph. D. Scoti, Gabriel. Ocham. communiorque sustinens, esse duas mutationes re ipsa distinctas, quatenus una se habet per modum positivum, altera per modum privativum, consequentem ex positione gratiæ: quam & tenet Suarez *l.7.c.11.n.6.*

466 Not 1. quòd, cum omnes admittant istas duas mutationes, solùm est discrepantia de distinctione inter ipsas, an sit rationis tantùm, an etiam realis, vel formalis, ut proximè supra notatum est, sed tamen quæstionis hujus præcipua difficultas est, quem ordinem inter se servent prioritatis, & posterioritatis, non quidem temporis, cum certum sit fieri in unico instanti temporis, sed naturæ, quæ ad causalitatem sufficit, si est cum dependentia aliqua posterioris ab eo, quod dicitur natura prius: & in hac sunt duæ opiniones oppositæ: Prima est communis Thomistarum, qui in duas classes sunt divisi: aliqui enim dicunt ratione agentis infusionem gratiæ esse priorem, ratione verò passi, & mobilis expulsionem culpæ esse priorem: Alii verò dicunt, infusionem gratiæ esse priorem in genere causæ formalis, & expulsionem culpæ esse priorem in genere causæ materialis, quod declarant exemplo venti aperientis fenestras, & aulam ingredientis, nam in genere causæ efficientis prior est ingressus venti: in genere verò causæ materialis est apertio fenestræ: Secunda opinio est communis Scoti, Scotistarum, aliorumque nullam causalitatem admittentium inter expulsionem culpæ, & introductionem gratiæ, ordine tamen executionis priorem esse expulsionem culpæ introductione gratiæ, istam autem esse priorem ordine intentionis, sic & Scotus *l.4. d.16. q.2. in calce*, hinc addunt: quia ordine intentionis prior est introductio formæ, & gratiæ, hinc sequitur hæc illatio: quia forma nova introducitur, ideo prior expellitur, sed tamen ordine executionis Deus prius vult non inesse culpam, quam gratiam, sic & Mastrius *d.7. q.5. n.134. seq.* Seraph. autem consentiens cum hac 2. opinione, ab omnibus tamen istis discrepat in modo explicandi hanc sententiam. N. 1. quod supra probatum est, gratiam ex natura sua formaliter justificare, & non tantùm ex acceptatione extrinseca Dei, ad quam justificationem requiritur actus animæ fidei, spei, & charitatis, sed tamen per modum dispositionis, quibus suppositis sola gratia est sufficiens ad expellendum peccatum, quæ fit in eodem instanti terminativo dispositionum; de quo vide Suar. *l. 8. cap.13. n.7.* & infra dicetur.

Not. 2. Doctrinam auream Seraph. D. aliàs à nobis in Physica traditam de motu *l.3.q.7. qui l.4. d.11. p.1.q.5. ad ult. & d.17. p.1.a.2. q.1. ad 4. & l.3.d.2. a.3. q.2. ad 5.* agentis de expulsione formæ, & introductione alterius in mutationibus contiguis, ait, quod aliud est loqui de duratione intrinseca formæ, aliud de coexistentia ipsius ad mensuram temporis nostri, & extrinseci: nam possunt dari duo indivisibilia mensuræ intrinsecæ coexistentia unico instanti temporis communis, idque evenit in mutationibus non quidem continuis, sed contiguis, quæ duæ mutationes habent duo indivisibilia terminativa intrinseca, quæ ambo simul respondent uni instanti temporis extrinseci, quod licèt formaliter sit indivisibile in ordine ad motum, quo mensurat, virtualiter tamen in ordine ad terminos duarum mutationum contiguarum æquivalet duobus indivisibilibus contiguis consequenter se habentibus: quæ doctrina Seraphica fuit notata, & tradita fusè à P. Cabæo in metheorol. *t.3.l.1.s.9.q.6.* & patet si sumantur duæ lineæ, quæ se tangant secundùm extrema, sic erunt duo indivisibilia immediata, nec cedunt in unum, quia in contiguis extrema sunt simul, in continuo sunt unum, & idem ex Arist. si verò supponatur una linea, tunc illa duo indivisibilia linearum se tangentium non coexistunt nisi unico indivisibili lineæ suppositæ, & superioris: idem dic de duabus semihoris collatis cum una hora temporis continui communis motus cœli, cui unico indivisibili verè coexistunt illa duo terminantia duas semihoras contiguas, & in hoc nulla est implicantia, nec enim faciunt majorem extensionem duo indivisibilia, imò centum, quam unum: idem & dicendum de successione duarum formarum, entiumque permanentium, ut ligni, & ignis; nam in uno instanti intrinseco desinit forma ligni, & in alio immediato advenit forma ignis secundùm totum ipsorum esse, in quibus est idem fieri, 467

&

& eſſe, & factum eſſe, & idem eſt deſinere, & deſiiſſe, unde incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per ultimum ſui eſſe; quæ doctrina fundata eſt in aſſertione communi Philoſophica de menſura, ſeu duratione duplici intrinſeca, & extrinſeca: unaquæque enim res menſuratur per propriam menſuram durativam intrinſecam, etiam præciſa extrinſeca temporis communis: & hinc dixit S. Bon. quod quælibet res permanens habet ſuum proprium terminum intrinſecum, tum inchoativum, tum terminativum; qui duo termini in contiguis mutationibus correſpondent unico indiviſibili temporis communis, cum ſint ſimul: Qua doctrina facilè ſolvuntur plura dubia difficillima, quæ occurrunt, tum in deſitione, & inceptione rerum permanentium, tum in tranſitu à privatione ad poſitionem formæ in generationibus, & corruptionibus, tum in tranſubſtantiatione hoſtiæ in Corpus Chriſti, & præcipuè ad rem noſtram in tranſitu à privatione peccati ad poſitionem gratiæ, ut mox patebit.

468 N. 4. Oppoſitionem, quæ eſt inter peccatum, & gratiam, licèt non ſit phyſica, eſſe tamen moralem, & ſimilem phyſicæ, quæ verſatur vel inter privationem, & habitum, vel inter contradictoria, vel contraria, quod in ſequentibus fusè explicabitur.

Not. 5. Difficultatem verſari maximam circa expulſionem peccati, unde procedat, ſcilicet an à gratia, & mediate ipſa gratia, an à Deo immediatè, & magis poſtea difficultas augetur circa ordinem expulſionis peccati, & poſitionis gratiæ. Et quia Thomiſtæ ſuſtinent, ut ſupra notatum eſt, remiſſionem peccati in genere cauſæ formalis provenire à gratia, ob idque in hoc genere priorem eſſe poſitionem gratiæ; ſed in genere cauſæ materialis volunt expulſionem peccati præcedere tanquam diſpoſitionem infuſionem gratiæ, in qua aſſertione occurrunt difficultates ferè inextricabiles: quas tamen S. Doct. facilè evadit *l.* 4. *d.* 17. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 4. *& a.* 2 *q.* 1. ubi notat, quod qualitas in aliud agens habet triplicem comparationem, nempe ad principium à quo; ad oppoſitum, quod expellitur, & ad ſubjectum, quod informat, & perficit: ſubjectum enim informatum aliqua bona qualitate, vel deformatum vitio, non poteſt intelligi informari, niſi prius expellatur contraria forma: nec poteſt intelligi aliquid expulſum, niſi præintelligatur forma expellens egredi à ſuo principio. Cum autem gratiæ infuſio præcisè, & primordialiter dicat tantùm productionem, & egreſſum à ſuo principio agente, & conſequenter poſtea ſubjecti perfectionem, hinc priùs natura eſt creatio, productioque gratiæ, poſteriùs verò natura expulſio formæ oppoſitæ, ſcilicet peccati, & poſtea in tertio ſigno informatio, & perfectio animæ, quæ omnia tamen fiunt in unico inſtanti temporis communis: hinc cum tali ordine gratia priùs natura habet rationem agentis, quàm informantis, & ſecundùm quod habet rationem agentis priuſquam informantis eſt principium juſtificationis, & ſecundùm hanc rationem agentis habet vim expellentis peccatum, & poſtea ſecundùm quod habet rationem informantis eſt terminus, vel complementum juſtificationis, ſicque ut mundans eſt prior, ut gratificans eſt poſterior: quæ doctrina etiam currit ſuo modo in generatione naturali, & corruptione formarum.

469 Concl. 1. Expulſio, & remiſſio peccati eſt effectus formalis phyſicus, & ſimul moralis gratiæ habitualis, diſtinctus à juſtificatione formaliter ſupra: Eſt Seraph. D. *l.* 2. *d.* 28. *q.* 1. *& l.* 3. *d.* 1 *&* *a.* 2. *q.* 2. *ad ult. & l.* 1. *d.* 14. *a.* 1. *q.* 2. *ad* 4. *& l.* 4. *d.* 5. *a.* 3. *q.* 1. *&* 2. *& d.* 17. *q.* 1. *& d.* 4. *q.* 2. *ad* 2. *& Brevil. p.* 5. *c.* 9. *Centil. p.* 3. 5. 35. *& Comp. Theol. l.* 5. *c.* 1. 2. *&* 3. eſtque communis contra Scotiſtas, & Nominal. reducentes hunc effectum ad ſolam acceptationem divinam: Nos autem ex traditis *in q.* 2. diximus, remiſſionem peccatorum eſſe effectum formalem, & phyſicum gratiæ, ſimulque moralem, quatenus intrinſecè involuit acceptationem divinam, non ſolùm extrinſecam, ſed etiam radicalem, & intrinſecam. Prob. autem prima pars, primò ex Concil. Trident. *ſeſſ.* 5. *c.* 5. ubi definit, per gratiam in baptiſmo remitti culpam originalem, ſed eſt eadem ratio de omni peccato, ergo per cauſalitatem gratiæ fit remiſſio peccati, ly enim, *per gratiam*, importat cauſalitatem non materialem, vel aliam præter formalem, eo quia nullam aliam cauſalitatem poteſt habere in peccatum: tum quia forma, quæ Filium Dei conſtituit, juſque tribuit ad hæreditatem gloriæ, debet & auferre id quod talibus effectibus opponitur quod eſt peccatum mortale, ergo. Tum quia ſi nullam cauſalitatem exerceret ad expulſionem peccati, quæ ſit vera cauſalitas, qualis non eſt acceptatio, & ordinatio extrinſeca Dei, ſequitur quod malè Concilium determinaverit, tolli peccatum per gratiam, quod eſt falſum; & ad id probandum faciunt rationes ſupra allatæ *in q.* 2. ubi probata eſt cauſalitas etiam moralis. Prob. 2. pars, quod remiſſio peccati fit mutatio diſtincta à juſtificatione primò, quia ſupra *in q.* 2. probatum eſt, juſtificationem formaliter non conſiſtere in remiſſione peccatorum contra hæreticos: ergo eſt mutatio diſtincta.

Prob. 2. ex Seraph. *l.* 4. *d.* 17. *a.* 1. *q.* 1. Juſtificatio impii quatuor exigit: duo ex parte Dei, & duo ex parte hominis: primum eſt gratiæ creatio, & infuſio, vel influxus: 2. motus liberi arbitrii: 3. contritio, ſeu motus liberi arbitrii in peccatum: 4. eſt remiſſio culpæ, & juſtificatio: ſic *l.* 2. *d* 26. *dub.* 3. Primum eſt Dei opus: 2. eſt hominis per fidem, 3 hominis per pœnitentiam, 4. eſt ipſius Dei: ſed per iſta importatur modus, vel mutatio à contrario in contrarium, & ex Philoſophia in tali tranſitu importantur duæ mutationes partiales, prima conſiſtens in expulſione formæ oppoſitæ, altera in introductione novæ formæ; ergo. Et confirmatur quia importantur, in utraque omninò diverſi termini, ut de ſe patet, ergo ſunt diverſæ mutationes realiter diſtinctæ; tum quia in remiſſione culpæ fit tranſitus de eſſe ad non eſſe: in juſtificatione tranſitus de non eſſe ad eſſe: ergo. Confirmatur, quia per hoc differt juſtificatio Angelorum à juſtificatione peccatorum, quod illa fuit ſimplex à carentia puta gratiæ ad poſitionem ejus, ſed in peccatore eſt motus à contrario in contrarium, ergo duplex mutatio partialis: & patet à contrario, quando juſtus peccat, & peccatum expellit gratiam; tunc enim ultra commiſſionem peccati factam ab homine cum concurſu Dei ad ipſius materiale, neceſſe eſt ut intercedat ex parte Dei ad deſtructionem gratiæ ſuſpenſio talis influentiæ gratuitæ, qua gratiam cauſabat, & conſervabat: quæ eſt mutatio partialis, qua homo ex non peccatore fit peccator, diſtincta ab alia, qua ex juſto fit non juſtus: ſic etiam cum lignum ex frigido fit calidus, concurrit ſuſpenſio concurſus Dei, quo frigus conſervabat, & poſitio caloris de novo, ſicque duæ mutationes interveniunt, una poſitiva, altera privativa: Et quia

quia oppositorum est eadem ratio, ergo & in justificatione evenit duplex mutatio partialis, scilicet ab una forma ad alteram, & à privatione culpæ ad positionem gratiæ: Et magis confirmatur ex iis, quæ in 2. de peccato habituali tradidimus, in quo cum privatione concurrit etiam positiva inordinatio, quæ formaliter constituit rationem peccati habitualis; ergo & ista expellenda est per motum, vel mutationem contrariam: Pr. conseq. quia ex vi physicæ infusionis gratiæ formaliter non expellitur nisi privatio physica gratiæ, ergo ad expellendum id quod formaliter est peccatum habituale, necesse est intelligere aliam partialem mutationem, quæ consistat in expulsione, & remissione peccati: verè enim tam mutatur subjectum, & cum deperdit id quod habet, ut cum acquirit quo carebat; prima est vera, & realis mutatio, sicut secunda.

470 Objic.1. Cum Vasquez, quia Concil. Trident. *sess. 6. c. 4.* definit justificationem sic: Translatio est ab statu peccati in statum gratiæ, & adoptionis Filiorum Dei: per quæ verba significat, justificationem impii esse unicam mutationem, per quam fit remissio peccati, & justificatio: idem & confirmat *in cap 7.* ubi dicit hominem per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum ex injusto fieri justum, & ex inimico amicum, ergo sentit per eandem indivisibilem mutationem solùm fieri. R. sensum Concilii esse, quod justificatio sit unus motus, sed tamen constans duabus mutationibus, ut dictum est, quod & nos asserimus.

Objic.2. Peccatum, & gratia opponuntur tanquam privatio, & habitus, sed carentia privationis non est in re effectus aliquo modo distinctus ab esse positivo per habitum, & formam collato, ergo neque in præsenti carere peccato, & esse justum, seu gratum possunt esse duo effectus in re ipsa distincti: patet minor exemplo lucis, & tenebrarum; esse enim lucidum, & carere tenebris in re sunt unum, & idem; cum privatio non expellatur nisi per habitum, ergo carere privatione idem est ac habere habitum. R. S Bon. *l.4.d.17.q.1.ad ult.* neg. majorem: & patebit in sequentibus quæstionibus: Ratio est, quia gratia, & peccatum non opponuntur, nisi moraliter, non physicè: ad majorem R. S. Bon. transeat de habitibus, qui merè physicè tollunt privationem, sed tales non sunt gratia, & peccatum; tum etiam quia peccatum habituale continet deordinationem positivam, ob idque non est pura privatio: tum quia gratia non tantùm aufert privationem innocentiæ, sed insuper addit supernum decorem, & deiformitatem, ac divinæ naturæ participationem; hinc negatur & major, & minor, & conseq.

Objic.3. Expulsio culpæ non est propriè corruptio, quia ista est ab esse ad non esse, sive à forma positiva ad non esse formæ, ut patet in corruptione formæ substantialis; ergo licèt in naturalibus generatio, & corruptio sint duæ mutationes, quia ibi sunt quatuor termini, tamen infusio gratiæ, & expulsio peccati non habent pro termino (à quo) aliquod positivum, sed privationem gratiæ: ergo non sunt duæ mutationes. R. terminos reales non omnes esse positivos, sed aliquos, esse privationes; privatio enim est ens reale, & unum ex principiis physicis: sic ergo sunt duæ mutationes reales, nec est similis generatio motui locali, &c. hinc corruit argumentatio Caietani.

471 Concl. 2. Inter gratiam habitualem, & remissionem peccati est talis ordo, ut prius sit infusio, & creatio gratiæ expulsione peccati in quocumque genere causæ, licèt informatio, seu completio animæ, vel justificatio completa sit posterior: Est S. Bon. *l.4.d.17.q.1.* & aliis locis supra cit. Meld. cum aliis pluribus Scotistis. Pr.1. In genere causæ finalis, & efficientis: quia per se primò intenditur generatio nova, quàm corruptio: hæc enim est ex consequenti, & per accidens: & hoc maximè in hac materia, in qua finis proximus est justificatio, & sanctificatio peccatoris, & transitus ad statum gratiæ: sed causa efficiens, & finalis coincidunt in idem numero ex Arist. & S.Bon. *l. 1. d. 19. p. 2. a. 1. q. 3. ad 2.* ergo & in genere causæ efficientis; efficiens enim non depellit formam veterem, nisi introducendo novam. Pr. 2. in genere causæ formalis; quia non potest depelli forma vetus nisi ratione incompossibilitatis alterius formæ: ergo prior est positio novæ formæ: Prob. consequentia, quia positio novæ formæ (si est naturalis) est per eductionem, si est supernaturalis, & gratuita, est per infusionem, & creationem, illa quidem inchoata est generatio, ista inchoata justificatio: ergo non potest expelli formaliter antiqua, & culpa, nisi adsit alia scilicet gratia incompossibilis: tum quia nova forma est priùs agens, quàm informans, ergo priùs inest agendo suo modo in formam veterem: priùs enim est agere, quàm operari, & recipere, patique, & positivum antecedit privationem; ergo. Prob. 3. in genere causæ materialis: Expurgatio materiæ à forma veteri non potest esse, nisi per positionem novæ formæ: ergo priùs intelligitur infusa gratia, quàm intelligatur expulsa culpa: tum quia hæc expulsio culpæ fit à gratia in genere causæ formalis, & qualibet forma in causando debet præsupponi existens, ergo primus ejus effectus erit infusio gratiæ passiva in subjecto, & secundariò expulsio veteris, & peccati.

Respondent Thomistæ idem posse esse secundùm diversas rationes priùs, & posteriùs causam, & effectum: sicque introductio gratiæ est prior in genere causæ materialis: nam expulsio veteris formæ est dispositio ad recipiendam novam formam, à qua nova forma expellitur vetus (Infælix effugium, ait rectè Meld. tract. de generat.) nam inintelligibile est, quod expulsio culpæ, & formæ veteris fit à nova forma, & à gratia, & quod simul sit dispositio ad eandem formam novam recipiendam: si enim talis dispositio est à nova forma, ergo nova forma antecedit in materia, at si expulsio veteris est dispositio materialis ad recipiendam novam formam: ergo erit antecedens ad formam novam, quæ sunt contradictoria: Confirmatur, & urgetur ampliùs: quia, ut ait S. Bon *l.4. d.17. cit.* introductio activa ex parte agentis præcedit expulsionem activam etiam per adversarios; ergo etiam ex parte materiæ introductio passiva formæ præcedit expulsionem passivam, & expurgationem materiæ: patet consequentia, quia respectus oppositi sunt simul natura; ergo si introductio, seu infusio, seu creatio activa gratiæ præcedit expulsionem activam, introductio passiva gratiæ præcedit passivam expulsionem culpæ, cum passiva infusio sit simul natura cum activa, & passiva expulsio culpæ cum activa gratiæ: sicque licebit per locum à conjugatis inferre, ideo agens expellit formam veterem ab anima, quia novam introducit: ergo & è contra potest inferri ex parte materiæ: ideo forma vetus expellitur, quia nova recipitur, & introducitur.

Hic tamen diligenter notandum, quod supra 472 attulimus ex Seraph. *in 5. fund.* circa ordinem justificationis

ficationis, in quo primò intelligitur infusio, & creatio gratiæ, postea expulsio, & ultimò completio, & perfecta justificatio per informationem: ex qua doctrina infertur id, quod & notavimus *in tract. de gener. &c. q.4.n.14.* nempe expulsionem formæ antiquæ habere pro causa expellente primò Deum gratiam creantem in genere causæ efficientis, in genere causæ formalis ipsam gratiam creatam, & infusam, quæ coagendo cum efficiente formaliter expellit priorem formam, & culpam, qui concursus formæ, & gratiæ, licèt non sit rigorosa actio in genere efficientis, tamen est consimilis, concurrens ut principium intrinsecum ad productionem compositi, in genere naturali, & justificationis in genere morali: differunt tamen istæ duæ causalitates, scilicet Dei influentis, & agentis, & formæ, gratiæque infusæ; nam prima est extrinseca ad effectum extrinsecum: ista est intrinseca, quia est per exhibitionem sui in subjecto, scilicet in anima ad ipsam informandam, & hac ratione consistentiæ ejusdem formæ, & gratiæ in subjecto incompossibilis fit existentia alterius formæ oppositæ, & ob id ista expellitur etiam à forma nova ad modum virtutis provenientis ab existentia, & consistentia ejusdem formæ in subjecto: ex quibus patet hanc expulsionem non fieri per aliquem contactum, vel concursum, vel influxum physicum, quem exerceat nova forma in priorem, ut cum clavus clavum trudit, & unus miles pugnat cum altero, sed consistit in incompossibilitate à Deo ordinata peccati, & gratiæ in eodem subjecto: & sicut est incompossibilitas naturalis duarum formarum in eodem subjecto, tum ratione entitatis ipsarum, tum ratione principaliter contrariarum, & diversarum dispositionum, sic incompossibilitas peccati, & gratiæ oritur (ait S. Bon. *l.3.d.31. q.1. ad 1. & l.1.d.14. q.ult. ad ult. & l.4. d.17. a.2.q.1. ad ult.*) non quidem ex hoc quod gratia agat in peccatum; & è converso in amissione gratiæ, quod peccatum agat in gratiam eam expellendo, sicut una forma naturalis expellit aliam, sed hoc est quia Deus influendo gratiam in animam ad ipsum totaliter conversam ordinavit talem incompossibilitatem: & è contra in amissione gratiæ, quæ cum dependeat à duobus, scilicet à Deo influente, & à libero arbitrio suscipiente, cum liberum arbitrium se à Deo avertit, gratia in semetipsa deficit, ideo provenit defectus ab ipso libero arbitrio, &c. ex quibus patet, incompossibilitatem gratiæ, & peccati simul esse similem formali ex ordinatione divina præcipuè, &c.

473 Objic. 1. cum Rubione: forma nova, scilicet gratia, non expellit veterem, scilicet culpam, sed est agens, scilicet Deus, qui se ipso immediatè illam expellit, ut locum faciat subsequenti; ergo productio novæ formæ præsupponit corruptionem antiquæ: Prob. antecedens: quia forma nova cum introducitur, aut invenit in materia formam priorem, aut non: si sic, ergo non est ei incompossibilis, cum pro aliquo signo simul in eadem materia existant: si non, ergo ipsam non corrumpit, vel expellit, cum ibi non sit. Huic objectioni respondet Fuentes 2.phys. cum Lorca agente de gratia, formam novam invenire in subjecto veterem, non tamen esse cum ea compatibilem, quia statim eam corrumpit, unde aiunt, quod sunt simul in pugna, & in fieri, non verò in facto esse: hinc admittunt in aliquo instanti gratiam, & peccatum dum sunt in pugna; quæ responsio nec est vera, nec potest in recta, & sacra Theologia, nedum in Philosophia sustineri: impossibile enim est, nec naturaliter, nec supernaturaliter secundùm legem ordinariam à Deo statutam pro ullo instanti esse gratiam, & peccatum: odium, & amorem: substantiam panis, & Corpus Christi: est enim de omnibus eadem ratio, ut probat fusè Seraph. *l.4. d.11.q.5. ad 4. & d.17. cit.q.1. ad 5. & l.3 d.17.q.4. arg.* Hinc R. argumento Rubionis, neg. assumptum cum conseq. Ad probat. R. neg. formam novam invenire in materia veterem: corrumpitur enim forma vetus ab agente pro ut est educens formam, & per formam coagentem formaliter; nec enim ejus actio terminat per se primò ad desitionem formæ veteris, sed ad eductionem novæ, ad quam consequitur necessariò expulsio veteris, & inde informatio, & completio subjecti: Ad rem nostram, peccatum expellitur ad infusionem gratiæ, creationemque, ad quam consequitur, & expulsio, & deinde perfecta informatio.

Instabis contra hanc responsionem: Forma introducenda non potest operari, nisi sit posita extra proprias causas, & habeat proprium esse, & consequenter nisi sit in subjecto: ergo primò debet intelligi, formam esse in subjecto, quàm intelligatur expellere antiquam, sicque simul intelligeretur pro aliquo instanti peccatum & gratia, quæ sunt inter se incompossibilia. R. neg. ultimum illatum: ut enim forma nova veterem expellat, non est opus, quod eam in subjecto inveniat, sed sufficit quod conjungatur ei per successionem, & expulsionem, non verò per simultatem, ita quod cum primò ponitur una forma, primò tollatur alia, & primum esse unius sit primum non esse alterius: sic respondet Mastrius *n. 145.* recurrens ad id instans intrinsecum novæ formæ, & extrinsecum veteris, ex eo quod totum fit unica actione, &c. sed ex fundamentis allatis Seraph. nos dicimus, quod in uno instanti terminativo desinit forma vetus, in altero immediatè sequenti contiguo complectur justificatio, licèt totum fiat per unicum instans temporis communis secundùm ordinem assignatum.

Objic. 2. In qualibet mutatione est priùs terminus à quo, termino ad quem, sed expulsio veteris formæ est terminus à quo, & productio novæ formæ est terminus ad quem: ergo. Hoc argumentum urget valdè contrariæ sententiæ assertores. R. S. Bon. transeat major, neg. minor; nam nec expulsio culpæ est terminus à quo, nec generatio novæ formæ est terminus ad quem: sed in justificatione terminus à quo est infusio, & creatio gratiæ: ad quam consequitur expulsio culpæ, & terminus ad quem est informatio, & completa justificatio animæ.

Objic. 3. Forma expellitur vel quando est, vel quando non est: non hoc secundum, quia aliàs semper expelleretur, ergo. Primum, & quando est, sed quando est, non potest esse forma nova, alioquin essent simul, ergo priùs est expulsio culpæ, quàm infusio gratiæ. R. ex doctrina supra tradita *ad 3. not.* culpam expelli & quando est, & quando non est: sic S.Bon. *l 4 d.17.q.1. ad 4.* culpa habet esse in instanti, sicut gratia, & est in sui termino intrinseco, sed expulsio est terminus extra, & simul est expulsum esse: unde expellitur quando est, scilicet in ultimo instanti terminativo suæ mutationis, & desitionis; & forma nova incipit in primo instanti immediato contiguo suæ infusionis, ad cujus creationem non est, cum simul sit expulsio, & esse expulsum, desinere, & desiisse, licèt totum fiat in unico instanti temporis communis, in ordine ad quod verificatur dictum commune, quod primum esse formæ novæ est primum non esse antiquæ; & S.Bon. in hoc sensu dicit culpam desinere 474

quando non est, habens respectum ad id quod sequitur, ad recessum, & esse negativum, quod resultat. Vide quæ dicta sunt à nobis *in tract. de gener. n. 24.*

Dices: Si prior est infusio gratiæ ipso recessu culpæ, ergo in illo priori anima est Deo grata, & tamen adhuc non intelligitur immunis à culpa. R. neg. conseq. omnia enim ista fiunt in unico instanti temporis, sed cum tali ordine naturæ: quia, ut aliàs dictum est, per instans naturæ non mensuratur existentia formæ, sed solùm dependentia posterioris à priori, vel ut præsuppositio unius ab alio, ut illud concipi possit, illo non concepto; sic in proposito, expulsio culpæ non concipitur sine infusione gratiæ, sed hæc infusio benè concipi potest absque eo quod ei præcedat expulsio, & in hoc consistit prioritas naturæ unius ad aliud; nec tamen valet inferri, ergo ante expulsionem est justificatus homo, quia id solùm potest verificari in ultimo instanti temporis, & in statu complementi.

Q. *An ad expulsionem peccati ultra gratiam concurrat etiam actus aliquis peccatoris?* R. quod ad originale peccatum potest sufficere sola gratia habitualis, ut patet in infantibus; ad actuale peccatum requiritur etiam actus disponens animam, ad quam dispositionem postea gratia habitualis succedit formaliter expellens peccatum: de quo vide Suar. *l. 7. c. 17.* & infra *ad q. 7.* à nobis agetur.

QUÆSTIO V.

An gratia habitualis, & peccatum mortale possint esse simul de potentia Dei absoluta, ubi de eorum oppositione.

475 QUæstio ista non procedit de peccato veniali, quia certum est, posse gratiam cum eo stare, nec de potentia ordinaria: certum enim est de fide ex Concil. Trid. *sess. 6. c. 14. & 15. & Can. 23. & 27. ad 29.* non posse stare mortale cum gratia secundùm præsentem Dei ordinationem: quicquid dixerit Lorca in præced. quæst. rejectus; sed quæstio est de potentia Dei absoluta: In qua 1. op. sustinet, implicare contradictionem permanentiam gratiæ cum peccato: Sic Thomistæ passim apud Suar. Mastr. aliosque. 2. op. est S. Doct. Scoti, & plurimorum aliorum ex omnibus Scholis nullam adesse contradictionem; qui Authores sunt tamen divisi inter se secundùm diversa ipsorum principia: Nam Nominales, & Scotistæ volunt, gratiam, & peccatum opponi moraliter tantùm ex ordinatione divina. Alii tribuentes causalitatem physicam gratiæ, adhuc admittunt compossibilitatem; sic Suar. cum Seraph. D.

Not. 1. quod quæstio potest procedere de peccato habituali, & de actuali; nempe an cum peccato habituali possit stare gratia habitualis: & item de peccato actuali, nempe an dum actu homo peccat possit recipere, & habere gratiam; sunt enim difficultates toto Cœlo differentes; licèt aliquam connexionem inter se habentes, ut mox patebit. Ad quarum solutionem explicanda est repugnantia, quam habent ad invicem gratia, & peccatum.

476 Hinc N. 2. quod repugnantia, quæ potest excogitari inter peccatum, & gratiam est, vel secundùm propriam utriusque entitatem physicam, vel moralem, vel in ordine ad effectus primarios, vel secundarios: Repugnantia physica entitativa est inter formas positivas, ut inter assensum, & dissensum ejusdem objecti, vel inter formam positivam, ejusque carentiam, ut inter lumen, & tenebras in eodem subjecto; moralis repugnantia est inter entitates morales, idest honestatem, & inhonestatem actus, vel objecti: Repugnantia autem, quæ est per ordinem ad effectus: alia est inter effectus formales primarios, ut est in gratia reddere gratum, & sanctum subjectum, & in peccato reddere impium: alia est inter effectus secundarios, qui consequuntur ad primarios, ut est in gratia expulsio culpæ, in culpa expulsio gratiæ: qui effectus secundariò consequuntur ad primarios tanquam connaturales. N. 3. quod aliud est esse positivè Sanctum, & Deo gratum: aliud est non esse inimicum, ad primum requiritur forma inhærens, ad secundum nequaquam, sed sufficit non habere radicem inimicitiæ: quo pacto Angelus, & homo in primo instanti fuerunt non inimici, nec Sancti, quia non fuerunt creati in gratia.

Concl. 1. De potentia ordinaria Dei opponuntur 477 simul peccatum habituale, & gratia. Est certum de fide; quia peccatum habituale ultra privationem gratiæ importat etiam reatum culpæ, quæ dicit deordinationem positivam, ut diximus agentes de peccato habituali: Gratia verò importat expulsionem culpæ, & positionem amicitiæ divinæ, ergo.

Concl. 2. De potentia Dei absoluta Deus potest 478 restituere innocentiam, & remittere culpam absq. infusione gratiæ, non verò absque gratia potest anima Deo placere. Ita Seraph *l. 2. d. 28. a. 1. q. 1. ad ult. & l. 4. d. 5. a. 2. q. 1. ad 4. & d. 17. q. 1.* quo ad primam partem nulla implicantia potest assignari, cum de facto id adfuerit in Angelo in primo instanti: & quo ad secundam partem, quod absque gratia non potest ipsi esse homo gratus, patet, quia esse gratum est effectus formalis gratiæ.

Concl. 3. De potentia Dei absoluta potest esse 479 peccatum mortale, & simul gratia in anima. Ratio est, quia repugnantia inter peccatum, & gratiam non est physica, sed tantùm ex ordinatione divina, qui de facto ordinavit incompossibilitatem inter ipsa, & sicut sic ordinavit, potuisset ordinare oppositum, ut notat S. Bon. *l. 4. d. 17. c. 2. q. 1. ad 5.* tum quia ista repugnantia non est relativa, ut de se patet, nec contradictoria, ut affirmatio, & negatio, cum peccatum non sit pura negatio, cum sit in subjecto capaci: nec contraria, quæ est inter formas positivas, nec privativa, quia peccatum de se non est privatio gratiæ, sed rectitudinis debitæ actui, ut suo loco probatum est, & si involuit privationem gratiæ, id est per concomitantiam, vel ut dicit S. D. demeritoriè; ergo nullo modo.

Dices; repugnant ad invicem formalis effectus culpæ, & gratiæ, ut esse gratum, & ingratum Deo, &c. ergo. R. de facto sic esse; nec enim repugnat, quod cum Deus in gratiæ infusione involuerit acceptationem suam radicalem, ad hoc ut producerentur tales effectus, non potuisse talem ordinationem non involuere, si ei placuisset, &c.

Instas: implicat contradictionem esse justum, & injustum, amicum, & inimicum, conversum, & aversum, sed ista formaliter importantur per gratiam, & peccatum; ergo. R. his, & consimilibus rationibus totum esse verum, & verè implicare contradictionem, si sumatur ratio gratiæ secundùm præsentem ordinationem divinam, sed loquendo de absoluta Dei potentia, Deus alio modo ordinasset rationem gratiæ absque acceptatione pro dictis effectibus formalibus, & moralibus; unde hinc dicunt Scotistæ, quod in illo casu gratia haberet rationem puræ qualitatis, & non gratiæ à Deo ordinatæ ad gignendos tales effectus; quæ doctrina, & responsio

responsio est conformis iis, quæ tradit Seraph. D. *l.* 4. *d.* 17. *cit.*

QUÆSTIO VI.

Resolvuntur plura quæsita circa remissionem peccati in ordine ad gratiam.

480 QUæres 1. *An peccatori, dum actu peccat, possit remitti à Deo peccatum?* R. ex Seraph. *l.* 4. *d.* 4. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 2. Negativè, implicat enim, quòd homo simul sit aversus actualiter à Deo totaliter, & totaliter actu ad Deum conversus: tum quia, ut ait Suarez *l.* 7. *c.* 21. *n.* 5. & Meldul. *d.* 7. *n.* 97. Peccatum, dum remittitur, tollitur, dum committur, ponitur in esse; ergo implicat quod simul ponatur, & tollatur.

481 Q. 2. *An peccatum mortale possit remitti absque infusione gratiæ habitualis de potentia Dei absoluta?* Tres sententiæ in hac quæstione circumferuntur. Prima Thomistarum negat absolutè posse remitti absque infusione gratiæ, vel alicujus entitatis supernaturalis superadditæ: secunda sententia docet, quòd in statu puræ naturæ peccatum potuisset remitti absque gratia, non verò in statu naturæ elevatæ ad finem supernaturalem: sic Bellarm. Turr. aliique. Tertia est communis & verior S. Bon. Scoti, Alens. plurimorumque recentiorum, affirmantium posse à Deo remitti absque infusione gratiæ, vel alterius formæ, vel mutatione physica, &c. & fundatur in iis, quæ supra tradidimus *in q.* 4. ubi diximus infusionem gratiæ, & remissionem peccati, licèt ordinariè explicentur per modum unius. cum expulsio peccati regulariter consequatur ad infusionem gratiæ, tamen sunt duæ veræ mutationes ab invicem separabiles, habentes proprios terminos, & diversos, scilicet esse peccatorem, & non esse peccatorem: esse gratum, & non esse gratum; & prob. communi principio: quicquid Deus concedit ad exigentiam creaturæ, potest etiam concedere sine ulla prævia petitione pro sola sua libertate, sed Deus solus formalissimè de facto remittit habituale peccatum ad petitionem, vel exigentiam creaturæ, idest gratiæ, vel contritionis: ergo de potentia absoluta idem potest absque prævia tali exigentia: Major probatur (nam minor est certa) quia sicut Deus suspendit concursum, quo frigus conservat, ad exigentiam caloris introducti, potest eundem concursum suspendere nullo calore introducto: sic Deus, qui modo peccatum remittit ad exigentiam gratiæ, potest & sine tali exigentia remittere: sic etiam Rex concedens gratiam rogatus, potest etiam concedere non rogatus: fundamentum hujus rationis, quæ verè est ineluctabilis, est, quia Deus, qui remittit peccatum vel mediatè, scilicet ad infusionem gratiæ, non quatenus gratia importet formaliter privationem peccati, nec peccatum formaliter sit privatio gratiæ sed tantùm concomitanter: ideo in nostro casu remitteret immediatè absque mediatione gratiæ: Addimus tamen cum Seraph. *l.* 2. *d.* 28. *q.* 1. *ad ult.* & *l.* 4. *d.* 5. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 4. quòd in dato casu remitteretur quidem culpa, & restitueretur innocentia, non tamen tam exactè id sequeretur, sicut per gratiam, quia tunc anima Deo non sic placeret, vel esset tam grata.

Dices: supra nos probasse, remissionem peccati esse effectum formalem gratiæ, ergo implicat talis effectus sine sua forma. R. esse verum de facto, & quatenus involuit gratia acceptationem moralem Dei, sed tamen non repugnat de potentia Dei absoluta, quod alia via id non possit.

Q. 3. *An peccatum mortale possit remitti per infusionem gratiæ absque ullo actu peccatoris?* Sensus quæstionis est: an requiratur essentialiter retractatio ad tollendum peccatum habituale, & quæstio proponitur pro adultis tantùm; nam certum est infantibus remitti originale absque ullo actu ipsorum. Thomistæ negant: Communior Theologorum cum Seraph. D. affirmat *l.* 4. *d.* 17. *p.* 1 *a.* 2. *q.* 3 & ratio potissima est, quia actus boni peccatoris non sunt causa formalis remissionis peccati, sed est ipse actus voluntatis Dei condonantis, & ipsa condonatio, vel secundum Thomistas, est ipsa gratia; ergo cætera cum sint extra rationem formalem remissionis possunt à Deo supleri: & patet, quia sæpè antecedenter ad remissionem sufficit attritio, ergo ipsa non concurrit ad rationem formalem remissionis. 482

Dices: Ad remissionem requiritur retractatio, & hoc ex natura ipsa peccati: ergo. R. neg. anteced. absolutè; & ratio est quia homo per actum suum non facit peccatum remissibile, sed est tale ex natura sua, quatenus est objectum divinæ misericordiæ, & potestatis, nec est necessarium ut sit involuntarium elicitivè, sed tantùm objectivè, prout potest esse objectum sequentis displicentiæ, quæ tantùm habet rationem dispositionis congruæ: ad retractationem verò sufficientem satis est infusio gratiæ, quæ eminenter continet aversionem à peccato, & conversionem ad Deum. Vide Mastr. fusè ista docentem *q.* 4. & Suar. *l.* 7. *c.* 2. 3. & 11.

QUÆSTIO VII.

Solvuntur plura dubia spectantia ad causam disponentem, seu ad dispositiones antecedentes infusionem gratiæ habitualis.

QUæres 1. *An ad justificationem de lege ordinaria, necessarii sint actus supernaturales disponentes ad ipsam?* Advert. 1. duplicem dari dispositionem ad gratiam, & justificationem: alteram remotam, alteram proximam: remota consistit in actibus tempore præcedentibus ipsam justificationem, ut est fides, spes, &c. proxima consistit in actibus, quibus in eodem instanti temporis annexa est infusio gratiæ, qui reducuntur ad dilectionem Dei, & contritionem: & de his etiam disquiritur, an isti actus effectivè procedant à gratia, de quo infra. R. S. Doct. *l.* 4. *d.* 17. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 2. Primò, quod de lege Dei ordinaria in adultis est necessarius motus liberi arbitrii: Ratio est, quia justificatio non est nisi volentis, ergo Deus ipsam non confert nisi volenti, & consentienti: qui enim creavit te sine te, non justificabit te sine te (ait D. Aug.) Resp. 2. istos actus esse conversionem alteram supernaturalem, quæ est per fidem, spem, & charitatem, sic cum communi S. Bon. *ibid.* & *l.* 2. *d.* 28. *a.* 2. *q.* 1. & *l.* 3. *d.* 31. *q* 3 & *pluribus aliis locis*, ait enim Deus Zach. 1. Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: sed ista conversio à Deo præcepta est per contritionem cum fide, spe, & charitate, qui sunt actus supernaturales, sic enim dispositiones proportionantur formæ, ergo. 483

Q. 2. *An contritio, vel alius motus liberi arbitrii sit prior infusione gratiæ habitualis; an vero ab ipsa gratia procedat?* D. Thom. cum suis docet infusionem gratiæ esse ante contritionem, istamque à gratia procedere. Seraph. D. opppositum docet, nempe actum charitatis, & contritionem, qui sunt 484

ultima, & proxima dispositio ad gratiam habitualem procedere non ab ipsa gratia habituali, sed solùm ab auxilio speciali cum libero arbitrio. Sic S.Doct. *l.4. d.*17.*a.*2. *q.* 2. aliisque plurimis locis: quem sequuntur Scotus, Scotistæ, Alens. & plurimi ex omnibus Scholis etiam Thomistarum. Pr. 1. quia dispositio, & præparatio ad formam est prior ipsa forma ad quam præparat, cum sit via ad ipsam: sed contritio, & dilectio Dei est dispositio, & præparatio ad gratiam sanctificantem; ergo. Major est certa in Philosophia, alioquin dispositio esset superflua, si jam forma esset introducta: Minor est fundata in pluribus textibus S.Script. & in Concil. Trid. *sess.* 14.*c.*4. *&* 7. Varias responsiones adhibent Thomistæ, & præcipuè Vasq. ut effugiant vim hujus argumenti, & textus S.Concilii, sed in vanum, ut fusè, & solidè probat Mastrius *q.*7. Concilium enim absolutè dicit, quòd justificatio consequitur hominis dispositiones: & per consequens intellexit in quocumque genere causæ. Pr. 2. quia ex Concil. Trid. *sess.* 14.*c.*4. actus contritionis habet rationem aliquam meriti saltem de congruo, vel saltem rationem impetrationis respectu gratiæ justificantis, ita ut dicere valeat: ideo gratia confertur, quia est contritus, ergo contritio non potest elici à gratia, alioquin simul haberet rationem causæ, & effectus respectu ejusdem: implicat autem, quod causa efficiens dependeat à suo effectu, aliàs esset antequam esset, vel operaretur, esto quod in aliis generibus causarum possit aliquando admitti mutua aliqua causalitas.

R. Thomistæ, gratiam habitualem posse considerari in fieri, & pro ut est à Deo, & tali modo esse priorem motu liberi arbitrii: & causam motus liberi arbitrii: 2. in facto esse, & ut complens animam, & tali pacto esset posteriorem ipso motu liberi arbitrii. Hanc eandem doctrinam sub tali ordine tradit Seraph. in superioribus, quatenus in primo signo consideratur, ut à Deo procedens: in secundo ut culpam expellens, & in tertio ut animam sanctificans, quod totum fit in unico instanti temporis, sed tamen Seraph. non admittit talem Thomistarum transpositionem causarum, quæ est impossibilis, & contra Philosophica, & Theologica

485 principia. Pr. ista impossibilitas ex philosophia: nam sequeretur, idem omnino posse esse causam realem, & physicam sui ipsius in genere causæ efficientis, nempe consideratum in fieri, esset causa sui ipsius in facto esse, sed hoc implicat; ergo. Pr. minor, quia res in fieri, & in facto esse non distinguuntur penes principale significatum, sed tantùm penes connotata per varios respectus, res enim in fieri dicit respectum ad non esse præcedens immediatè, & in facto esse dicit respectum ad esse præcedens inchoatum, & imperfecto modo. Pr. etiam ratione philosophica, quia omnis dispositio ad formam aliquam est ea prior saltem prioritate naturæ, ut supra dictum est. Nec valet communis responsio Thomistarum, quod dispositio est à gratia in genere causæ efficientis; respectu verò passi, & animæ est prior in genere causæ materialis ipsa gratia. Non valet tale effugium, quia Concil. Trid. absolutè docet contritionem esse dispositionem ad gratiam, & in fieri, & in facto esse, quod rectè observat ex verbis Concilii Mastr. *n.*100 & Suarez. Et confirmatur repugnantia, quia dum dicitur, gratiam in fieri esse causam efficientem ejusdem contritionis, & ut in facto esse, esse effectum contritionis: vel in illo priori signo intelligitur esse in anima: vel non: si primum, ergo supponitur existens, ergo dispositio superveniens est superflua: si secundum, & non intelligitur esse in anima, ergo cum non existat, non potest esse causa contritionis.

Pr. 3. quia ut rectè notant Suar. Mastr. aliique, hæc mutua causarum prioritas adhuc magis repugnat inter dispositionem moralem, qualis est contritio, & formam, quæ sit ejus principium efficiens. Pr. quia dispositio moralis influit in formam per modum meriti, movendo, & alliciendo voluntatem efficientis, ut eam producat, ergo si ante dispositionem supponitur gratia producta in genere causæ efficientis, etiamsi non supponatur recepta, ut dicunt Thomistæ de forma, & dispositione physica ad ipsam, nihil jam potest efficere dispositio, cum supponatur voluntas Dei jam determinata. Confirm. & magis declarantur rationes adductæ: si Deus infundit gratiam habitualem intuitu dispositionum illam præcedentium, ergo nequit illa dispositio esse ab eadem gratia, ut à principio efficiente. Pr. conseq quia cum ratione illius dispositionis velit Deus gratiam infundere, jam intuetur actum illum ut factum à libero arbitrio cum auxilio gratiæ, quæ nequit esse habitualis, cum nondum intelligatur Deus volens illam infundere, ergo erit actualis tantùm, quæ doctrina est Seraph. D. *cit.* Vide quæ supra tradita sunt *q.*4.

Objic. Adversarii plura loca S. Script. & SS. 486
PP. quibus adstruitur necessitas gratiæ, ad hoc ut homo diligat Deum, conterat de peccato, producatque actus supernaturales: quibus omnibus respondent Theologi cum Seraph. admittendo necessitatem gratiæ actualis contra Pelagium, ut videre est apud Seraph. *l.*2.*d.*28.*per tot. & l.*4.*d.*17.*cit.*

Objic. 2. ex supernaturalitate actus: quia hujusmodi actus charitatis, & contritionis non sunt minùs supernaturales, qui sunt dispositivi ad gratiam, quam sint illi producti ab homine jam justificato, sed isti fiunt à gratia habituali mediis illis habitibus, ergo & illi dispositivi: Et confirmatur, quia licèt dentur alii actus supernaturales ex virtute gratiæ actualis, nec implicat, quod supernaturalitas contritionis adveniat ex tali auxilio, tamen convenientiùs est, ut ultima dispositio ad gratiam justificantem proveniat ab eadem gratia. R. neg. esse necessarium supernaturalitatem in ultima dispositione ad justificationem debere esse similem actibus provenientibus in justificato à gratia habituali, & ratio in promptu est, quia dispositio antecedit ipsam formam prius natura, & est inferioris ordinis.

Instant: actus ultimò disponentes ad justificationem sunt meritorii de condigno gloriæ, ergo procedunt effectivè ab ipsa gratia habituali R. Seraph. D. contritionem de se, pro ut est priùs natura ipsa justificatione, esse informem, fierique formatam in eodem instanti temporis per concomitantem gratiam: unde ut informis procedit à gratia actuali, ut formata concomitatur gratiam habitualem: Dices: ergo dabitur contritio informis, quod implicat. R. neg. conseq. nam licèt in primo instanti naturæ concipiatur non ut formata, tamen per nullum instans temporis potest reperiri informis. Ex quibus patet allucinatio Thomistarum in hac circumincessione causarum ad invicem, nam licèt aliquando possint causæ sibi invicem esse causæ in diverso genere, tamen in nostro casu non possunt esse, & maximè quia hìc agitur de morali dispositione ad gratiam, quæ specialem repugnantiam in hac parte involuit, ut dictum est.

Q. 3. *Qualis actus, & quotuplex sit dispositio* 487
necessaria ad gratiam habitualem? R. dispositionem aliam esse remotam, aliam proximam: remota est,

q æ prioritate temporis præcedit justificationem: proxima est perfecta, & ultima, quæ concomitanter se habet ad infusionem gratiæ habitualis. R. 2. dispositionem remotam ad duo capita reduci: Primum continet actus, qui per se, nec ad justitiam totam habitualem, nec ad aliquem habitum ejus, proximè, ac sufficienter disponunt extra Sacramentum; & seclusis privilegiis, ut est dolor imperfectus, vel attritio de peccatis, amor Dei imperfectus, item actus omnium virtutum moralium, ut oratio, eleemosyna, & similes: de quibus agit fusè Seraph. *l.4 d.14.per tot.& d.15.* ubi probat ista opera facta cum adjutorio gratiæ actualis disponere ad justificationem de congruo: secundum genus dispositionis remotæ est actuum, qui licèt ad totam justitiam disponant remotè tantùm, seu inchoativè, tamen ad aliquam partem ejusdem justitiæ proximè disponunt, & tales sunt actus fidei, & spei, & licèt dispositiones primæ non sint necessariæ, istæ tamen sunt necessariæ ad justificationem: & ratio est, quia actus fidei, & spei per se habent ordinem ad gratiam sanctificantem, sunt enim fundamenta, seu inchoationes ejus, ideo licèt sint remotæ, sunt tamen necessariæ; sic Seraph. *l.4.d.17.cit.* R. 3. omnes actus spectantes ad dispositionem tam remotam, quam proximam esse quidem à libero arbitrio, sed tamen procedentes ex gratia actuali, ob idque debent esse supernaturales: in qua conclusione cum Seraph. *l. 2. d. 28. q.3.& l.4.d.17.a.2.q.2.* omnes Theologi conveniunt, estque determinatum de fide in Concil. Trident. *sess.6.can.3.* quo ad dispositionem proximam, nam quoad remotam circumfertur aliquorum Theologorum opinio, posse dari in actibus naturalibus aliqua dispositio ad gratiam, non tamen meritum de congruo, &c. omnes tamen conveniunt tanquam de fide, propriam dispositionem, & meritoriam de congruo non posse dari sine auxilio gratiæ actualis, quod fusè supra probavimus ex Seraph. agentes de necessitate gratiæ: & ratio est quia dispositio debet habere proportionem aliquam ad formam; ergo si est ad formam supernaturalem, debet & ipsa esse supernaturalis, quia debet habere aliquam vim merendi, & impetrandi, &c.

488 Q. 4. *An istæ supradictæ dispositiones habeant rationem veræ causæ in ordine ad justificationem?* R. Seraph. D. *l.4. d.17.p.1.a.2.q.2.& d.15.a.1.q.3.& pluribus aliis locis*, cum communi Theologorum affirmativè, & infertur ex Concil. Trid. *sess.9. c.7. & sess.14. c.4.* aliisque locis adductis à Suar. & ex pluribus textibus S. Scripr. clarissimè id habetur; & ratio est, ait S. Bon. *cit.* quia sicut in naturalibus forma non introducitur, nisi in materia disposita, sic nec in moralibus Deus non infundit gratiam, nisi in eos, qui se præparant; & hoc per motum liberi arbitrii, qui est per fidem, & contritionem præcipuè; ergo.

489 Q. 5. *An dispositiones fiant in instanti eodem, quo introducitur justificatio?* R. cum communi ex S. D. dispositiones remotas ut plurimùm præcedere tempore, quia homo indiget successione temporis ad recogitandum, & deliberandum: Quo ad proximas verò dicendum est, ut plurimùm introduci simul in eodem instanti tempori, in quo fit justificatio perfecta. sic S. Bon *l.3.d.23.dub.6 & l.4.d.14. p.1.a.1.q.3.& d.17.p.1.a.1.& 2. per tot.*

490 Q. 6. *Quo ordine formetur contritio, quæ priùs natura est informis ante introductionem gratiæ habitualis?* Et dubium est, an actus sit formatus ante infusionem gratiæ, an post, item an remissio peccati sit post contritionem formatam, an antecedat? R. ex Seraph. D. *l.4.d.4.d.17.a.2.q.1.& 2.* quòd, cum priùs natura si infusio gratiæ, ad quam consequitur expulsio peccati, & informatio justitiæ, priùs natura est motus contritionis, & dilectionis Dei, ad quem consequitur infusio gratiæ, & per quam fit formata contritio, & dilectio, scilicet, ait S. D. prius formatur actus, & inde potentia, & hinc sequitur expulsio peccati, & perfecta justificatio: Ratio verò talis ordinis est (ait Seraph. D. *cit.q.1. & 2.*) quia si contritio sequeretur culpæ remissionem, sequeretur etiam quod etiam quod posset homo fieri justus absque contritione: remissa enim culpa necessariò homo fit justus, sicque superflua esset contritio: Et hinc S. Doct. *in corp.q.2.* concludit: Anima, quia per detestationem peccati se disponit ad gratiam dispositione quantum potest; gratia verò adveniens in anima, quia illa detestatio erat quasi dispositio media ad introducendam gratiam, per naturam priùs respicit illam, & per illam culpam delendam: sic ex comparatione, vel respectu gratiæ ad illam detestationem est contritio, ex respectu ad culpam est remissio, ideo contritio præcedit remissionem per naturam.

Objic. 1. Motus contritionis est motus formatus gratia, sed gratia naturaliter priùs informat subjectum, quàm actum, ergo priùs naturaliter est homo gratus, quàm contritus, sed esse gratum sequitur peccati expulsionem, ergo & contritio, quæ provenit ab anima gratificata: tum quia contritio est motus meritorius, ergo præsupponit gratiam, & expulsionem peccati. R. S. Bon. quod actus formari potest à gratia dupliciter: primò à gratia habituali ipsum motum secundùm substantiam suam eliciente, & imperante, & iste est motus animæ jam justificatæ, & sic verum est consequi ipsam gratiam; secundò actus formatur à gratia non eliciente, nec imperante, sed adveniente, ut evenit in justificatione impii: sic enim quando liberum arbitrium est in actu consono gratiæ per contritionem, & dilectionem (quæ virtute auxilii actualis producitur; ut aliàs dictum est) tunc gratia adveniens, & inveniens liberum arbitrium in actu, utrumque simul tempore format, scilicet potentiam, & actum, priùs natura tamen actum, quàm potentiam, sicut dispositioni intermediam: & de tali non est verum, quod sequatur mundationem, seu informationem, imò præcedit, & ordinatur ad remissionem culpæ. Quod quidem non facit actus aliquis à gratia elicitus, pro ut dicitur gratum faciens: nam etiam ille actus, quo anima se disponit, est à gratia, scilicet actuali: subdit, contritio verò, quæ est post justificationem, & per modum illum, quem dicit: Nota, quod Seraph. in his verbis vult dicere, quod motus contritionis in justificatione est à gratia actuali, sed per gratiam habitualem advenientem formatur simul cum potentia, ex quo formato expellitur culpa, & informatur anima, quod tamen non evenit in contritione, quæ producitur ab jam justificato, hæc enim elicitivè est à gratia habituali. 491

Objicit contra Seraph. Suar. *l.8.c.24. n.10. seq.* qui sustinet contritionem ut formatam non esse priorem, sed posteriorem remissione peccati: quia (ait Suar.) dum non intelligitur peccatum remissum, intelligitur homo inimicus: ergo actus ejus nondum intelligitur plenè formatus: tum quia ille actus, ut est dispositio ad gratiam, est etiam dispositio ad remissionem peccati, sed tunc nondum intelligitur formatus, ergo nullo modo est causa remissionis peccati, sed potius effectus; nam ut sic 492

sit supponit personam dignam simpliciter, ac proinde Deo reconciliatam, ergo ut formatus nullo modo est prior. Sed his objectionibus R ex Seraph. totum fieri in unico instanti temporis, sed cum ordine supra tradito, nempe ad contritionem ut sic non formatam, sed productam auxilio gratiæ actualis, advenire simul creationem, & infusionem gratiæ habitualis, simulque formari, & ut formatam expellere peccatum, & sanctificare animam.

493 Q. 7. *An inter gratiæ infusionem, & peccati remissionem intercedat motus liberi arbitrii?* Suar. *ibid. n.* 16. resp. negativè, sed tantùm præcedit actualis dispositio cum auxilio gratiæ actualis, ad quam consequitur expulsio peccati immediatè, & infusio completa, & intrinseca gratiæ: sed Seraph. D. rationabiliùs docet, ut sæpè dictum est, in primo signo esse dispositionem, scilicet motum contritionis, quæ tunc intelligitur informis, seu nondum formata ex virtute auxilii actualis: in secundo signo advenientem gratiam habitualem, scilicet infusionem, & creationem gratiæ habitualis formantem actum liberi arbitrii, scilicet contritionem, & hinc consequi expulsionem peccati, & perfectam sanctificationem animæ. Hic autem aliqui Theologi apud Suar. cit. volunt intervenire duos motus liberi arbitrii, alterum dispositivum non formatum, alterum formatum gratia: sed Seraph. D. vult esse unicum tantùm, & eundem per advenientem gratiam formari, quia totum fit in unico instanti temporis.

494 Q. 8. *An contritio, & dilectio Dei habeant de se vim justificandi animam formaliter, scilicet non tantùm per modum dispositionis, ut de facto habet, sed etiam per modum causæ formalis?* Et quæstio procedit de perfecta contritione, & dilectione Dei. Aliqui, ut Meratius, Hurtad. Vasq. resp. affirmativè: Communis aliorum cum Seraph. D. negat; & ratio potissima est, ultra testimonia, quæ afferuntur ex S. Script. & Conciliis, ac Theologis, quia status sanctitatis debet esse firmus, & habitualiter perseverans, sed actus contritionis, & dilectionis est quid transiens, ergo non potest tribuere sanctitatem, postquam transiit, &c. sed vide quæ supra tradidimus *ad q.* 3. ubi soluta est ista quæstio.

Nota, quod post tractatum gratiæ subjiciunt 495 Theologi disputationem de meritis, sed quia satis à nobis de ipsis tractatum fuit in disp. de merito Christi, & quia in 4. lib. iterum redibit aliqualis consideratio de ipso, hinc libenter hunc tertium librum sententiarum concludimus in mirabilibus effectibus gratiæ habitualis, cujus est, nos sursum levare ad modum pennæ (verba sunt Seraph. D. *in fine lib.* 3.) ad bona opera continuè ordinare, & movere ad motum rotæ, per aquas tribulationum, & tentationum traducere ad modum velæ; hinc est quod ille solus, qui hanc gratiam, & charitatem habet, mediante Christo Redemptore, multiplicat sibi meritum, & consolationem: & hoc est complementum hujus tertii libri, cujus consumator est ipse Dominus noster Jesus Christus, cui immensas gratias ago, quia adjuvit me pervenire ad consummationem opusculi, miseratus paupertatem scientiæ, & ingenii mei, in quo tertius iste Liber est annotatus: quem rogo ut faciat pervenire mihi ad obedientiæ meritum, & ad fratrum meorum profectum, propter quæ duo, labor iste fuit à principio assumptus. Ipsi ergo, de quo factus est sermo, Domino nostro Jesu Christo, Regi sæculorum immortali, invisibili, qui pro nobis factus homo, & crucem subiit, & gratiam multiplicem contulit, & mandata dedit sit omnis honor, & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Cæterum omnia à me in hoc, & cæteris libris, & humillimè submitto censuræ S. Romanæ Ecclesiæ, pro ipsa etiam fundere sanguinem paratus, &c.

Finis tertii Libri Sent.

QUARTA PARS,

Seu Liber quartus Sententiarum ad quartum annum ordinatus, qui eſt præcipuè de ſeptem Sacramentis.

PROOEMIUM.

ERAPHICUS Doctor in procœmio quarti libri Sententiarum 1
affert primo loco verba ex Eccleſiaſtico cap. 38. deſumpta: *Unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis*: oſtenditque in ipſis inſinuari materiam hujus quarti libri ad noſtram eruditionem, & exercitationem: nam iſte perfectiſſimus unguentarius fuit Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui à Patre miſſus in mundum, ut & hominem redimeret, & ſanaret à ſuis infirmitatibus, crucem aſcendit, ibique confectione perfecta ſuæ humanitatis vitæ unitæ aperuit apothecam ſui corporis, & per quinque vulnera effudit pigmenta odorifera, & unguenta ſalutifera: Iſtaque ſunt ſeptem Sacramenta à Chriſto inſtituta, tanquam perfectiſſima medicamenta, odorifera quidem reſpectu Dei placandi, & ſalutifera reſpectu ægroti curandi: quoniam Deum ſua ſuavitate placant, & placando faciunt propitium, & impetrant gratiam, & veſtiunt hominem expoliatum, & hominem infirmum curant ſua virtute, & ſic reparant naturalia. Et in hoc eſt tam medicamenti, quam medici laus perfecta: nihil enim ultra quærit ægrotus in medicina, quam quod habeat ſuavitatem in uſu, & efficaciam in effectu, ſecundùm illud Poetæ: omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci: quid 2
autem mirabilius (ſubdit S. Bon. in ſtimulo c. 1.) quàm quod mors vivificet, vulnera ſanent, ſanguis album faciat, & mundet intima, nimius dolor nimium dulcorem inducat, apertio lateris cor cordi conjungat: ecce igitur eſt à Chriſto aperta apotheca omnibus aromatibus plena, & medicinalibus: Exhibuit enim in his medicinalibus Sacramentis medicinam ſanativam, reſtaurativam, præſervativam, & conſervativam: Et ideo meritò totus ferè iſte quartus liber ordinatus eſt ad explicandum, & proponendum Eccleſiæ, ſuiſque fidelibus, & maximè ſacræ Theologiæ ſtudioſis mirabilia horum Sacramentorum. Hinc nos ſequentes veſtigia Seraphici Doctoris primo agemus de inſtitutione, de ſignificatione, & eſſentialibus conditionibus Sacramentorum in communi: deinde de continentia gratiæ, quam habent: & tandem de differentia Sacramentorum novæ, & veteris Legis; & inde ad conſiderationem ipſorum ſingillatim deſcendemus, ut tandem pervenire poſſimus ad deguſtationem ligni vitæ, ad quam ſecurè conducunt in alia vita.

DISPUTATIO I.

De Sacramentis in genere.

ISta diſputatio prima debet eſſe fundamentum præcipuum eorum, quæ ſunt neceſſaria ad dignoſcendam naturam, & qualitates cujuſque Sacramenti in particulari: hinc conſideranda ſunt hic primò quid ſit Sacramentum. 2. de neceſſitate eorum. 3. de effectibus. 4. de cauſa, & 5. de numero Sacramentorum.

QVÆSTIO I.

Quid sit Sacramentum?

3 HÆretici maximè nostri temporis hoc nomen Sacramenti execrantur, tanquam à nobis extortum, & Marte nostro excogitatum ad Sacramenta novæ Legis exprimenda, eò quòd nullibi in Sacra Scriptura exprimatur Sacramentum, contra quos fusè agunt Theologi, Bellarmin. Suarez, Gaud. & alii ostendentes quàm meritò Sancta Eccl sia tali nomine usa fuerit; ut videri potest apud ipsos: nos autem brevitatis majoris gratia, istis omissis, ad quidditatem Sacramenti considerandam transitum faciemus: circa quam quæritur, quid sit Sacramentum propriè, & an essentialiter sit signum, & quale signum.

Not. ex Philosophia. quod signum propriè est id, quod præter sui cognitionem, etiam in alterius rei cognitionem inducit: signum autem tale aliud est naturale, quod scilicet habet naturalem connexionem cum re signata: aliud ad placitum, & ex instituto, & voluntate instituentis: unde cum signum sit quid relativum importat relationem inter signum ipsum materiale, & rem significatam: Hinc est quod cum Sacramentum sit signum rei sacræ.quæstio est inter Theologos an Sacramentum solum sit purum signum, scilicet an de ratione Sacramenti sit, ut solùm significet rem sacram, & gratiam: an verò simul cum significatione includat efficientiam sanctitatis: primum tenet D. Thomas cum suis: secundum Seraph. cum communi loquendo de Sacramento propriè dicto.

4 Prima conclusio. Tres definitiones, seu potius descriptiones Sacramento assignantur à Doctoribus, præcipuè à Seraph. *l.* 4 *d.*1. *dub.*1. *& a.*1. *q.*2. *fund.*1. *& in Centil. p.*5. *sect.*47. *in Comp. Theol. l.*6. *c.*1. Prima est: Sacramentum est signum rei sacræ: secunda. Sacramentum est visibile, seu sensibile signum rei sacræ, & sanctificantis: tertia est: Sacramentum est signum sensibile rei sacræ, & & sanctificantis, efficaciterque ordinantis suscipientem ad illam sanctificatiónem: Ex quibus Seraph loquens de Sacramentis novæ legis elicit hanc magistralem definitionem: Sacramentum est materiale elementum, seu signum sensibile ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, & ex sanctificatione gratiam invisibilem conferens: Explicantur à Seraph. Prima definitio est nimis lata, & potius significatio nominis, competit enim aliis etiam signis sacris, ut sacramentalibus, Evangelio, verbis sacris, &c. Secunda est communis etiam Sacramentis legis veteris: 3. & clariùs ultima est adæquata propriè tantùm competens Sacramentis novæ legis: Ratio est, quia in his tria reperiuntur; primum est, ut sint signum sensibile: secundum, ut significent sanctitatem ex Dei institutione: tertium, ut eandem efficiant, sed omnia ista reperiuntur in Sacramentis novæ legis: ergo.

Pr. 2. & simul explicatur tradita definitio: dicitur primò signum loco generis, ut quid commune signis sacris, & non sacris spiritualibus, & corporalibus, quo pacto contritio, & character dicitur signum supernaturale: item ut quid commune signis puris facientibus cognoscere, sed & operantibus: dicitur sensibile ad differentiam signi non sensibilis, quia Sacramenta tam vetera, quàm nova sunt data hominibus, qui non nisi per sensus in cognitionem ducuntur: hinc additur significans, quia debet nos erudire, & deducere in cognitionem rerum invisibilium: Dicitur ex institutione, scilicet divina, non humana: dicitur ex similitudine repræsentans, nam quodlibet signum sacramentale habet aliquam similitudinem cum suo effectu peculiari, quem confert: Et quia per istas particulas non plenè distinguitur Sacramentum novæ legis à pluribus signis aliis sacris, nam etiam linguæ ignitæ in die Pentecostes significant: ablutiones, & purificationes legis veteris exprimebant interiorem contritionem, & ablutionem, & ipsa Sacramenta vetera significabant multa sacra mysteria: Hinc additur ultima particula complens definitionem: dicitur igitur ex sanctificatione gratiam invisibilem conferens: per quod significatur, quod Sacramenta novæ legis sunt signa non solùm speculativa, sed & practica, quia causant non tantùm sanctitatem legalem, ut faciebant vetera v. g. consecrationem personæ ad cultum divinum, ut facit prima tonsura, professio religiosa, impositio manuum, aliaque similia, sed veram, & habitualem sanctitatem, & sanctificationem, & alios effectus peculiares, quos conferunt suscipienti rectè disposito, quæ dispositio significatur per illam particulam ex sanctificatione.

Objic. 1. Sacramenta sunt instituta ad curandum: sed medicina ordinatur ad sanandum, non ad significandum, ergo & Sacramenta non indigent significatione. Resp. S. Bon. *d.*1. *a.* 1. *q.*1. *in corp. & q.* 2. *ad* 1. Sacramenta esse medicamenta ordinata ad curandum hominem ab omni morbo spirituali: ob idque non solùm ad sanandum morbum concupiscentiæ, & culpæ, sed & ignorantiæ, unde ad curationem concupiscentiæ indigebat gratia, & ad curandam ignorantiam indigebat signis, & significatione, ut erudiretur homo. 5

Objic. 2. Causa non est signum effectus, sed potius signatum: Sacramentum est causa salutis, ergo. R S Bon. 1. majorem esse falsam, quando habitudo signandi includitur in ipsa ratione causandi, ut est in Sacramento, in quo intrinsecè causat, ut est signum. 2. Resp. majorem esse veram in causa Physica, non morali, & ex instituto, ut est in nostro casu, quia causant Sacramenta, quatenus sunt signa. Contra: Si significatio intrinsecè includitur in Sacramentis, ergo eis semper debet convenire, sed non semper eis convenit: quia non signat Sacramentum parvulis gratiam, quam causat, ergo. R.S.Bon. Sacramentum esse signum, pro ut in se signat gratiam, non pro ut signat alicui in actu, sic & signum in taberna etiamsi non adsit, qui illud cognoscat, tamen tale semper est, quia sic ordinatum est; tum etiam quia parvulo signatur in alio, scilicet Patrino, vel Parenti, sicut & salvatur fide aliena.

Objic. 3 Signum, & signatum ut relativa sunt simul natura, sed sæpe cum usu Sacramenti non confertur gratia, ergo non significant intrinsecè gratiam. R.conced. majorem si sumuntur in rationi signi, & secundùm institutionem divinam, & in actu primo, sed quo ad usum, & in actu secundo fallit ista regula, & hoc ratione suscipientis.

Objic. 4. Sacramentum non est quid unum per se, sed aggregatum per accidens, scilicet ex ente reali, & rationis, ergo non est definibile.

Resp.

Resp. ex doctrina Seraph. *d. 1. a. 2. q. 1. ad argum.* & Scoto conced. antecedens, si sumitur Sacramentum pro materiali, & physicè: negand. si sumitur formaliter moraliter, sic significat relationem inter fundamentum, & rem significatam ex institutione Dei, & simul ex usu, sic enim est unum per se moraliter sumptum: Sic est in taberna circulus expositus, ut ait Seraph.

6 Q. *Quale signum sit Sacramentum?* R. S. Bon. quod Sacramenta vetera erant prænostica, quia figurabant redemptionem futuram: nostra verò sunt rememorativa Passionis Christi præteritæ, ideo dicuntur memorialia: sunt & demonstrativa de se ex institutione divina gratiæ præsentis, & prænostica gloriæ futuræ: Sic Seraph. D. *q. 2. cit. & Brevil. l. 6. c. 2.*

Q. iterum: *An Sacramenta sint signa naturalia, an purè voluntaria?* Ratio dubitandi est, quia, si sunt naturalia, sequitur, quod apud omnes erunt signa gratiæ: Si voluntaria, ergo & poterunt mutari pro voto, & poterit assignari pro Sacramento quæcumque alia res creata; quod enim nobis est naturale, Deo est voluntarium, & totum voluntati Dei subjacet. R. S. Bon. quòd in Sacramentis duo sunt: Primum est habilitas, & capacitas naturalis ad significandum effectum Sacramenti v. g. aquæ in Baptismo ad ablutionem culpæ: secundum est ordinatio, & institutio divina immutabilis, per quam ordinata sunt talia signa ad significandum, & efficiendum: unde materialiter sumpta sunt naturalia: formaliter sumpta sunt moralia, & voluntaria ex institutione Dei: sicque negatur paritas de istis signis, & rebus cæteris creatis.

7 Concl. 2. Significatio est de essentia Sacramentorum. Est S Bon. *l. 4 d. 1. a. 1 q. 2.* & communis, significatio inquam sanctitatis, & gratiæ, quæ in eorum usu confertur Patet ex definitionibus suprà allatis; tum quia Sacramenta instituta sunt ad nostram eruditionem, secundùm quod dicit, & Magister in littera: sed non ad eruditionem corporalem. ergo ad eruditionem spiritualem, sed Sacramenta sunt corporalia, & non ducunt in spiritualia nisi in ratione signandi, quia offerendo se sensibus aliud faciunt in cognitionem venire; ergo. tùm etiam quia cum sint medicamenta ordinata ad nostram spiritualem sanationem, ergo ut sanarent nostram ignorantiam, debuerunt habere significationem ad eruditionem: tum ut excitarent ad motum fidei præparatorium.

8 Concl. 3. Sensibilitas signi absolutè loquendo non est de essentia Sacramenti, sed tantùm comparativè, & secundùm congruentias in ordine ad Sacramenta à Christo instituta, est Seraph. Doct. & communis omnium Theologorum locis cit. Prima pars patet, quia ut notat S. Doct. *q. 1. & 2* poterat Deus instituere Sacramenta in aliquo signo interno: nec enim Deus suam potentiam alligavit istis Sacramentis; ergo. Secunda pars etiam ex traditis patet: & patet congruitas tum ex parte Dei, tum ex parte nostri: ex parte Dei, cujus viæ universæ sunt misericordia, & veritas: decuit enim ejus misericordiam: quia homo male gratiam servabat propter voluntatis vertibilitatem, ideo instituit Deus Sacramenta sensibilia, ad quæ homo recurrens recuperare posset gratiam, & ut remissionem culpæ, immò & pœnæ acquireret: decuit & justitiam ejus, ut homo ad ipsa recurrens se humiliaret, sicque se disponeret ad gratiam: decuit & ejus sapientiam, ut scilicet qui à visibilibus lapsus occasionem sumpserat, in eisdem remedium inveniret: Expediens etiam fuit ex parte ægroti, quia erat cæcus quo ad rationalem, ideo data sunt ei Sacramenta visibilia ad eruditionem: erat elatus quo ad irascibilem, ideo data sunt ei Sacramenta sensibilia ad sui humiliationem: erat fastiditus quo ad concupiscibilem circa spiritualia, ideo data sunt ei Sacramenta sensibilia ad exercitationem, ne fortè in unius solius perceptione, vel spiritualium tantum contemplatione, sibi posset fastidium, & tædium generari.

Objicies: Major potentia Dei patefit in recreando, quam increando: sed Deus potentiam creandi sibi reservavit soli, ergo multò fortius debuit sibi reservare potentiam recreandi, ergo non decuit, ut his instrumentis visibilibus uteretur. Et confirmatur, quia efficacitas Sacramentorum est in collatione gratiæ, & justificationis, sed ad istam Sacramenta nullam habent causalitatem physicam, & realem, ergo sunt superflua. R S. Bon. hîc *q 1. ad 1. & d. 10. p. 2. q. 1. ad 1. & in Psal. 87. & 115. & in Ioan. c. 10. n. 23.* quod ex parte modi agendi majus opus est creatio, quam justificatio, cum illa sit ex nihilo, ista ex præsupposito subjecto, & ex supposito concursu creaturæ, licèt ex parte rei factæ justificatio sit majus opus, quia terminat ad aliquid supernaturale: cum autem ad creationem non sit necessaria dispositio in subjecto, nec potentia ad informandum, sed solùm ad efficiendum, ideo ex hac parte majus est opus: at in justificatione cum sit alicujus entis melioratio, exigitur dispositio, hancque Deus, ut dictum est, convenienter collocavit in Sacramentis: & per id patet responsio ad confirmationem: nam licet infusio gratiæ sit à Deo, tamen status hominis indigebat istis mediis disponentibus.

QUÆSTIO II.

Quæ differentia sit inter Sacramenta legis veteris, & Evangelica,

QUæstio ista inservit ad magis dignoscendam dignitatem Sacramentorum novæ legis, ob idque involuit plura dubia; & primò an Sacramenta veteris, & novæ legis univocè conveniant in ratione Sacramenti: item an utraque non solùm haberent rationem signi, sed etiam simul producendi aliquid spirituale: & an utraque id habeant ex opere operato, an solùm ex opere operantis: Circa quas difficultates adest aliqua discrepantia inter Theologos Catholicos, ut mox patebit. 9

Suppon. 1. Quod Sacramenti nomen, seu ratio Sacramenti sumi potest tripliciter: 1. communiter, & impropriè: 2. propriè: 3 propriissimè; primo modo importat quidquid aliquo modo rem sacram significat, quatenus Sacramentum dicitur à sacrando, in qua significatione purificationes, ablutiones antiquæ legis, genuflexiones, prostrationes, & similia sacra signa dici poterant Sacramenta, quatenus scilicet sanctitatem tantùm significant: secundò propriè, quatenus Sacramentum dicitur signum sensibile rei sacræ, & sanctificantis aliquo modo causando sanctitatem sive perfectam, sive imperfectam: tertiò propriissimè, quatenus Sacramentum verum, & perfectam sanctitatem significat, & causat: primo, & secundo modo conveniunt Sacramenta vetera, & nova, non

verò in tertio modo: Sic S. Bon. *l.4.d.1. dub.1. & Comp. Theol. l.6.c.4.* & Scot. *d.1.q.3.a.4.*

10 Not. 2. Quod sanctitas ad rem nostram est duplex, altera perfecta, & interna, estque idem, quod gratia habitualis, & justificans: altera legalis, & imperfecta, quæ nihil aliud est quàm consecratio ad divinum cultum, & hanc solam excepta Circumcisione conferebant aliqua Sacramenta distinguendo veram religionem à falsa: sic ex Seraph. *d.1 p.1.q.5.& dub.1.*

Not 3. Maximam controversiam inter Theologos esse, an Sacramenta veteris legis, sive etiam, naturæ, sive scriptæ fuerint vera Sacramenta. In quo tamen major pars, & verior affirmat, quia in utraque lege naturæ, & scriptæ erant varia signa, & sacræ cerimoniæ aliquam sanctitatem conferentes sive internam, ut erat circumcisio; & in lege naturæ remedium à Deo institutum pro peccato originali delendo, sive externam, & legalem: Ulterius disquirunt, an producerent illos effectus ex opere operato, an ex opere operantis: in qua multi negant habuisse veram rationem Sacramenti, eo quod ex opere operato non causabant gratiam, nam opus operans (ait Seraph. Doct.) non est Sacramentum: Contraria opinio Seraph. Doct. Scoti, plurimorumque aliorum asserit Sacramenta tam vetera, quam nova causasse sanctitatem ex opere operato differenti tamen modo: sic S. Doct. *d.1. p.1.q 5.* Hinc.

11 Not.4. Quod hoc discrimen est inter Sacramentum sanctitatem perfectam causans, & imperfectam (ait S.Bon. *d.1. dub.1.*) quod Sacramentum propriè est signum sensibile significans, & efficiens rem sacram, & talia sunt Sacramenta vetera; propriissimè autem Sacramentum est signum sensibile sanctitatem perfectam significans, & simul causans, sanctificando, ita quod ad illam habendam efficaciter ordinat suscipientem, & talia sunt Sacramenta novæ legis: Explicat autem suum sensum Seraph. Doct. *ibid.q 5.* dicens, quod in veteribus erat sanctificatio ex opere operato per accidens, in novis est per se: nempe quia vetera Sacramenta instituta erant primò ad significandum vel Passionem Christi, ut sacrificia, vel nostra Sacramenta, sic Baptisma nostrum significabatur per baptismata, & purificationes legis, sed quia & ad efficiendum non sunt instituta nisi solùm exterius circa carnem, & quia significabant id quod fides credit, in eorum perceptione erat perfectio fidei non tantùm verbo, sed & facto, hinc quia fides disponebat ad justificationem ideo Sacramenta illa per accidens justificabant, nempe ratione non efficientiæ immediatè, sed quatenus significabant mysteria Evangelicæ legis, & per talem significationem excitabant ad fidem, & inde ad charitatem, excipe tamen circumcisionem, de qua infra. Unde primus, & propius effectus ipsorum erat ad significandum mysteria nostræ fidei, & secundarius ex consequenti erat excitatio ad fidem talium mysteriorum, & inde justificatio veluti per accidens, & in hoc sensu dicuntur ex opere operato conferre sanctitatem: sed Sacramenta novæ legis sunt primò, & per se signa gratiæ spiritualis, simulque productiva ipsius: & hoc ratione efficacis ordinationis ex pacto divino factæ ad talem effectum, ideo dicuntur per se ex opere operaro & significare, & producere gratiam: Sic S Bon. *d.1.q.5. & q.4. ad ult.* Ex quibus patet discrimen inter utraque Sacramenta, ut in Conclusionibus dicetur.

Not. 5. Maximam difficultatem esse circa circumcisionem: an verum fuerit Sacramentum, & an ex opere operato deleret culpam originalem, & conferret gratiam: an tantum ex opere operantis: In qua duæ præcipuè opiniones circumferuntur. Prima est D. Thomæ, & sequacium plurium asserentium circumcisionem fuisse merum signum gratiæ, quæ in ipsa ex opere operantis conferebatur. Secunda est D Bon. *d.1.a.3.q.3.* Scoti, & plurium aliorum fuisse verum Sacramentum, mediumque delendi ex opere operato culpam originalem, & conferendi gratiam: idemque est dicendum de alio remedio à Deo instituto pro statu legis naturæ pro parvulis: & hæc est probabilior, & verior. Hinc.

Concl. 1. In statu legis naturæ, & scriptæ fuerunt instituta remedia, & Sacramenta ad salutem necessaria, & proficua. Est Seraph. D. *l.4 d.1.a.1. & 2.* Scoti, & communis. N. tamen hîc, quod disquirunt Theologi, quodnam fuerit remedium à Deo designatum pro parvulis, & adultis in statu naturæ: án scilicet sola fides interior parentum, an requireretur etiam aliqua professio exterior pro signo visibili, ut puta oblatio, vel sacrificium, vel decimatio, vel aliquod aliud signum. Communis Theologorum sententia est in omni tempore Deum providisse pro parvulis aliquod remedium efficax ad deletionem peccati originalis, & justificationem parvulorum, sed quodnam illud fuerit incertum est, nec enim in Sacra Scriptura, nec ex traditione Ecclesiæ, nec ex SS. PP. id habetur expressum: Seraph. D. *a.2.q.1. & 3.* docet sufficisse fidem internam parentum, vel eorum, qui curam habebant parvulorum, etiamsi esset informis: & pro adultis necessariam fuisse fidem formatam cum superaddito sacrificio ad remissionem peccati mortalis, quod sacrificium tamen (addit S.Bon.*q.3.*) de se nullam efficaciam habebat, nisi ad excitandam fidem redemptionis: An verò ad aures S. D. pro parvulis sufficeret sola fides parentum absque actu exteriori, videtur valde dubium, citaturque à Suarez, quasi id asseruerit, sed malè ut rectè perpendit P.Gaud. *tom.4.tr.4. de legibus d. 10.q.15.* nam S. Doct. *in loc. ci. q. 1.* admittit fuisse necessariam fidem saltem informem parentum, quæ adferebat secum meritum aliquale de congruo; & *q.2.* admittit talem fidem informem qualitercumque fieret sive signo, sive verbo, sive actu cordis (addit, & nota sequentia) dum tamen fieret à parentibus, scilicet iis, qui curam gerebant de parvulo, & haberetur respectum ad parvulum: ex quibus infertur, ut notat rectè Gaud. quod talis fidei applicatio requirebat aliquam actionem externam humano modo fiendam, seu externam professionem; qua posita Deus infallibiliter delebat peccatum originale: quo ad adultos verò, addit S. Doct. *q. 3.* certum est adfuisse Sacramenta pro remissione peccatorum, quæ ad tria capita reducebantur, nempe ad decimationes, oblationes, & sacrificia, quæ de se non erant efficacia ad talem remissionem, sed tantùm per accidens, ut supra dictum est. Vide quid fuerit decimatio, oblatio, & sacrificium pro lege naturæ S.Bon *l.4.d.1.p.1.q.3. & l.3.d.3.p.2.a.1.q.1.*

Prob. conclusio primò à Scoto hac validissima ratione, quam & innuit Seraph Doct. quia nullo tempore dimisit Deus Cultores suos sine remedio ad salutem necessario: sed omni tempore post lapsum fuit necessaria deletio culpæ originalis, ergo quocunque tempore aliquod remedium efficax ad hoc

hoc fuit institutum; Et confirmatur, quia licèt potuerit in adultis deleri per motum aliquem bonum intrinsecum, in parvulis tamen cum talis motus fuerit impossibilis non potuit deleri per actum suum proprium, ergo per actum aliquem aliorum ad ipsos relatum, sed non poterat esse certum, quod actus alterius ad parvulum sufficeret sibi, nisi hoc esset à Deo institutum, ob idque infallibile; ergo. Tùm quia tale remedium pertinet ad Dei providentiam volentem omnes homines salvos fieri, & ad talem finem præparantem media necessaria, ergo. Quod autem in statu naturæ, & legis scriptæ fuerint sacramenta probat S. Doct. primò ex eo quod cultus Dei externus in suo genere fuit perfectus, ergo egebat homo ignarus signis sacris illuminari: erat elatus quoad irascibilem, ergo debebat habere sacramenta, quibus humiliaretur coram Deo: erat quoad concupiscibilem fastidiens spiritualia, ergo eguit signis sensibilibus, ut in ipsorum varietate delectaretur. *Vide S. Bon. ibid. art 2. q.3.*

13 Concl. 2. Circumcisio fuit verum Sacramentum delens culpam, & conferens gratiam ex opere operato: Est S. Bon. *dist.1. part. 2. art. 3. per totum*: Scoti, & plurimorum aliorum, & probatur quia per hoc Sacramentum operans ex opere operato per se, differt à Sacramento operante ex opere operato per accidens, vel ex opere operantis, quod primi generis sacramenta justificant per se ex pacto Dei: alia verò per accidens, & mediatè, scilicet ratione fidei, & aliarum virtutum, sed sola circumcisio fuit instituta à Deo ex pacto inito cum Abraham pro suis descendentibus in signaculum justitiæ fidei, ut loquitur Apostolus ad *Rom. cap.4. & ex cap.17. Gen.* ergo vera conclusio, & hanc sententiam communiter sustinent, & docent SS. Patres, quos fusè citat P. Gaud. *cit. q.13. 14. & 15.* de qua materia plura à nobis differentur infra ad calcem quæstionis.

14 Concl. 3. Plures differentiæ assignantur à Theologis inter sacramenta vetera, & nova: Explicatur conclusio, & assignantur à Seraph. tali pacto. 1. differentia est, quod Sacramenta novæ legis producunt suos proprios effectus ex opere operato per se: vetera autem per accidens, seu ut alii dicunt ex opere operantis magis, quàm ex opere operato: ut supra dictum est. 2. quia sacramenta novæ legis conferunt sanctitatem internam, & perfectam, scilicet gratiam per se sanctificantem, vetera verò internam per accidens, externam verò, & legalem, & imperfectam per se, & propriè: hanc differentiam non admittunt hæretici nostri temporis: volunt enim utraque justificasse, vel justificare tantùm excitando fidem, licèt aliquam majorem efficaciam in hac excitatione recognoscant in novis. 3. quia sacramenta vetera non eamdem sanctitatem conferebant, quam principaliter significabant: significabant enim principaliter, & figurabant sanctitatem perfectam per Christum dandam, & conferebant imperfectam, qua mediante, perfectam significabant: Nova verò conferunt sanctitatem perfectam, & ipsam simul significant. 4. quia in nostris Sacramentis principalior est relatio causæ, quàm signi: in antiquis est principalior relatio signi, & minus principaliter, & per accidens relatio causæ: nam antiqua tamquam umbræ, & figuræ ordinabantur principaliter ad instruendum, nostra verò ad sanctificandum: sanctificatio verò est potior, quàm instructio. 5. differentia fuit in ratione signi: nam antiqua erant tantùm prognostica, & promissoria futuræ sanctitatis perfectæ, & demonstrativa tantùm præsentis sanctitatis imperfectæ, & legalis quam ex divina institutione infallibiliter conferebant: nostra verò sacramenta sunt signa demonstrativa præsentis gratiæ, quam conferunt, & prognostica futuræ gloriæ, quam promittunt, simulque rememorativa passionis Christi, à qua tamquam à causa meritoria principali originantur: Hæc omnia ex Seraph. *lib.4. dist.1. q.5. & q.2. ad 4. & part. 2. per totam, & op. Comp. Theol. lib.6. cap.4.*

Concl. 4. Sacramenta vetera, & nova non conveniunt essentialiter univocatione perfecta inter se, sed tantùm analogicè: excepta tamen circumcisione: Est S. Bon. Scoti, & communior contra Thomistas, licèt potius sit differentia de nomine: ratio est, quia licèt utraque significent sanctitatem, eamque conferant, non tamen eadem perfectione, & modo, ut dictum est.

Q. *An Circumcisio fuerit Sacramentum datum sub præcepto, & an omnes homines afficeret, & ad quid?* 15
Resp. 1. ex Seraph. *d. 1. p. 2. a. 2.* Circumcisionem fuisse à Deo institutam sub præcepto dato omnibus masculis descendentibus ab Abraham, & octavo die faciendam, & ad cognoscendum, discernendumque populum Dei à cæteris, & in remedium peccati originalis, & sanctificationis perfectæ per gratiam: quæ omnia fusè explicat Seraph. Doct. *loc. cit.* ad quem remitto lectorem; cur autem tantùm masculis fuerit impositum hoc præceptum, explicant Doctores, quia per masculum fit principaliter activa propagatio hominum, & præcipuè nativitas Messiæ: Addunt quod pro fæminis sat erat remedium in lege naturæ institutum, sicut & parvulis periclitantibus ante octavam diem.

Q. *Quale discrimen sit inter circumcisionem, aliudve remedium antiquitus institutum pro deletione peccati originalis, & baptismum?* Resp. Scotus *d.1. q.6.* circumcisionem institutam fuisse ad delendam culpam originalem, & ad conferendam primam gratiam sanctificantem; unde si applicabatur homini jam prius justificato, non habebat vim conferendi augmentum gratiæ, sicut facit baptismus, ratio autem est, quia solùm ad necessitatem fuit circumcisio instituta, & aliud remedium in statu naturæ, qua necessitate cessante, non expedit ampliare effectum: in quo casu significabat tantùm gratiam conferendam, si non adesset obex: sicuti dicitur de baptismo recepto à B. Virgine, & Apostolis.

Q. *An in statu innocentiæ, stante homine, sacramenta instituta fuissent?* Resp. cum communi, probabilissimum esse, quod in illo statu fuisset cultus Dei non solùm internus, sed & externus, tamquam Deo debitus: id enim est proprium homini constanti corpore, & anima: tùm ratione politicæ, & socialis vitæ hominum, ad quam est necessarius cultus Dei internus, & externus, ut probat S. Bon. *ser.1. Hexam.* Probabile etiam est, quod in illo statu adfuissent aliqua sacramenta, & quatenus sunt signa professionis fidei? & quatènus sunt causativa, vel augmentativa gratiæ, de quo vide Suar. *d.3. sect.1. & seq.*

QUÆSTIO III.

An Sacramenta Evangelicæ legis constent rebus, & verbis: vel quænam sint essentialia Sacramentis?

16 NOt. 1. quod quæstio proponitur solùm de Sacramentis legis Evangelicæ, quia certum est apud Theologos, sacramenta vetera non constàsse rebus, & verbis, in ipsis enim nulla verba adhibebantur, sed hoc competit tantùm nostris sacramentis, & ratio est, quia sacramenta vetera gratiam obscuriùs significabant, quàm nova, ideo nón exigebant verba expressiùs ipsam significantiâ quàm res. Not. 2. quòd quæstio non procedit de Sacramento prout continet aliquod totum physicum constans ex materia, & forma, in quibus fundatur relatio signi, & significatio, quæ formaliter Sacramentum in esse Sacramenti constituit: sed quæstio procedit de Sacramento prout est totum morale, & artificiale, & quoad esse partiale ex parte fundamenti, an scilicet constet rebus, tamquam partibus intrinsecis & essentialibus: & quia aliqua sunt sacramenta, quæ in usu, & fieri consistunt, alia etiam in esse permanenti, ut est Eucharistia: Matrimonium item quando videtur constare tantùm verbis, aliquando solùm rebus: quæritur de omnibus istis, an essentialiter constent rebus, & verbis, tamquam partibus essentialibus. In qua.

Prima opinio extrema est Durandi negantis omnia sacramenta constare rebus, & verbis, sed aliqua constare vel rebus tantùm ut Eucharistia habens esse permanenter, alia verbis tantùm, ut pænitentia, & matrimonium. 2. Opin communis est omnia Sacramenta constare rebus, & verbis, tamquam materia, & forma, & partibus essentialibus: Sic S. Bon. *d.1. dub.11. & aliis locis*, ubi tractat de Sacramentis in speciali: D. Thomas, & cæteri Theologi: Scotus idem asserit, sed addit aliqua Sacramenta constare rebus, & verbis, vel formaliter, vel æquivalenter.

Not. 1. quod cum aliqua sacramenta consistant in usu: Eucharistia verò habet post consecrationem esse permanens, difficultas potissima currit in hoc augustissimo Sacramento, quomodo ipsum constet rebus, & verbis: cum enim communiter dicatur materiam esse panem, & vinum, formam esse verba consecratoria, & cum omnia ista transeant, nec permaneant, difficilè videtur assignare rem, & verba in ipso Sacramento, tamquam partes essentiales ipsius: & eò magis, quia forma consecrationis nec efficit, nec significat Sacramentalem gratiam, quæ est conditio necessaria ad rationem Sacramenti novæ legis, ut supra dictum est: Hinc Scotus subtilissimè de more negat verba consecrationis esse formam Sacramenti, sed tantùm consecrationis, & pro tanto illa dici possunt verba Sacramentalia, quia ad Sacramentum pertinent, tamquam forma consecrationis, quæ consecratio est inceptio Sacramenti, sed non dicuntur sic Sacramentalia, sicut verba baptismi, quæ verè sunt forma Sacramenti: unde concludit, quod cum Eucharistia constituatur per esse signum nutrimentalis gratiæ. & cum id habeant species panis, & vini, ut continentes corpus, & sanguinem Christi, & hoc independenter à verbis consecratoriis in genere causæ formalis, & dependenter solùm in genere causæ efficientis, hinc est quod species sensibiles se habent ut materia, & res, & Christi corpus, & sanguis ut forma, non tamen formaliter unita: quæ doctrina est ipsissima, quam tradit Seraph. Doct. *l.4 d.8.p.1. a.1. q1.*

Prima conclusio. Sacramenta omnia nova constant formaliter, vel æquivalenter rebus, & verbis, tamquam materia, & forma: Est S Bon. cit. & communis, & traditum est in Concilio Florent. & probatur ex institutione Christi, qui ordinavit, ut conficeretur ex materia, & forma: materia quidem ut quid indeterminatum, forma ut quid determinans: idque constat in sex primis Sacramentis: In matrimonio autem etiam nutus habent rationem verborum analogicam: sic S.Bon. *in Centil.part.3.f.54* Idem & dicendum de Sacramento Eucharistiæ in fieri: in facto autem esse vel verba consecratoria habent virtualem operationem in ipsa Eucharistia post ipsius fieri, ut dicunt plures Theologi, vel substituitur loco verborum ipsa præsentia corporis, & sanguinis Christi, quæ ibi advenit virtute verborum jam transactorum. Præterea Christus instituit ea in verbis, & elementis, ut haberent evidentiam significandi, & efficaciam sanctificandi: quia dum elementa oculis, & verba auribus se efferunt, dant evidentiam significandi, & deinde verba sanctificant elementa, ut plenior fiat humanæ curationis efficacia. 17

18 Concl. 2. Significatio Sacramentalis in aliquibus Sacramentis inest toti composito ex materia, & forma, & tunc utraque est pars constituens Sacramentum: in Eucharistia verò significatio inest soli materiæ. Prima pars patet in Sacramentis Baptismi, Confirmationis, & Extremæ-Unctionis: quæ patenter significant gratiam sanctificantem, quam conficiunt: in Sacramento Pænitentiæ, pariter materia, quæ est contritio, confessio, & satisfactio, & forma idem significat: in Sacramento Matrimonii materia sunt ipsi contrahentes, forma sunt actus contrahentium, scilicet verba, vel nutus secundùm probabiliorem sententiam: Secunda pars de Eucharistia patet ex supra traditis: nam verba consecrationis sunt quid extrinsecum spectans potius ad causam efficientem, ob idque intrinsecè non intrant in rationem Sacramenti, quod supra probatum est.

19 Concl. 3. Materia, & forma Sacramentorum novæ legis fuerunt determinatæ ex institutione Christi quoad substantiam, ita quod, si aliæ substantiæ ponantur, non fiet Sacramentum; ob idque sunt invariabiles: Est communis omnium Catholicorum, & de fide determinatum fuit in Concilio Florent. & Trid. habeturque ex Scriptura, ubi leguntur res, & verba à Christo determinata pro Sacramentis, ut patet in Sacramentis Baptismi, & Eucharistiæ: ideoque Concilium Trid. *sess.3. can.1.* decrevit Ecclesiam non habere potestatem circa substantiam Sacramentorum, idque patet ex constanti, & perpetua Ecclesiæ traditione, quæ semper res, & verba determinata docuit requiri ad Sacramenta: & ratione probatur, quia Sacramenta sunt à Deo instituta, ut instrumenta ad causandam gratiam, sed Deus solus est author gratiæ, ergo & solus est inventor & institutor instrumentorum gratiæ.

20 Objic. 1. De Sacramento matrimonii, quia ante Concil. Trid. clandestinum erat validum, post illud non est validum, ergo Ecclesia mutavit materiam

teriam Sacramenti matrimonii. Resp. neg. conseq. quia materia hujus Sacramenti, quod Christus instituit ad significandam gratiam, est verus, & legitimus contractus: sed quia Ecclesia potuit mutare ea, quæ spectant ad validitatem contractus, ideo & potuit mutare conditiones, & circumstantias hujus contractus, sicut & aliorum, requirens ad validitatem solemnitatem illam, quæ antea necessaria non erat, nempè præsentiam Parochi, & testium: undè licèt Ecclesia facere non possit; quod verus, & legitimus contractus non sit materia Sacramenti matrimonii, & validum Sacramentum, potuit tamen facere, ut ille, qui antea erat contractus legitimus, & verus, deinceps non sit legitimus, & verus, nisi cum novis institutis, legibus, & solemnitatibus.

Objic. 2. Ecclesia videtur mutasse materiam, & formam ordinis: nam olim Sacerdotium conferebatur per solam manuum impositionem cum verbis proportionatis: Nunc Ecclesia Latina Sacerdotium confert per traditionem panis, & vini cum verbis determinatis: Græca verò Catholica per impositionem manus super caput ordinandi cum aliis verbis non habentibus idem significatum cum Latinis, ergo vel facta fuit, vel fieri potest aliqua variatio circa materiam, & formam Sacramentorum, neque ista fuerunt determinata à Christo in omnibus Sacramentis. Et confirmatur dubitatio, quia Apostoli baptizabant in nomine Christi: nunc autem in nomine Trinitatis: Augetur dubitatio, quia in Sacerdotio accipitur potestas absolvendi omnia peccata: Ecclesia autem reservat aliqua, ne possint absolui; sicque reddit inhabilem materiam illam, &c. Resp. materiam, & formam Sacramenti ordinis non posse mutari eo modo, quo à Christo fuit instituta: sed tamen advertendum, quod Christus non instituit formam specificè, & in individuo, sed solùm genericè in aliquo signo sensibili, quo demonstraretur tradi aliqua potestas ordinato; & tali pacto Ecclesia tam Latina, quam Græca confert ordinationem per signum sensibile, licèt adsit diversitas materialis, & per accidens in signo sensibili, quod significat potestatem ordinatis tradi, sicque signum sensibile est indifferens quoad utramque Ecclesiam, determinatum tamen pro formali, scilicet quoad significationem. Et ad illud de baptismo Seraph. Doct. *l. 4. d. 3. a. 2. q. 2. ad ult.* respondet, quod Apostolis data fuit potestas utendi illo verbo, Ego te baptizo in nomine Christi, in primitiva Ecclesia, quia in nomine Christi continebatur implicitè Trinitas: nempè ungens, unctus, & unctio: & hoc factum est, ut nomen Christi ignotum pateficeret, & honorabile redderetur gentibus: nunc autem, quia jam notificatum est per totum mundum non licet uti illa forma, quia sic redderetur irritum Sacramentum. Ad aliud de absolutione à peccatis respondeo, quod cum potestas absolvendi sit actus jurisdictionis in subditos, hinc potest restringi ab Ecclesia quoad actum secundum.

Q. *Qualis mutatio materiæ, & formæ reddat invalidum Sacramentum?* Resp. S. Bon. *d. 3. p. 1. q. ult.* Sacramentum reddi invalidum, quando materia, & forma constituta à Christo substantialiter mutatur, non quando solùm mutatur accidentaliter; idque evenit, quando secundùm communem conceptum non est ejusdem rationis cum materia, & forma à Christo instituta: notat autem S. Doct. mutationem posse evenire in forma septem modis. 1. mutatione idiomatis, v. g. Græci, vel Latini. 2. substituendo in eodem idiomate alia verba. 3. transponendo verba. 4. interrumpendo. 5. addendo. 6. subtrahendo. 7. corrump[e]ndo ali[q]uam partem verborum: Istarum autem aliquæ reddunt irritum Sacramentum, aliæ non. Vide ibid. S. Bon.

QUÆSTIO IV.

De necessitate, & convenientia, & numero Sacramentorum expediuntur plura dubia.

QUæritur 1. An omne tempus fuerit idoneum ad institutionem Sacramentorum? Resp. S. Bon. *d. 2. q. 1.* quod loquendo de Sacramentis jam institutis, cum fuerint ordinata à Christo in remedium malorum, in quæ incidit homo propter peccatum, propria sunt temporis naturæ lapsæ: matrimonium verò institutum fuit in officium in statu innocentiæ tamquam proprius status, in statu legis Evangelicæ posteà à Christo fuit sublimatum ad esse Sacramenti, & ordinatum in remedium etiam: ratio hujus Conclusionis est quam affert S. Doct. *d. 2 ibid. dub.* 1. quia quædam est medicina præservativa, quæ excusat à morbo, sed non liberat, & talis est matrimonium; quædam est curativa, & ista liberat per gratiam, & hæc variatur secundùm triplicem gratiam: scilicet gratiam baptismalem, & sic est baptismus: pœnitentialem, & sic est pœnitentia; finalem, & sic est extrema unctio: quædam est medicina confortativa, & quia duplici ex causa indiget homo confortari vel propter difficultatem pugnæ, & sic est confirmatio: vel propter lassitudinem itineris, & sic est Viaticum, & Eucharistia: Ordinis verò Sacramentum institutum est ad ministrandum utrumque, & ad confortandum utroque modo confortativo: nempè vel confortatione virtutis, sic est confirmatio, vel subministratione cibi, & sic est Eucharistia, vel pro fulcimento alicujus subsidii, & sic est ordo. *Vide Brevil. p. 6. c. 3.*

Subdit deindè S. Doctor ordinem talium Sacramentorum, quia enim aliqua Sacramenta respiciunt omnes communiter, sic sunt prima quinque Sacramenta, quorum primum est baptismus ad vulnerum curationem, confirmatio ad curationis habitæ conservationem: Eucharistia ad curationem habitæ, & conservatæ promotionem: & quia non omnes, qui recipiunt, conservant semper, ideo est pœnitentia ad reparationem: unctio extrema est ad ipsius consummationem: alia respiciunt speciales status, nempè vel statum perfectum, sic est ordo, estque personarum generantium spiritualiter: vel infirmos secundùm congruentiam, & sic est matrimonium, estque generantium corporaliter: & utraque generatio est necessaria Ecclesiæ. *Vide S. Bon. ibid. a. 1. q. 2.* ubi ordinem mirabilem Sacramentorum tradit in respectu morborum curandorum, & exercitii virtutum. Addimus probabilissimum esse, quod asserunt plures Theologi, nempè in statu innocentiæ, si homo permansisset, quod Deus inst[it]uisset aliqua Sacramenta cum ut homo se exerceret in actibus virtutum, tum ut Deum perfectiùs coleret, quod suprà notatum est. Quare autem gradatim processerit Deus in instituendo Sacramenta pro statu legis naturæ, & scriptæ, & Evangelicæ ab imperfectioribus ad perfectiora. *S. Bon. ibid. q. 2.* fusè, & mirabiliter tradit rationes

rationes morales, quæ possunt ibidem videri, & *op. Brevil. part.1. c.2. Et Centil.p.3.sess.42.& Comp. Theol. lib.6. cap.3.*

22 Q. 2. *An Sacramenta sint necessaria in lege gratia, & qua necessitate, vel convenientia?* Resp. Seraph. Doct. *d.2. q.1. & 2. & Brevil. & Centil. & comp. Theol. cit.* Primò maximè convenientem fuisse institutionem Sacramentorum. Primò in lege naturæ: 2. in lege scripta, & quia ista fuerunt umbratica, ideo adveniente veritate, evanescere debuerunt: ut sic pro temporum successione alia semper clariora signa salutis exhiberentur, ut è nocte ad diem, & ad meridiem procederetur. Hinc est quod debuere dari Sacramenta memorialia beneficii redemptionis, quæ gratiam, imò & Authorem gratiæ continerent, & iam persolutò pretio meritorum Christi effudi debuit gratia per vasa Sacramentorum sensibilium: quia enim homo miserè lapsus erat per sensibilia in culpam, & exterminium, mortaliter saucius, debuit per signa proportionata sensibilia sublevari ad gratiam, & spiritualia capienda à medico Christo, qui est sapientia Patris: cum enim tempus hoc sit perfectissimi remedii, ideo debuere dari Sacramenta, quæ omnes potentias ægras curarent: rationabilem cæcam per sensibilia, superna, & divinissima arcana: Irascibilem elatam per sensibilia, & corporea, ut ad ea humiliatus homo respiceret: Concupiscibilem pronam ad malum culpæ, per gratiam copiosam, qua temperaretur incendium fomitis: sic plura Sacramenta instituta sunt, ut per ipsa varia dentur dona ad omnia moderanda: sic etiam perficitur fides, dum res alienissimas à sensibus credit: elevatur spes, dum Authorem gratiæ, & salutis accipit: Inflammatur charitas, dum medicus, & Pater adeo adamans agnoscitur. Et in his omnibus resplendet mirabiliter summa Dei sapientia, bonitas, misericordia, potentia, imò & justitia, quæ merita Christi accipit in vasis Sacramentorum ad debita Deo solvenda, & accipiendas gratias. Resp. 2. Seraph. D. usum Sacramentorum in lege gratiæ esse ad salutem necessarium: supposita tamen institutione, & ordinatione Christi: quorum alia sunt necessaria necessitate medii, alia præcepti: Necessitate medii absolutè, sicut baptismus, & pænitentia: ad benè esse verò sunt Eucharistia, Confirmatio, & Extrema-Unctio: ordo verò necessarius est non singulis hominibus, sed toti Ecclesiæ, sicut & matrimonium, ex diversa tamen ratione, ut supra dictum est. Resp. 3. Seraph. Doct. *Comp. Theol. lib.6. cap.3.* Instituta fuisse Sacramenta multiplici de causa: primò propter humiliationem, qua homo quærit salutem humiliando se inferioribus. 2. propter eruditionem, qua homo per visibilia ad cognoscenda invisibilia rapitur. 3. propter exercitationem ad vitandum otium. 4. propter congruitatem medici ad medicinam, quæ continet aliquid divinum, scilicet gratiam, & aliquid humanum, scilicet signa visibilia. 5. propter congruitatem ex parte infirmi, qui constat ex corpore, & anima, ideo ei data est medicina spiritualis in corporalibus. 6. propter augmentationem meriti: multum enim valet ad meritum, quando Deo creditur in his, ubi humana ratio non præbet experimentum.

De causa Sacramentorum efficiente.

Triplex causa potest considerari; prima principalis; secunda meritoria, & superexcellentiæ; tertia ministerialis: prima est Deus: 2. Christus: 3. Minister: de prima nulli est dubium, cum ipse solus sit author gratiæ, ergo solus potest esse instrumentorum gratiæ principalis institutor; sed tantùm de secunda, & tertia.

QVÆSTIO V.

An omnia Sacramenta novæ legis sint à Christo instituta.

Hæretici hujus temporis, qui duo tantùm Sacramenta admittunt, nempè baptismum, & Eucharistiam, fatentur à Christo instituta fuisse, licèt circa Eucharistiam admisceant varios errores: cætera verò negant: à Christo verò omnia septem instituta decrevit Concil. Trid *sess.7.can.1.* quod & fatentur omnes Catholici scriptores. Sed quia quæstio potest procedere de institutione immediata, vel mediata, an scilicet Christus instituerit Sacramenta immediatè per seipsum, an mediatè, scilicet mediantibus Apostolis: Hinc oritur multiplex quæstio: primò de possibili; an Christus potuerit dare, & delegare Apostolis, Ecclesiæ, & hominibus potestatem instituendi Sacramenta: Secundò de facto: an istam potestatem dederit: an verò ab ipso Christo immediatè fuerint omnia instituta: In qua multiplici quæstione quoad primam partem, an Christus potuerit delegare homini, vel Angelo potestatem instituendi Sacramenta immediatè est prima opinio negativa Scoti, & sequacium cum Vasq. *dist.135. cap.2.* Gabr. Dur. aliisque apud Mastrium *num.134.* qui tamen optimè notat hanc quæstionem esse potius de nomine, quàm de re: secunda est affirmativa D. Thomæ, S. Bon. *lib.4.d.5. art.3. q.1.* Suar. *d.12.sect.2.* 23

Quoad alteram partem: An de facto Christus immediatè omnia Sacramenta instituerit, an verò aliqua mediatè, scilicet per Apostolos: communis opinio omnium Theologorum est, omnia Sacramenta fuisse à Christo immediatè instituta, & non per Apostolos: & hanc propositionem esse de fide ait Bellarminus; quod tamen negat Suarez, nempè institutionem immediatam à Christo esse de fide: *Sic dist.32. sect.2.* Pro institutione mediata communiter citatur, licèt malè, Seraph. D. *l.4. d.7. q.1. & d.17. q.3.* Alex. Alensis *q.59. membr.3. & q.42. membr.1.* Marsil. *lib.4. q.14.* quasi asseruerint Sacramenta Confirmationis, & Pænitentiæ non fuisse instituta à Christo, sed ab Apostolis, quæ assertio tamen communiter sugillatur à Theologis tamquam temeraria.

Not. 1. quod tota differentia inter placita Theologorum circa possibilitatem communicandi potestatem instituendi Sacramenta consistit in declarando, in quonam consistit ratio essentialis Sacramenti, maximè loquendo de Sacramentis novæ legis, sit signi determinati impositio significantis perfectam animæ sanctitatem, & quod tali signo annexa sit infallibilis certitudo de significato ponendo: hanc certitudinem volunt Scotistæ dependere solùm à Deo immediatè: Alii dicunt sufficere ut

ut dependeat à Deo ex primaria auctoritate, non verò delegata, & secundaria, hancque sufficere ad institutionem veram Sacramenti: sic Lugus *dist.7. sect.2. num.24.* Mastrius verò sustinet, quod de ratione institutionis sit determinare signum, & simul quod significatio sit ad certam, & efficacem collationem gratiæ significatæ, quod non potest fieri nisi per determinationem divinæ voluntatis ad assistendum signo producendo effectum signatum, & ob id soli Deo competat: sed tamen non per id tollitur possibilitas communicabilis homini de instituendo Sacramenta, nam, ut rectè notat Lugus, aliud est Deum delegare potestatem applicandi efficaciam determinatam à Deo signo, quod homo designaverit, sic enim non esset instituere Sacramentum, aliud est dare potestatem delegatam homini, ut ipse faciat signum illud efficax, non quidem primaria potestate, hæc enim solùm residet in Deo, sed secundaria, & delegata qualis creditur fuisse in Christo ut homine ad instituenda Sacramenta, quod ut meliùs intelligatur.

24 Not. 2. quod Seraph. *l. 4. d. 5. a. 3. q. 1.* sex potestates circa Sacramenta efficienda distinguit. 1. est auctoritatis, qua Deus à se ipso, non aliunde habet potestatem sanctificandi: & hæc solius Dei est. 2. est cooperationis, qua homo, accepta à Deo potestate, cooperatetur ad sanctificandum. 3. est excellentiæ, ut secundùm abundantiorem gratiam, quæ esset in baptizante, majorem gratiam conferret baptizatis. 4. dicitur invocationis, ut in nomine. v g Pauli concederetur baptizari, sicut baptizantur in nomine Filii Dei. 5. est institutionis, an scilicet Spiritus sanctus posset dare aliis potestatem instituendi Sacramenta, quæ potestas est propriè ministerialis, hasque quatuor potestates D. Thom. *q.64.* includit in potestate excellentiæ, quæ propriissimè convenit soli Christo Deo homini: quippe qui cooperatur sanctificationi, ut causa meritoria, dat Sacramentis virtutem, & consecrationem, atque ea instituit, quæ excellentia etiam vocatur auctoritatis, non absolutè, sed in comparatione ad ministros: sic D. Thom. *cit. art.1. & 4. ad 2.* subdit S. Bon. *in corp.* primam auctoritatem Deus dare non potuit, nec dedit, ultimam, scilicet ministerialem, dare potuit, & dedit, de omnibus intermediis dicunt magistri, quod dare potuit, sed non dedit: secundam enim, & tertiam, non dedit, ne spes in homine poneretur: quartam verò, & quintam non dedit, ne tot essent baptismi, quot baptistæ, quia numeratur baptismus, & denominatur ab eo cujus nomine fit, & ab eo, qui instituit, &c. De potestate autem cooperationis dicendum, quod si sumitur cooperatio per modum efficientis, non potuit Deus dare creaturæ ob ipsius incapacitatem; sed tantùm per modum dispositivum, & meritorium, sicut habuit Christus super omnes homines, nam cæteris dedit posse impetrare gratiam extra Sacramentum per actum interiorem, in Sacramento autem dedit ministerialem potestatem, ut supra dictum est: Hæc S. Bon. *cit. & q. seq.*

25 Not. 3. quod difficultas nostra potissima est in ostendendo, quàm immeritò plures Theologi oblatrant contra D. Bon. quasi negaverit à Christo fuisse immediatè instituta aliqua Sacramenta, sed tantùm mediatè; in hunc autem errorem labuntur, eò quòd non legerunt scripta S. Doct. Verum quidem est, quod *l.4. d.7. q.1.* videtur asserere à Christo non fuisse institutam Confirmationem, quodque asserit sano modo, & catholico, & vero, nam agendo de institutione hujus Sacramenti duas opiniones affert: prima asserit institutam fuisse à Christo formam ipsius, & traditam Apostolis, ipsum tamen ipsa non usum fuisse, sed sola impositione manuum pueros confirmasse; altera est probabilior, quæ asserit Christum non instituisse, nec dispensasse hoc Sacramentum, quia Spiritus sanctus debebat dari post Ascensionem, unde confirmati Apostoli sunt sine Sacramento, & ideo ipsi alios sine verbo confirmabant (extra Sacramentum intellige) sed post Apostolos Spiritus sanctus instituit hujus Sacramenti formam, qui etiam virtutem sanctificandi dedit: Hæc S. Bonaventura, contra quem clamant Doctores ipsum non intelligentes, nec conferentes dicta dictis: nam alibi potentissimè docet, Christum immediatè instituisse omnia septem Sacramenta, ut videre est *in Brevil. p.6. c.2. & l.4. d.17. p.2 q.3 & d.22. p.2. q.3. & d.23. a.1. q.3. & ap. q 2.* sed quia videtur S. Doct. sibi contradicere: Hinc.

Not. 4. cum P. Gaud. Sacramenta esse leges quasdam præcipientes ritus aliquos Ecclesiasticos: apud legistas verò tunc leges instituuntur, quando promulgantur, non quando statuuntur à legislatore, sic apud Gratianum *d.4. c.3. §. Leges*, & refert D. Thomas *p.2. q.90. a.4.* & ibi Medina, & alii: lex enim secundùm communiorem DD. sententiam apud Becanum, Castrum Palao, Caspensem, aliosque, est actus voluntatis imperantis supponentis actum intellectus dispositivè judicantis rectum, quod imperium appellant scholastici insinuationem, vel intimationem imperialem: quæ insinuatio, vel imperium non obligat, nisi ad praxim sit deductum per sufficientem promulgationem, ut docet Seraph. *l.4. d.3. p.2. art.3. q.2 fund.2. & in corp.* cum communi Theologorum, & Juristarum, & hinc est quod lex Evangelica, licèt à Christo vivente in terris fuerit insinuata, non tamen obligavit, nisi post sufficientem promulgationem, & tunc dicitur instituta: & per hoc patet quo sensu, & fundamento dixerit Sacramenta à Christo insinuata Apostolis, & Ecclesiæ, sed postea post descensum Spiritus sancti super Apostolos instituta, idest promulgata, ut ejus observantia obligaret: quare fundatissimè locutus est, & Catholicè.

Concl. 1. Omnia septem Sacramenta fuerunt instituta immediatè à Christo: Est communis Theologorum cum Seraph. Doct. præcipuè *in Brevil. & Comp. Theolog. cit.* estque determinatum in Concil. Trid. *sess.7. can.10.* ubi excommunicationem fulminat contra negantes, instituta fuisse à Christo: verum quidem est, quod Concilium non explicat, an fuerint instituta immediatè, an mediatè: sed tamen consensus Theologorum omnium est, Concilium loqui de institutione immediata. Ratio autem hujus Conclusionis præcipua est, quia tota lex Evangelica à Christo est, ergo & Sacramenta, quæ sunt partes pertinentes ad legem Evangelicam: tum quia Christus solus est fundator Ecclesiæ, ergo & Sacramentorum, quæ sunt præcipua ipsius fundamenta: tum quia à Christo solo est virtus ipsorum Sacramentorum. 26

Objic. Causa principalis Sacramentorum est Deus, ergo non est Christus. R. causam principalem, & primariam esse Deum, sed Christus est Deus, ergo. Ut homo verò est causa minus principalis respectu divinitatis, respectu verò ministrorum applicantium, & conficientium ipsa Sacramenta est causa principalis meritoria, quia meruit, ut Deus ad applicationem Sacramentorum infallibiliter daret gratiam.

Concl. 2. Non implicat contradictionem Deum 27

dedisse homini puto, vel Angelo potestatem instituendi Sacramenta, sicut instituta sunt: Est S.Bon. supra cit. D. Thomæ, & communior, idem & asserit D. Aug. *tract. 5. in Ioan.* allatus à S. Bon. Prob. ex Seraph. quia ex potestate sibi delegata potest homo instituere signa efficacia, & certa ad gratiam conferendam cum dependentia à superna auctoritate, ergo & instituere Sacramenta. Prob. antecedens: potest Deus se solo decernere talem ordinationem signorum ad efficacitatem gratiæ, ergo & cum creatura: nulla enim implicantia potest afferri, nisi in dependentia requisita in suprema auctoritate, sed hæc, data institutione humana, recognoscitur etiam in suo auctore gratiæ, & potestatis: & ratio est quia potestas delegata, est potestas delegantis; ergo si potest Deus se ipso tribuere efficaciam signis, poterit & cum creatura, & media creatura. Confirmatur, quia instituere abstrahit à primario, & secundario instituente, sicut ratio causandi; instituere enim est primò statuere sive dependenter, sive independenter: at in nostro casu homo instituerer Sacramenta dependenter à divina potestate sibi delegata.

Objic. cum Mastrio: Deus solus est auctor gratiæ, ergo & Sacramentorum. Prob. consequentia, quia dare efficaciam signis ad producendam gratiam est ipsis assistere ad producendam gratiam, ergo id soli Deo competit. R. conced. antecedens, & nego conseq. ad probationem. R. verum esse antecedens quoad potestatem primariam, non verò quoad secundariam; nam illa efficacia consistit, ut ait S.Bonaventura, in ordinatione efficaci ad gratiam, quam potest collocare Deus in potestate hominis dependenter ab ipso, nec id est producere gratiam, sed ordinare signa ad gratiam, qua distinctione corruunt omnes objectiones in contrarium.

Concl. 3. Potestas ministerialis de potentia ordinaria soli homini convenit, non Angelo, nec animæ separatæ: secus est de potentia absoluta: Est communis omnium Theologorum, & contra Calvinum, putantem Angelos bonos, & malos in corporibus assumptis posse ministrare Sacramenta, & contra Lutherum volentem solos homines posse quidem ministrare: sed tamen hanc potestatem omnium Sacramentorum competere indiscriminatim omnibus Christianis: sed nostra Conclusio est de fide, scilicet potestatem hanc competere solis hominibus, sed tamen non omnibus in ordine ad omnia Sacramenta.

Prima pars explicatur à Seraph. *in Brevil. p. 6. c. 5.* tali modo: quia reparativum principium nostrum, verbum scilicet incarnatum in quantum Deus, & homo Sacramenta instituit ad salutem hominum, ordinavit sicut & congruum fuit, ut hominibus dispensarentur per ministerium hominum; & hoc secundùm conformitatem dispensatoris ad Salvatorem Christum, & ad ipsum hominem salvandum: Ut ergo Salvator humanum genus salvaret, secundùm quod exigebat æquitas juris, dignitas ordinis, & securitas salutis: ordinavit salutem nostram ordine recto, ordinato, & certo: hinc est quod secundùm horum trium exigentiam Sacramenta commisit hominibus dispensanda: Primò igitur, quia rectitudo juris exigit, ut opera hominis, ut homo est, non fiant præcipitanter, & opera hominis ut ministri salutis aliquo modo referantur ad salutem vel in generali, vel in speciali, & dispensatio Sacramenti est opus hominis ut rationalis necesse est quod fiat ex intentione vel Christi, vel Ecclesiæ, quæ sic accepit à Christo Sacramenta ad fidelium salutem sic dispensanda: Post æquitatem juris, succedit ordo talis dispensationis: ordo autem dignitatis exigit, ut majora majoribus, minora minoribus, & media mediis committantur: Hinc quædam sunt Sacramenta, quæ præcipuè respiciunt excellentiam virtutis, sivè dignitatis, ut Sacramentum Confirmationis, & Ordinis: quædam quæ respiciunt indigentiam necessitatis, ut baptismus, & matrimonium, quorum unum generat, regenerat alterum ad existentiam debitam; quædam autem media, ut Eucharistia, Pænitentia, & Extrema Unctio: hinc est quod prima tamquam suprema non possunt dispensari nisi à supremis, scilicet ab Episcopis, & Pontificibus quantum est de jure communi: alia verò tamquam infima dispensari possunt à quibuscunque ordinibus, & personis inferioribus maximè in articulo necessitatis, quod dico ratione baptismi: media verò à solis Sacerdotibus, qui sunt medio modo constituti inter Episcopos, & personas inferiores. Tertiò quia securitas salutis exigit, ut res sic fiat, ut in dubium non cadat, & nullus est qui certus sit de bonitate, & credulitate dispensatoris, & idem ipse non est certus de se utrum odio, vel amore dignus sit, ideo si Sacramenta dispensari possent solùm à bonis nullus esset certus de susceptione Sacramenti, & sic oporteret semper iterari & sic malitia unius præjudicaret alienæ saluti: nulla etiam esset stabilitas in gradibus Hierarchiæ militantis Ecclesiæ, quæ maximè consistit in dispensatione Sacramentorum, & ideo congruum fuit ut Sacramentorum dispensatio committeretur homini, non ratione sanctitatis, quæ variatur secundùm voluntatem, sed ratione auctoritatis, quæ semper manet, quantum est de se, & per hoc oportuit ut se extenderet ad bonos, & malos, ad eos qui sunt intra, & ad eos qui sunt extra Ecclesiam: verùm quia extra unitatem fidei, & charitatis, quæ facit nos membra Ecclesiæ, & salvos, nullus potest salvari, ideo si Sacramenta extra recipiantur, non ad salutem recipiuntur, quamvis sint vera Sacramenta, sed utilia possunt fieri, si quis redeat ad sanctam Matrem Ecclesiam unicam sponsam Christi, cujus filios tantùm Christus sponsus reputat dignos hæreditate æterna: Hæc S. Bon. pro prima parte Conclusionis.

Secunda pars patet: quia nulla implicantia potest adferri, quin Christus potuerit instituere, ut dispensarentur ab Angelis, vel etiam à Dæmone: Ex quibus sequitur. Primò, quod baptismus collatus ab hæretico, etiamsi non credat in Christum, & talem baptismum nihil valere, dummodò habeat intentionem faciendi illud opus prout Christus intendit, vel Ecclesia, validus est: ratio est (ait S.Bon. *l. 4. d. 5. a. 1. q. 2. & a. 2. q. 1. & 2.*) quia tale opus non pendet à dispensante, sed à Christo instituente: pensatur enim secundùm meritum Christi instituentis, ideo semper est efficax, quia habet virtutem non à ministro, sed à Christo. *Vid. S. Bon. ibid.* Secundò, quod hæreticus sacerdos si ad Episcopatum ab Episcopo ordinetur verè recipit potestatem Episcopalem, &c. ut supra probatum est.

Quæres, quid est hæc ministerialis potestas dis- 30
pensantium Sacramenta? Resp. quod duobus modis potest intelligi aliquod negotium fieri per nuntium, vel ministrum, primo quando legatus, seu minister tantùm est nuncius referens alterius voluntatem: secundo, quando potestas datur homini Ministro, ut ipse vice alterius, suo tamen judicio, & arbitrio negotium tractet, & perficiat: primo modo non requiritur voluntas, seu intentio internuncii, sed solùm quasi materialiter concurrit, referens

alterius

alterius voluntatem; at verò secundo modo tunc voluntas ministri necessaria est, ut si Rex committit judici judicium alicujus causæ, necesse est, ut talis judex humano modo, & per propriam voluntatem utatur tali potestate: ministri autem Sacramentorum non sunt prioris generis, sed posterioris: unde habent ministerialem potestatem non nudam, sed aliquo modo auctoritativam concurrentem ad effectum Sacramentorum: Unde S. Paulus 1. Cor. *c.*4. vocat ministros dispensatores mysteriorum Dei: sed dispensator propriè est ille, cujus potestati,& arbitrio committitur aliquarum rerum distributio,quam necesse est fieri modo humano], atque adeo cum voluntate dispesandi res tali potestati commissas, ergo & tali modo est dispensatio ministerialis Sacramentorum; sic enim data est potestas ministris à Christo: Quorum remiseritis peccata, &c. hoc facite in meam commemorationem, baptizate eos, &c. quo pacto consecratio, absolutio, & confectio Sacramentorum appellantur actiones ministrorum propriæ, & ipsi dicuntur consecrare, remittere peccata, &c. quæ doctrina est Seraph. Doct. *in Brevil. & in lib.4.d.5 per totum,* & quam fusè tradit Suar. *d.*13. *sect.*2.

QUÆSTIO VI.

An requiratur in ministris Sacramentorum intentio, & qualis.

30 PRimò notandum, duplicem quæstionem hic proponi: & primo nomine intentionis hoc loco solùm intelligimus voluntatem faciendi Sacramentum,& quocumque fine, vel ratione procedat, quia omnis alius finis extrinsecus est impertinens ad Sacramenti virtutem, solùm ergo hoc objectum scilicet Sacramentum perficiendum consideratur in præsenti tamquam finis, ad quem aliæ actiones ordinantur; & ideo voluntas illius objectiva perficiendi vocatur intentio de cujus necessitate est prima quæstio: Et quia triplex potest esse intentio circa hoc objectum, & actionem Sacramentalem,nempè externa,& materialis, qua minister intendit proferre verba,& facere actionem externam absque ulteriori intentione: alia est formalis implicita faciendi in confuso quod facit Ecclesia:& tertia est formalis explicita conferendi effectum Sacramenti: quæritur qualis ex istis requiratur; in quo Lutherus ait sufficere primam, quatenus illa actio excitat fidem: Catholici verò aliter sentiunt,ut patebit. Secunda quæstio est circa qualitatem intentionis formalis, sive explicitæ,sive implicitæ, an illa intentio formalis debeat esse actualis,an virtualis,an habitualis,an interpretativa, seu remota,& in causa tantùm: rursus an absoluta,an sufficiat conditionata: rursus an debeat esse vera ex vera cognitione orta,an sufficiat falsa ex errore procedens; rursus an debeat esse honesta, an sufficiat etiam turpis: quæ omnia in hac quæstione explicabuntur in sequentibus Conclusionibus.

Not.2. Quod licèt ex Concil. Florent. & communi sensu Theologorum essentialiter ad valorem Sacramenti requiratur intentio in ministro, hæc tamen non ingreditur tamquam pars essentialis Sacramenti, hoc enim, solùm constat ex materia & forma essentialiter, quicquid dicat Lugus *disp.*2. *sect.*7. sed se tenet ex parte causæ efficientis tamquam conditio simpliciter necessaria, qua doctrina communi supposita, cum in Sacramento sint duo consideranda, nempè entitas realis sensibilis actionum, & formalis ratio Sacramenti circa substantiam intentionis: quæritur an sufficiat intentio faciendi illam actionem externam eo ritu quo ab Ecclesia præscribitur, an ultra hoc requiratur intentio faciendi quod facit Ecclesia,intendatque saltem in confuso, & implicitè aut id quod jussit Christus, aut faciendi Sacramentum: In qua sententia hæretici negant requiri intentionem de formali ipsa ratione Sacramenti,sed sufficit, ut fiat illa actio externa cum quacumque intentione,etiam animo jocandi; Catherinus opusc.de intentione ministri ait sufficere intentionem exercendi actiones illas reales sine alia intentione de formali ratione Sacramenti: Alii Theologi,ut Paludan.Silv. Gerib.Pasqual. Pallavicin. aliique putant verè confici Sacramentum, etiamsi minister intendat non conficere, dummodò intendat facere, & faciat illum actum exteriorem juxta ritum Ecclesiæ, quia eo ipso fit, quod intendit Ecclesia, quare juxta hos Doctores nequit fieri ex joco, vel contemptu externè, quia tali modo non esset juxta ritum Ecclesiæ: & in hoc discrepant ab hæreticis,qui volunt confici Sacramentum quocunque modo, & quacunque intentione fiant illæ actiones externæ.

Communis opinio Theologorum Catholicorum est ad valorem Sacramenti non sufficere intentionem primi generis, scilicet faciendi illud opus externum ritè, & rectè, ut dicit prima opinio Paludani, Silvestri, &c. sed requiri intentionem etiam de formali conficiendi Sacramentum formaliter, sive de exercendis actibus externis, quatenus sunt Sacramentales: sic D. Thom. D. Bon. Scotus, & communiter cæteri.

Not.3. ut diximus,intentionem sive implicitam, 31 sive explicitam quadruplicem esse, scilicet vel actualem,vel virtualem, vel habitualem, vel interpretativam,ideo explicandæ: Intentio actualis est, quæ actu fertur in finem (loquimur enim de intentione hominis ut homo est, & rationalis)estque actus voluntatis ut elicientis, & liberè ordinantis, & moventis in finem, & à ratione directus, & involuit etiam actum intellectus attendentis id quod facit: sic S.Bon. *op. de 7. itiner. æternit. itin.* 1. *d.*2. *& l.*2.*d* 38.*a.*2 *per totum,&c.* & hæc est perfectissima; sicque est actualis,quando minister actu conficiens Sacramentum intendit facere, quod fecit Christus, vel Ecclesia. Intentio virtualis est,quando propter distractionem minister non intendit actu facere quod fecit Christus,sed antea intendit; sed tamen virtute illius actus, & intentionis operatur etiamsi de illa re tunc cum operetur, non cogitet, ideo dicitur virtualis, quia virtute præcedentis actualis agit: quomodo autem hæc virtualis intentio, & quando maneat,est maxima controversia inter Doctores: Communis tamen, & secura est, quod ad destruendam ipsam requiratur actus contrarius positivus etiamsi multum tempus intercedat: de quo vide Gaud. hic *q.*6. Mastrium *n.*277. Valentiam, &c. Intentio habitualis est quædam promptitudo,qua Sacerdos v.g. est expeditus ad baptizandum, vel faciendum aliquem actum ex usu, vel humana assuetudine: Notandum tamen hîc, quod D.Thomas, & D Bon. appellant aliquando intentionem virtualem habitualem, sic enim non sumunt habitualem in toto rigore, sed quatenus per ipsam exercetur actio liberè, & determinatè, quod non habet habitualis,quæ etiam in dormiente, vel somniante remanet. Interpretativa intentio in causa est, quæ manet in causa tantùm, non in

actuali libero exercitio, qualis est ejus, qui se inebriat, ne adeat Ecclesiam ad audiendum sacrum, dicitur indirectè interpretativè velle illam omissionem, dum est ebrius: Notat autem hîc Mastrius n.282 intentionem interpretativam esse duplicem: aliam directam, scilicet quando actualis intentio, quæ præcessit, habet pro objecto effectum ipsum prius cognitum; indirectam verò quando intentio actualis præcedens non habet pro objecto ipsum effectum, sed causam ejus: prima coincidit cum virtuali: secunda differt.

32 Concl. 1. Ad validè conficiendum Sacramentum requiritur in ministro intentio formalis saltem implicita faciendi quod fecit Christus, vel intendit Ecclesia, vel fungendi suo officio, ita ut non est necessaria intentio in ordine ad effectum v.g. delendi peccatum originale, vel conferendi gratiam: nec sufficit sola intentio faciendi illam actionem externam solam materialiter absque ulteriori intentione. Est Seraph. D. d.6.p.2.a.2.q.1. & communior. Pr. 1. à Seraph. ex institutione Christi: quia Christus instituit Sacramenta creans homines suos ministros instrumenta rationalia, ut ea rationabiliter dispensent hominibus, ergo ex vi illius institutionis est intentio ministri talis ad conficiendum Sacramentum: Antecedens patet ex verbis institutionis Pœnitentiæ: Quorum remiseritis, &c. & de Eucharistia. Hoc facite in meam commemorationem, idem & de baptismo: Baptizantes eos in nomine, &c. Probatur consequentia, quia illa potestas data est hominum, ut homo est, ergo ut utatur illa humano modo, & actibus humanis rationalibus, ergo necessaria est intentio faciendi quod Christus instituit, ut operetur, ut minister Christi. Prob. 2. à S.Bon. quia Sacramenta sunt aliquæ cerimoniæ sacræ determinatæ ad Dei cultum, & actus religionis exercendos, & ob id debent esse determinatæ, ut ad alium usum non pertrahantur, sed sine intentione Sacramenti possunt ad alios usus trahi, ut baptismus ad ablutionem corporis, ergo ut determinentur ad actum religionis, debent à ratione, & intentione determinari; & ob id dicuntur constare ex materia, & forma, & intentione; sed intentio sæpè non potest esse ex parte suscipientis, ut in infante: & propterea Ecclesia ita institutionem Christi definivit in Concil. Florent. sess. 7. can. 11. sed intentio ista requisita non respicit solum actum externum, sed illum actum humanum prout est religionis: quia actus externus potest exerceri joco, & contemptu, ergo.

Respondent Authores primæ opinionis Concilium damnasse errores hæreticorum, qui nec externam apparentiam intentionis requiri dicebant, volentes valere Sacramentum, quamvis minister ostenderet, & diceret se non seriò, sed delusoriè agere, sed minister exercendo actionem exteriorem graviter, & absque joco externo facit, quod intendit Ecclesia, non tamen ille, qui proferret verba cum irrisione, & joco, tunc enim non faceret, aut vellet facere, quod facit Ecclesia. Quæ responsio non subsistit, nec probat intentum Concilii fuisse non requiri intentionem internam, sed solùm quod acto externa fiat seriò, quia hoc est, quod exterius facit Ecclesia: patet enim ex verbis Concilii, requiri intentionem internam faciendi quod facit Ecclesia, sic determinavit expressè Concil. Florent. & iisdem verbis Concil. Trid sess. 7. c. 11. nec talis responsio subsistit, vel est vera; nam ut rectè Mastrius notat: si quis puerum moribundum baptizaret prolata secreto forma, & abluendo exterius puerum, simulando se illum ob aliu m finem lavare, valet baptismus: vel si quis fingeret se jocosè proferre verba, & haberet intentionem baptizandi, verè baptizaret: quod stante supradicta responsione, & sensu opinionis adversæ, non potest dici, cum exteriùs fieret actio non seria, sed jocosa: quod & notavit Seraph. D. d.5. a.1.q.2. ad 2. & d.6. a.2. q.1. ad 3.

Objic. 1 Lutherus: Verbum Dei quacunque proferatur intentione excitat fidem, & justificat, sic enim Apostolus ad Phil. c. 1. gaudet prædicari verbum, quacunque intentione prædicetur; ergo & in Sacramento, etiamsi joco proferantur verba, erit justificatio. R. ex doctrina Seraph. & communi Theologorum, quod verbum Dei aliud est concionatorium, aliud consecratorium, & hoc tantùm conficit Sacramentum, sed prolatum cum intentione dicta. 33

Objic. 2. Si quis intendat verè baptizare, sed proferat verba ex joco saltem exteriùs, tunc recedit ab intentione Ecclesiæ, ergo substantia Sacramenti stat in intentione exterioris actus. R. S. Bon. cit. quòd licèt baptizans ostendens se proferre jocosè verba, videatur discedere ab intentione Ecclesiæ, quia vult ut omnia fiant seriò, tamen quia talis jocositas non cadit super rem, & objectum, sed tantùm super finem, & tunc jocus non est finis, nisi extrinsecus, & extraneus, nec tollit bonitatem operi, & objecto, sic negatur consequentia, ut notat S. Bon. l.4. d.5. a.1.q.2. ad 3. Cajetan. Caspens. aliique communiter: sicque patet quod baptismus factus à D. Athanasio, dum esset parvulus ex joco fuit verus: sic & baptismus receptus à Gennesio Comico in scena, ut advertunt Doctores apud Gaudentium.

Objic. 3. D. Augustinum asserere, quod, accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum, nec ullam facit mentionem de intentione: Et confirmatur, quia solùm res, & verbum sunt signa gratiæ, & partes essentiales Sacramenti, ergo intentio est quid extraneum. Resp. S.Bon. quod non accedit unum ad alterum sine intentione, nam intentio licèt non sit pars essentialis Sacramenti, est tamen conditio essentialis, sine qua non, sicut est unio in composito physico: voluit autem Deus, ut ministet ad Sacramentum concurreret ut causa secundaria ministerialis, ut supra dictum est.

Objic. 4 Ad baptismum concurrit fides, cum sit Sacramentum fidei, sed fides Ecclesiæ sufficit cum baptizans est infidelis, ergo & intentio Ecclesiæ sufficiet superaddita actui exteriori, ergo non est necessaria intentio baptizantis. R. S. Bon quòd fides Ecclesiæ est sicut agens universale, intentio verò est agens particulare applicans fidem ad hoc, vel ad illud, & ideo fides salvatur in generalitate Ecclesiæ, sed intentio est necessaria, qua copulatur actus ille fidei Ecclesiæ tamquam actus particularis, & actualis in ministrante: sicque virtus Sacramenti est à fide Ecclesiæ, sed dispensatio est ab actione ministri: & quia ministratio respicit intentionem dantis, ut dispensetur modo humano, ideo non sic requirit fidem in dispensante, ut intentio.

Objic. 5. Baptismus ita respicit recipientem, sicut dantem, sed non est necessaria intentio in recipiente, ut patet in infantibus, & furiosis, ergo nec in ministro dispensante. Resp. S. Bon. distinguendo de infante, & de adulto recipiente baptismum: In adulto requiritur intentio recipiendi, qua deficiente, non est verum baptisma: unde fictio cadens super objectum, ut supra dictum est, impedit veritatem Sacramenti, non verò si cadit supra finem extrinsecum: In infante, cum sit Sacramentum necessitatis medii, sufficit intentio Ecclesiæ, ejusque fides: cum autem minister sit homo adultus, & rationis capax exigit intentionem Ecclesiæ.

Objic. 6.

Objic. 6. Deus approbat intentionem Ministrorum in actibus spiritualibus, etiamsi aliud intendant, ut v. g. tentari homines à diabolo ad malum finem, & Deus hanc tentationem approbat ad salutem hominis: & in operibus corporalibus quis percutiens vulnere lethali, etsi non intendat occidere, tamen homicidium facit; ergo, etsi minister aliud intendat baptizando, verè baptizabit. R. S. Bon neg. paritatem, nam illa opera sunt de se ordinata ad illum finem, scilicet percussio ad homicidium, tentatio ad probationem, sed ablutio, & invocatio Trinitatis de se non est ordinata ad baptismum absque intentione: potest enim quis sic ablui ad mundationem corporis. Unde intentio est veluti forma, vel se tenens ex parte formæ dans in ordine ad efficientem esse sacramentale actioni, quæ de se est indifferens ad multa.

Dices, ergo salus nostra pendet ab intentione mali ministri: nec aliquis esset certus de sua salute, unde oporteret ipsum rebaptizare, cum non sit certus de intentione, quod argumentum est Catherini. R. S. Bon. Deum nullam injuriam facere cum tali institutione, quia Sacramenta, & alia media instituit modo proportionato, idest humano, ut possint deficere: sic enim finit ut puer moriatur sine baptismo deficiente aqua, vel persona nesciente, vel nolente baptizare, & quidem justè, nam rei sumus omnes damnationis, à qua si liberemur est misericordiæ, & gratiæ adscribendum, quod & explicatum est in tract. de providentia Dei; unde non oportet rebaptizari, quia fecit homo, quod in se est, nisi adsint signa probabilia de defectu intentionis. An autem deficiente intentione Ministri sit verè baptizatus: aliqui respondent affirmativè, tunc enim Deus supplet, non verò Ecclesia: sed probabilius dicendum non esse verè baptizatum: Pium tamen est credere, quod in parvulo Deus suppleat hunc defectum ad effectum gratiæ, non verò characteris; sic etiam docet Alensis *q.* 13. & D. Thom. & si non, justè id facit, noſque voluit incertos de salute ad deponendam superbiam, & excitandam diligentiam, ut à probioribus requiramus remedia salutis: si autem homo est adultus tunc fides interior supplet ad salutem. Vide Mastrium *n* 271. qui docet ex nulla parte in his duobus dictis adesse fundamenta certa: ideo totum remittendum est divinæ providentiæ.

34 Concl. 2. Ad substantiam Sacramenti non est necessaria intentio recta, sed tantùm ad congruitatem: Est S. Bon. *d.* 6. *a.* 1 *q.* 2. & communis, & sequitur ex supra traditis: nam dummodo minister habeat intentionem faciendi, quod fecit Christus, vel Ecclesia, etiamsi ejus intentio sit ab aliquo fine extrinseco desumpta, verè ministrat Sacramentum; ut si quis audiat peccata mulieris, ut ad turpia pelliciat, & bona intentione absolvat, &c. idem est in aliis Sacramentis, quia talis intentio non habet rectum, & obliquum, &c. &c. Ratio est, quia, ut notat S. Bon. supra cit. obliquitas, & malitia non cadit super objectum, & opus, sed tantùm super finem extrinsecum.

Objic. 1. Ad baptizandum requiritur intentio, ergo & ad rectè baptizandum recta intentio. Resp. S. Bon. quod duplex est intentio, sicut duplex finis: alia est essentialis in ordine ad opus, & objectum, sicut finis intrinsecus, & essentialis operis: alia est ad benè esse, & ad utilitatem: conceditur antecedens de prima intentione, & fine: negatur de secunda, quæ tantùm est ad benè esse, sic neg. conseq.

Contra: Melius est nihil intendere, quam malè aliquid facere; ergo si defectus intentionis non potest stare cum Sacramento, multò minùs obliqua, & mala. R. Seraph. verum esse antecedens quo ad bene esse, non quo ad intentionem essentialem, quæ non impeditur ob culpam, ne faciat Sacramentum. Contra: opera denominatur ab intentione; ergo à mala intentione denominabitur Sacramentum malum, vel malè, & nulliter factum. R. ut supra, opera denominantur dupliciter ab intentione, vel quo ad essentialitatem, vel quo ad bene esse, &c. Ex qua doctrina sequitur, quod baptismus hæreticorum est verus, licèt intendant baptizare eo modo quo v. g. Ecclesia Genevensis baptizat, non credentes dari Ecclesiam aliam veram; ratio est quia sufficit intentio essentialis, vel in generali, vel in speciali, vel in se, vel in annexo, vel propter se, vel propter aliud, ut docet S. Doct. *cit. q.* 2. *ad ult.* Unde faciendo v. g. id quod Ecclesia Genevensis facit baptizando, hoc est intendere virtualiter, quod Christus fecit, vel jussit fieri: sic conficiunt non secundum quod discrepant, sed secundùm quod nobiscum conveniunt in Christo, qui est author Sacramentorum. Vide Casp. *d.* 5. *sect.* 6.

Dices cum Pontio: Hæreticus habet voluntatem absolutam faciendi, quod facit Ecclesia sua falsa, ergo talis intentio excludit vel formaliter, & expressè, vel virtualiter Ecclesiam Romanam, ergo nihil facit. R. hoc maximè obstare: nam ejus intentio est facere quod facit vera Ecclesia Christi, quam credit esse suam: unde talis intentio est solùm materialiter contraria Ecclesiæ veræ.

Concl. 3. Intentio habitualis non sufficit, nec interpretativa, nec est necessaria actualis; sed tantùm virtualis ad conficiendum Sacramentum, est Seraph. Doct. cum communi Theologorum. Prima pars patet ex supra traditis; quia intentio habitualis, vel habitus existens in ministro non est deliberatus, nec influit moraliter in actum, nec est vera, & moralis intentio, quia potest esse in dormiente, & ebrio. Secunda pars etiam patet, quia intentio ministri debet esse rationalis, & humana secundùm institutionem Christi, sed talis non est interpretativa, quia potest esse in ebrio, ut dictum est supra: Tertia pars etiam patet, quia intentio actualis non est in potestate nostra semper, nec possumus, quin aliquando distrahamur: Addimus, quod est utilissima, & ad habendum eam debemus toto conatu, & diligentia uti: quarta pars sequitur ex dictis, & in hoc tota Ecclesia concurrit: hæc enim intentio sufficit ad quæcumque gravissima negotia, ad contractus, & ad merendum, &c. 35

Objic. 1. Sacramenta non habent vim operativam à ministro, sed à solo Christo, ergo nullo modo intentio ministri requiritur. R. S. Bon. non esse nobis quæstionem de effectu Sacramentorum, qui omnimodè dependet à Christo, non à ministro: sed est quæstio de esse, & confectione Sacramenti, & de exigentia illius actus, quæ dependet ab intentione ministri, cui data est potestas ministerialis à Christo dependenter à sua intentione tanquam forma ipsius actionis determinante eam: unde si quis baptizaret vera intentione, animo tamen non conferendi gratiam, esset verus baptismus.

Objic. 2. Intentio virtualis non sufficit: & probatur, quia virtualis intentio nihil aliud est, quàm actus præteritus, sed quod est præteritum non potest producere gratiam præsentem; quod enim non

est in actu, nihil potest operari; ergo ad effectum Sacramenti non sufficit intentio virtualis. R. neg. antecced. Ad probationem distinguo minorem, quod est præteritum non potest influere in præsens, nec producere gratiam physicè, concedo, & de causa physica verificatur illa maxima: moraliter nego, sic etiam Passio Christi, antequam physicè esset fuit principium gratiarum in veteri lege; sic & intentio virtualis moraliter perseverat: nam ex vi actualis incipit homo applicare se ad Sacramentum, vel ad Sacramenti præparationem.

36 Concl. 4. Intentio necessaria ad Sacramentum debet esse absoluta, nisi conditio transeat in absolutam: non autem si conditio sit de futuro; sic S. Bon. cum cæteris Theologis. Prima pars patet, quia si conditio sit de præterito, tunc transit in absolutam, v. g. si non es baptizatus, ego te baptizo; si es capax absolutionis, ego te absolvo: si conditio est de futuro, ut absolvo te, si restitueris, tunc non conficitur Sacramentum, quia conditio non est implicita: nec postea impleta conditione conficietur Sacramentum, cum non extet ampliùs materia, & forma: hæc conclusio tamen ingerit controversiam circa Sacramentum Matrimonii: de quo vide Sanchez, Bassæum, aliosque summistas.

Q. *An requiratur fides in Ministro?* R. Quoad Baptismum, antiquitus fuisse valdè controversum: Divusque Cyprianus tenuit parvulos baptizatos ab hæreticis rebaptizandos esse, in quo non fuit hæreticus, cum non adhuc determinatum esset ab Ecclesia, ut notat, & defendit ipsum S. Cyprianum Seraph. Doct. *d.* 6. *p.* 1. *dub.* 4. sed nunc determinatum est de fide non requiri fidem ad valorem Sacramenti Baptismi in Concil. Carthagin. & Nicæno: Ratio est, quia Baptismus tribuitur in nomine Christi; nec contra hoc facit ille textus Malach. 2. Maledicam benedictionibus nostris, quia Sacramenta non sunt benedictiones ministrorum, sed Christi, & Ministri mundant in virtute Christi: Addimus tamen in aliis Sacramentis requiri fidem, supponunt enim baptismum, & fidem in Baptismo receptam.

Q. 2. *An requiratur probitas in Ministro?* Resp. S. Bon. *l.* 4. *d.* 5. *a.* 2. *q.* 1. negativè: Ratio est quia cum duplex aliquod opus bonum dicatur: aliud dependens à virtute charitatis, & voluntate interna: aliud ab institutione divina: primum pensatur in ordine ad meritum secundùm qualitatem voluntatis: Aliud pensatur secundùm meritum, & dignitatem Christi instituentis: primum perdit bonitatem deficiente bonitate, & charitate in voluntate: secundum semper remanet efficax, & impollutum; nec potest aliquo modo vel meliorari, vel pollui: & talis est confectio Sacramentorum per malos ministros; dummodo adsit intentio faciendi quod fecit Christus, vel facit Ecclesia. Vide S. Bonav. *ibidem q.* 1. *&* 2.

De effectibus Sacramentorum.

POst considerationem quidditatis, & causarum Sacramentorum veniunt expendendi effectus ipsorum, inter quos primum locum obtinet gratia, secundum locum character, & ultimo alii peculiares effectus ipsorum: Et quia gratia est multiplex scilicet habitualis, & actualis, & cum habituali consequantur habitus supernaturales, de hac multiplici gratia, à Sacramentis proveniente erit disputatio primo loco.

QVÆSTIO VII.

An Sacramenta novæ legis conferant gratiam habitualem, & quomodo? scilicet: an ex opere operato, an ex opere operantis.

IN hac quæstione nulla est controversia inter Catholicos Theologos, sed tantùm cum hæreticis: isti enim volunt, ut in superioribus dictum est, Sacramenta non producere gratiam efficienter, sed tantùm objectivè in ratione scilicet signi, excitando in nobis fidem passionis Christi, & mediante fide gratiam; sicut imagines rerum sacratum solent in nobis excitare devotionem: quæ positio est falsissima, & confutata à Bellarmino, aliisque Controversistis; nam si hoc verum esset, non deberent necessario accipi à quolibet: sufficeret enim, si viderentur illi, qui talia Sacramenta conferunt, vel suscipiunt, nam tali aspectu fides æqualiter excitari posset, ac si ea actualiter reciperent. Pro solutione igitur sententiæ Catholicæ, N. quòd secundùm omnes Theologos duplex est modus, quo gratia ordinariè obtinetur, nempe ex opere operantis, & ex opere operato: Sacramenta autem conferre gratiam ex opere operantis est illam causare intuitu boni operis interni cum receptione Sacramenti, cui debetur gratia, v. g. intuitu fidei, spei, devotionis, & charitatis suscipientis Sacramentum: Sacramentum autem conferre gratiam ex opere operato est eam causare in virtute ipsius operis externi, quod Deus instituit, & non intuitu meriti, & dispositionis, suscipientis Sacramentum; unde licèt fides, & devotio requiratur in suscipiente, nullam tamen efficaciam habent circa gratiam, sed sunt tantùm dispositiones prævia requisitæ non ex parte agentis, sed ex parte subjecti, scilicet non ut agens possit agere, sed ut subjectum possit recipere formam, v. g. ignis ex sua propria natura, & ratione, quasi ex opere operato, est calefactivus, sed, ut actu calefaciat, requiritur expulsio humiditatis, tanquam dispositio prævia ex parte subjecti, non verò ex parte agentis; sic S. Bon. *l.* 4. *d.* 1. *p.* 1. *q.* 5. His notatis, 37

Concl. 1. Sacramenta conferunt gratiam habitualem, & sanctificantem ex opere operato: Est communis omnium Catholicorum cum Seraph. D. *l.* 4. *d.* 1. *q.* 3. *& Brevil. p.* 6. *cap.* 1. *& Comp. Theol. l.* 6. *c.* 4. *& Centil. p.* 3. *sect.* 48. *& alibi sæpè:* Estque definitum in Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 6. *seq. & sess.* 6. *cap.* 7. & in Concil. Florent. Nicæno, Constantinop. aliisque. Pr. ex pluribus textibus sacræ Scripturæ ut Act. 2. de Baptismo, & *cap.* 8. de Confirmatione, & de Eucharistia Joan. *c.* 6. & de Pœnit. Joan. 20. de Matrimonio Ephes. *c.* 5. & de Ordine ad Thim. 2. *c.* 1. & de Extrema unctione Jacob. 5. Vide Suarez qui affert plures textus *disp.* 7. *sect.* 1. Pr. item rationibus à Seraph. *l.* 4. *d.* 1. *p.* 1. *q.* 4. *seq.* Primò, quia per hoc differunt Sacramenta novæ legis à veteribus, quod illa tantùm significabant gratiam (præter Circumcisionem) nostra etiam ipsam conferunt, & illa, si conferebant, id faciebant ex opere operantis, nostra ex opere operato: sic Seraph. *ibid. q.* 5. & ratio, quia nostra conferunt gratiam ex ordinatione, & pactione divina, ob idque ex opere operato. Pr. 2. si Sacramenta essent merum signum excitans ad fidem, & instruens, 38

struens, &c. sequeretur, quod falsò eis adscriberetur regeneratio, & sanctificatio à S. Scriptura, & à SS. Patribus, quia essent signa simplicia, ut circulus tabernæ: Consequens est falsum, &c. Pr. 3. Sacramenta sunt signa à Christo instituta, neque ab hominibus propria auctoritate potuerunt institui, ut suprà probatum est; ergo non sunt mera signa practica habentia vim aliquid connaturale faciendi: Antecedens est omnium, etiam hæreticorum: Consequentia patet, quia alioquin potuissent ab hominibus institui; sed sunt instituta à Deo, & usu data hominibus, & provenientia à Christi Passionis virtute ad delenda peccata nostra: ergo. Pr. 4. quia Sacramenta habent suos effectus etiam in incapacibus instructionis: ut patet in infantibus, ergo non sunt mera signa, sed efficacia ad productionem sanctificationis.

Objic. 1. si habent virtutem producendi gratiam, ista virtus vel est spiritualis, vel corporalis: neutrum potest dici; ergo. Non corporalis, quia talis virtus non potest agere in animam, nec spiritualis potest esse in subjecto corporeo, ergo, &c. R. neutram esse, cum non producant gratiam physicè, sed tantùm moraliter, ut infrà dicetur, & ad hoc respondent Thomistæ esse virtutem obedientialem, & supernaturalem elevatam à statu corporeo.

39 Q. 1. *An Sacramenta conferant habitus supernaturales?* R. producere habitus supernaturales, fidem, spem, charitatem, aliosque morales, præcipuè motivos, scilicet vel secundùm se, vel secundùm augmentum: estque determinatum in Concil. Trident. *sess. 6. c. 6.* sunt enim attributa, vel proprietates veluti connaturales debitæ gratiæ sanctificanti. Vide S. Bon. *l. 4. d. 1. p. 1. q. 6.* & clarius *d. 3. p. 2. a. 2. q. 2.* ubi notat, quod in parvulis infunduntur, ut suo tempore ablatis corporis impedimentis eis ad usum proficiant: in adultis verò reddunt potentias faciles, ipsas perficiendo per remotionem culpæ.

40 Q. 2. *An Sacramenta conferant gratias actuales?* R. quòd ultra gratiam habitualem, & habitus infusos conferunt etiam gratias actuales, quæ sacramentales dicuntur, suntque auxilia quædam actualia ad rectè fungendum suis muneribus, ad quæ destinantur per ipsa Sacramenta: unde Sacramenta habent duos effectus; unum communem, estque gratia sanctificans, & alium particularem nempe gratiam actualem, & sacramentalem: sic baptismus confert gratiam habitualem regenerativam, & ultra istam, gratiam excitantem, & adjuvantem, ut dignè suscipiamus alia sacramenta: Confirmatio ad profitendam fidem publicam, cum opus fuerit: Pœnitentia gratiam actualem ad vitanda peccata: Eucharistia ad nutriendam, & exercendam charitatem: Extrema Unctio ad vincendas tentationes pro articulo mortis: Ordo gratiam, qua ritè exerceatur actus ordinis: Matrimonium gratiam ad onera conjugii toleranda: quæ gratiæ actuales dantur tantùm, quando occasio se præbet vel malum vitandi, vel bonum faciendi, vel munus suum obeundi: sic communiter Theologi cum Seraph. *Op. Comp. Theol. l. 6. c. 3. & 4. & l. 4. d. 7. a. 2 q. 2. & d. 1. p. 1 q. 8.*

41 Q. 3. *An Sacramenta æqualiter dispositis inæqualem gratiam conferant?* R. 1. certum esse ex Concil. Trident. *sess. 6. c. 7.* magis dispositis majorem gratiam conferri, hoc enim spectat ad divinam providentiam, & justitiam distributivam. R. 2. diversis Sacramentis diversas gratias deberi; & hoc etiam verum est ex traditis. R. 3. Per idem Sacramentum, v. g. Baptismum æqualiter dispositis dari æqualem gratiam, & ratio in promptu est, quia eadem est virtus apud diversos recipientes, eadem dispositio præparans ad gratiam: ergo. Posset tamen Deus inæqualem gratiam conferre, nec ulla repugnantia potest adferri, cum id pendeat non à sola dispositione, sed magis à divina voluntate: sic infertur ex S. Bon. *l. 4. d. 4. p. 1. a. 1. q. 2.*

Q. 4. *An omnia Sacramenta habeant vim producendi primam gratiam, ex vi suæ institutionis?* R. 1. 42
cum communi aliqua Sacramenta habere ex vi suæ institutionis vim conferendi primam gratiam, suntque Sacramenta mortuorum, nempe Baptismus, & Pœnitentia: alia verò nequaquam, suntque Sacramenta vivorum, nempe cætera quinque, quorum vis ex sua institutione est augere gratiam, quam ante ipsorum susceptionem supponunt in recipiente. R. 2. quòd potest accidere Sacramenta mortuorum, scilicet Baptismi, & Pœnitentiæ, non conferre primam gratiam, sed tantùm augmentum, ut si quis baptizetur, vel confiteatur existens prius in gratia virtute perfectæ contritionis præelicitæ: Ex alia parte quod Sacramenta vivorum conferant primam gratiam, & hoc per accidens, & indirectè: ut si quis bona fide accedat ad ipsa Sacramenta existens in peccato mortali oblito, vel inadvertenter transacto, & eliciat actum attritionis, vel attritio sit tantùm putativa in confessione præmissa communioni, vel alteri Sacramento: tunc enim tale Sacramentum conferet primam gratiam: Ratio est quam Concilium Tridentinum assignat, quia omnia Sacramenta novæ legis habent virtutem conferendi gratiam sanctificantem obicem non ponentibus: sic communiter Theologi, & summistæ contra Vasquez, aliquosque id negantes specialiter de Eucharistia.

Dices: His Sacramentis vivorum si competit conferre primam gratiam aliquando, id non eis competit per se, sed per accidens, ut fatetur hæc sententia, sed id esset præter intentionem Christi; ergo malè id asseritur. R. neg. min. licèt enim eis competat per accidens, non tamen fortuitò, & absque consilio divino, quia ex divina institutione omnibus Sacramentis dedit vim producendi gratiam sive primam, sive secundam secundùm rationem genericam, sed cum hoc dedit eis secundùm rationem specificam ex primaria institutione, & Dei intentione, ut essent Sacramenta vel mortuorum, vel vivorum, ideo dedit etiam sacramentis vivorum ex secundaria intentione ut possent in primam gratiam; ob idque dicitur eis evenire per accidens, quatenus hunc effectum regulariter non producunt.

Superest difficultas circa Sacramentum Eucharistiæ, quod videtur institutum solùm ad refectionem, ob idque & supponere vitam in recipiente: unde Vasquez, Meratius, Lugo, Morandus, aliique recentiores negant huic Sacramento hanc vim collativam primæ gratiæ: sed tamen probabilior, & communior Thomistarum, plurium Scotistarum, & aliorum recentiorum est opposita: & fundatur in can. Concil. Trident. *sess. 13. can. 5.* ubi decernit hoc Sacramentum causare remissionem peccatorum; & Ecclesia in Missa petit à Deo, ut sit nobis ablutio scelerum, & remissio omnium delictorum; unde inferunt, quod, si hoc privilegium competit aliis sacramentis, multò magis tribuendum est Ecclesiæ, in qua substantialiter continetur Author 43
gratiæ.

gratiæ. Quare secundum hanc piissimam, & probabilissimam opinionem, si quis reus peccati mortalis coactus aliqua necessitate se communicaret non habens copiam Confessarii, & credens se elicere actum contritionis, sed verè est solum attritio, tunc accedente Sacramento recipit primam gratiam.

Q. 5. *An Sacramenta conferant gratiam, & suos effectus ex opere operato, in voto tantùm suscepta?* R. negativè (quicquid dicat in oppositum Bald. *in sua Cathol. Monarch. l.3. q.3. diffic.3.*) Ratio est, quia gratiam conferre ex opere operato est illam conferre ex opere, seu actione sacramentali, prout exteriùs exercetur, ut est signum institutum à Deo, non autem pro ut sola mente apprehensum; ergo si aliquid operantur, id erit totum ex opere operantis.

QVÆSTIO VIII.

An Sacramenta conferant gratiam physicè, an moraliter tantùm?

44 Celebertima est hæc quæstio circa modum instrumentalem Sacramentorum conferendi gratiam: supponit autem contra recentiores Hæreticos tanquam dogma de fide sacramenta novæ legis conferre gratiam justificantem ex se, & ex propria institutione, ut in superioribus probatum est: quæ collatio gratiæ non est ab ipsis tanquam causa principali, solus enim Deus est author principalis gratiæ, sed tanquam à causa instrumentali: sed quia duplex occurrit modus, quo dici possunt, sic causæ instrumentales gratiæ: Vnus est per veram, & physicam efficientiam, & influxum activum ex ipsa Sacramenti substantia directè, & immediatè emanentem in animam, quo pacto anima per oculum, v. g. tanquam per instrumentum actum visionis efficere dicitur: Alter modus est ita ut gratia à solo Deo immediatè producatur, & ad præsentiam, & exhibitionem sacramenti tanquam signi ab ipso instituti in animam infundatur, qui modus causandi solam dicit causalitatem moralem: Hinc oritur quæstio, an Sacramenta conferant gratiam primo, an secundo modo tantùm: In qua.

Prima opinio est D. Thomæ, & Thomistarum asserentium sacramenta per physicam efficientiam, & causalitatem tanquam instrumenta virtute divina gratiam conferre: qui authores licèt conveniant in asserenda causalitate physica, discrepant tamen in modo talis causalitatis: Aliqui enim (omnesque citati à Gaud. hic *q.2.*) dicunt Sacramenta attingere solam dispositionem præviam ad gratiam, non verò ipsam gratiam: Alii dicunt efficere veram gratiam in anima: & istorum alii dicunt ipsa instrumenta elevari per virtutem à Deo superadditam ad hoc ut possint producere gratiam: Alii non per virtutem superadditam, sed per solam suam entitatem ipsa instrumenta per potentiam obedientialem assumi, & elevari ad attingendam gratiam effectivè. 2. Sententia opposita negat talem efficientiam physicam sacramentis, sed tantùm admittunt in eis causalitatem moralem: Ita Seraph. *l.4 d 1.q.4.& d.8.p.1.q.1. corp. & l.4.d.1. q.1 ad 2.& d.10.p.2.q.3.& l.2 d.19. dub.4. & l.3. d.40.dub.3.* Scotus cum suis sequacibus, & plurimi alii recentiores ex variis Scholis, & summistæ.

Not. 1. quòd, ut habetur in Physica, dispositiones ad formam aliæ se tenent ex parte materiæ, aliæ se tenent ex parte suscipientis, aliæ ex parte efficientis: primæ sunt ratio recipiendi, ut est organizatio respectu animæ, quæ est actus corporis organici: secundæ sunt ratio præparationis ipsius subjecti ad recipiendam formam, & ferè coincidunt cum dispositionibus materiæ: tertiæ sunt disponentes, vel auferentes impedimenta, quæ obstant productioni formæ, ut sunt qualitates præviæ, sic merita dicuntur causare dispositivè præmium, & gratiam, quatenus quodammodo necessitant ex pactione Deum ad conferendum præmium: sic Sacramentorum susceptio, & dispositio necessitatis ad effectum signatum per Sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam necessariò causantem terminum, ut evenit in naturalibus, sed tantùm per assistentiam Dei causantis ex pacto: & hæc causalitas est moralis sacramentorum: sic S. Bon. *loc.cit.* ut autem id meliùs intelligatur. 45

Not. 2. Quòd difficultas potissima est explicare quo pacto sacramenta causent gratiam ex pacto Dei, ita quòd non se habeant purè ut signa pura, quomodo dicunt hæretici esse signa non habentia aliam vim, nisi excitare posse ad fidem; ad quorum præsentiam Deus confert gratiam, sic & dicitur de sacramentis legis veteris: vel se habeant purè ut conditio, vel ut signum rememorativum meritorum Christi, & eo modo, quo chirographum continet merita majorum in obsequium regis aquisita, quod non habet de se movere regem ad dandum præmium; sed tantùm est signum rememorativum, quod cum habeat tantùm aliquam excitationem in rege ad dandum præmium, totum pendet ab ipsa voluntate regis: sicut etiam verba venefici dicuntur concurrere ad opera diaboli, quatenus nituntur pacto cum ipso inito, quæ verba sunt mera conditio extrinseca: & quia aliqui sectatores nostræ opinionis in hoc ponunt causalitatem moralem sacramentorum, ideo non possunt se eximere ab objectionibus adversariorum, cum tali modo rationem causalitatis moralis non possint sustinere, ut advertit Seraph. *l.4 d.1.p.1. q.5.* Hinc. 46

Not. 3. ex eodem *d.40. dub.3.* quod sacramenta novæ legis habent respectu justificationis virtutem influentem, virtutem promerentem, virtutem disponentem, & virtutem efficaciter ordinantem: virtutem influentem ratione Spiritus sancti assistentis: promerentem ratione meriti Passionis Christi ad sacramentum concurrentis: virtutem disponentem ratione devotionis ipsius suscipientis: & tandem virtutem ordinantem efficaciter ratione divinæ pactionis instituentis: sic enim instituit Dominus, ut ad talis verbi prolationem, & sacramenti susceptionem mirabilis fieret in suscipientibus operatio, & suscipientium sanatio, & justificatio, & pro tanto dicuntur sacramenta habere virtutem, per quod differunt à sacramentis legis veteris, quantum ad ipsam efficacem ordinationem ex pactione divina ad gratiam: ait enim: Qui crediderit, & baptizatus fuerit salvus erit: quæ verba verè Seraphica fusè explicat *ibid. & l.4. loc cit.* dat enim intelligere, quod, sicut tradidimus in Philosophia in causalitate instrumentalis causæ per potentiam obedientialem, requiritur aliqua virtus inchoata, quæ à principali causa elevata possit attingere saltem dispositiones necessarias ad introducendam formam, ut sic possit dici causare saltem 47

tem moraliter: nam hoc diſcrimen eſt in cauſalitate phyſica, & morali, quòd, in prima attingitur phyſicè effectus, in ſecunda tantùm moraliter, ſicut in Sacramentis: hinc ad clariorem hujus rei explicationem ulterius.

48 Not. 4 ex eodem Seraph. cit. quod, cum in Sacramentis concurrat virtus perpetuò aſſiſtens Spiritus Sancti, tanquam cauſa vera phyſica principalis, & ſim l Paſſio Chriſti tanquam cauſa inſtrumentalis principalis moralis habens infinitam dignitatem, & valorem ex unione verbi, requiritur ulteriùs actio Miniſtri ſacramentalis, ſimul cum propria virtute divina ipſam actionem elevante ut inſtrumentum obedientiale, & efficax ad movendum Deum, ut conferat gratiam, & ſanctificationem, per quam ineſt in actione ſufficiens bonitas, & honeſtas moralis ad talem motionem divinam: Hinc autem eſt quæſtio quænam ſit iſta virtus divina elevans actionem Miniſtri: Thomiſtæ apud Maſtrium n. 142. aſſerunt eſſe qualitatem abſolutam impreſſam à Deo in Sacramento, ſeu ſigno qua per modum inſtrumenti elevatur ad producendam gratiam; contra quam aſſertionem ſublimiſſimè arguit S.Bon. *loc. cit. l. 3. & l* 4. eamque confutat: Unde S.Doct. dicit eſſe virtutem quandam non abſolutam, ſed ad aliquid: hoc eſt ipſa ordinatio efficax, qua Deus ſe obſtrinxit ad dandam gratiam ſuſcipienti dignè Sacramentum; & ſic hæc ordinatio unita actioni ſacramentali lato modo dicitur cauſa, ſcilicet non influens, ſed diſponens hominem ut habeat gratiam, quia efficaciter ad ipſam ordinat; vel eſt ratio ordinandi hominem ad ſuſceptionem gratiæ: affert exemplum Seraph.Doctor valde aptum ad explicandam talem virtutem ſuperadditam relativam: Rex ſtatuit, ut qui habet tale ſignum, habeat centum auri libras: poſt iſtam inſtitutionem ſignum illud non habet aliquam proprietatem abſolutam, quam antea non habebat, ſed benè habet aliquid ordinatum, ad quod non erat prius: & ſicut litteræ regiæ annulo regis ſigillatæ magnæ ſunt dignitatis, & virtutis, & valoris, & magna dicuntur, & poſſe, & facere, tamen in eis nulla virtus eſt abſoluta, ſed ſola ordinatio per aſſiſtentiam virtutis regiæ, ſicut patet, quia mortuo rege nihil abſolutum amiſerunt: ſic intelliguntur Sacramenta habere & ordinationem Dei inſtituentis, & aſſiſtentiam perpetuam Spiritus Sancti, & meritorum Chriſti: & ſi quæras, ſuper quid fundetur talis virtus relativa, ſeu ordinatio, ſeu relatio, & quomodo adveniat ſine novitate proprietatis abſolutæ: R. S. Doct. quod in inſtitutionibus ſignorum fundatur ſuper ipſis ſignis, & hoc modo advenit ſine donatione, & ſuperadditione novæ qualitatis abſolutæ, ut quando nummus fit arrha, & nihil datur de novo ipſi nummo: ſic & Sacramenta prout habent aſſiſtentiam continuam Spiritus Sancti, influentiam efficacem meritorum Chriſti, & virtutem ordinatam à Chriſto inſtituente, ſeu ordinationem efficacem ad gratiam, & ſanctificationem, & concurſum miniſteriumque Miniſtrorum præſtitum vice, & loco Chriſti ſic inſtituentis, tali pacto dicuntur habere cauſalitatem moralem infallibilem in ordine ad effectus: quæ doctrina licèt aliis terminis ex Scoto, traditur etiam à Maſtrio *n. 166. & 173. & 182.* Et hinc oritur, quod miniſter etiam malus, & iniquus conficiens Sacramentum cum intentione recta verè facit Sacramentum, ut ſupra traditum eſt. Vide quæ Seraph. Doct. tradit *l. 4. d. 3. p. 2. a. 1. q. 2.* ubi hanc doctrinam fundamentalem explicat.

Dices: ergo illa actio Miniſtri ex ſe non habet, unde Deum moveat inſtrumentaliter ad gratiam conferendam, ſed totum eſt à voluntate Chriſti illam ordinantis ad ſuum finem: ſicque illa actio ſacramentalis non poteſt dici operari niſi per denominationem extrinſecam. R. neg. anteced. Actio enim ſacramentalis eſt ſimul à Deo, ut principali agente: eſt à Chriſto ut cauſa inſtrumentali principaliori inſtituente, & ſuppoſita tali ordinatione divina, virtuteque, eſt à miniſtro ut ſubſtituto à Chriſto loco ſui: His poſitis.

Concl. 1. Sacramenta non producunt gratiam ut cauſæ phyſicæ, ſed tantùm ut morales, quatenus per ipſa à Miniſtro collata Deus ordinavit dare gratiam, & ſanctificationem. Prob prima pars: quia creatura non poteſt creare nec principaliter, nec inſtrumentaliter, ſaltem phyſicè, ſed Sacramenta ſunt quid creatum, & gratia habet eſſe tantùm per creationem, ut ſupra in tertio libro oſtendimus, & docent S.Bon. Scotus, & D.Thomas *q. 69. a. 10.* ergo. Reſp. Thomiſtæ: creatura non poteſt creare, &c. diſtinguo, ut ſic in ſe conſiderata, concedo, ut elevata per virtutem ſupernaturalem in Sacramentis impreſſam nego: ideo Sacramenta ut elevata tali virtute divina poſſunt producere gratiam.

Contra inſurgit Seraph. D. *l. 3. & l. 4. cit.* quia 49 hæc virtus vel eſt corporea vel ſpiritualis: non corporea, quia hæc non poſſet producere formam ſpiritualem, nec ſpiritualis, quia non poteſt ineſſe in ſubjecto corporeo: eſſet enim vel in verbo, vel in elemento, vel in toto compoſito, ſed omnia ſunt quid corporeum: unde concludit S. Bon. quòd valde difficile eſt, ſi non impoſſibile, intelligere qualiter illa virtus detur ſicut qualitas abſoluta: difficiliùs quando detur; nempe an dederit Chriſtus hanc virtutem abſolutam, quando primò inſtituit, aut de novo detur: non primum, quia verba, & res, & Sacramenta, quæ ſucceſſivè fiunt, tunc non erant: & ſi dicatur ſecundum, ergo continuè Deus, non ſolùm gratiam creat, ſed & iſta accidentia, vel virtutem, quod adverſarii non admittunt: rurſus & ſi talis virtus deſinit ſtatim prolato verbo, quomodo creavit Deus tam nobilem virtutem, ut iſta citò deſineret? rurſus ſi datur verbo, cum non detur verbo in ſcripto, nec in mente, datur in pronunciatione, & tunc difficile erit explicare, utrum detur in principio, vel in medio, vel in fine, quia nec in principio verbi, nec in medio eſt actio illius virtutis: ſi verò in fine, tunc cum verbum deſierit eſſe, & deſinente verbo deſinit virtus verbi ſimul incipiet, & deſinet: aut ſi ante finem datur, quantum detur difficile eſt inſinuare, & multò difficiliùs eſt explicare operationis illius virtutis efficaciam, utrum ſcilicet agat generatione æquivoca, vel univoca, generando ſibi diſſimile, vel ſimile: ſcilicet vel per eductionem à ſubjecto, & extrinſecùs producendo, primum eſt agentis naturalis, ſecundum eſt ſolius Dei: difficile etiam eſt intelligere, quomodo characteris impreſſio ſit ab illa virtute, cum character in ſuperiori parte animæ ſola imprimatur, in quam ſolus Deus, non creatura poteſt influere, ut notat S.Auguſt. ergo non poteſt id phyſicè præſtare: tum etiam quia nec verbum, nec elementum ſunt capacia tantæ virtutis: & id patet maximè in Sacramento Altaris, in quo tranſubſtantiatio ſubita panis in Corpus Chriſti exigit virtutem infinitam: & eò maximè etiam, quia Euchariſtia remanet Sacramentum citra uſum, & poſt tranſactam prolationem verborum, quæ ob id non poſſunt

possunt operari in illud phæsicè: Hæc S.Bon. *in l.3. cit. & l.4.*

50 Prob. 2. Quod non existit, non potest physicè aliquid producere, sed gratia producitur, dum Sacramenta ampliùs non existunt; ergo. Major est certa in Philosophia: existentia enim causæ est conditio necessaria,& essentialis ad hoc ut agat: minor prob. gratia producitur in ultimo instanti, in quo non est ampliùs Sacramentum, quod est ens successivum terminans in instanti extrinsecè, in quo non est ampliùs, desinendo per primum non esse, in quo verum est dicere: nunc non est,& immediatè ante fuit: idest toto tempore ab inceptione prolationis usque ad illud instans, ergo non potest produci gratia à Sacramentis, quæ jam non sunt. Resp. aliqui Thomistæ Sacramenta causare gratiam per ultimam sui partem verè existentem, in qua cæteræ partes transactæ virtualiter permanent: quæ responsio est contra principia Philosophiæ, quia in successivis non est assignabilis ultima pars, quæ est semper divisibilis in alias, & alias partes, &c. ergo nec in Sacramento, quod est ens successivum, est assignabilis ultima pars,secundùm quam Sacramentum secundùm suum esse completum causet gratiam: tum quia vel agunt primæ partes, & hoc non, quia jam sunt transactæ: vel non, ergo non est Sacramentum, quod gratiam producit, quia nulla syllaba de se ponit Sacramentum, sed tota oratio, à qua tota, & non à syllabis antecedentibus conficitur Sacramentum, quæ de se nullam dispositionem præcedentem possunt causare,vel relinquere in sequentibus. Resp. communiter Thomistæ cum Suarez *d. 8. sect. 2.* Sacramentum causare gratiam in ultimo instanti terminativo intrinseco, quod est terminus ultimus Sacramenti: unde dicunt Sacramentum causare gratiam, quando est scilicet ultimò intrinsecè completum, & terminatum quo ad suam significationem. Contra 1. quia hoc est contra principia philosophiæ docentis successiva desinere per primum sui non esse, in quo dici potest, nunc non est, & immediatè antea erat: ob idque non potest assignari in successivis ultima pars, nec ultimum indivisibile, sicut assignatur in permanentibus: tum quia esto quòd daretur in successivis, hoc non est pars Sacramenti, cum successivorum partes sint divisibiles in infinitum, ergo corruit responsio: Confirm. quia ut rectè notat Mastrius, plerumque contingit non conjungi simul ultimum terminum actionis sensibilis, & prolationis verborum, sed potius alterutrum solùm reperiri, ut cum fit ablutio, & postea dicitur: Ego te baptizo: & cum quis peccata confitetur postea Sacerdos dicit: Ego te absolvo, cum enim Sacramentum sit compositum morale, non exigit physicam, & rigorosam, sed tantùm moralem coexistentiam materiæ, & formæ; ergo in his casibus vel sola materia, vel sola forma per ultimum usum indivisibilem concurreret ad causandam gratiam, non autem totum Sacramentum, ergo sine ratione adversarii recurrunt ad illud ultimum indivisibile; ergo dicendum est causalitatem tantùm moralem intervenire: unde patet, quòd dato quocumque subterfugio circa hoc ultimum instans adversariorum maximè Suarez, nil aliud dicunt, nisi Sacramentum existere, quando non existit, & eo maximè, quia illud esse completum, quod recognoscunt in ultimo illo instanti, stat penes significationem, quæ est quid morale; quia habet significationem ex institutione divina, non ex natura sua, ideo totum esse phisicum spectat ad materiale; esse autem morale non potest phisicè operari. Et cum tota significatio fundetur non in illo ultimo instanti tunc existenti, sed in omnibus partibus successivis,quæ fluxerunt, non potest dici Sacramentum tunc causare physicè gratiam. Confirm. & urgetur ampliùs hæc ratio: quia Sacramenta aliquando causant post longum tempus, quo præterierunt; ut in Sacramentis, quæ operantur recedente fictione: & in Sacramento Matrimonii, qui contrahitur per procuratorem, tunc enim non datur gratia, sed quando præsentibus conjugibus ratificatur. Hic vero Suarez admittit in his casibus causalitatem moralem Sacramentorum: sic enim destruit totum suum fundamentum: nam in productione gratiæ non est major ratio, imò major est ratio, dicere Sacramenta causare moraliter gratiam, quia est nobilior modus, quia sic causant gratiam per intrinsecam bonitatem relativam, ut supra dictum est in ultimo fundamento, unde non quælibet res est apta ad talem causalitatem, sed solùm habens ordinationem ad gratiam.

Prob. 3. à priori à Mastrio *n.164.* Sacramenta quatenus talia sunt aliquid morale, ergo solùm sunt causæ instrumentales morales: patet consequentia, quia modus operandi sequitur modum essendi: antecedens prob. quia Sacramenta quatenus talia dicunt significationem, & partialem formæ, & totalem ex materia, & forma: at prædicta significatio est quid morale tantùm: Ratio est, quia totam vim suam habet non ex natura rei, sed ad placitum ex divina institutione; ergo Sacramentum ut tale est quid morale. Ex quibus concluditur manifestè cum Seraph Doct. quòd virtus principalis meritoria in Sacramentis est passio Christi, sic enim docent Sancti Patres, & definit Concil. Trident. *sess. 6. c. 7.* quæ virtus ob infinitam suam dignitatem, & valorem conjunctam moraliter ex ordinatione, & institutione Christi cum ipsa actione sacramentali complet inchoatam bonitatem illius, ut una cum meritis Christi movere valeat voluntatem Dei ad gratiam dignè suscipientibus conferendam, adeo quòd virtus hæc inchoata in Sacramento debet esse aliqua bonitas, seu honestas moralis,ratione cujus sit aptum meritoriè movere divinam voluntatem ad gratiam producendam; unde talis actio est similis actioni impetratoriæ, quæ bonitas, seu honestas ex parte ministri in intentione faciendi, quod Christus instituit, ex parte Dei in ordinatione efficaci talis actionis ad gratiam conferendam; sic S. Bon. *l. 4. d. 1.q.4. & d.5.a.3.q.1. in corp.* sicque salvatur causalitas gratiæ physica ex parte Dei, & moralis ex parte Christi, & Ministrorum; nec aliud volunt Concilia, & SS.PP. de ipsa tractantes.

Objic. Advers. varia loca S.Script. Conciliorum, & SS.PP. tribuentia Sacramentis causalitatem gratiæ, nec distinguendo de causalitate vel physica, vel morali intelligenda esse de propria, & phisica causalitate; alioquin nulla esset differentia inter Sectarios nostri temporis, & Catholicos; illi enim dicunt ad præsentiam Sacramenti Deum producere gratiam; item nec esset ulla differentia cum Sacramentis veteribus, nisi penes cærimoniam, quod tamen damnat Concil. Trid. *sess 6. can. 2.* R. neg. assumptum, & illationem factam ex Conciliis, & SS.PP. vel S.Script. nam dicendo Sacramenta nobis conferre gratiam sine ullo addito, possunt, & debent intelligi de causa morali, quæ verè, & absolutè ab Arist. & in Philosophia reponitur inter causas efficientes absolutè; nam ut notat S. Doct. *d.5. cit.* verè dicitur, quod talis Sanctus mortuum 51

resusci

resuscitavit, & similia, quæ habemus in S. Scripr. sic & Sanguis Christi dicitur nos mundasse, &c. quæ intelligi debent de causalitate tantùm morali, & ad consequentiam de paritate Sacramentorum, hæreticorum, & veterum negatur absolutè id sequi: nam ut supra dictum est, hæretici tantùm tribuunt Sacramentis excitationem ad fidem, & Sacramenta vetera operabantur tantùm ex opere operantis, & justitiam tantùm legalem conferebant; nostra verò ex opere operato, & ex pactione divina: & licèt circumcisio operaretur ex opere operato, tamen magnum discrimen est inter ipsam, & nostra Sacramenta, ut supra diximus. Addimus quòd & ipsi Advers. tenentur ad solutionem hujus argumenti, cum & ipsi admittant causalitatem moralem in Sacramentis, in quorum receptione ponitur obex, quo postea ablato confertur gratia; imò ex hoc apertè infertur Concilia, & SS. Patres indiscriminatim sine ulla differentia attribuentes causalitatem gratiæ Sacramentis, se loqui de morali tantùm.

Dices: Ad quid sancta Ecclesia utitur precibus in consecranda aqua baptismali in Sabbato S. & Feria 5. in Cœna Domini in consecratione olei, quibus petitur ut aqua fœcundetur arcana admixtione numinis Spiritus S. & virtutem ipsius descendere in aquam, ut tota ejus substantia fœcundetur regenerandi effectu, & reddatur efficax purificandis mentibus, idem & in consecratione olei: nisi ut adquirat virtutem producendi gratiam physicè, &c. & eò maximè, quia sic magis magnificatur Dei misericordia, & omnipotentia. R. Pont. & Mastr. Ecclesiam uti talibus præcibus, non ut necessariis, vel utilibus ad conferendam gratiam physicè, sed quia sic etiam deberet orari, ut verba sanctificentur, sed tales preces adhibentur majoris solemnitatis gratia, & ad exagerendam virtutem, quam habet aqua ex institutione divina, quare per virtutem sanctificationis, qua fœcundatur aqua baptismalis, vel oleum chrismatis intelligitur virtus moralis; quam ex institutione divina habet in baptismo ad conferendam gratiam: Addimus, quòd ex benedictionibus, & precibus Ecclesiæ resultat quædam relatio meritorum ipsius Ecclesiæ, quibus & ipsa concurrit ad effectus Sacramentorum: Et ad illud quod per causalitatem physicam maximè magnificatur divina misericordia, & omnipotentia, resp. S. Bon. *loc. cit.* neg. talem sequelam, sed meliùs magnificari ex causalitate morali; dum enim tota causalitas physica Deo attribuitur, non creaturæ, magis etiam Deus honoratur.

Dices: humanitas Christi physicè instrumentaliter causat gratiam, ergo & Sacramenta id possunt, & faciunt, cum sint operationes Christi. R. à multis negari anteced. à nobis autem conceditur, sed neg. conseq. & paritas; nam Christus Dominus ob unionem cum verbo id poterat, quod non evenit in Sacramentis, quæ fiunt à Ministro immediatè in nomine Christi: quod autem possint causare physicè, id negant plures Theologi, à Seraph. D. tamen admittitur talis possibilitas, sed negatur de facto id evenire ob rationes adductas. Vide Gaud. & Mastr. qui fusè de hac materia discurrunt.

QUÆSTIO VIII.

Explicantur natura, & proprietates characteris Sacramentalis per varia quæsita.

Character est secundarius Sacramenti effectus, 25 sicut gratia est primarius, qui producitur simul cum gratia, licèt secundariò ex ipso Sacramento: ideo doctrinæ ordo exigit, ut ipsius quidditatem, proprietates, & effectus explicemus, quod brevitatis majoris gratia per varias quæstiunculas faciemus.

Q. 1. *Quid sit character, & an conveniat omnibus Sacramentis?* R. 1. quòd character est nomen Græcum significans idem, quod latinè sonat signum, notam, vel signum alicujus rei impressum, & affixum, quo pacto aliqua animalia characterizantur, & dicuntur habere peculiaria signa Domini sui: talis autem signatio fit tribus de causis: 1. ut aliquid cognoscatur, & ab aliis secernatur: 2. ut majori pretio habeatur: 3. ut ad aliquod officium deputetur, sicut fit in charactere regiæ monetæ, &c. Hinc rectè definiri potest tali pacto: Character est habitus supernaturalis in anima, configurans illam divino sigillo ad Dei cultum capescendum, defendendum, & promovendum: sic P. Gaud. ex S. D. vel alio modo, character sacramentalis est aliquid spirituale signaculum indelebile, quo fideles Christo consignantur, & ad ipsius cultum destinantur, qui enim tali charactere sunt insigniti sunt quasi ipsius gregis, & ab aliis distinguuntur, sic ex S. D. infra cit. & communi Theolog. R. 2. characterem imprimi in anima per tria Sacramenta, nempe per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sic omnes Catholici Theologi; estque definitum ut dogma fidei à pluribus Conciliis, & novissimè à Conc. Trid. *sess. 7. can. 9.* ratio autem est, quam adducit S. D. *in Comp. Theol l. 6. c. 7. & l. 4. d. 6. per tot. & c. locis infra cit.* quia triplex est status fidelium in acie Ecclesiasticæ Monarchiæ, scilicet fidei genitæ, fidei roboratæ, & fidei multiplicatæ, perfectæque: per primam fit distinctio fidelium ab incredulis, & Christianorum à non Christianis, & hoc habetur per characterem baptismi: per secundam fit distinctio fortium militum ab infirmis, & hoc in Confirmatione: per tertiam fit distinctio perfectorum à non perfectis, scilicet clericorum à non clericis: primus est incipientium, secundus proficientium, tertius est perfectorum. Probat hoc S. Bon. *op. Comp. Theol. cit.* & post ipsum Scot. *d. 6. q. 10.* hac eleganti congruentia, ex politia humana deducta: nam sicut in familia Principis, & in exercitu benè ordinato diversi ad diversa officia diversis notis, & insignibus notari solent, quibus eorum munus cognoscatur, & discernatur ab aliis: prima distinctio est communis scilicet totius exercitus ab alio exercitu, Hispani infulam rubeam, Galli albam adhibent, quo pacto omnes Christiani in baptismo æqualiter notantur tanquam milites Christi: 2. est specialis, scilicet discernens milites à popularibus, & hoc fit in Confirmatione, per quam deputatur homo ad spirituale certamen ad profitendam fidem, & pugnandum strenuè contra fidei persecutores; 3. est specialissima, scilicet Ducum, & Principum ab utrisque, & hæc est ordinis, in quo deputatur homo tanquam Christi Minister ad Sacramenta dispensanda, & varias actiones sacras obeundas juxta ordinum diversitatem. Hinc est quod cætera Sacramenta non imprimunt characterem: nullus enim habet determinatum gradum in

in familia Regis, quia comedit, vel bibit, nec quia post offensam reconciliatur Regi, nec quia multiplicat personas in illa politia, ut in Eucharistia, Pœnitentia, Matrimonio; nam illi actus communes esse possunt omnibus in quocumque gradu: S.Bon. explicat hanc veritatem ex figura triplicis status in Populo Israël, quando ducebatur ab Egypto in Terram Israël: quia primò separati sunt ab Egyptiis, 2. electi, & signati milites apti ad purgandum, 3. destinatio Levitæ ad divinum cultum: sic & triplex fuit distinctio in domo David. *Vide d.6.p.1.a.1.q.4.* R. 3. characterem esse signum non naturaliter significans aliquem esse Christi famulum, auctoritatem, aut potestatem habentem, sed merè ad placitum, & ex institutione divina: sic communiter Doctores contra Lugum, Amicum, aliquosque alios paucos: Ratio autem est, quia si naturaliter repræsentaret illa munera, id faceret vel ut naturalis repræsentatio, qualis species expressa repræsentatio est formalis rei cognitæ: vel virtualis, qualis est species impressa rei, cujus est species: vel objectiva similitudo, sic est imago rei imaginatæ; sed nihil ex istis est, ergo. Prob. minor, quia de sua ratione formali character nec est species expressa, vel impressa servitutis Christi, aut militiæ, ut patet in parvulis: sed neque similitudo objectiva, ut dicit Lugus, quia non explicari potest talis similitudo cum militia, vel famulatu Christi, &c. & si id habet, habet ex mera ordinatione voluntatis Christi, quæ est ad placitum, ut docet S.D *d.6.q.2.ad 1. & 2.* R.4 ex S.Bon.*d.6.q.1.* characterem esse qualitatem absolutam impressam in anima à Deo, non purè relativam, ut dicunt aliqui, sed qualitatem spectantem ad primam speciem, quæ potest dici dispositio, simulque habitus: Nota autem cum Seraph. *d. 6. q. 1.* quod accipitur dupliciter habitus: uno modo propriè, pro ut distinguitur contra dispositionem per perfectum, & imperfectum: alio modo pro ut utcumque comprehendit, scilicet omnem qualitatem animam disponentem sive facilè mobilem, sive difficilem, sive perfectam, sive imperfectam, pro ut accipitur, cum dicitur, tria esse in anima, potentiam, passionem, & habitum, nam dispositio est in anima, & non est potentia, vel habitus: unde si accipiatur habitus largè, & secundo modo, sic est habitus: si strictè, quia character est perpetuus, est habitus; sed quia non perficit, sed disponit ad ulteriorem perfectionem scilicet gratiæ, sic est dispositio, & sicut in oculo corporeo est lumen aliquod innatum, & inseparabile, sed insufficiens ad videndum absque eo quòd veniat spiritus visibilis à nervo optico: & in intellectu est lumen innatum inseparabile non tamen sufficiens ad dirigendam cognitionem, nisi superveniat habitus scientiæ: sic & eodem modo dicendum de charactere, qui est qualitas quædam animam non omnino perficiens, sed ad ulteriorem perfectionem disponens: significat enim, & disponit ad gratiam, & assimilat per Sacramentum, ideo dicitur & dispositio, & habitus, quia disponit, & est indelebilis: unde potest dici, quòd sit lumen habilitans cognitivam, & calor spiritualis habilitans ad gratiam, &c.

Dices: habitus est qualitas recipiens intensionem, & remissionem, sed character non recipit magis, vel minus: ergo. R. omissis variis placitis Doctorum ex Seraph. D. quòd character non recipit magis, & minus, sicut habitus naturalis, omnes enim sunt æquales quo ad esse specificum: potest tamen recipere aliquo modo quo ad esse individuale, quia potest ampliari, ut patet in Episcopatu supra Sacerdotium, & in inferioribus ordinibus respectu Sacerdotii: sic S.Doct. *l. 4. d. 4. q.3.p.1.& p.2.a.1.q.2.& d.19.a.2.q.1.*

Q. 2. *Cur solùm in tribus Sacramentis imprimitur character, & non in cæteris? ubi de iteratione Sacramentorum.* R. 1. certum esse de fide solùm in baptismo, confirmatione, & ordine imprimi characterem: disputant verò Doctores quare in his tribus solis? R. Mastrius *n. 191.* cum communi Theologorum id esse, quia solum ista tria Sacramenta sunt irriterabilia, reliqua verò possunt iterari, & hoc quia illa tria munera non congruit iterari: quæ ratio tamen non omnino satisfacit: nam etiam alia Sacramenta (ait S. Bon. *in Comp. Theol. cit.*) habent hoc aliquo modo, quòd non possunt iterari secundùm eandem materiam, & formam, & personam, eandem causam, aliàs fieret contumelia Sacramento: tum etiam quia sic fit circulus vitiosus: ista tria Sacramenta imprimunt characterem, quia sunt irriterabilia, & è converso: ista tria sunt irriterabilia, quia imprimunt characterem: ergo non satisfacit hæc ratio. Hinc S.Doctor *l.4.d.23.a.2.q.4.& d.6.p.1.q.ult.* ait, quòd characteris impressio est quidem ratio cur Sacramentum non possit iterari, sed hæc non est propria, & generalis ratio, sed propria est hæc, nempe quia effectus Sacramenti est perpetuus, effectus scilicet talium Sacramentorum, ideo de se, & cum sit perpetuus, hinc non potest iterari, cum sit indelebilis; idque habetur ex pluribus locis S. Script. nam de baptismo ait Apostolus *ad Ephes. c.1.* In quo scilicet baptismo) signati estis: de confirmat. *Ephes.4.* Nolite contristare Spiritum S. in quo signati estis in diem redemptionis. De ordine *ad Thim. c. 4.* Noli negligere gratiam, quæ data est tibi, &c. super quæ fusè agit Bellarm. 53

Q.3. *Cur character sit indelebilis?* R. S.Bon. *d.6. q.5.& 6.* quòd cum duplex sit habitus in anima, alius innatus, qui est omninò indelebilis, alius aquisitus, & hic potest perdi, alius infusus à Deo, & hic est duplex, alius datur ad dirigendam animam in suis actibus, ut fides, spes, &c. alius est impressus ad distinguendam: primus potest perdi ob repugnantiam, quæ potest inesse in anima: secundus nequaquam, quia obliquatio potentiæ, vel peccatum ipsi non sunt opposita; solum enim potest ei repugnare opposita consignatio, quæ non est possibilis, cum solus Deus possit in anima imaginem suam tollere, quod non facit: hinc est quòd tales characteres sunt indelebiles, remanentque in anima perpetuò vel ad decorem in Beatis, vel ad confusionem in damnatis.

Q. 4. *Quinam sint effectus characteris?* R. S.Bon. 54
d. 6. q. 2. quòd character imprimitur ad significandum, ad disponendum, & ad assimilandum, & distinguendum: quia enim est signaculum sacramentale, ideo gratiam significat; & quia usus Sacramentorum non tantùm consistit in significando, sed etiam quodammodo in efficiendo, ideo disponit ad gratiam, scilicet exequendi rectè munera congrua tali characteri: unde hæc dispositio est ad gratiam fidei, & etiam ad gratiam gratum facientem. 2. Assimilat, quia cum habeat aliquam similitudinem cum gratia, ad quam disponit, est enim similitudo Dei, ideo aliquo modo configurat Deo, & quia omnes configurat uni, assimilat etiam gregem Domini inter se, & per hoc distinguit ab his, qui non sunt de grege Domini, simulque distinctionem facit in eodem grege secundùm aliam, & aliam rationem assimilandi.

Objic.

Objic. 1. contra primum actum, quæ est significatio. Character est quid spirituale, signum est sensibile, ergo non significat: & si significat, id est vel naturaliter, vel ad placitum; non primum, quia non esset quid supernaturale: nec secundum, quia diversificatur apud diversos: tùm quia si signat gratiam multi carent gratia, ergo in eis non est signum.

Resp. S. Doct. quòd character simul cum exteriori signo facit unum Sacramentum; unde ratio significandi in eo est non per se tantùm, sed simul per conjunctionem cum exteriori elemento, & ratione elementi dicitur signum visibile, & unum, sicut elementum est unum, & ratione ejus est voluntatium, sicut elementum significat ex institutione divina, nec est diversum apud diversos, quia habet unicam ordinationem divinam: & si aliquando actu non signat gratiam, scilicet gratum facientem, id est ob defectum suscipientis, non signi: actu tamen signat gratiam gratis datam, scilicet fidei, confirmationis, & potestatis ordinis; & per hoc etiam solvitur alia objectio, quam proponit S. Bon. contra dispositionem adductam supra, quia potest haberi gratia sine ipso charactere, ut in baptismo flaminis, respondet istud munus scilicet gratiam sanctificantem habere de congruitate, non de necessitate, &c. nempè potest recipi gratia talis sine charactere, sed non character sine tali ordine.

Objic. 2. Si assimilat Deo, quomodo id facit, cum Deus, & creatura non conveniant in tertio? tùm quia stat cum peccato, &c. ergo non assimilat. R. hanc non esse perfectam assimilationem, sed esse cum aliquali proportione, quæ est inter gratiam gratis datam, & gratum facientem.

56 Q. 5. *In quo subjecto insit character?* Thomistæ sustinent esse proximè in intellectu: Scotus in voluntate: alii in tota substantia animæ. Seraph. D. *d.6. q.3.* vult esse proximè in imagine SS. Trinitatis: scilicet intellectu, voluntate, & memoria: ratio est, quia caracter configurat animam Deo peculiariter sacratam; ergo debet esse in eo subjecto, quod habet Deo peculiariter assimilari, sed hoc habet anima ratione imaginis, seu gratia ipsa est imago SS. Trinitatis: ergo. Confirm. quia per characterem reformatur anima, & Deo sacratur in ipsius obsequium, ergo secundùm imaginem, & tres potentias, ideo spectat ad intellectum, & voluntatem primò, & principaliter.

Dices: unum accidens non potest esse simul in pluribus subjectis: ergo character non potest esse simul in intellectu, & voluntate. Resp. quando plura subjecta plurificantur per plura, concedo: quando plurificantur per unum nego: scilicet quando accidens respicit illa plura ut unum, ut ternatius in tribus, una sanitas in pluribus membris, quia tunc illa plura se habent ut unum, &c.

QUÆSTIO IX.

Solvuntur aliqua dubia de recipientibus Sacramenta.

5 Quæritur 1. *quinam sint capaces Sacramentorum.* Resp. omnes viatores homines etiam reprobos secundùm eorum varium statum esse capaces Sacramentorum, quicquid blacterant hæretici, asserentes id solum de prædestinatis: nam Sacramenta sunt instrumenta à Deo Matri Ecclesiæ consignata ad gratiam tribuendam, & opera sacra elicienda: quodque patet ex variis locis S. Scripr.

Q. 2. *An invitus validè recipiat Sacramenta?* Not 1. ex S. Bon. *p.11. a.2. q.1.* & Scoto *ibid. q.4.* quòd dupliciter potest aliquis dissentire: primò negativè: secundò contrariè: primo modo cum non assentitur præcisè: secundo modo cum positivè dissentit: dissentire contrariè potest esse dupliciter; vel contrariè simpliciter, & omnimodè, quando scilicet quis vi mergatur, ut baptizetur, & hæc dicitur coactio sufficiens, & absoluta: vel contrariè secundùm quid; qui scilicet minis, & tertoribus extorquetur, in quo tamen est consensus simpliciter, quia talis vult baptismum, ut mala vitet, licèt sit dissensus secundùm quid, quia amoto periculo nollet, sed vult hac posita conditione, sicut ille, qui projicit merces in mari, ne mergatur, ille vult projicere, sed nollet. Hinc. R. 1. ad validè suscipiendum baptismum est necessarius consensus: idque est determinatum in multis Conciliis, ratio est, quia per Sacramenta anima Deo desponsatur, & profitetur legem Evangelicam, quæ est lex libertatis: non enim Deus vult aliquem invitum. Resp. 2. ad validè suscipiendum baptismum non impedit coactio inducens, v.g. ob metum, dummodò consentiat in actum Sacramentalem, etiamsi metu ad id inducatur, undè confitens in Paschate ob metum pœnarum Ecclesiæ verè confitetur, dummodo sit attritus. Excipe tamen matrimonium, quia fundatur in ratione contractus humani, qui debet esse omninò liber: at in baptismo non est necessaria tanta libertas, idque patet, quia parvulus à Patre expositus baptismo, cum venerit ad annos discretionis, tenetur observare legem Evangelicam, non sic si Pater promiserit sponsalia, &c.

Q. 3. *An ad validè suscipiendum Sacramentum necessaria sit intentio?* Cajetanus *q.68. a.7.* docet cum Glossa, nullam intentionem requiri, sed solùm ne contrariam habeat voluntatem, negativè se habendo. Communis omnium Theologorum cum D. Bon. supra cit. docet requiri intentionem vel actualem, vel virtualem, vel implicitam, vel explicitam in adultis, & ratio est; quia si in ministro intentio est conditio essentialis, ergo in recipiente etiam, cum sint correlativa. Addit Mastrius cum pluribus Theologis in suscipiente sufficere etiam intentionem habitualem, & etiam interpretativam, licèt in conficiente Sacramentum neutra valeat: quia plus requiritur ad agendum, quàm ad recipiendum: quæ doctrina est valde pia, & ad multos casus practicandos tempore necessitatis apta: Vide Mastrium *tom.5. in sua Theol. morali d.16. n.45.*

Q. 4. *An ad dignè suscipiendum Sacramentum sit necessarium esse in gratia?* Resp. S. Doct. cum communi Theologorum affirmativè, exceptis Sacramentis baptismi, & pœnitentiæ, quæ instituta sunt ad delendum peccatum originale, & mortale: Unde recipiens, & petens alia Sacramenta in peccato mortali peccat mortaliter, ratio est, quia talis indignè tractat Sacramenta, ideoque in re sacerrima est sacrilegus: quoad Sacramentum pœnitentiæ, sicut & baptismi in adultis requiritur vel dolor de peccatis, vel dispositio æquivalens, ut dicetur in suo loco.

Q. 5. *An fictè recipiens Sacramentum, verè ipsum recipiat?* Resp. quòd si fictio irritat Sacramentum, v. g. recipiat cum intentione positivè contraria, iste

non recipit Sacramentum, si verò fictio non irritat, vel cum alio defectu dispositionis. v. g. si adultus recipiat baptismum cum debita intentione, sed tamen cum affectu actuali ad peccatum, verè recipit Sacramentum, non rem Sacramenti scilicet gratiam, sed postea ablata fictione per contritionem, vel attritionem, ut tenent plures Theologi, tunc recipit gratiam.

QUÆSTIO X.

Quid sint Sacramentalia: quis ipsorum institutor, & valor?

58 SUp. 1. ad confectionem Sacramentorum ex institutione Ecclesiæ concurrere multas actiones, & cerimonias sacras, quæ communi vocabulo appellantur Sacramentalia. Sup 2. cum Suarez *in 3. p. tom. 3. d. 15.* quòd hoc nomen Sacramentale potest sumi, primò latissimè, sicque hoc nomine veniunt omnes sacræ cerimoniæ, & ritus ab Ecclesia instituti ad exercitium cultus Dei, Sacramentorum, & sacrificiorum, ad hoc ut majori cum reverentia, ac devotione fiant, suntque actus externi virtutis religionis: 2. prout comprehendit omnia instrumenta ad sacra ministranda, ut sunt Altaria, sacræ imagines, Ecclesiæ, templaque, vasa, sacræ vestes, & similia: 3. prout involuit omnes actiones, quibus cultores Dei se se disponunt ad sacra peragenda, ut sunt jejunia, genuflexiones, signum Crucis, benedictiones, & similia; quæ omnia materialiter sumpta, cum sint varia, & diversa possunt multiplicari, & distingui per omnia prædicamenta: quædam enim respiciunt substantiam, ut quòd vino consecrando misceatur aqua naturalis, & non alia: quòd unctio fiat in oleo olivarum, &c. quædam ad quantitatem vel continuam, ut quòd vino misceatur modica aqua: vel discretam, ut quòd baptismus fiat trina mersione: quædam ad qualitatem, ut quòd panis sit fermentatus, vel azimus, quòd vestis sit talis, vel talis figuræ, vel coloris: aliæ ad relationem, quia solùm propter deputationem quamdam, aut extrinsecam benedictionem censentur sacræ, ut oleum benedictum, olivæ, candelæ, benedictæ, &c. quædam consistunt in temporis, vel loci determinatione, ut dies festi, templa, Altaria, &c. quædam pertinent ad vestitum sacrum, & decentem: quædam ad situm, ut genuflexiones, prostrationes, &c. quædam ad actionem, & passionem, hæque sunt frequentiores, ut orationes, gestus, signa, & similia.

59 Sup. 3. quòd nomine Sacramentalium absolutè sumptorum usus Theologorum invaluit, ut propriè veniant actiones quædam, & res benedictæ ab Ecclesia ordinatæ ad producendum aliquem sacrum effectum vel spiritualem, vel temporalem in homine se iis subjiciente: Istæque aliæ sunt ex institutione immediata Christi, aliæ ex institutione mediata Christi, & immediata Ecclesiæ, cui, certumque est, & de fide, dedit Christus potestatem instituendi multa Sacramentalia, ut patet de sacris cærimoniis, & multis benedictionibus, aliisque sacris actionibus, quas partim eorum successores Episcopi & Pontifices exercuerunt; ex quibus originem habuerunt illæ, quas nunc Ecclesia observat: idque determinatum fuit in Concil. Trid. *sess. 7. can. 13. & sess. 21. c. 2.* & habetur ex S. Script. & SS. Patribus, ut fusè docet Suarez *cit. sect. 3.* qui licèt dicat ista Sacramentalia non fuisse à Christo immediatè instituta, sed ab Ecclesia ex potestate sibi à Christo tradita, tamen id non est verum de omnibus, nam certum est multas ex istis actionibus fuisse à Christo exercitas, ut benedictiones, prostrationes, orationes, aliaque similia, ut habetur in Evangelio, quod & notavit Vega in sua Theologia Mariana: Unde Sacramentalia alia sunt ex institutione Christi, alia Ecclesiæ: Sacramentalia primi generis à Christo immediatè instituta sunt oratio Dominica, invocatio nominis Jesu, & Mariæ, signum Crucis, ejusque usus, benedictiones rerum sacrarum: Sacramentalia secundi generis ab Ecclesia instituta sunt variæ benedictiones introductæ, tunsio pectoris, absolutio, & confessio generalis peccatorum, perfectio religiosa, & similia, de quibus infrà.

60 Concl. 1. Usus Sacramentalium cujuscunque generis ex supra enumeratis in primo fundamento est sanctus, & piissimus, & sanctissimè introductus ab Ecclesia sancta Dei: Est de fide definitum in pluribus Conciliis, & novissimè in Trid. supra cit. contra hæreticos ipsa appellantes superstitiosa, & illicita: quæ Concl. à Seraph. D. pluribus locis & supponitur, & probatur, & explicatur: nam *in Compend. Theol. l. 6. c. 6.* dicit, quòd in Sacramentis quædam sunt substantialia, quædam Sacramentalia, ut sunt orationes, &c. *In lib. 4 d. 8. p. 2. a. 1. q. 2.* notat quod in usu Sacramentorum multa addita sunt ab Ecclesia, quia ipsa fuit edocta ab Apostolis, præcipuè à SS. Petro & Paulo, qui fuerant instructi à Christo: *Et in op. de dono piet. c. 2.* notat, quòd à nobis colendus est Deus cultu non solùm interiori, sed & exteriori, ad quem spectant oblationes, sacrificia, adorationes, genuflexiones, aliæquæ sacræ cærimoniæ, quæ in honorem Dei, vel immediatè, vel mediatè scilicet sanctis præstantur, & talia spectant primò ad donum pietatis, & secundariò ad donum intellectus, quibus majestatem Dei honoramus: *Sic & Diat. salutis tit. 6. cap. 3. & op. de præpar. Missæ c. 10. & op. Cent. p. 3. sect. 44.*

Prob. autem concl. ex generali principio, quia Ecclesia non potest errare in his, quæ ad fidem, & bonos mores pertinent: sed ista Sacramentalia spectant ad fidem, & bonos mores. Ergo. Major est de fide: minor prob. quia talium institutio approbata est à Sacris Conciliis, & à Trid. tamquam dogma de fide: tùm quia sunt per se honesta tùm ex objecto, tùm ex fine; instituta enim sunt ut media tùm ad digniùs administrandum Sacramenta, tùm ad exercitium pietatis in Deum, tùm & ad bonorum operum frequentiam, tùm ad utilitatem hominum: nempè ad exercendam devotionem, ad merendum, ad distinguendum fideles ab infidelibus, ergo, &c.

Concl 2. Sacramentalia, & sacræ cærimoniæ, & 61 ritus Ecclesiastici alia sunt immediatè à Christo instituta, alia ab Ecclesia, & à summis Pontificibus ex auctoritate Christi, ad ipsos per Apostolos derivante. Sic S. Bon. supra cit. & est communis apud Catholicos: Suarez *cit. sect 3.* docet, quòd cærimoniæ, & ritus Ecclesiastici fuerunt determinatè instituti ab Ecclesia immediatè, & non à Christo nisi mediatè, & auctoritate commissa Ecclesiæ, ut pro temporum varietate etiam varias cærimonias institueret: & hoc probabilissimum est: sed quo ad Sacramentalia certum etiam, aliqua fuisse à Christo immediatè instituta: alia verò instituta

tuta ab Ecclesia: Prima pars patet ex Evangelio de Oratione Dominica, cum oratis dicite, Pater noster: de invocatione nominis Jesu: in nomine meo dæmonia ejicient, &c. de signo, & significatione Crucis: quia Christus benedicebat pueros, panes, &c. & hoc, ut docent multi SS. Patres, signo Crucis: 2. pars etiam de institutione facta ab Ecclesia est communis omnium Theologorum.

Concl. 3. Sacramenta, & Sacramentalia valdè differunt inter se. Est certa, & de fide in Ecclesia: ratio est, quia Sacramenta de sua ratione ordinata sunt ad sanctificationem fidelium, quam significant, & conferunt: Sacramentalia verò ordinantur vel ad cultum Dei externum decentiùs præstandum, vel ad præstandum varia beneficia fidelibus temporalia, & spiritualia, non verò ad sanctificationem efficiendam: strictè, & propriissimè nomen Sacramentalis sumitur pro instrumento pietatis, quod gratiam quidem non confert ad differentiam Sacramentorum, sed in eum finem est institutum, ut non objectivè duntaxat (alioqui imagines essent etiam Sacramentalia, quod non admittitur communiter) sed alio quopiam modo juvet ad hominis spirituale bonum, vel temporale, independenter à ministri sanctitate. Et si quæras quænam sint ista Sacramentalia propriè accepta? Resp. cum communi S. Bon. *locis cit.* reduci ad hæc capita, suntque comprehensa in hoc versiculo. Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens: Orans, idest oratio dominica, vel facta in templo consecrato: tinctio denotat aquam benedictam, & quamcunque unctionem Sacramentalem: Esus notat panem benedictum: confessio scilicet generalis, quæ initio sacri, & completorii funditur; & ad eam reducitur tunsio pectoris: dans, idest largitio eleemosinæ: benedictio scilicet quæ suscipitur ab Episcopo, vel Abbate consecrato: alii addunt auditionem missæ, & concionis: addimus nomen SS. Jesus, & Mariæ: signum, & signationem Crucis, & benedictiones publicas factas ab Ecclesia.

QUÆSTIO XI.

Utrum hæc Sacramentalia habeant aliquem effectum spiritualem, vel temporalem; & an ex opere operato, an ex opere operantis tantùm.

62 PRimò certum est, Sacramentalia omnia ritè, & devotè sumpta ex opere operantis producere varios effectus spirituales, excitant enim ad devotionem, sunt actus satisfactorii, & meritorii, Deoque valdè placent: sed quæstio est, an ex opere operato in eis insit aliqua virtus spiritualis ad producendum varios effectus spirituales, & quales. In hac quæst. duplex opinio circumfertur: Prima est, Sacramentalia operari tantùm ex opere operantis: & videtur communior. 2. est opposita Sacramentalia operari ex opere operato: citatur à Doctoribus S. Bon. pro utraque; sed certè stat cum ista opinione, quicquid dicat P. Gaudentius.

Not. 1. quòd cum assertores primæ sententiæ negent Sacramentalibus effectus ab ipsis prodire ex opere operato, maximè nituntur hac ratione, quia Sacramentalia non sunt instituta à Christo immediatè, sed tantùm ab Ecclesia: hæc autem non habet tantam potestatem instituendi instrumenta ad deletionem peccatorum etiam venialium: quam rationem infrà expendemus, qua doctrina posita, sequitur evidenter, quòd cum plura Sacramentalia fuerint instituta immediatè à Christo; de ipsis non potest currere universaliter hæc maxima.

Not. 2. quòd, cum certum sit, omnia Sacramenta instituta fuisse à Christo immediatè, ut supra probatum fuit: controvertitur postea: an Deus potuerit conferre hanc potestatem instituendi Sacramenta Ecclesiæ, vel hominibus, quam quæstionem suprà agitavimus, probando cum communiori Doctorum, nullam implicantiam posse adferri circa hanc communicabilitatem potestatis, ex eo quòd ad institutionem Sacramenti sufficit deputatio signi cum significatione in ordine ad gratiam addita ordinatione efficaci ad ipsam producendam, vel à Deo primariò facta, vel ab habente delegatam potestatem ab eo; licèt ab aliquibus negetur: quæ difficultas tamen multò minus potest currere in institutione Sacramentalium, quæ non est per se ordinata ad collationem gratiæ sanctificantis, sed ad alios effectus vel spirituales, vel temporales, & cum pateat multa Sacramentalia instituta fuisse ab Ecclesia, catholicè tenendum est fuisse à Christo delegatam potestatem ipsam instituendi in nomine Christi: & per consequens habere eamdem virtutem, ac si instituta fuissent immediatè à Christo, cujus potestati maximè nituntur. 63

Not. 3. quòd potissima difficultas est circa remissionem venialium: an Ecclesia potuerit instituere Sacramentalia cum tali certitudine, & efficacia, ut ex opere operato delere possint venialia, Suarez *tom.* 4. *d.* 12. *sect.* 2. *concl.* 2 concedit Deum potuisse conferre istam potestatem Ecclesiæ; an verò ipsam dederit dubium est (ait) & probabiliùs est non dedisse, cum non adsit ullus textus S. Script. nec alia determinatio Conciliorum indicans talem potestatem datam fuisse; nec constat Ecclesiam unquam tale signum instituisse, & ideo est dicendum, ait, Sacramentalia tantùm producere effectus suos ex opere operantis, non ex opere operato; quibus tamen non obstantibus, existimo probabiliùs, & veriùs, & solidiùs dicere Christum dedisse Ecclesiæ hanc potestatem, ipsamque in institutione Sacramentalium usam fuisse tali potestate: sed ut clariùs id fiat maximè ex principiis Seraph. D. 64

Not. 4. quòd inter tribuentes virtutem producendi suos effectus Sacramentalibus ex opere operato, tres modi id asserendi in medium afferuntur: Primus est Petri Soto *lect.* 18. Gabrielis *l.* 4. *d.* 16. *q.* 5. *a.* 3. *dub.* 5. videturque etiam D. Thomæ *q.* 87. *a.* 3. *& q.* 7. *de malo a.* 1. dicentium, Sacramentalia habere virtutem remittendi venialia mediatè excitando actum sufficientem: Secundus est Palud. D. Antonin. apud Suarez, qui etiam citat S. Bon. asserentium, Sacramentalia remittere immediatè, ita tamen ut requirant attritionem saltem imperfectam: tertius modus est Victoriæ, Soto, Ledesmæ, Cano, Majoris, aliorumque sentientium, Sacramentalia remittere peccata venialia ad modum Sacramentorum, si non inveniunt complacentiam contrariam, & homo ipsis utatur piè, ac religiosè: & hæc est probabilior, magisque conformis doctrinæ S Bon. ut infrà patebit: sed quia multiplex effectus ab istis Sacramentalibus provenire dicitur. 65

Not. 5. ex Suarez *tom.* 3. *d.* 15. *sect.* 4. quòd effectus, qui possunt excogitari provenire à Sacramentalibus, 65

mentalibus, ad sex capita reducuntur. 1. est gratia habitualis gratum faciens. 2. aliquod auxilium, vel bonus motus gratiæ. 3. remissio culpæ venialis. 4. remissio alicujus pænæ temporalis post remissam culpam. 5. Dæmonis expulsio, vel cohibitio ne lædat. 6. aliquod commodum spirituale, vel temporale: In quibus tamen est observandum, quòd certum est non omnes istos effectus æqualiter provenire ab omnibus Sacramentalibus, sed diversos secundùm diversitatem finis, propter quem sunt instituta: Certum est etiam proprium non esse istorum Sacramentalium conferre gratiam habitualem gratum facientem, essent enim æqualia Sacramentis: unde Ecclesia non potuit dare eis talem virtutem de potentia ordinaria Dei, ut supra dictum est de Sacramentis.

67 Concl. 1. Piissima, & probabilissima est sententia tribuens Sacramentalibus sivè à Christo immediatè, sive ab Ecclesia institutis virtutem producendi varios effectus ex opere operato, non quidem physicè, sed moraliter tantùm: Et hæc est conformior principiis Seraph. Doct. & in hoc conveniunt Victoria *in summa num.* 90. Major *l.* 4 *d.* 13, Canus *l.* 2. *de locis*, *c.* 13. *ad* 9. Valent. 3. *part. d.* 7. *q.* 4. *p.* 1 Henriq *l.* 1 *c.* 20. *num.* 2. & 3. & *l.* 4. *c.* 15 *num.* 8 Candid. *tom.* 2 *disp.* 24. *a.* 15. *dub.* 2. Grat. *serm. l.* 2. *de bened. c.* 25. Fagund. *in* 2. *Eccl. precip. l.* 2. *c.* 1. *num.* 11. & fusè Cartag. *d.* 8 *de Sacram. in gen. à c.* 1. Et novissimè Rainaudus *tom.* 2. *sect.* 2. *part.* 1. dempta tamen remissione venialium.

Prob. 1. Quia Seraph. Doct. *l.* 4. *d.* 3. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *in corp.* quærit, an ex institutione baptismi aquis sit aliqua proprietas, vel qualitas collata (scilicet supernaturalis) & resp. non fuisse ex baptismo à Christo collatam proprietatem absolutam aquis, sed tantùm respectivam, scilicet ordinationem ad regenerationem cuicunque aquæ veræ, ut suprà notatum est in quæst. 7. quæ ordinatio cum sit moralis ex institutione Christi non exigit fundamentum reale physicum: & hanc sententiam approbat ut probabiliorem, probabilem tamen declarans oppositam asserentem fuisse collatam aquis virtutem supernaturalem perfectibilem adveniente verbo. Et quia hæc doctrina est pro materia Sacramentorum hinc *eodem libro* 4. *d.* 12. *p* 1. *art* 2 *q.* 1. *in corp.* notat, quòd aquæ, quando ab Ecclesia benedicitur, vel oleo, advenit accidens novum, & proprietas quædam sanctificationis: nec ulteriùs S. Doctor explicans quodnam sit hoc accidens, & proprietas sanctificationis adveniens rei benedictæ in Sacramentalibus intelligi, & exponi debet secundùm doctrinam superiùs traditam de virtute relativa, & ordinatione facta à Christo vel immediatè, vel mediatè, scilicet mediante Ecclesia, cui ipse per Apostolos potestatem hinc tradidit instituendi Sacramentalia ad varios effectus proficuos generi humano, præcipuéque fidelibus: Et sicut dixerat supra de aqua baptismali, aliisque materiis Sacramentorum illam virtutem, seu ordinationem esse de se imperfectam, fierique perfectam, & efficacem adveniente verbo, & forma: Sic & idem proportionaliter dicendum de Sacramentalibus. Unde *l.* 4. *d.* 21. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 2. loquens de modo, quo peccata venialia delentur, ait, *in corp.* quòd peccatum mortale non potest deleri, nisi libero arbitrio consonante, & adjuvante, scilicet plenè concurrente motu contritionis cum gratia, eò quòd peccatum mortale non committitur, nisi ex plena voluntate: Peccatum verò veniale cum teneat medium inter voluntarium, & involuntarium, & quia ratione voluntarii habet rationem culpæ & ratione involuntarii pænæ, habemus enim necessitatem in communi committendi venialia, sed non in particulari: hinc est, quòd potest deleri libero arbitrio consonante, & aliquo exteriùs adjuvante: unde si liberum arbitrium gratiæ non repugnat per complacentiam ipsius, tunc gratia virtute Sacramenti, vel rei Sacramentalis vigoratur, & culpam venialem delet, vel universaliter, vel particulariter; Unde credendum est (nota sequentia) quòd, aliquo nihil cogitante de peccatis suis, sed tantùm passionem Domini Jesu recogitante ferventer in Sacramento Eucharistiæ, venialia peccata vel omnia, vel quædam remittantur ei per gratiam sic adjutam, & idem dicendum de cæteris Sacramentis, & etiam de Sacramentalibus, & hoc non per propriam naturam scilicet physicam, sed per eam naturam, qua gratiam gratum facientem ad hunc actum adjuvant, & vigorant, scilicet quatenus involuunt ordinationem supra traditam ex institutione ad hunc effectum: Et si quæras quomodo adjuvant? dicendum, quòd in talibus ut plurimum est humiliatio, & devotio, quæ est actus gratia informatus, repugnans ipsi peccato veniali, quod de se diminuit fervorem, & devotionem; vel ea ratione, qua est in eis pænalitas, quæ repugnat inordinatæ affectioni, &c. Et sic patet, quòd venialia aliter, quàm per pænitentiam possunt deleri: In qua doctrina verè piissima fundatur sententia S. Bon. asserentis in Purgatorio deleri culpam venialem virtute gratiæ ab anima conservatæ in hac vita, dum superadditur adjutorium exterius pænalitatis ignis. Ex quibus patet Seraph. Doct. æquali modo, cum debita proportione tamen, tractare Sacramenta, & Sacramentalia in ordine ad productionem effectuum ex opere operato. Vide S. Bon. *op. Centil. part.* 1. *sect.* 6. *art.* 1. *Comp. Theolog. l.* 6. *cap.* 6. & 34. & *op. de tribus ternar. cap.* 5.

Prob. 2. de Sacramentalibus ab ipsomet Christo immediatè institutis, ut est invocatio nominis Jesu, in nomine meo dæmonia ejicient, linguis, &c. super ægros manus imponent, &c. & in aliis plurimis locis habemus clarissimè per concessionem factam à Christo de effectibus à suo SS. nomine Jesu provenientibus. Idem & proportionaliter de nomine Mariæ: idem & de signo, & signatione Crucis: idem de oratione Dominica, & aliis actibus Sacramentalibus, quos Christus in hac vita exercuit, & nobis tradidit: Institutio enim facta à Christo est infallibilis, & certa, & efficax, quòd non potest negari ab ullo catholico. 68

Prob. 3. de Sacramentalibus ab Ecclesia institutis: nam certum est, & de fide Ecclesiam multa Sacramentalia instituisse: ergo est de fide ipsam potuisse ea instituere, sed talis potestas de se ipsi non erat innata, sed derivata à Christo, ergo si ea instituit, id fecit ex potestate mediata Christi, ut rectè docet S. Bon. *d.* 3. *p.* 1. *art.* 3. *q.* 1. *ad* 1. sed Ecclesia ad multos, & varios effectus ipsa instituit, ergo & ex primaria potestate, & institutione Christi, ergo & ab ipso efficacia certa derivat. Confirm. 1. quia Apostolis Christus dedit potestatem dæmones expellendi, & curandi infirmitates: Curate infirmos: sed curare stat tam pro præservatione, quam pro reparatione, si ut redimere; ergo & potestatem habuit instituendi remedia sacra

efficacia

efficacia ad hoc, ut talis potestas esset efficax, & si potestatem istam habuit ad beneficia corporalia, ergo multò magis ad spiritualia. Confirm. 2. quia Christus Ecclesiæ suam assistentiam promisit usque ad finem: & ad quid ista assistentia: Ecce ego vobiscum sum, &c. nisi ut ea, quæ ab Ecclesia prodeunt ex potestate ipsi à Christo tradita, obtinerent efficaciter suos effectus: tum quia Apostolis, & Ecclesiæ tradidit potestatem universalem in illis verbis: Quæcunque alligaveritis,&c. & quæcunque solveritis super terram, &c: Nota, ly, quæcunque, non dicit quemcumque hominem, sed quæcunque, ergo subjecit potestati Ecclesiæ, non solùm homines, sed & Dæmones,& elementa, & infirmitates, & sanitates, & fulmina, & tempestates, &c. Et hinc Ecclesia piissimè instituit usum ceræ benedictæ, quæ vulgò dicitur Agnus Dei, aquæ benedictæ, olei benedicti, aliarumque rerum speciali ritu benedictarum: unde ratio hujus subjectionis rerum omnium est clara: nam ordo gratiæ excedenter superat vim ordinis naturalis, ergo conveniens fuit, ut Christus in ordine gratiæ, & supernaturalitatis constitueret aliqua valentia conferre perfectiori modo, & infallibiliter effectus à virtute rerum naturali provenientes,cum enim Christus sit perfectus redemptor hominis,ob idque & corporis, & animæ, maximè conveniens fuit, ut remedia à sua Passione provenientia prodessent pro anima mediis Sacramentis, & aliquibus Sacramentalibus, & alia pro salute corporis per diversa Sacramentalia: id enim spectat maximè ad magnificandam ipsius potentiam, & liberalitatem. Confirm. quia sicut in ordine naturæ nequit inveniri causa, quæ posita debita dispositione, & applicatione, ex sui defectu non operetur, multò minùs id contingere debet in ordine supernaturali: repugnat enim ordinem superiorem in perfectione excedentem inferiorem, non præseferre solam æqualem perfectionem in omnibus suis causis, ac præsefert inferior: quæ rationes probant intentum de opere operato.

Prob.4. Quia subjectum dispositum jus aquirit ad formam, ad quam est dispositum, ita ut sine violentia (quæ naturaliter repugnat) ei denegari non possit, immò tale, ac tantum jus subjecti ad formam dispositi est, ut hoc posito ab omnibus concedatur Doctoribus, ut si nulla adesset causa secunda talis formæ productiva, teneretur Deus illam producere, & defectum causæ secundæ supplere, ut auctor naturæ in naturalibus, & ut auctor gratiæ in supernaturalibus, sed per actum fidei, fiduciæ, & devotionis in Sacramentalibus homo disponitur ad recipienda particularia beneficia, ad quæ conferenda sunt instituta: hæc enim est dispositio, quam solam exigit essentialiter Christus in Evangelio: nempè fides, fiducia, devotio, &c. ergo posita tali dispositione infallibilem consequetur effectum.

Respondent advers. hæc omnia verificari sufficienter, si recognoscatur productio effectuum tantùm ex opere operantis. Contra 1. quia supradictæ rationes probant patenter productionem ex opere operato infallibilem, & certam. Contra 2. si admittatur id esse ex opere operantis: quæro quis est iste operans principaliter? Certum est hunc esse ipsam sanctam Ecclesiam, quæ auctoritate Christi Sacramentalia instituit, & ideo sua potestate derivata à Christo ea consecrat, & destinat ad beneficium generis humani fundatum in meritis Christi Jesu, orationibus, consecrationibus, petitionibus, benedictionibus, quæ apud Christum tanquam dilectissimæ sponsæ peculiarem vim etiam ex hoc adquireret omnia illa obtinendi: Unde fidelis ut agens particulare, & veluti Ecclesiæ, & Christi minister solùm applicat talia Sacramentalia ad tales effectus imbutus necessaria fide, & devotione.

Prob. 5. Si Sacramentalia non haberent majorem virtutem ad effectus, quàm illam, quam habent ex opere operantis, & ipsis utentis, ad quid ista institutio peculiaris tam sacra, tam digna, & solemnis, celebrisque in Ecclesia, & tantæ devotionis apud omnes fideles? Si enim est quid commune cæteris rebus sacris, ut concioni, lectioni sacræ,imaginibus, &c. nihil causæ est, ut ab istis separentur: Confirmatur experientia: nam si quis sive bonus,sive malus, dummodo intendat Sacramentalis beneficio potiri, vel ad potiendum non ponat obicem,accipit ejus usu,largitatem cui consequendæ institutum est Sacramentale, si homini expediat, & secundùm divinæ providentiæ ordinem sit consentaneum, idque patet in signo crucis, & aqua benedicta, quæ non rarò impiis, imò & infidelibus produxit mirabiles effectus,ergo non ex vi operantis justi, & merentis, sed præcisè vi operis prout gravidi virtute præstandi effectum,derivata aliunde, quàm ab operante. Resp. Suarez *tom.4. d.12. in fine*, cum communi admittens virtutem moralem, & peculiarem illos effectus obtinendi: & hoc est,quod & nos dicimus; unde post tot labores coincidimus ad invicem, & reducitur ad quæstionem ferè de nomine.

Objic. advers. Suar. cit. Mastrius, Gaud. aliique communiter: Ecclesia non habet potestatem instituendi causam,quæ possit hos effectus ex opere operato producere, & si habet nobis non constat de tali institutione, & potestate: cum autem non à Christo, sed ab Ecclesia fuerint instituta, sequitur non habere ex operato virtutem, &c. Confirm. quia adhuc sub judice lis est, an Christus potuerit tribuere potestatem instituendi Sacramenta Ecclesiæ ex eo quòd certitudo, & infallibilitas ex opere operato à sola Dei voluntate potest prodire; ergo idem dicendum de Sacramentalibus. Resp.1. ex traditis plura Sacramentalia instituta fuisse immediatè à Christo, & circa hæc cessat difficultas. Resp. 2. esse de fide multa instituta fuisse ab Ecclesia: sed pariter etiam est de fide talem potestatem Ecclesiam non habuisse naturaliter ex sua nativa virtute, ergo si ea instituit, id fuit ex potestate sibi à Christo derivata: ideoque fundantur primariò in Christi potestate, quæ de se operatur ex opere operato: sicque corruunt omnes rationes,&c.

Concl. 2. Ex variis Sacramentalibus varii, & 62
diversi effectus prodeunt, ad quos instituta sunt: Est communis omnium Theologorum, & patet ex variis cærimoniis, orationibus, petitionibus, consecrationibus,quibus Ecclesia utitur in destinando ipsa ad nostros usus, ut patet in efformatione Agnus Dei, in benedictione aquæ, cineris, olivæ,candelarum, ignis, &c. Probatur autem ex sufficienti enumeratione effectuum. 1. in ordine ad remissionem peccatorum venialium ex S. Bon. *locis cit.* Ad hoc, ut fiat remissio peccati venialis requiritur secundùm communiorem Theologorum sententiam, quòd homo existat in gratia. sed quia hæc directè non opponitur peccato veniali, requiritur aliquid amplius: nempè aliquid quod opponatur vel actualiter, vel virtualiter eidem peccato veniali; sed actus exterior Sacramentalis, vel ejus usus

cum debita devotione, ad quam directè de se excitat, est hujusmodi, nempè oppositus peccato veniali; ergo, &c.

Dices: absque usu talis Sacramentalis poterit sufficere devotio, humilitas, attritio, &c. Contra, quia licèt admittamus fervorem charitatis, &c. sufficere, tamen cum ad hunc finem fuerint instituta plura Sacramentalia ab Ecclesia, ut patet in eorum consecratione, hinc de se habent peculiarem efficaciam ad tales effectus, ut rectè notat Suar. *tom. 4. cit. sect. 2. in fine*: quod evidenter magis infertur in opinione sentientium, remissionem peccati venialis esse, tantùm remissionem pœnæ.

Prob. 2. in ordine ad excitationem ad devotionem, humiliationem, & fiduciam; nam cum eorum usus sit pius, religiosus spectans ad actum religionis, quod est de fide, sequitur & habere talem virtutem ex opere operato. Confirm. quia, ut supra dictum fuit, cum Christus instituerit Sacramenta per signa sensibilia ad exercitium humilitatis, & devotionis, idem dicendum à fortiori de Sacramentalibus. Prob. 3. in ordine ad remissionem pœnæ, quia cum tales actus sint pœnales, & satisfactorii, ut observat Seraph. Doct. sequitur, &c. Prob. 4. in ordine ad expulsionem, & ejectionem dæmonum, nam dixit Christus: In nomine meo dæmonia ejicient, &c. sic & dicendum de signo Crucis, de virtute aquæ benedictæ, Agnus Dei, &c. Prob. 5. in ordine ad multa beneficia corporalia; ait enim Christus: Curate infirmos, &c. quæcunque ligaveritis, & solveritis, &c. ergo dedit Ecclesiæ potestatem super elementa, &c. ut supra dictum est. De hac materia, vide dilectationem Theologicam verè doctissimam, & piissimam Patris Augustini Castani Mediol. Theatini impressam Veronæ, qui fusè ipsam pertractat, præcipuèque de virtute divina Agnus Dei, qui probat hoc esse unum ex præcipuis Ecclesiæ Sanctæ Sacramentalibus. Et hæc de Sacramentis, & Sacramentalibus in genere. Vide etiam doctissimum Raynaudum tomo 1. suorum Heteroclitorum Spiritualium de Sacramentalibus sect. 2. ubi dempto effectu remissionis venialium, quam mordicùs negat, admittit in iis virtutem ex opere operato, & speciatim de singulis, eorumque virtutibus pertractat doctissimè de more, tollitque de medio omnes errores, in quos quisque potest in eorum usu incidere.

DISPUTATIO II.

De Sacramentis Baptismi, & Confirmationis.

QUÆSTIO I.

De baptismo: quid sit, quandonam institutus fuerit?

63 Sup. 1. ex Seraph. D. *l. 4. d. 3. p. 1. q. 1. ad ult. & in corp.* tria posse considerari in baptismo, sicut in quolibet Sacramento. 1. Sacramentum tantùm secundùm essentiam Sacramenti: estque elementum cum tali actione sub tali forma verborum. 2. est res Sacramenti, quæ est effectus ejus, scilicet gratia. 3. res, & Sacramentum, ut in conferentibus characterem ipse character. Sic hæc tria in baptismo considerantur, & secundùm ipsa etiam à Doctoribus multiplex definitio, seu descriptio traditur, sed propria est, quæ claudit elementum abluens sub tali forma verborum, sicque definitur à Seraph. Doct. & aliis: Ablutio corporis exterior, facta sub præscripta verborum forma; sicque comprehendit materiam proximam, quæ est ablutio, & formam, & ipsam actionem ministri: Alias definitiones tradit S. Bon. *loc. cit. & op. Centil. p. 3. sect.* 48 quæ ibidem possunt videri: solùm hîc controvertitur quodnam sit fundamentum significationis hujus Sacramenti; an scilicet sit sola ablutio exterior, an sit totum aggregatum ex verbis, & ablutione. Aliqui censent esse ipsam ablutionem exteriorem, non tamen nudè sumptam, sed ut comitatam verbis cum debita intentione prolatis: sicque tali modo sumpta ablutio exterior significat ablutionem interiorem animæ, ob idque propriè sola ablutio exterior est Sacramentum, non verba, sed ista solùm sunt conditio: Probabilior est alia sententia dicens aggregatum ex ablutione, & verbis esse totam substantiam Sacramenti, & fundamentum significationis ablutionis internæ; Et hæc quo ad primam partem. 2. pars est circa institutionem baptismi; de qua sit.

Concl. 1. Sacramentum baptismi à Christo immediatè fuit institutum: quòd probat Seraph. D. *in Brevil. & l. 4. d. 8. p. 2. q. 1. ad ult.* & à nobis probatum fuit de omnibus Sacramentis supra, quod & infra patebit.

Concl. 2. Sacramentum baptismi fuit institutum à Christo ante passionem suam, sed post ipsam promulgatum per mundum, ipsiusque præceptum datum in Pentecostes: Hæc est communis, & verior contra sententientes solùm post Passionem fuisse institutum. Seraph. D. *l. 4. d. 3. q. 1. supra cit. ad ult.* Circa tempus institutionis baptismi notat, quòd Dominus hoc Sacramentum primò insinuavit instituendum. 2. instituit. 3. confirmavit institutum: Insinuavit quidem facto, & Verbo: facto cum baptizatus esset à Joanne in aqua, ostendit cæteros credentes in aqua fore baptizandos. Insinuavit verbo, cum prædixerit Nicodemo: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Instituit autem, cum ipse baptizare cæpit per discipulos Ioannis; Post hæc venit Iesus in terram Iuda, & baptizabat: & tunc instituit verbo, & facto, quia dicitur ibidem, quod baptizabat, & si non ipse in propria persona, tamen discipuli in sua præsentia secundùm quod ipse volebat: Et rursus discipulos misit ad prædicandum, & baptizandum binos. Confirmavit autem baptismum facto, & verbo: facto, cum de latere ejus exivit sanguis, & aqua: verbo, quando misit discipulos ad baptizandum omnes: Euntes, &c. 64

QUÆSTIO

QUÆSTIO II.

De materia baptismi.

65 QUia in hac quæstione circa materiam, tum remotam, tum proximam nulla est concertatio inter Theologos Catholicos: licèt aliqui hæretici antiqui, & novissimè Lutherus negaverint, materiam sensibilem esse materiam baptismi: & alii qui ferro candenti crucem inurentes baptizabant; alii item qui flagellis aculeatis extrahentibus sanguinem ipso baptizabant.

Concl. 1. Materia remota baptismi est aqua elementaris, & naturalis: Est de fide, & consensus omnium Theologorum cum Seraph. Doct. *l.4. d.4. p.2.* Prob. 1. pars: quia ex S. Script. habetur pluribus locis baptismum collatum à Christo, & cæteris per aquam naturalem: & Christus Joan. *c.3* dixit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Sic & Act. S. Apostoli baptizabant in aqua, &c. Sic fuit determinatum de fide in Conciliis Later. Florent. & Trident. Cur autem in aqua, & non in alio elemento constitutum fuerit hoc Sacramentum: S. Bon. *d.4. part.2. q.1.* affert duas congruentias. 1. est, quia hoc Sacramentum est maximè efficax. 2. quia inter alia est maximè necessarium: Efficax, quia in eo imprimitur character disponens animam ad susceptionem luminis gratiæ, ut transparentia vitrum ad luminis susceptionem: datur etiam gratia mundificans animam, datur etiam illi gratiæ actus remittendi concupiscentiæ ardorem: hinc est quod oportuit dari in signo, quod sua multiplici proprietate hæc omnia designaret, talis autem est aqua, quia transparet, & est pervia lumini, & ideo characterem signat: & iterum abluit, & mundat inter omnes liquores, ideo signat gratiam mundantem: Item infrigidat, ideo signat remissionem ardoris concupiscentiæ: & hinc ait Seraph. Doct. *lib.3. d.20 q.4.* quòd Christi passio plus influit in Sacramentum baptismi, quàm in cætera, quod & infra dicetur de effectibus ejus. 2. Congruentia, est ob necessitatem super omnia alia, ideo debuit institui in liquore usuali, & communi apud omnes, & in quo abundant pauperes, & divites.

Secunda pars probatur de materia proxima: quæ est ablutio, & activa, & passiva: activa pro ut est à ministro, & passiva pro ut recipitur à suscipiente: ratio est (ait S. Doct.) quia aqua non est materia baptismi, nisi prout est lavacrum, & prout lavat: ergo. Tum quia, quod est determinabile proximè à forma, est materia proxima, sed ablutio in baptismo est hujusmodi: ergo Hinc S. Doct. *d. 3. p. 1 dub.* solvit illam quæstionem, quam agitant Theologi, an ablutio, ut est materia proxima, sit ipsa ablutio activa ministri formaliter, an sit passiva? primum sustinent aliqui: secundum alii. S. Bon. notat quòd in baptismo lotio concurrit tripliciter: nam ille, qui mergit, dicitur lavare, & baptizare: similiter & aqua dicitur lavare; & corpus, quod lavatur passivè: ratio autem formalis potior hujus materiæ est ipsa lotio passiva, quatenus alias duas claudit, ipsa enim immediatiùs respicit baptismum, & præsupponit duplicem lotionem prædictam, quia facta est ab homine, & ab aqua: Nec dicas, quod lotio passiva non est signum gratiæ, quæ non lavatur, sed lavat: resp. enim quòd signum effectus gratiæ nec habet perfectam significationem, nisi prout conjungitur lotioni aquæ, & ministri: tunc enim est signum, quòd anima purificatur à Deo.

Objic. 1. Baptismus est signum sepulturæ Christi, ideo ad Rom. *cap.6.* dicitur. Consepulti estis cum Christo, ergo debuit institui in terra. Resp. S. Bon. Baptismum significare sepulturam, & gratiam, quam donat, & utraque exprimitur immersione, quia dum homo immergitur significat immersionem Christi sub terra, & simul emundationem per gratiam. 66

Objic. 2. Sacramenta legis veteris figurabant nostra; sed illa fiebant vel in his, quæ ortum habebant à terra, ut sacrificia, & decimationes, vel aliquo terreo, ut circumcisio fiebat cultro lapideo: ergo etiam baptismus, qui maximè figuratus est in circumcisione, debuit fieri è materia terrea. R. S. Bon. homines usque ad Christum jacuisse sub maledicto legis, & ideo terræ maledictæ usos fuisse: postquam autem Christus factus est pro nobis maledictum, ut à maledictione mundum liberaret, quia terra fuit maledicta, non aqua, hinc Sacramentum primum in aqua instituit, quæ nunquam fuit maledicta, sed triplici benedictione, mundo adhuc infante, decorata in Gen. *c.1.* & Spiritu S. infusa. Addo ex eodem Seraph. *loc. cit. q.2.* quòd Christus ut aquam privilegiatam ostenderet in ordine ad hoc Sacramentum primum, ipsam contactu suæ purissimæ carnis sanctificavit, & melioravit, ordinavitque ad hanc sacram regenerationem: Ad id autem de circumcisione per cultrum lapideum respondet S. Bon. Deum voluisse ostendere legem Moysis duram, & onerosam, duritiemque Judæorum indigentem cultris lapideis, vel ferreis, ad hoc ut retunderet, & quia lex Christi suavis est, lavacro facili debuit initiari.

Dices: oleum magis signat gratiam quam aqua: similiter & sanguis magis emundationem peccatorum, ut dicitur in Apoc. *c.1.* Lavit nos à peccatis sanguine suo; ergo magis debuit institui in oleo, vel in sanguine. Resp. Ista non significare expressè mundationem efficacem, nec providere necessitati generis humani ob raritatem olei: ideo magis in aqua institutum fuit.

Dices ex Matth. *c.3.* Christum baptizaturum in Spiritu S. & igni; ergo ignis est materia hujus Sacramenti; sic prædicabat S. Joan. Baptista: ego vos baptizo in aqua: ille vero, &c. Resp. S. Bon. *in Luc. c.3.* quod præcursor Christi indicabat in illis verbis, quod baptismus Christi erat non in sola aqua, sed in aqua, & igne, idest gratia Spiritus S. quem nomine ignis appellabat, ut indicaret signum exterius assistentiæ Spiritus S. futurum in Pentecoste, tum in ordine ad Ecclesiam, tum in ordine ad efficaciam Sacramentorum, & maximè per Confirmationem futuram in tali die: Unde hic indicatur effectus, & efficacia assistentiæ dictæ.

Concl. 2. Ablutio exterior debet esse per physicum contactum corporis, vel partis principalis corporis: Est communis omnium Theologorum; ratio est, quia ad veram lotionem præceptam à Christo requiritur talis contactus vel totius corporis, vel partis principalis, secundùm quam quis dicitur lavari, sicut dicitur quis vulneratus, si vulnus tantùm attingat partem: Addimus quòd in casu necessitatis potest fieri ablutio in quacunque minima parte, vel membro corporis: immò si actu obstetricis potest pervenire ad infantem existentem 67

in utero matris ablutio physica, probabile est, verum esse baptismum, cum hoc tamen, quòd si infans tunc non moriatur, debet rebaptizari sub conditione: idem & si lotio tangat solùm capillos, quia probabile est in Philosophia esse partes integrantes corporis.

6 Concl. 3. Trina immersio non est de essentia Sacramenti Baptismi, sed sufficit una, licèt in Ecclesia Romana sit usus de trina: Est S. Bon. *d.3. part.2. a.1.* qui addit, quòd licèt possit fieri baptismus aspersione aquæ; usus tamen Ecclesiæ est per mersionem: Est communis omnium Theologorum, qui unanimiter docent fieri unum baptismum per trinam mersionem, ut indicetur unitas, & trinitas Personarum, tum ut significetur mors una Christi, qui tribus diebus extitit in corde terræ: tum ad significationem gratiæ, quæ una est in se, & triplex in virtutibus. Addit S. Bon. quod si casu accidit, quòd Sacerdos proferat totam formam verborum in prima mersione, non debet addere secundam, & tertiam.

Q.1. *An quæcunque modica aqua sufficiat. v.g. an gutta, vel duæ, vel tres guttæ?* Resp. plures cum Bonacina invalidum esse baptismum, eò quia ad validitatem Sacramenti requiritur contactus successivus, & tanta quantitas aquæ, qua possit denominari ablutus: Alii affirmant, dummodo illa gutta fluat per aliquam partem contactam: Attamen probabilissima est opinio Scoti, & aliorum sufficere unam guttam, quare in die Pentecostes fuerunt ter mille homines baptizati aspersione aquæ, in qua credendum est ad plures pervenisse tantum guttam, &c.

Q.2. *An quis mergens infantem in aqua, ut ipsum vere baptizet, simulque ut ipsum suffocet, sit verus baptismus:* Multi Scotistæ negant esse verum Sacramentum, quod est ordinatum ad vitam, non ad mortem: Probabiliùs tamen est, esse verum baptismum, licèt celebratum cum peccato mortali Spiritus S. quæ forma est approbata ab Ecclesia Catholica, quia substancialiter est eadem cum nostra Latina, quia per ipsam exprimitur sanctissima Trinitas. Quò ad mutationem variantem, & annullantem validitatem Sacramenti. *Vide S. Bon. d.3. p.1. art.3. q.2. & 3.* & summistas, qui fusè de hac re tractant.

Q. *An baptismus flaminis, & sanguinis sit Sacramentum, & an sufficiat ad salutem?* Resp. S. Bon. 70
d.4. p.2. q.1. & 3. baptismum flaminis consistere in contritione cum voto baptismi, & appellatur baptismus Pœnitentiæ: baptismus sanguinis est martyrium: neutrum autem est propriè Sacramentum; non enim consistit verum baptisma in solo corde, nec est validum sine aqua: uterque tamen sufficit ad salutem, quando quis legitimè impeditur à perceptione veri baptismatis. Quærit S. Doct. *l.4. d.4. p.2. a.3. ad ult.* quare effusio sanguinis appelletur baptismus, & non cætera martyria tolerata in aqua, igne, &c. & resp. primò, quòd cum per martyrium exponatur vita carnis morti, & quia vita in sanguine est, hinc quodlibet dicitur baptismus sanguinis. R. 2. quòd omne genus martyrii habet finem, & complementum in effusione sanguinis: & hinc est (subdit S. Doct.) quòd ab omnibus aliis martiriis aliqui fuerunt liberati, nunquam verò ab effusione, seu à pœna gladii: & ratio est, quia occisio per gladium est à mala voluntate hominis immediatè, sed alia sunt à creaturis operantibus naturaliter: & quia Martyr Deo obtemperat perfectè, congruum fuit, ut ipsæ & cederent suam virtutem ad magnificandam Dei liberalitatem, & virtutem: mala autem voluntas contra Deum nititur, & justo Dei judicio relinquitur in potestate sua libera, ideo nec fuit congruum, ut martyri subjiciatur, nec quod carnifex à malo prohibeatur. R. 3 quòd subjecit Martyres huic pœnæ, ut nullus evadat, & hoc ad magis imitandum Crucifixum.

QUÆSTIO III.

De forma baptismi: solvuntur plura dubia per plures Conclusiones.

69 Concl. 1. Notissimum est, ac certum de fide esse in hoc Sacramento certam verborum formam, hancque veram, & legitimam desumptam ex verbis Christi: Matth. ult. Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ratio autem, cur vocaliter sint exprimenda, est, quia hoc est Sacramentum fidei, quo fit professio legis Christi, & initiamur ad ipsius militiam; & quia, ut ait Apostolus, corde creditur ad justitiam, ore fit confessio ad salutem, hinc & ore, & verbo vocali sunt exprimenda ad salutem obtinendam.

Concl. 2. Forma propria, & essentialis baptismi est ista: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Est communis, & definita in Concil. Florent. & Trid. quia ista forma tradita fuit Apostolis à Christo & ipsa usi sunt antequam Christus diceret illa verba: Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. & ratio est, quia cum hoc Sacramentum sit fidei, in ipso debet exprimi unitas, & Trinitas divina. Notant tamen Theologi, quòd Græci alia forma utuntur, nempè: baptizetur talis servus Jesu Christi in nomine Patris, & Filii, &

QVÆSTIO IV.

An baptismus sit medium necessarium ad salutem.

Pelagiani negantes contractionem peccati originalis à primo Parente, negant etiam baptismi necessitatem ad vitam æternam; concedebant tamen ipsum esse necessarium ad ingressum regni cælestis. Hæretici nostri temporis, Calvinus, Bucerus, aliique apud Belarminum, negant necessitatem baptismi ad salutem, & vitam æternam; unde solùm admittunt baptismum non ad delendam culpam originalem, sed ad obsignandam, & confirmandam gratiam priorem, cum qua nascuntur ex fidelibus patribus, non ut novam adquirant. Vera, & Catholica omnium Theologorum conclusio est, baptismum in lege evangelica esse medium necessarium ad salutem, nec aliquem posse salvari sine ipso: cum hoc tamen discrimine tam in parvulis, quam in adultis, si in odium fidei occidantur, tunc eis sufficit martyrii baptismus, ad quem non potuerunt pervenire: In adultis verò sufficit baptismus flaminis scilicet contritio cum voto baptismi: sic communiter Theologi in 4. & S. Bon. *ibid. d.4. p.2. d.4.* idque manifestum est ex pluribus locis S Script. & præcipuè ex illo loco Joa. 3. Nisi quis renatus fuerit, &c. estque lex universalis 71

pro

pro omnibus facta: Ratio autem est, quam adducit S. Doct. cit. quia cum post passionem suam Christus formaverit Ecclesiam, & in ea Ecclesiastica Sacramenta collocaverit tanquam media ad applicandum fructus suæ passionis, ideo in Ecclesiæ fide totam salutem collocavit; ergo sine usu sacramentorum non potest esse fides Ecclesiæ, ergo nec salus. Alias rationes addit S. Doct. *ibid. & q.* 1. *& a* 2. *q.* 1. *&* 2. quæ possunt videri.

Objic. si infantes in baptismo non possunt salvari etiam dato quocumque impedimento sequitur eos in statu legis Evangelicæ esse inferioris, & pejoris conditionis, quam in statu legis veteris, quibus erat destinatum aliud auxilium pro salute, in casu quo non possent circumcidi, nempe fides, & oblatio parentum, sic sine culpa peribunt innocentes infantes: hoc est argumentum Calvini, aliorumque hæreticorum sub pietatis specie excludentium baptismi necessitatem. R. Theologi cum Seraph. D. *l.* 4. *d.* 4. *p.* 2. *dub.* 4. neg. sequelam assumpti: Baptismus enim fuit assignatus à Christo tanquam remedium suavissimum, sufficientissimum, & facillimum, in quo omnia alia remedia terminantur; nec ideo tollitur ejus efficacia, & facilitas, quia aliquibus non prodest; sufficit enim Deum providisse sufficienter tantum bonum universale, absque eo quòd teneatur impedire actus causarum particularium: de qua materia fusè egimus in disp. de divina providentia, & prædestinat. in primo libro.

72 Not. autem hîc, quòd aliqui Theologi Catholici sub specie pietatis dixerunt infantes in aliquo casu necessitatis extra Martyrium sine baptismo salvari, maximè quando Baptismus ob occultum defectum non fuit validus: referuntur Altisiodor. *l.* 3. *tract.* 3. *c.* 4. *q.* 2. Alensis *p.* 4. *q.* 3. *membr.* 3 *a.* 3. Sylvester *verbo Baptismus.* Gabriel. *l.* 4. *d.* 4. *q.* 2. *a.* 3. *dub.* 3. Gerson. *t.* 3. *serm. de Nativ.* Burg. Caietanus autem addit *q.* 68. *a.* 2. id semper fieri in casu necessitatis si applicetur fides parentum aliquo religionis signo, eo quòd præpeditus ad recipiendum Sacramentum reduci debet ad statum, & remedia legis naturæ: quæ sententia ut temeraria à multis recentioribus notatur, veluti valde ansam tribuens hæreticis negantibus necessitatem baptismi. Et quo ad Seraph. D. verum est, quòd ipse *l.* 4. *d.* 4. *p.* 2. *q.* 1. *ad ult.* dicit, quòd parvulus, si moriatur sine baptismo, verè damnatur, quia sine ipso non potest disponi ad gratiam quantùm est de jure communi, nisi Deus de speciali privilegio ei provideat, sicut in sanctificatis in utero: Ex quibus patet S. Doct. nihil dicere contra sensum communem Ecclesiæ. In *l.* 4. *d.* 3. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 1. affert textum D. Ambros. ubi ponit casum, quo dum Sacerdos baptizat, & profert in nomine Patris moriatur ante nominationem Filii, & Spir. S. tunc enim ait S. Ambros. est plenum Sacramentum, sumens, ly, Sacramentum, non pro baptismo, sed pro fide Trinitatis, & addit, quòd in tali casu credendum est, quòd divina misericordia, & summus Sacerdos non dimittat imperfectum, quod inchoatum est: unde ex his nullum est fundamentum trahendi Seraph. D. à sensu communi Ecclesiæ, & Catholicorum, cum ipse *d.* 4. *p.* 2. *dub.* 4. *& aliis loc. cit.* apertissimè sustineat neminem nisi baptizatum posse salvari.

QVÆSTIO V.

An liceat infidelium filios invitis parentibus baptizare.

SUppon. 1. Quòd per filios infidelium in hac quæstione intelliguntur filii eorum, qui extra Ecclesiæ jurisdictionem jacent, nam hæretici, & Apostatæ sunt Ecclesiæ subditi; unde eorum filii subtrahi possunt: unde de istis principaliter quæstio non procedit, de quibus tamen etiam traditur id quod faciendum catolicè: sed cum adsint alii infideles non subditi, ut puta Turcæ, Mauri, Gentiles, qui subditi non sunt Christianis Principibus; alii verò sunt subditi, & subjecti iisdem, & inter primos alii sunt servi, & mancipia, alii liberi quo ad civilem potestatem, quæritur an istorum filii invitis parentibus possint baptizari. 73

Suppon. 2. tanquam probabiliùs non posse baptizari filios parentum, qui non subjacent potestati civili Principum Christianorum ipsi inviris, certum tamen est, quòd si baptizentur, verè baptizati sunt: Certum est etiam posse baptizari filios infidelium, qui tanquam mancipia, & servi sunt sub potestate Principum, ut sunt qui in justo bello capiuntur, quòd patet continua experientia. Controversia igitur tota reducitur ad filios infidelium subjectorum Civili Potestati Principum, an licitè possint baptizari invitis parentibus, v. g. filii Judæorum; nec controversia proponitur de validitate, nam certum est, quòd, si baptizentur, est validus baptismus ut infra dicetur; sed quæstio est an licitè, absque offensa justitiæ, & peccato id possit fieri.

Prima opinio est D. Thomæ, & sequacium negativa, quia esset contra jus naturale, quod habent parentes in filios: sic etiam ista sententia mordicùs sustinetur à P. Gaud. veluti conformior sensui Seraph. D. & P. Caspens. nostro tract. de fide, in quo tamen hallucinantur. 2. Opinio est Scoti, & sequacium apud Mastrium *n.* 86. quam & alii ex aliis Scholis sequuntur, est affirmativa cum aliquibus cautelis tamen infra adducendis; quam tanquam magis fidei proficuam, & fundatam in doctrina Seraph. amplectimur.

Not. 1. & suppon. id quod à nobis cum communi Theologorum traditum fuit *in* 2. *lib. sent. d.* 16. *de legibus*, quòd omnis lex à lege æterna, & divina descendit, & subordinatur, quæ lex etiam dicitur naturalis, sed divina, quæ ex parte Dei est quoddam decretum divinæ voluntatis æternum, quo statuit homines, & Angelos sic esse in tempore regulandos secundùm rectam rationem: & quia talis dicitur per respectum ad subditos, hinc in nobis dicit quemdam habitum innatum (subordinatum tamen legi divinæ) quo instruitur intellectus circa principia moralia universalia, & inclinatur affectus ad ipsa amplexanda, & hæc propriè dicitur lex naturalis, ut docet S. Bon. *l.* 2. *d.* 39. *q.* 2. & D. Thom. *q.* 93. *a.* 2. Et hinc ex istis principiis universalibus inferuntur conclusiones, & leges particulares, nempe lex positiva divina, & humana: illa habet auctorem immediatè Deum, ista habet auctorem habentem publicam auctoritatem præscribendi subditis aliquid faciendum, vel prohibendi aliquid non faciendum, sed semper cum subordinatione ad legem æternam Dei: 74

qua subordinatione deficiente lex non est justa, nec obligat ad observantiam; eò quia ut docent omnes Theologi, omnia creata subduntur legi æternæ.

75 Not. 2. cum communi Theologorum ex Seraph. Doct. quòd ex lege naturali, quæ est propria hominis, & secundùm rationem descendunt leges particulares præcipientes homini actus proportionatos rationi, inter quas potissimum locum tenent præcepta Decalogi, quæ obligant omnes homines, cum sint de dictamine naturæ, ob idque obligantia in conscientia, & consequenter irritant ea, quæ contra ipsam legem naturalem fiunt. Ex quibus infertur cum Seraph. Doct. *l. 3. d. 35. a. 1. q. 6. & d. 9 a. 2 q. 1. ad 3. & Op. de dono piet. cap. 1. & 2. & Op. Centil. p. 3. sect. 44. & alibi sparsim*, quòd jus parentum in filios fundatur in pietate, quæ est pars justitiæ: Pietas autem ordinat hominem primò ad Deum, 2. ad parentes, 3. ad cæteros homines: ideo primum locum habet pietas, & cultus in Deum, secundum locum tenent parentes, & filii, tertium autem cæteri homines: & quia pietas de se ordinatur ad Deum, & proximum, prout habetur pro objecto imago Dei, hinc est, quòd priùs obligat hominem ad Deum, cui debet obsequium principale, & cætera excedens tanquam ei, ad cujus similitudinem factus est, & quod suæ creationis, & conditionis primum est, & principium: deinde verò quia pater terrestris quodammodo gerit imaginem patris cælestis, & filius genitus gerit imaginem patris, & ab eo sumit originem, hinc secundariò oritur jus naturale parentis in filium, & obligatio filii ad patrem: & tandem quia omnis homo gerit imaginem Dei, hinc & oritur obligatio exercendi pietatem in cæteros homines insignitos divina imagine: quæ doctrina, quæ est communis Theologorum omnium, nobis viam aperit percipiendi clare quo fundamento ineluctabili Scotus sustinet suam opinionem: cum enim pater jure naturali habet dominium aliquale in filios, istud tamen, ne prævertatur ordo justitiæ, ad hoc ut sit rectus, non debet esse contra finem ejus, qui est cultus Dei, tenetur enim jure naturæ alere filios, & jure divino eos educare in iis, quæ spectant ad salutem animæ: hinc est, quòd nullum jus conceditur parenti in filium contra debitum pietatis, qua tenetur filio salutem procurare non tantùm corporis, sed principaliter animæ, quæ per baptismum aquiritur, sed dato casu, quod pater deficiat in usu talis dominii in filios, eos malè educando, & per viam perditionis ducendo, quale remedium poterit adhiberi?

76 Not. 3. ex Seraph. D. *l. 2. d. 44. a. 2. q. 2.* quòd in statu naturæ lapsæ dominium, & servitus faciunt ad conservationem ordinis naturalis; & hinc Deus præposuit hominem super alium hominem, nempe Principes, quibus dedit Deus potestatem coercitivam contra deficientes, & perversos, innocentesque defendendi, ne à malis, & perversis lædantur, prævertantur, & ad interitum deducantur; & hoc cum sit certissimum, sequitur, quòd Principes videntes parentes peccare in cura, & educatione ordinata filiorum, tenentur, & ad ipsos specta jure naturali divino providere ne ruina cadat in filios, & hoc maximè eos ad baptismum reducendo: quæ provisio licèt videatur spectare ad Principes Ecclesiasticos, cum sit ordinis supernaturalis, siculi verè, & directè, & propriè spectat ad Ecclesiam, & Ecclesiasticos Prælatos: tamen non excluditur Princeps etiam sæcularis, & temporalis, qui gladium Dei portat; habet enim, & ipse potestatem saltem indirectam in spiritualia, sicut videmus ipsum punire delinquentes contra virtutes ad religionem spectantes, & hoc maximè quando error, & delictum in detrimentum communis utilitatis, & religionis vergit, sicut est defectus super omnes, de quo loquimur, cum nihil magis sit de lege naturali, quàm cultus Dei verus, nihilque magis conducat ad pacem publicam, & Reipublicæ profectum. Quod & his temporibus exemplo forsan nunquam à sæculis audito videmus practicatum à Christianissimo Rege Galliæ contra Hæreticos suorum Regnorum cum summa laude, & admiratione non solùm Catholicorum, sed & ipsius Vicarii Christi.

Not. 4. Quòd ad conficiendum validè baptismum, licèt in suscipiente adulto requiratur fides, & intentio, in parvulis tamen nulla est necessaria dispositio, sed solùm physica capacitas, nec requiritur fides parentum, hæc enim est quid extraneum baptismo: & ratio est, quam tangit Seraph. D. *l. 4. d. 19. q. 1. ad 2.* quia baptismus est Sacramentum omnimodè necessarium, & ob id opus Dei, non hominum, nec tanta libertas in eo requiritur sicut in cæteris Sacramentis, ut patet in matrimonio, nec voluit Deus baptismum dependere à voluntate parentum, ne defectu talis consensus frustraretur salus: & jure merito, nam licèt voluntas patris censeatur voluntas filii, id tantùm verificatur in jure civili ad aliquos effectus civiles à voluntate Reipublicæ pendentes: non verò in iis, quæ spectant ad fidem, ideoque pro validitate baptismi sufficit Ecclesiæ voluntas, vel voluntas universalis Christi, qua statuit, ut, à quocumque baptismus parvulis conferatur cum debita intentione, illis prosit ad salutem; unde falsissimum est, quod dicunt aliqui Thomistæ, & noster Gaudent. *n 46.* requiri ad validitatem baptismi voluntatem parentum, quæ sententia est parum tuta in fide, nam pro infantibus sufficit voluntas Ecclesiæ, vel Christi, sicut dictum est. 77

Concl. 1. Infantes si baptizantur, invitis parentibus sive subjectis Principibus Christianis, sive non, validè baptizantur; & tenet Sacramentum; an verò licitè, infrà dicetur: Est communis consensus Theologorum, nec ullam difficultatem solidam potest quis adducere: Ratio est, quia ad conficiendum validè Sacramentum Baptismi essentialiter requiritur materia apta, forma verborum, & intentio Ministri, quæ sit conformis intentioni Ecclesiæ, vel Christi: sed in dato casu adsunt omnia ista: ergo. Major est certa: Minor etiam est certa quo ad materiam, & formam: probatur verò quo ad intentionem conformem intentioni Ecclesiæ, & Christi; nam cum in ea ætate non possit concurrere intentio infantis, sufficit fides Ecclesiæ, cum qua minister operatur conformiter intentioni Christi, qui pro omnibus hominibus instituit hoc Sacramentum indifferenter: sicut enim sola voluntas Adami suffecit ad inficiendum omnes descendentes, sic sola voluntas Christi sufficiens fuit, ut omnes regenerarentur justi, cum non sit minus efficax meritum Christi ad justificandum, quam Adæ demeritum ad damnandum. 78

Dices: Ad validitatem Sacramenti requiritur consensus, sed in adultis sufficit proprius; ergo in infantibus alienus: sed nullus aliùs potest assignari, quam parentum, cum voluntas patris in civilibus reputetur voluntas filii: ergo, &c. Resp conced.

conced. totum de adultis, neg. de infantibus; falſum enim eſt, validitatem baptiſmi pendere à voluntate extranea parentum, &c. nec de hoc poteſt adferri ullum fundamentum, vel enim eſſet ex propria inſtitutione Sacramenti, & hoc non, cum enim Sacramentum hoc ſit ſummè neceſſarium, noluit Deus, ut dependeret ab extrinſeco conſenſu, ne defectu talis conſenſus ſalus fruſtraretur: vel eſſet ex aliqua Eccleſiæ auctoritate, & hoc non, quæ non poteſt ullibi aſſignari: vel ex praxi Eccleſiæ, & hæc potius eſt in contrarium, cum numquam conſueverit rebaptizare infantes contra voluntatem parentum baptizatos: vel tandem ex paritate conſenſus requiſiti in adultis, & hæc eſt ratio Adverſariorum; ſed neque ex hoc poteſt colligi invaliditas: nam licèt in iis, quæ ſunt de jure civili voluntas patris cenſeatur voluntas filii, non tamen in iis, quæ ſunt ſuperioris ordinis, & quæ ſpectant ad ſalutem animæ, iſta enim ſunt regulanda ſecundùm voluntatem Eccleſiæ, vel ejus fidei, vel voluntatem Chriſti, ut dictum eſt. Et quòd hoc ſit evidenter verum: demus, ut pater obliget infantem ad ſolutionem alicujus debiti in adulta ætate: certum eſt, quòd tunc erit obligatus: demus iterum, quòd pater obliget filium, cum fuerit adultus ad ſequendam ſectam Mahometis, vel Judæorum: certum eſt ad id non teneri.

Dices: ſufficit voluntas interpretativa ad obligandum filium, nempe nos debere interpretari voluntatem filii futuram in ſtatu adulto conformem voluntati patris. R. interpretationem voluntatis filii faciendam modo, quo ſit futura utilis, non perniciosa filio, ob idque, & ipſum voliturum quod ſibi profuturum eſt; unde ſemper interpretanda eſt in partem meliorem: nec enim congruum eſt bonitati divinæ conſtituere infantem carentem uſu rationis ſub poteſtate iniqua, in qua ſibi ſubvenire non poteſt, & ad quam factus adultus non tenetur.

79 Concl. 1. Non ſolùm validè, ſed licitè poſſunt Principes, invitis parentibus ſubditis, ipſorum filios ad baptiſmum trahere: Eſt Scoti, & omnium ſequacium apud Maſtrium *n*. 85. *ſeq.* pluriumque aliorum, quam potentiam quo ad pueros ſeptenes mordicùs, & doctiſſimè ſuſtinet, & probat Ciarlinus *l*. 1. *c*. 42. ejuſque fundamenta ſolida, ut plurimum faciunt etiam ad probationem noſtræ concluſionis pro pueris ante ſeptenium: eſtque magis conformis pietati, qui Theologi tamen id aſſerunt cum ſequentibus cautelis. 1. Quòd jure, vel facto à parentum cura extrahantur, ne in apoſtaſiam cadant cum maxima irreverentia fidei: 2. quòd non adſit periculum, ut à parentibus occidantur. Prob. autem hac ratione ineluctabili: Nullum præjudicium ex hoc infertur juſtitiæ; ergo. Prob. anteced. quod eſt Achilles adverſariorum: quia recta juſtitia ordinat pietatem primò ad Deum, ſecundò ad parentes; ergo patria poteſtas ſubordinatur divino imperio, & voluntati, & præſupponit ſuper omnia cultum Dei, & obſervantiam legis divinæ; nam ut rectè docet Seraph. jus naturale eſt lex ſcripta in corde hominis deſcendens à lege æterna Dei: ſed Deus vult omnes ordinari ad ſalutem, ob idque & baptizari, & ad agnitionem veritatis venire, dixit enim Chriſtus: Euntes in univerſum mundum, docete omnes gentes, &c.

Prob. 2. Quando duo dominia ſunt ſubordinata, parendum eſt dominio ſuperioris, contempto præcepto inferioris oppoſito, quæ propoſitio eſt omnium Doctorum ex D. Aug. ſed Deus eſt Dominus univerſalis ſecundùm legem naturalem, & Evangelicam omnium parvulorum, & pater eſt dominus inferior, & particularis: ille præcipit ut omnes gentes baptizentur, iſte præcipit oppoſitum; ergo in tali caſu magis parendum eſt Deo, quàm patri; ſubſumo, ſed Princeps, qui portat gladium Dei, repræſentat perſonam Dei, ideoque habet poteſtatem coactivam reſpectu ſubditorum ad defenſionem innocentis, & ad manutenentiam dominii, & legum divinarum, ergo poteſt auferre à ſubditis infidelibus invitis filios, eoſque juxta Dei voluntatem, & decretum baptizare. Confirm. quia ſi id non poſſunt, hoc maximè eſt, quia parentes habent jus naturale in filios, ut poſſint eis impedire receptionem baptiſmi, quo jure non poſſunt ſine injuſtitia privari: ſed hoc nihil eſt, nec parentes habent tale jus; ergo. Prob. minor: nam major eſt Adverſariorum, & Juriſtarum: Jus naturale verum, juſtum, & rectum non eſt contrarium juri divino, nec eſt impeditivum ipſius legis divinæ, nam ut eſt in confeſſo apud omnes Theologos jus naturale deſcendit à lege æterna, & divina, nec gratia naturam deſtruit, ſed perficit, & parentes tenentur jure divino ſuos parvulos baptizare, id enim omnibus hominibus à Deo præcipitur, ergo non habent jus naturæ rectum, ordinatum, & verum; ergo Principes Chriſtiani gladium Dei habentes juſtè & licitè, & ſanctè poſſunt invitis parentibus infantes baptizare. Prob. conſeq. & confirm. nam talis prohibitio patris, ne filius baptizetur, non ſolùm eſt in præjudicium juris divini, ſed etiam filii ipſius: pater enim ex præcepto divino, & ex naturali non ſolùm tenetur providere de alimento filium, ſed & de remedio ad ſalutem neceſſario: ita quod in caſu, quo pater deficiat, vel aliquod præjudicium grave, vel periculum mortis redundet filio, tenetur Princeps ipſum eripere, ergo & à fortiori poterit licitè ipſum auferre patri, & baptizare.

R. Adverſ. varii vario modo his rationibus, & 80
primò Caiet. concedendo poſſe baptizari filios, ſed ſervato ordine naturæ, & jure naturali: non autem quando eſt contra jus naturæ, ſicuti eſt in caſu noſtro, etiamſi voluntas divina generalis ſit, ut baptizentur. Sed contra, ergo jus naturale infringere poterit jus, & voluntatem divinam, quæ eſt ſuperior, & cui omnia jura debent ſubordinari, quod eſt falſiſſimum: Contra 2. quia pater impediens baptiſmum filio facit immediatè contra jus divinum; cum teneatur jure divino procurare ſalutem animæ, magis quam corporis filiis: & ſi in hoc deficit, ad quem ſpectabit providere tanto malo, & damno illato puero innocenti, niſi ad Principem habentem poteſtatem coactivam in patrem, & filios? Unde hæc evaſio evaneſcit. Reſp. Vaſquez, quod licitè filii abſtrahuntur à parentibus, quando injuſta vis infertur in rebus debitis jure naturæ: ſic enim defenſio hæc locum habet ſolùm contra vim, & fraudem juri naturæ repugnantem: parentes autem impedientes baptiſmum filiis, non faciunt contra patriam poteſtatem, nec contra legem naturæ, ſed tantùm contra legem fidei, & contra pietatem non lumine naturali cognitam, ſed ſolùm lumine fidei notam: diligenter nota hanc reſponſionem continere duo capita hallucinationis maximæ: Primum eſt aſſertio, quod facere contra legem fidei non eſt facere contra jus naturæ: ſecundum eſt, quod ignorantia fidei in parente ſufficit ad hoc, ut non poſſit privari filiis,

&

& ob id & ipsum immunem reddere ab obligatione, quam de jure divino habet pater procurandi salutem spiritualem filiorum. Contra quam sic arguo: jus naturale contra legem fidei non obligat, imò non potest esse contrarium legi fidei, & si est contra legem fidei, destruitur ratio juris naturalis, prævertitur, & absumitur, ita ut nihil remaneat de jure naturali nisi merum nomen, & sonus. Prob. assumptum, quia dominium, & patris potestas in filios spectat ad pietatem: pietas autem est actus justitiæ ordinans primò hominem ad cultum Dei, secundò ad ea, quæ spectant ad corpus: & ratio est, quia quicquid jure naturali conceditur continetur in Decalogo, & ad præcepta virturum reducitur, quæ omnia lege fidei confirmantur: ergo nullum jus conceditur patri in filium contra debitum pietatis, quæ primò vult salutem animæ,& cultum Dei, & fidem in Deum, quæ per baptismum aquiruntur. Ex quibus patet hallucinatio Vasquez quo ad primam punctum. Secunda est circa ignorantiam rerum fidei existentem in parentibus, quæ sub lumine fidei tollitur, & sine fide remanet in iis pietas lumine solo naturali cognita, idque ait sufficere, ne possint privari, & separari à filiis: Contra quod dictum arguo: 1. quia hæc ignorantia non potest excusare infideles, ut Judæos degentes inter Christianos, qui sæpe audiunt voluntatem Dei, sed perfidi volunt manere in sua obstinatione, ergo ipsi nec excusantur in foro Dei, vel hominum; 2. quia etiam data quacumque ignorantia sive culpabili, sive inculpabili potest, imò tenetur Princeps impedire, ne innocentibus obsit ad ruinam, & damnationem, tanquam positis in extrema necessitate: sicque corruit ratio Vasq.

Instat Suarez: hoc remedium non spectat ad Principem sæcularem, sed ad Ecclesiam cum sit ordinis supernaturalis, ergo non potest Princeps id facere. R. primariò spectare, & directè ad Ecclesiam, sed indirectè ad Principes sæculares, sicut etiam in multis tangentibus res ad Religionem, & virtutes supernaturales se ingerunt quotidie: id enim ipsis licèt, quando error communis in detrimentum communis utilitatis vergit, & maximè cum hoc rectum,& justum judicatum est à potestate spirituali: tunc enim operatur veluti minister, & coadjutor Ecclesiæ; ad cujus utilitatem utitur sua potestate. R. amicus, & cum eo Gaud. posse Principem procurare salutem subditorum infidelium, sed modo à Christo præscripto, nempe ut convertantur liberè, nempe liberè immediatè adulti, & liberè mediante voluntate patrum parvuli: sed hæc responsio, licèt sit vera in adultis, falsitatem tamen manifestam continet quo ad parvulos, ut supra in fundamentis ostensum est, cum ad baptismum filiorum non sit necessaria voluntas extranea parentum. Prob. ultimò ad hominem contra ipsos assertores adversariæ sententiæ: 1. quia ut rectè, & doctissimè arguit Mastrius, ipsi admittunt posse invitis parentibus baptizari filios, quando patres sunt hæretici, & apostatæ, cum ratione baptismi suscepti sint subditi Ecclesiæ, 2. concèdunt filios infidelium serviliter subjectorum Princip bus Christianis licitè baptizari posse, ipsis parentibus invitis, 3. admittunt posse baptizari filios in certo mortis periculo constitutos, invitis parentibus, 4. posse baptizari filios cum pervenerint ad usum rationis, consentientes baptismo, etiam invitis parentibus, quæ assertiones militant contra ipsos adversariæ opinionis, & confirmant manifestè nostram opinionem, quod ordinatim à nobis probatur. 1. de filiis hæreticorum tanquam subjectorum Ecclesiæ, contra quos arguo: Baptismus, seu fides suscepta non aggravat legem naturæ, nec præjudicat juri paterno in filios, quia fides non destruit, sed perficit, & confirmat legem naturalem, ac proinde non tollit jus paternum in filios: alioquin fideles in hoc essent pejoris conditionis, quam infideles, & Judæi: sed filii hæreticorum secundùm adversarios, invitis parentibus, baptizari possunt auctoritate Principum, & Ecclesiæ: ergo pari ratione infidelium subditorum filii poterunt auctoritate Principis baptizari, invitis parentibus, sine præjudicio juris paterni. R. Advers. apud P. Gaud. *n.* 56. negando paritatem, eo quia hæretici sunt subditi Ecclesiæ, ideo violantes ejus leges justè privantur, & puniuntur tali jure. Contra: Parentes quicumque sint, de jure divino tenentur educare filios in ordine ad salutem æternam, ergo violantes jus divinum justè privantur jure paterno, 2. concedunt de filiis parentum serviliter subjectorum Principibus: Contra quos arguo, servitus politica non magis inducit potestatem in Principem in præjudicium potestatis paternæ, quam præceptum, & jus naturale divinum, imò illa minus inducit, quam ista, servitus enim politica inducta est non jure naturali, sed jure gentium, vel politico, quorum neutrum potest præjudicare juri naturali, quod est reliquorum omnium fundamentum, & à quo cætera jura descendunt: ergo si servitus politica præjudicat patriæ potestati, ita ut, invitis parentibus, possint eorum filii baptizari, multò magis titulus obligationis, quam habet pater de jure divino educandi filios ad salutem animæ, præjudicabit potestati paternæ, cum ista obligatio sit strictior in ordine ad Deum, quam obligatio servitutis in ordine ad Principem. 3. concedunt posse baptizari filium in certo mortis periculo. Contra quos sic arguo, mortis periculum, & extrema necessitas non tollit patriam potestatem, sed perseverat etiam super cadaver post mortem, & tamen cessat talis potestas paterna adveniente periculo, & extrema necessitate; ergo, idem poterit Princeps in eosdem filios positos in extrema necessitate salutis animæ, in qua vivunt dum pater obstinatus eis præcludit pro viribus viam salutis: æqualis enim est obligatio charitatis in positis in potestate subveniendi proximos.

Respondent negando paritatem de periculo mortis, & alio statu: tunc enim non suppetunt alia remedia puero morituro, sicut, si viveret, non poterunt ei deficere. Sed tamen id gratis dicitur; nam extrema necessitas obligans ad subventionem est tempus præsens, in quo quis certo ipsa laborat, non futurum; talisque est puerorum, de quibus loquimur: tum quia probabilissimum est ex ipsa experientia quotidiana in futuro tempore difficiliorem reddendam esse ipsorum conversionem, & hoc quia sic enutriri lacte pessimæ doctrinæ, quam à majoribus perversis ebibunt, addita malorum, & malignorum conversatione, addito etiam malo exemplo malorum Christianorum, etiam probabiliter collocandi sunt in majori necessitate in adulta ætate: unde hæc responsio adversariorum evanescit. 4. admittunt adversarii posse baptizari filios cum pervenerint ad usum rationis, si præstant suum consensum; etiam invitis parentibus: Contra quod arguo: Usus rationis in filio, maximè quandiu impubes est, nihil derogat patriæ potestati, cum

cum ſit in omnibus ſubjectus patri; ergo ſi in dato caſu conſenſus ad baptiſmum non impeditur ob patriam poteſtatem, nec etiam ante uſum rationis, ſunt enim iſtæ ætates pares in ordine ad patriam poteſtatem. 5. Addimus alium caſum: dato quòd mater ſit fidelis, pater infidelis, Eccleſia in favorem fidei abſtrahit à patente infideli filios uſu rationis carentes, eiſque præbet baptiſmum: & tamen in dato caſu deberent ſequi ſecundùm leges civiles conditionem patris ob patriam poteſtatem, ergo ſi hæc non impedit quin in favorem fidei filii baptizentur, nec in aliis caſibus. Ex quibus clariſſimè patet concertationem inter iſtas duas ſententias Theologorum vel eſſe de nomine tantùm, ut fatetur Maſtrius *in tomo Theol. moralis d.* 17.*n.*42. vel fundamenta Thomiſtarum contra ipſos pugnare, cum in multis caſibus admittant poſſe baptizari filios, invitis parentibus, abſque eo quòd lædatur jus naturale parentum in filios, cùm ſalus filiorum præponderet cuique legi naturali, ut dictum eſt. Vnde firma ſtat concluſio ex doctrina noſtra communis totius Scholæ Scotiſtarum, & plurimorum aliorum, ut infrà, &c. quòd licèt ſubtrahere filium à cura parentum ſit contra jus paternum, tamen licet Principibus facere aliquid circa filium ſecundùm fidem noſtram, quod pater non facit, nec permittit facere, tunc enim non cenſetur fieri contra jus patriæ poteſtatis, ut docet Vaſquez *d.* 155. *cap.* 2. Tum quia (ut addit Aretinus *l.* 4. *d.* 3. *q.* 9. *a.* 1.) juſtè pater privatur jure ſuo, dum malè abutitur ſua poteſtate in perniciem filiorum; tum quia (ut addit Faber *diſp.* 15. & hoc diligenter eſt notandum) licèt pater non amittat jus patriæ poteſtatis ob talem abuſum, tamen in his caſibus, qui reſpiciunt jus divinum ſuperius, & nobilius, nullum jus habet in filium, nec ullam poteſtatem; quia ad hoc non ſe extendit patria poteſtas, quæ eſt limitata, & divinæ poteſtati ſubordinata: tum etiam quia in multis aliis caſibus ſecundùm Juriſtas poſſunt patri auferri alia bona, & filii, & eorum educatio, quando redundat in detrimentum ipſorum, &c.

81 Objic. 1. Lex divina non aufert jus naturæ, ſed illud confirmat, quia ipſe Deus eſt utriuſque cauſa, ſed jus naturæ ſubjicit filios curæ parentum, eò quod ipſi ſunt aliquid patris, antequam perveniant ad uſum rationis, ſed baptizare ipſos, invitis parentibus, eſt ipſos ſubtrahere à poteſtate eorum, ergo id non licet. R. facilè huic unico fundamento Thomiſtarum, conced. majorem, dummodo incedant cum debita ſubordinatione ad talia jura: ad minorem reſp. eodem modo: nempe quando parentes non abutuntur contra jus divinum ſua poteſtate in perniciem filiorum, & ſi abutuntur, negatur fieri contra jus paternum, nam, ut ſupra notatum eſt ex Fabro, in tali caſu non habet ullam poteſtatem pater. Et ad illud dictum, quod filii cenſentur aliquid patris, vel voluntas filiorum cenſetur voluntas parentum, R. ex ſupra traditis id concedendo quo ad aliquos actus civiles, & in iis quæ ſpectant ad victum humanum, & vitam corporalem; ſic videmus patres vendere filios, eos obligare ad aliqua onera, & debita: negatur autem voluntatem filiorum eſſe voluntatem patris in iis, quæ ſpectant ad ſalutem, & vitam ſpiritualem: quis enim dicet, ut ſupra notavimus, filium teneri ad ſectandam hæreſim Lutheri, vel Sectam Mahometis, eo quod ad id obligatus fuit à patre? error iſte eſſet intolerabilis, & amentiæ, vel perfidiæ maximæ nota.

Dices: Sicut in adultis requiritur proprius conſenſus ad baptiſmum, ita in parvulis conſenſus alienus, ſed in tali caſu voluntas parentum ſtat, & debet interpretari voluntas filiorum; ergo. R. 1. neg. ad baptiſmum neceſſariò concurrere voluntatem extrinſecam patris, ut ſupra dictum eſt. R. 2. nos debere interpretari voluntatem infantis in bonum, non in damnationem, & ideo ipſum nolle conſentire in voluntate peſſima parentum, quia filius non debet portare iniquitates patris.

Objic. 2. Si, invitis parentibus, baptizarentur infantes, vel fieret injuria Sacramento, vel ipſis parentibus, ſed neutrum debet admitti, ergo. Prob. ſequela majoris; nam vel tales relinquerentur ſub cura parentum, vel ſubtraherentur: ſi primum, eſſet periculum manifeſtum apoſtaſiæ: ſi ſecundum, tunc fieret contra jus parentum. R. quod ſupra jam dictum eſt de injuria parentum, quæ negatur cum in tali caſu non ſe extendat ad filios: quo ad periculum apoſtaſiæ infra dicetur.

Dices: Eccleſia nunquam tentavit auferre filios, invitis parentibus, eoſque baptizare: ergo ſignum eſt (dicunt Vaſquez, Caſpenſ. & alii) quòd id non licet facere: imò hoc prohibetur *in cap. de Judæis d.* 45. & Concil. Tolet. quartum id prohibuit, & præcipuè Regi Abeduno, qui hoc practicavit. R. quod ex hoc non deducitur eſſe illicitum tale factum, ſed tantùm infertur Eccleſiam id nunquam tentaſſe ob periculum vel æqualium, vel majorum inconvenientium malorum, quæ de tali præcepto, vel conſilio poſſent evenire: multa enim licent, ſed non omnia expediunt, ait Apoſtolus 1. *Cor. c.* 6. & ideo ſi Eccleſia id prohibuit, id fecit ob multa inconvenientia, quæ inde ſequebantur, & ne exoſa redderetur fides noſtra, & tanquam violenta ejus ſuſceptio exiſtimaretur; & tale fuit intentum Concilii Tolet. nec declaravit illicitum factum illius Regis, imò ipſum approbavit vocans ipſum religioſiſſimum, & zelantiſſimum, ſed ſolùm ad evitanda dicta inconvenientia conſulit, nè paſſim ad praxim id deduceretur.

Ad confirmandam hanc veritatem affero exemplum Ferdinandi Catholici, & aliorum Regum Hiſpaniæ, qui Mauros, & Judæos ad baptiſmum compulerunt, inter quos non eſt dubium, ut notat Maſtrius, plures fuiſſe invitos ad baptiſmum proprium, & filiorum, quod factum tamen Eccleſia non damnavit, ſed approbavit, & laudavit. Et Joannes Botterus in ſua Hiſtoria *p.* 3. *l.* 2. teſtatur præfatos Reges de conſilio peritorum in hoc ſecutos eſſe hanc Scoti doctrinam, & tot aliorum Theologorum. Addo ego & exemplum patris Joannis Baptiſtæ Eſtenſis, qui, cum priùs eſſet Dux Mutinæ, &c. & in florida ætate abdicatis ſæculi pompis, & renuntiato dominio Sereniſſimo Franciſco I. ipſius filio maxima admiratione totius mundi Chriſtiani, ad Religionem Capuccinorum ſe contulit, in qua veluti ſol radiis omnium virtutum ſplendens, æſtuanſque ferventiſſimo amore in Deum, & proximum ſemper totam ſuam vitam indefeſſo labore dicavit ſaluti animarum procurandæ, & præcipuè converſioni Judæorum; quorum aliquando, invitis parentibus, filios ſanctè rapuit, & ad Chriſtum per baptiſmum traxit. In quo non ſolùm non fuit repræhenſus, imò maximè laudatus apud Eminentiſſimos Cardinales S. Eccleſiæ, & Inquiſitores. Poſſem & addere aliud exemplum modernum Ludovici Chriſtianiſſimi Regis Galliarum, & Sereniſſimi Ducis

Sabaudiæ circa hæreticorum conversionem, sed de hoc infra agam, &c.

82 Concl. 3. Probabilis & in praxi tuta est opinio asserentium posse baptizari filios, invitis parentibus, etiamsi adsit levis suspicio periculi de relapsu in Apostasiam: multæ rationes ad hoc probandum possunt adduci, tum quia Ecclesia utitur jure suo dando baptismum indigentibus; tum quia in tali casu baptismus non esset omninò frustratorius, ac ipsi parvulo inutilis: si enim moreretur ante usum rationis, ut facilè contingere potest, sic evitaretur ejus damnatio: tum quia relapsus in Apostasiam est incertus, & fallibilis, levique tantùm suspicione nititur; tum quia posset dari casus, ut in apostasia ei insit infidelitas materialiter tantùm, dato quod sufficienter ei non proponantur mysteria fidei Catholicæ.

83 Concl. 4. Probabilis est opinio Doctorum asserentium posse à Principibus Christianis, vel Prælatis dari baptismum parvulis quibuscumque, invitis parentibus sive subditis, sive non, & ab ipsis filios subtrahi: sic plures Theologi apud Meldulam *n.* 105. Ratio est, quia saltem indirectè Ecclesia habet hanc potestatem ipso jure naturæ concessam, & probatur, quia potestas defendendi innocentes, & summam injuriam proximi ipso jure naturæ omnibus est concessa, maxim'que super omnes Ecclesiæ Prælatis, & Principibus Christianis, sed impedire ut infantes amittant salutem, & facere ut damnationem certissimam incurrant, est summa omnium injuria illata innocentibus; ergo licèt eos defendere, &c.

84 Ex traditis facilè resolvitur alia affinis quæstio, quæ ferè in praxi hìc Mutinæ accidit. Bella hæbræa vidua habens quatuor filios, duas puellulas infra septennium, & duos masculos præditos usu rationis: se se ultrò obtulit Christianis baptizanda cum filiis, & puellas promisit, & exhibuit baptizandas: sed antequam ad baptismum reciperentur hujus propositi pœnitens ad Judæorum comercium iterum se contulit cum filiis; quæritur, an vi oblationis prius factæ possint auctoritate Principis vi auferri dictæ puellæ, & baptizari? Huic dubio Marta famosus Legista respondet in terminis *in cons.* 18. debere restitui liberè matri, vel patri, nec posse tuta conscientia, invitis parentibus, baptizari: ad probandam suam opinionem affert sententiam D.Thomæ, & plures textus civiles, & canonicos probantes esse de jure naturæ potestatem patriam parentum in filios, nec posse tale jus lædi: sed tamen ex dictis corruunt dicta fundamenta, cum adsit aliud jus naturæ superius, quod est divinum, cui debet subordinari jus naturæ humanum, cumque aufertur talis subordinatio, tunc amittitur tale jus, vel cessat.

Quæ omnia supradicta, licèt sint sufficientia ad propugnationem doctrinæ citati Martæ, tamen quia in dicto consilio mordicùs sustinet opinionem adversam in favorem Hebræorum etiam cum fundamentis improbabilibus, & parum pietati fidei Christianæ conformibus; ut pateat ipsius hallucinatio. Noto 1. quòd dictus Marta *n.* 4 citat pro opposita, & nostra sententia Scotum, & Landulphum, vocatque falsam ipsius opinionem habentem infinitos contradictores, & præcipuè Papam contrarium disponentem.

85 In qua censura valde decipitur, cum opinio Scoti sit fundata in veritate Theologica, & supponat subordinationem necessariam legum civilium legi naturali, ac divinæ, à qua sola ipsæ trahunt suam originem, & sine qua nullam possunt importare justitiam, ut latè probat Seraph. Doct. in op. Princ. S. Script. & in serm. 1. & 3. Hexam. & cum eo cæteri Theologi, & nos supra probavimus, & hinc est, quod Schola tota Francicana cum pluribus Theologis aliarum Scholarum hanc Scoti opinionem sectantur, tanquam magis piam, & plus faventem fidei Christianæ: nec est verum, quod Papa oppositum disponat, ut dicit ipse, nisi cum moderatione à nobis supra tradita, & conformi huic sententiæ Scoticæ, de qua re quo ad Bullam Papæ videatur Ciarlinus *l.* 1. *c.* 42. *n.* 16. 38. ubi probat Papam nihil determinare contra hanc sententiam; nec opinio D.Thomæ, & Thomistarum, super quam Marta principaliter stabilit suam opinionem ullo modo favet ipsi, nam Angelicus Doctor non sic absolutè loquitur, ut contendit Marta; docet enim non debere baptizari filios invitis parentibus, quando inde probabiliter existimantur proventura mala majora in præjudicium fidei, quod supra notavimus, & docuimus in responsione ad secundam objectionem, ob idque rectè Mastrius vidit inter Scotistas, & & Thomistas controversiam reduci ad quæstionem ferè de nomine, & tali pacto exponendi sunt Canonistæ, sicut dispositio Papæ citata, de qua supra.

Noto 2. in hoc consilio Martæ ipsum male citate Scotum, quasi sequatur suam affirmativam sententiam ex eo, quod filii Hebræorum non sunt sub potestate parentum, sed veluti mancipia, & servi Principum: quod nec somniaverat Scotus, vel sequaces, ob idque mutilate Marta affert sensum, & doctrinam Scoti: nam Scotus quidem admittit in parentibus Judæis patriam potestatem, sicut & in cæteris, sed tamen subordinatam alteri patriæ potestati superiori, nempe legi naturali, & divinæ, qua supposita subordinatione in casu, quo parentes deficiant, merentur privari sua potestate, vel habendi, ac tractandi sunt ac si nullam haberent potestatem in filios, ut latè supra dictum, & probatum fuit.

Noto 3. Martam *n.* 4 ex Calderino, & Tusco docere, quod si Filii Judæorum impuberes baptizati fuerint contra voluntatem parentum, adhuc propter patriam potestatem debent tradi educandi ipsis parentibus. Ex quo infert non esse baptizandos filios invitis parentibus propter periculum fidei, & quia baptizatus ante usum rationis de facili ad persuasionem parentum perverteretur: quæ assertio est falsissima, & indigna Doctore Christiano, quippe quæ sapit ethnicismum, vel Hebraismum; est enim contra rationem, cum baptizatus sit directè subditus Ecclesiæ magis, quam parentum, & est contra praxim Ecclesiæ, & in præjudicium fidei, de qua re omnino videatur Ciarlinus *cit. ad n.* 35. *seq.*

Noto 4. quod in casu ab eodem Marta proposito, quo Judæus exhiberet filios secum baptizandos Ecclesiæ, & ipsi à Prælato reciperentur, si postea ante baptismum ipse resipiscat à sancto proposito, insterque sibi restitui filios, tunc debent ei restitui ob patriam potestatem, eo quod ob suam oblationem nullum jus acquisitum fuerit super ipsos ab Ecclesia: quia simplex pollicitatio in jure Canonico non obligat: quæ doctrina forsan esset admittenda in aliis materiis, non autem in hoc casu, & ratio est, quia talis oblatio facta à parente fuit adimpletio præcepti, quo de jure divino obstringitur ipse pater ad salutem filiorum procu

procurandam, & dato casu, quod ipse deficiat in tantum præjudicium filiorum, tunc subintrat Princeps, vel Prælatus Christianus, ut Christi Minister ad observantiam procurandam talis juris divini.

Noto tandem quod *in n.* 1. Marta affert fragmentum rescripti Senatus cujusdam Serenissimi Principis, hujus tenoris (*Ritornarete in mano del Padre gli Ebrei minori di* 13. *anni*, *se ve li ricercherà*) & subdit: quod rescriptum de jure procedit, ideoque exequendum, ob quam positionem sic mutilatam timeo, ne lateat anguis sub herba. Ad quid enim fuisset necessarium, quod Marta laboraret, & tam mordicùs sustineret partes Hebraismi, si jam Princeps decreverat in favorem Judæorum? tum quia nefas est credere prodiisse à Senatu Catholico tale decretum contra praxim Ecclesiæ, contra libertatem conscientiæ hominis post septennium, & præjudicium fidei Catholicæ, & salutis animarum absque patentissima causa ad id cogente, Ciarlinus vero supra cit. negat talem sententiam latam fuisse: addit *n.*35. & si lata fuit, illa iniquissimè, & injustissimè facta est ipse quod fusè & doctè probat, omitto alia plura quæ fusè Marta congerit ex legibus civilibus, & Canonistis ab ipso extortis, quæ ex traditis de se corruunt, cum procedant ex falsa suppositione de patria potestate absque subordinatione debita juri naturali, & divino, ut supra à nobis fusè probatum: & in hoc standum est, & credendum Theologis, non Juristis, ut docet Ciarlinus cit. *n.*46.

86 Quæres 1 *In contingentia facti in concurrentia istarum duarum opinionum, quænam in praxi sequenda?* R. utramque esse tutam, & probabilem, dummodo non adsint circumstantiæ notabiles, ob quas altera sit amplexanda, altera respuenda: Addo, quod meo videri illa est amplexanda, quæ magis vergit in favorem fidei, & salutem animæ: unde stantibus his circumstantiis existimo Principem, & Prælatum teneri sequi opinionem Scoti, sicuti fuit etiam determinatum in universitatibus Hispaniæ in ejectione Maurorum, & Judæorum.

87 Q. 2. *An Princeps Christianis possit licitè cogere infideles adultos, vel hæreticos subditos ad amplexandam Catholicam fidem?* Prima op. communior negat omnino posse infideles, sive subditi sint, sive non, cogi ad amplexandam fidem: ita D. Thom. *q.*10. 21. *a.*8. & 12. Caietanus, aliique Thomistæ cum Suarez *d.*18. Lugo, &c. 2. sent. affirmat; sic Scotus *d.*4. *q.*7. cum tota sua Schola, aliisque Theologis, Lorca, Gabr. Major. Angelo, &c.

Not. 1. ex Seraph. *l.*4 *d.*3 *p.*1. *a.*1. *q.*1. quod coactio est duplex, alia sufficiens, alia inducens: Prima est per vim extraordinariam, nempe (ait Scotus) inferendo supplicia, & mortem non amplexanti fidem: & hæc coactio non potest practicari licitè: alia inducens est per minas, terrores, expoliationem bonorum, officiorumque, & exilium, & hæc est licita: quando occasio, & necessitas id exigit ad majus malum evitandum, maximum enim malum est permittere infideles, & hæreticos vivere impunè inter Catholicos, cum tota ipsorum cura sit ad subversionem bonorum, & ad derisionem mysteriorum Catholicæ fidei: & hinc in praxim deducta est hæc sententia à Ludovico XIV. Galliarum Rege Christianissimo, & Gloriosissimo, & à Serenissimo Duce Sabaudiæ, qui armis, minis, exiliis, expoliatione bonorum regna ipsis subjecta ad unicam religionem Catholicam servandam reduxerunt: Sed vide Fabr. *l.*4 *d.*16. *c.*1. Centrinum *d.*6. *c.*2 *a.*1. Mastr. *n.*108. alioique Scotistas, qui fusè, & doctissimè, conformiter etiam doctrinæ Seraph. supra cit. hanc materiam tractant. Et quia in hac quæstione actum est de Baptismo collato, vel conferendo filiis Judæorum parentibus invitis, opere pretium duco addere hic duo quæsita à Ciarlino discussa in cit. controversia: sunt enim valde necessaria.

Primum est, an puer baptizatus possit consequi suam legitimam, & alimenta, etiam vivente patre? R. Ciarlinus *n.*43. & *seq.* affirmativè, idque probat, quia certum est, filios baptizatos non perdere Agnationem, sed succedere, ut patet ex pluribus legibus civilibus ab ipso citatis, & ex dispositione facta à Paulo III. in Bulla, quæ incipit, Capiente, in princ. vers. ita ut, & ibi citat plures DD. unde concludit, & filium posse petere, & consequi legitimam in bonis parentum, etiam in vita eorum, & ipsos parentes teneri, & ob id posse à principe cogi alere filium conversum; & si fœmina est, illi dare dotem: sic etiam Bald. Felyn. Gulinz, Graffius, à Ciarlino adducti.

Secundum est: Judæus quidam conversus ad Christi fidem, & baptizatus, cum haberet uxorem, quæ obstinata extitit in Judaismo, requisivit à viro suo libellum repudii, ut cum altero viro posset nubere; cum tale libellum sit Judæis permissum ex Deut. 24. & Malach. 2. Quæritur, an licitè vir iste possit uxori dare tale libellum: & an uxor impunè possit transire ad secundas nuptias cum alio viro. Resp. Ciarlinus *l.*1 *c.*42. *n.*72. *seq.* non posse absque peccato mortali dare illi mulieri tale repudium; nec ipsam posse transire ad alias nuptias, vivente viro: sicque & ipse cum esset Vicarius, & Judex Ordinarius Diœces. Regii in praxi decrevit, consultis doctissimis Theologis, & Rever. Inquisitore. Ratio est (ait ipse) quia post Evangelicam legem, non solùm fidelibus, sed etiam Judæis, & Gentilibus prohibitum fuit repudium, ut Matth. c.19. liquet illis verbis: Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras; ab initio autem non fuit sic: Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mechatur: Et licèt infideles non cogantur ad observantiam Evangelicæ legis, tamen quando concordat cum lege naturæ, ut hîc, secus est: quodque latè probat S.Bon. *l.*4. *d.*33. *per tot.* cum cæteris Theologis, & addit semper fuisse illicitum, & peccaminosum moraliter, licèt in lege veteri ad majora evitanda mala non puniretur; & in hoc sensu dicitur permissum: unde concludit, non posse dari tale libellum à Neophito, nec uxorem posse transire ad alias nuptias, nec ei à superioribus Christianis permitti. Vide ibid. ubi plura affert. Addit que nec licere Christianis permittere Judæos secundùm ipsorum ritum occidere in macello Christianorum animalia pro eorum victu, nec Christianos posse emere, nec vesci carnibus derelictis à dictis Hebræis, quia hoc est consentire eorum erroribus. Hæc doctissimus Ciarlinus.

QVÆSTIO VI.

De effectibus Baptismi solvuntur plura dubia.

88 QUæres 1. *Quid secum ferat, & necessariò efficiat Baptismus validè susceptus.* R. primum effectum, & inseparabilem baptismi esse impressionem characteris in anima. Per characterem enim baptismalem velut signaculum religionis, & veri Dei cultus oritur in baptizato distinctio ipsius ab infidelibus, subjectio spiritualis Ecclesiæ jurisdictioni debita, & capacitas aliorum Sacramentorum: sic communiter Theologi cum Seraph. *d.6.p.1.q.2.* Ex quo sequitur hominem obligari legi Christi observandæ, & posse cogi ad Ecclesiæ obediendum. R. 2. per Baptismum deleri omne peccatum, tam actuale, quàm originale, si rectè recipiatur; & hoc est de fide: nam per baptismum adquiritur perfectissima justificatio, & puritas animæ, ergo per ipsum deletur quicquid ei opponitur. *Vide S. Bon. l.2.d.32. a.1. per totum, & l. ,d.4.p.1.q.1.* ubi affert tres congruitates hujus effectus: prima est respectu peccati originalis contra quod est institutus: congruum enim fuit, ut Deus opponeret remedium efficax, & universale contra morbum universalem, & radicem omnium malorum: secunda in ordine ad regenerationem, quia per hoc Sacramentum transfertur homo à potestate tenebrarum ad adoptionem Filiorum Dei, & ad pristinum statum innocentiæ: tertia est, quia hoc Sacramentum est primum, & fundamentum cæterorum, ergo debuit illi dare omnem efficaciam ad delendam omnem culpam, & renovandum totaliter hominem; hinc est, quod ipsi applicavit super ætatem expressiùs, & efficaciùs virtutem suæ passionis.

Objic. Per baptismum non tollitur concupiscentia, quæ est fomes omnium peccatorum. Resp. S. Bon. *l.2. d.32.a.1. q.1.* quod per baptismum tollitur omnis culpa, non autem concupiscentia pro ut est pœna, quæ non est peccatum formaliter: quæ tamen extenuatur, quia in baptismo datur potestas per gratiam spiritui regendi, & vincendi carnem: & hinc est, quod carentes baptismo tam facilè vincuntur à fomite concupiscentiæ.

89 Resp. 3. Per baptismum tolli omnem pœnam æternam, & temporalem debitam peccato: est de fide, & S. Bon. *l.4. d.4. p.1. a.1. q.3.* ubi explicat qualem pœnam remittat: nempe pœnam æternam, atque assumptam, sive satisfactoriam, non non tamen omnem contractam: pœna assumpta est, quæ assumitur ad pœnitentiam: pœna contracta est, quæ contracta est ex statu morali, ut fames, sitis, &c. primæ delentur per baptismum, sed non contractæ: sic enim Deus ordinavit ad manifestandam æquitatem divini judicii, ad demonstrandum fructum Passionis Christi & ad promovendum meritum liberi arbitrii. Vide S. Bon. *ibid. q.3.* ubi piissimè, & moraliter hæc omnia explicat.

Resp. 4. Baptismum conferre gratiam sanctificantem, sicut & infusionem habituum supernaturalium, & hoc æqualiter in omnibus præcisè loquendo: Est de fide, & determinatum in Concil. Trident cum enim sit regeneratio in vita spirituali; ergo debet recipere gratiam afferentem talem vitam continentem gratiam justificantem, & cæteras virtutes, quod verò æqualiter conferat gratiam in parvulis, quia æqualiter Christus confert suam virtutem Sacramento: addimus tamen, quod secundùm majorem, vel minorem dispositionem in adultis etiam augetur gratia. *Vide ibid. S. Bon. p.2. q.ul.* De patrino, Cathechismo baptizandorum, & cærimoniarum ordine, & mysteriis vide Summistas, P. Gaud. Suarez, aliosque.

De Sacramento Confirmationis.

POst Baptismi regenerationem Confirmationis 90 Sacramentum subministratur, quo baptizatus in athletam Christi ungitur, ut hostium cuneos sub triumphali crucis vexillo intrepidè pervadat, ac timoris, & verecundiæ omnis nota ut Christi confessione prorsus abigatur, ideo in fronte fit unctio, & collatio: de hoc Sacramento aliqua essentialia tantùm in sequenti quæstione explicabuntur.

QVÆSTIO VII.

Plura breviter de Confirmatione per varia quæsita enodabuntur.

QUæritur 1. *An Confirmatio sit Sacramentum?* 91 R. affirmativè, estque de fide definitum in pluribus Conciliis: institutumque fuit à Christo in ultima Cœna, & post Resurrectionem confirmatum, quando destinavit Apostolos Episcopos Ecclesiarum. Seraph. *d.7.q.1.ad 1. & 2. & Brevil. p. 6. a. 4.* docet, Christum non usum fuisse hoc Sacramento, nec Apostolos confirmasse, cum per adventum Spiritus Sancti fuerit consummata hæc donatio, &c. N. autem ex Mastrio *n. 226. seq.* quod ex nullo S. Script loco expressè, & efficaciter potest evidenter deduci institutio facta à Christo hujus Sacramenti, sed tantùm ex aliquibus locis infertur, ubi dicitur, quod Apostoli imponebant manus super credentes, & accipiebant Spiritum S. in quo actu tamen non conficiebant formaliter; unde usus ipsius solùm post mortem Apostolorum incæpit in Ecclesia, jam à Christo institutum: sic S. Bon. *d.7. q.1.* Vnde institutio hujus Sacramenti habetur tantùm ex traditione, quam nobis scriptam reliquerunt plures Summi Pontifices, & SS. Patres, ut latè ostendunt Bellarm. Suarez, aliique. Hîc autem memoria recolenda, quæ supra de institutione Sacramentorum facta à Christo diximus: S. Bon. enim hic *q.2.* dicit à Christo non fuisse institutum hoc Sacramentum, sed insinuatum Apostolis, & ab ipsis postea institutum; quod intellige, ut ibid. dictum est, insinuasse prius per institutionem, sed postea instituisse, idest promulgasse, & in usum reductum fuisse: *Vide disp. 1. q. cit.*

Nota etiam apud SS. PP. pluribus nominibus insignitum esse hoc Sacramentum: primò enim dicitur Baptismus Act. 1 Vos autem baptizabimini Spiritu S. quia scilicet est Baptismi complementum, per baptismum enim datur fides, & per confirmationem dantur vires ad profitendam fidem: 2. dicitur manuum impositio ex ritu, quo confertur: 3. dicitur Sacramentum Chrismatis, sine quo non sumus perfectè Christiani: Christus enim, & Christianus dicitur à Chrismate: 4. dicitur communiter Confirmatio, quia confirmat hominem in fide per robur, & vires superadditas virtute ipsius: Ex quibus infertur definitio Confirmationis. Confirmatio

firmatio physicè sumpta est unctio Chrismatis facta in fronte cum signo Crucis, sub præscripta verborum forma: Vel metaphysicè sic potest definiri: Est Sacramentum novæ legis à Christo institutum ad conferendum Christianis novum robur, & augmentum gratiæ ad fidem suam profitendam constanter, & contra Adversarios audacitet defendendam.

92 Q. 2. *Quænam sit materia hujus Sacramenti?* R. S.Doct. *Op.Brevil.p.6.c* 8. *& Centil.p.3.sect.49. & Comp.Theol.l 6.c.1.* Materiam remotam hujus Sacramenti esse oleum olivarum cum balsamo mixtum: sic etiam *d.7.q.2.ad arg.* cum communi Theologorum, quod tamen debet esse ab Episcopo consecratum: & hoc est de fide definitum in Concil. Florent. Ratio autem talis materiæ est, ut ait S. Bon. quia hoc Sacramentum datur ad duplicem actum arduum, nempe ad confirmationem fidei in corde, & ad ipsius confessionem ore, ideo duplex elementum assignatur consonans illi duplici actui, scilicet oleum olivarum propter nitorem significans fidem ex bona conscientia, & balsamum propter odorem significans dignam, & laudabilem confessionem. An verò ultra oleum sit essentialiter necessarium balsamum est in quæstione. Nam plures Theologi concedunt esse necessarium tantùm ex præcepto: S. Bon. verò cum communiori vult esse necessarium necessitate medii: & licèt balsamum sit res magni pretii, & non sic usuale ut materia aliorum Sacramentorum, hoc tamen nihil obstat (ait Seraph. Doct.) nam hoc Sacramentum non est tantæ necessitatis, & absolutæ sicut cætera, ideo non est necesse ejus materiam ubique reperiri.

Resp 2. Materiam proximam Confirmationis esse unctionem, seu applicationem Chrismatis in fronte baptizati in modum Crucis: ita S. Bon. cit. D. Thom. Scot aliique Theologi: unde de necessitate hujus Sacramenti unctio fieri debet in fronte, & in forma Crucis: hæc enim est perpetua praxis Ecclesiæ, & determinatio Concilii Florent. Ratio autem assignatur à Seraph. *d.7. dub.* 4. tali pacto: signatur signo Crucis, ut Christi miles signo ducis manifeste appareat; cum autem frons inter omnia corporis membra sit magis manifesta, hinc linitur in fronte, ut in manifesto demonstret se esse Christianum, & quia maximè in fronte manifestatur timor, & verecundia vitiosa.

93 Q. 3. *De forma hujus Sacramenti qualis sit?* R. cum communi ex Seraph. hanc esse formam essentialem: signo te, vel consigno te signo Crucis; & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen: sic declaratum est in Concil. Florent. quod autem hæc sit forma legitima patet ex iisdem verbis: quia ibi significatur causa principalis, scilicet Trinitas, cum dicitur in nomine Patris: secundò, indicatur causa ministerialis, nimirum ille qui confert per hæc verba, consigno te, & confirmo: tertiò denotatur persona, quæ confirmatur per, ly, te: quartò effectus duplex, alter est obsignatio hominis in militem Christi per ly, signo Crucis: alter est dando robur ad sustinendos impetus adversariorum fidei per ly, confirmo te: ex quibus inferunt Theologi omnia ista verba esse essentialiter proferenda.

Q. 4. *Quis sit Minister hujus Sacramenti?* Resp. 94
S.Bon. *d. 7. q. 3.* Ministrum hujus Sacramenti ordinarium esse solum Episcopum; non verò inferiores Episcopo: Ratio autem quare sic Christus ordinavit est, quia ipsi, & eorum successores sunt in Ecclesia Prælati principales, quorum duplex est officium, primo inferiores in ordine suo collocare, secundum murum se opponere ad defendendum suum gregem, hinc est, quod soli Episcopi ordinationes faciunt, & corroborant: tum etiam quia in his duobus Sacramentis Ordinis, & Confirmationis datur gratiæ plenitudo, ideo ab his debent dari, qui habent plenitudinem potestatis, ab aliis non. Et hinc est, quo ad ipsos spectat propriè Ecclesias consecrare, & Abbates, quia sunt opera excellentiæ: Addimus tamen posse Papam delegare hanc potestatem simplicibus Sacerdotibus, sicut aliquandò factum est, ut docent DD. communiter.

Q. 5. *Quinam possint recipere hoc Sacramentum?* 95
R. 1. hoc Sacramentum non esse necessarium necessitate medii, neque expressum de eo haberi præceptum, ordinationem tamen Sacramenti Confirmationis ad suum finem, vim tacitam præcepti continere.

Resp. 2. Qui ordinandi sunt ad primam tonsuram necessitate præcepti debent prius confirmari; sic statuit Concil. Trident. Resp. 3. posse dari hoc Sacramentum omnibus baptizatis sive ante, sive post usum rationis; expediens tamen est expectare usum rationis, & talis est praxis in Ecclesia, communiterque expectatur duodecimus annus.

Q. 6. *Quinam sint effectus hujus Sacramenti?* Resp. S.Bon. cum communi *d.7. a.2.* quod triplex est effectus: primus est impressio characteris: secundus est augmentum gratiæ sanctificantis communis omnibus Sacramentis, & gratia Sacramentalis: tertius ablatio pusillanimitatis, & corroboratio in fide: Cætera videantur, apud Summistas, de quibus fusè Seraph. *d.7. per totam.*

DISPVTATIO III.

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

POST baptismum, & Confirmationem, ante pænitentiam meritò collocatur Eucharistia ait D. Thom. quia Sacramenta, quæ ordinant ad perfectionem unius personæ præcedunt ea, quæ ad bonum multitudinis ordinantur, & ita ordo, & matrimonium ultimo loco collocantur, sed inter ea, quæ ordinantur ad bonum privatum debent præcedere ea, quæ ordinantur ad perfectionem vitæ unius individui: talia sunt baptismus, qui facit ad esse simpliciter: secundò Confirmatio, quæ ad esse stabile roborat: tertiò Eucharistia, quæ ad esse perfectum ducit secundum charitatem: deindè verò pænitentia, quæ est ex suppositione peccati mortalis necessaria: postmodum extrema unctio, quæ se habet ad removendum peccatum veniale: postmodum ordo ad bonum commune spirituale, & matrimonium ad bonum temporale.

QUÆSTIO I.

Quid sit Eucharistia, quotuplex, & quando fuerit instituta?

96 IN primis ea, quæ sunt certa in hac materia præsupponenda, antequam descendamus ad ea, quæ controvertuntur apud Theologos. Suppon. igitur 1. hoc nomen, Eucharistia, componi ex verbis Græcis Eu, & charistia: Charistia apud auctores prophanos erat festum solemne cognatorum in convivio factum ad tollendam animorum omnem differentiam, dissensionemve, & ad fovendam amicitiam: apud Catholicos addita est syllaba Eu, quæ significat bonitatem, sic & verbo Vangelium additum est Eu, ut significaretur bonum nuntium, ideóque hoc nomen, Eucharistia, quæ significat bonam gratiam, usurpatum est ad explicandam excellentiam hujus sacri convivii: sic ex Maldon. in præfat. ad Evangelia. Seraph. Doctor *d.8. dub.2.* proponit hoc dubium: cur hoc Sacramentum potius dicitur Eucharistia cum omnibus per alia Sacramenta detur bona gratia, & in baptismo maximè magna gratia?

Respondet quod hoc propriè dicitur de Eucharistia, quia principaliter ibi est ratio boni, & quia ibi est ratio gratiæ: ratio boni, quia bonum est diffusivum & communicativum; unde cibus, qui communicat se pluribus, & per partes est bonus, qui communicat se pluribus totus, & successivè est melior, ut verbum Dei, quod prædicatur: Qui verò communicat se pluribus, & totum, & simul, iste est optimus, & talis est iste cibus; tùm etiam quia ibi est summum bonum, scilicet Christus Dominus: Reperitur etiam ibi principaliter ratio gratiæ tum per modum contentivi, & per modum affectivi: per modum contentivi, quia in hoc solo continetur gratia secundùm veritatem, immò plenitudo gratiæ, ideo assimilatur ipsi charitati, quæ unit fini, & habet idem pro objecto, & fine: Ratione affectivi, quoniam hic est carbo ignitus, caro scilicet Christi, quæ inflammat, & beatificat, & non tantùm gratificat, sed multipliciter etiam adjuvat: primum quidem, quia est cibus incorporeus capitis, secundùm quia fructificat, tertium quia delectat, quartum valet ad augmentum fidei, ad sublevationem spei, ad dilatationem charitatis, ad remissionem venialium, ergo meritò dicitur Eucharistia. Dicitur etiam ob sui excellentiam Synaxis idest collectio, latinè communio, quia maximè unit fideles Christo capiti, & ipsos inter se, ut membra membris: dicitur & viaticum, tum quia est cibus itinerantium, scilicet migrantium ex hac vita, ut corroborentur: tùm quia institutum est à Christo ut itinerante, & transeunte: tum quia est signum transitus Christi, ideo dicitur phase: dicitur etiam sacrificium, & hostia, quia habet rationem sacrificii etiam, ut dicetur suo loco. Et hinc est (ait S. Bon. *cit.q.1.*) quod inter omnia Sacramenta illud ob suam sublimissimam dignitatem præconizatum fuit in veteri testamento variis figuris excellentissimis.

Suppon. 2. cum communi Theologorum, & de fide hoc Sacramentum institutum fuisse à Christo, & convenientissimè per hoc provisum fuisse Ecclesiæ, & suis fidelibus cibo convenienti pro enutriendis animabus: ad augendam vitam spiritualem jam receptam in baptismo, & corroboratam in Confirmatione, & quia per ipsum magis excitantur fideles ad reverentiam, & devotionem erga Christum.

Hic disquiritur à Theologis in quibusnam consistat essentia hujus Sacramenti, & quænam sint essentiales ejus partes: ratio dubitandi est, quia ad hoc Sacramentum conficiendum conveniunt panis, & vinum, ut materia remota: verba consecratoria: actio transubstantiva panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, & dicitur consecratio, quia per eam species consecrantur, quæ hujus Sacramenti sunt materia proxima: item species ipsæ panis, & vini jam consecratæ, quæ sunt accidentia post consecrationem, manentia separata à subjecto: corpus item, & sanguis Christi contenta sub illis speciebus: sumptio item illarum specierum & corporis, & sanguinis Christi: ac denique gratia Sacramentalis, quæ ex tali sumptione nobis confertur. Cum igitur hæc omnia concurrant in hoc Sacramento quæritur quænam sint, in quibus consistit essentia ipsius: De quibus certum est primò non consistere in pane, & vino, cum sint tantùm materia remota, quæ non ingreditur essentiam Sacramenti: nec item in gratia Sacramentali, quia est effectus, nec item in sumptione, ut falsò asserunt hæretici, est enim Sacramentum etiam ante, & 97 quando

quando servatur in sacrario: quæstio igitur reducitur circa ista, nempè circa actionem consecrativam, circa item aggregatum continens species, & verba consecrationis, corpusque, & sanguinem Christi.

Prima opinio docet consistere essentiam Sacramenti Eucharistiæ in actione consecrativa, & transubstantiativa panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi: Sic Marsilius, Cajetanus, pluresque Thomistæ apud de Lugo, quam probabilem & ipse existimat cum aliis cit. à Mastrio, & Gaudentio. 2. asserit, essentiam ipsius esse aggregatum ex speciebus, & verbis consecrationis sumptum in recto pro fundamento proximo significationis importatæ per hoc Sacramentum, connotareque essentialiter corpus, & sanguinem Christi tamquam terminum illius relationis: & aliqui volunt id importari etiam in recto: Sic Valentia, aliique plurimi apud Mastrium, & Gaud. 3. sententia asserit hoc Sacramentum constare ex speciebus consecratis, & corpore, & sanguine Christi: verbaque consecrationis in ejus essentia non includi: Sic Vasq. Lugus, Morand. aliique. 4. op. docet, hoc Sacramentum constitui essentialiter ex speciebus consecratis, quatenus significant corpus, & sanguinem Christi sub illis realiter, & substantialiter contineri: citantur pro hac sententia D. Thom. D. Bon. Scotus, & communiter antiqui Theologi cum plurimis recentioribus: immò plures dicunt coincidere cum tertia opinione, esseque solùm discrepantiam in modo tantùm, non in re: Ex quibus.

98 Concl. 1. contra primam opinionem: Essentia hujus Sacramenti non consistit in actione consecrativa. Est communior Theologorum ex D. Thoma. Bon. & Scoto: ratio evidens est, quia post consecrationem adhuc permanet Sacramentum, & non in solo usu consistit, ut cætera Sacramenta, ut docet Concil. Trident. sed actio consecrativa est instantanea, & transitoria, ergo. Tum quia in nulla re, quæ producitur, causa efficiens, efficientiaque ipsa ad ipsius intrinsecam constitutionem spectat, sed consecratio est ipsa efficientia, & productio Ecclesiæ, ergo: tùm quia actio consecrativa est via ad constituendum Sacramentum, nec est visibilis, & sensibilis productio, sed invisibilis actio, ergo.

Resp. Bernal. *d. 14. sect. 2.* §. 4. actionem physicam consecrativam esse quidem viam ad constituendum ipsum, sed etiam esse nexum, & unionem accidentium panis, & vini cum corpore, & sanguine Christi; & hac ratione ut unio talis ingreditur essentiam Sacramenti, sicut unio materiæ, & formæ, sic licèt talis actio per se non sit sensibilis, est tamen per aliud, ut est contritio in Sacramento Pænitentiæ. Quæ responsio confundit, ut ait Gaud. unitionem cum unione: nam actio consecrativa est unitio producens præsentialitatem Christi sub speciebus, non verò unionem inter species, & corpus Christi: Vide Mastrium, qui funditus evertit hanc Bernalii doctrinam falsam.

Objic. Illud est Sacramentum, quod est signum, seu effectivum sui signati, sed hoc magis competit verbis consecrationis, seu actioni consecrativæ, quàm speciebus, quæ nec efficiunt Sacramentum, nec rem Sacramenti, quæ est præsentia Sacramentalis: ergo. Resp. distinguendo majorem, illud est Sacramentum, quod est signum significans aliquid fieri per ipsum, vel aliquid esse per ipsum, concedo, quod hoc secundo modo species sunt signum præsentiæ Christi in Eucharistia, primo modo Sacramenta, quæ consistunt in usu sunt signa: hoc secundo modo est Eucharistia, quæ cum sit permanens veraciter significat subesse quod figurat, ostenditque Christum præsentem; sicque ejus essentia sufficienter salvatur in ratione signi in speciebus: neque exemplum contritionis, quod adferunt, facit ad rem, ista enim fit sensibilis per confessionem.

Concl. 2. Verba consecrationis non spectant 99 ad intrinsecam, & essentialem hujus Sacramenti constitutionem. Est Seraph. D. Scoti, & communior contra secundam sententiam. Ratio evidens est, quia Sacramentum hoc habet esse permanens, verba sunt transeuntia; constitutivum enim dat seipsum constituto, sed verba transeunt, non permanent, ergo. Tùm quia verba spectant ad causam efficientem, ergo intrinsecè non possunt esse constitutiva constituti: Nec valet, si dicas verba permanere virtualiter, quia hic agimus de actibus physicè constituentibus Sacramentum, ad quod requiruntur omnes ejus partes essentiales actu existentes: cum autem verba pertranseant non possunt esse de intrinseca ratione Sacramenti.

Dices cum Caspensi, & Suarez: In Eucharistia verba consecrationis, licèt actu transeant, remanent tamen in virtute, & moraliter ad modum quo benedictio calicis, vel aquæ dicitur manere in illis post benedictionem, unde ad compositum morale, quale est Sacramentum, sufficit talis permanentia moralis: sic etiam in baptismo moraliter, & virtualiter remanet forma ratione effectus in baptizato causati.

Et confirmatur, quia species continent corpus Christi quatenus consecratæ, sed sunt formaliter consecratæ per verba consecratoria: ergo verba formaliter integrant rationem Sacramenti hujus nutrimentalem gratiam significantis. Resp. ex dictis, patere hallucinationem adversariorum, non enim quærimus de permanentia virtutis Sacramenti quoad effectus, sed de permanentia existentiali Sacramenti, in quonam consistat: & cum verba transierint, non possunt ipsum physicè constituere: sicut etiam non dicitur baptismus permanere, vel absolutio pænitentiæ ratione effectus permanentis. Neque exemplum de calice, & aqua benedictis est ad rem, nam ut in antecedenti disp. dictum est, benedictio aquæ, aliarumque rerum sacrarum nullam qualitatem relinquit absolutam in ipsis, sed tantùm ordinationem moralem à Christo factam in ordine ad varios effectus: Ad confirm. Resp. neg. min. non enim species dicuntur consecratæ, vel sacræ formaliter à verbis, sed à corpore, & sanguine Christi, per cujus unionem redduntur formaliter sacræ.

Addimus tamen, quod etiam verba consecrationis dicuntur meritò forma Eucharistiæ, non quod intrent essentiam Sacramenti, sed quatenus sunt forma consecrationis ejus: Unde species, quia habent consecrationem dependenter à verbis in genere causæ efficientis, ideo dicuntur sacræ duplici ex capite, primo quia per verba sunt consecratæ efficienter, & in fieri per denominationem formalem derivatam à verbis jam prolatis: secundo ex unione earum cum corpore, & sanguine Christi in facto esse, & permanente; sed tamen cum illa denominatio sit extrinseca, & moralis, hinc dicendum, ipsa non ingredi rationem essentiæ Sacramenti: ideo cum tali distinctione possunt conciliari sententiæ oppositæ.

Concl. 3. Species consecratæ in recto sumptæ 100 constituunt essentialiter Sacramentum Eucharistiæ, prout

prout tamen connotant, vel continent tamquam rem corpus, & sanguinem Christi. Est communior opinio D. Thom. Bon. Scoti apud Mastrium: sic S. Bon. *l.4. d.8. part.1. art.2. q.1. ad* 2. ait: hoc Sacramentum est signum Corporis Christi immediatius cæteris, scilicet significans gratiam per se subsistentem, idest Christum primò, & secundariò gratiam sanctificantem; & *d.10. p. 1. dub.3. & 4.* dicit, quod Eucharistia habet rationem significandi à specie exteriori, & res signata est corpus, & sanguis Christi: ideoque ex duplici ratione habet rationem completam Sacramenti: sicque species visibiles significant primariò corpus, & sanguinem Christi, & secundariò gratiam Sacramentalem: Unde constituunt completum Sacramentum: explicat S. Bon. *d.8. p.2. art.2. q.1. & 2.* dicens: tria reperiuntur in hoc Sacramento necessaria: primò species visibiles: secundò verum corpus Christi: tertiò corpus Christi mysticum: primum est signum secundi, & tertii: secundum est res primi, & signum, & causa tertii; & tertium est res secundi, & veritas primi, unde est hic ratio efficiendi ea significando. Prob. autem Concl. quia in hoc Sacramento multa sunt, quæ non possunt competere solis speciebus, v.g. esse cibum animæ: adoratio latriæ, causatio gratiæ Sacramentalis: & è contrario insunt quæ non possunt competere corpori Christi, ut esse signum sensibile; ergo omnia ista verificantur de speciebus simul sumptis cum corpore Christi, vel prout continent ipsum.

Objic. cum Scotistis apud Mastrium *num. 16.* De ratione Sacramenti est, quod sit signum sensibile, & ut dicit Trident. invisibilis gratiæ visibilis forma: sed solæ species sunt hujusmodi, & non corpus Christi ut in Eucharistia existens: ergo corpus, & sanguis Christi non sunt de ratione intrinseca Sacramenti, sed tantùm species. Resp. & nos idem dicere cum Seraph. *l.4. cit.* dicimus enim species sensibiles prout significant corpus Christi ibi contentum esse de ratione constitutiva hujus Sacramenti: ita quod fundamentum relationis, seu significationis sunt species, quæ se habent veluti materia, & significatio prout terminat ad corpus, & sanguinem signata, se habet veluti ratio formalis. Sed addimus ex his sequi, quod etiam in essentia Sacramenti involvatur tamquam connotatum, vel etiam pars secundaria, & complens; ut ait Seraph. Doctor, ipsum corpus, & sanguis: Ex quibus secundariò consequitur significatio gratiæ accidentalis, & Sacramentalis, quæ ex sumptione corporis, & sanguinis Christi confertur. Ex quibus patet, quod concertatio, quæ est inter tertiam, & quartam sententiam est ferè de nomine.

Dices: si continetur in essentia Sacramenti tamquam in recto corpus, & sanguis Christi; ergo simul erit Sacramentum, & res Sacramenti, sed hoc est contra rationem Sacramenti, cujus est proprium tantùm significare rem, ipsamque efficere, ob idque res est quid extraneum ipsi Sacramento: sic in baptismo gratia non est de essentia Sacramenti, sed quid consequens. Resp. Eucharistiam habere hoc speciale inter cætera Sacramenta, quod sit simul tum Sacramentum, tum res Sacramenti: corpus namque Christi est res Sacramenti, quia producitur per verba Sacramentalia; & est Sacramentum, quia cum speciebus producit gratiam: sic S. Bon. *loc.cit.* qui addit, quod species cum corpore Christi vero sunt signum corporis mystici: undè corpus, & sanguinis Christi in Sacramento isto est simul res, & signum, licèt secundariò: sic corruit objectio.

Concl. 4. Eucharistia est Sacramentum unum 101
specie athoma integra, & perfecta: Est communis ferè omnium cum Seraph. Doct. *d.8 p.2.q.ult.* contra Gabriel. Major. ei tribuentes unitatem genericam subalternam. Prima pars, quòd sit unum, est de fide, quia Ecclesia collocat inter septem Sacramenta tertio loco Eucharistiam: Secunda pars de specie athoma, quia hoc sacramentum unius effectus est causa, & ad unum ordinatur, ergo. Prob. antecedens à S. Bon. hæc unitas non est simplicitatis, sed integritatis non absolutæ, sed in comparatione, quia non uniuntur in tertio tamquam in forma, sed tamquam in signo ordinato ad unam perfectam refectionem per cibum, & potum, ergo. Et hinc in collectis aliquando nomine plurali nominatur, quia ibi sumitur materialiter, aliquando singulari ob unam ordinationem ad unum significatum: & licèt species panis ordinetur ad refectionem spiritualem per propriam materiam, & formam, similiter & species vini: tamen ambæ integrant unum significatum plenæ refectionis.

Q. *An omnia Sacramenta, vel species consecratæ diversæ & dispersæ per totam Ecclesiam constituunt unum Sacramentum numero?* Resp. negativè contra Suarez, aliosque: ratio est quia ibi sunt plures materiæ & formæ, & signa multiplicata, & disiuncta loco; ergo. Et licèt in ipsis sit unus Christus, tamen prout in Sacramento est, dicitur multiplicatus quoad præsentiam.

Concl. 5. Sacramentum hoc convenientissimè 102
fuit à Christo institutum in nocte cænæ post comestionem Agni Paschalis: idque est expressum à D.Paul. in ep. ad Cor. Qua nocte tradebatur accepit panem, &c. S. Doct. *d.8 p.1. art.1.* per tres quæstiones probat primò, quod convenientissimè fuit institutum tempore legis gratiæ, tum propter rem contentam, quæ est corpus Christi verum, quod solùm traxit à Virgine in dicto tempore: tum propter efficaciam, quæ est charitatis vinculum, quæ in nova lege apparere, & abundare debuit: in anterioribus autem imperfectè possideri, ut ita gradualiter in mundo procederetur. Secundò ostendit convenientiam institutionis ejus ante passionem Christi, & in fine suæ vitæ: ex hoc quia cum sit cibus reficiens ideo tempore cænæ, & refectionis institui debuit: cum sit cibus Paschalis ideo in Paschali cæna: quia est signum amoris, & memoriale ideo in recessu ex hoc mundo debuit ista signa ostendere; ut arctius in memoria maneret, ideo in ultima cæna: tertiò ostendit, quod Christus simul conficit, & instituit proferendo verba super panem, & vinum ut informaret Ecclesiam.

Concl. 6 Eucharistiæ Sacramentum sic potest 103
definiri: Sacramentum institutum in speciebus panis, & vini, continens corpus, & sanguinem Christi ad spiritualem refectionem animæ per modum convivii ordinatum: Quæ definitio est eadem apud omnes Theologos, licèt apud aliquos sit aliqua variatio terminorum: sic S. Bon. *op. declaratio termin. & in Brevil. part.6.c.9.* Explicatur, & probatur: Dicitur Sacramentum loco generis: dicitur in speciebus, tum ut indicetur materia remota, panis scilicet & vinum, tum ut innotescat vis consecrationis, per quam desinit esse panis, & vinum, & succedit corpus, & sanguis Christi: dicitur continens, &c. ut denotetur esse Sacramentum quamdiu durant species sine substantia panis,

nis, & vini : dicitur ad ſpiritualem animæ refectionem per modum convivii, ut exprimatur finis, & effectus proprius.

104 Q. *An Euchariſtia Sacramentum ſit neceſſarium?* Reſp. 1. ex Seraph. *l.4.d.12.part.2. art.2. q.1.* non eſſe neceſſarium abſolutè neceſſitate medii ad ſalutem : eſt tamen medium ita utile, ut dicatur quaſi neceſſarium. Ratio primæ partis eſt, quia non eſt ordinatum de ſe ad juſtificationem, ſed ipſam præſupponit ; ergo de ſe non eſt neceſſarium nec in re, nec in voto : ratio ſecundæ partis, quia ut docet Concil. Trid. ſine ipſo homo non poteſt diu durare in juſtificatione cum ſit cibus viatorum. Reſp. 2. Euchariſtiam eſſe neceſſariam neceſſitate præcepti tum divini, tum Eccleſiaſtici : quoad divinum præceptum habetur Joan.*cap.*6. Niſi manducaveritis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis : quoad tempus verò cum ſit præceptum affirmativum obligat ſemper, ſed non ad ſemper, ſcilicet quando obligat finis, ad quem eſt inſtituta : unde primò obligat in articulo mortis, in quo graviores ſolent eſſe tentationes : ſecundò in vita, quoties opus eſt remedio ad perſeverandum in gratia, ut in gravioribus tentationibus : tertiò quando quis prudenter putat ſe non habere amplius in tota vita occaſionem communicandi : Quoad præceptum Eccleſiaſticum : in initio naſcentis Eccleſiæ omnes qui intererant ſacrificio Miſſæ, tenebantur communicare : poſtea frigeſcente fervore Fabianus Papa juſſit ter communicare quolibet anno : ſcilicet in Nativit. Domini, in Paſchate, & Pentec. & Soter Papa adjecit feriam quintam in Cæna Domini : Nunc autem hoc præceptum redactum eſt ad unicam communionem in Paſchate.

QUÆSTIO II.

De materia remota Euchariſtiæ ſolvuntur multa dubia.

105 NOt. 1. quod in hac quæſtione agitur ſolùm de materia remota : ſupra enim diximus materiam proximam eſſe ſpecies continentes Chriſtum : quæ materia remota, & neceſſaria eſt panis, & vinum, & in hoc nulla eſt diſcrepantia apud Theologos, cum ſit certum de fide : Hæc materia autem remota per hoc differt à materia aliorum Sacramentorum, quod in aliis materia, & forma ſunt partes intrinſecæ, & eſſentiales conſtituentes Sacramenta : in Euchariſtia verò non ſolùm non ſunt partes intrinſecæ, ſed nec etiam poſſunt in rigore dici materia, ſed tantùm minus propriè, ſcilicet prout dicunt terminum à quo eo modo, quo dicitur lignum materia combuſtionis : ſic eodem modo panis, & vinum dicuntur materia, quatenus ex ex illis veluti ex terminis à quibus deſinentibus, ſive ut ex terminis, corruptis corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini fiunt : his ſuppoſitis tamquam certis apud omnes Theologos Catholicos ſolvuntur ſequentia dubia.

106 Q. 1. *Qualis ſit materia Euchariſtiæ remota : & ſi eſt panis, & vinum, an ſit de neceſſitate Sacramenti, & qualis panis, & vinum?* Reſp. 1. Panem, & vinum eſſe materiam neceſſariam hujus Sacramenti, & hoc ex inſtitutione Chriſti : Eſt communis omnium Theologorum cum Seraph. Doct. *l.4. d.11. part.2. q.1. & 2.* & eſt de fide determinatum in pluribus Conciliis, & noviſſimè in Tridentino : rationes ſequentes, vel congruentias adducit S. Doct. *q.1. cit.* quia res hujus Sacramenti eſt corpus Chriſti verum, & myſticum, ſcilicet unio fidelium cum capite : ideo debuit inſtitui ſub ſigno exprimente res ſignatas : ſed quia inſtitutum fuit, ut eſſet cibus ſpiritualis animæ, ergo conveniens fuit, ut inſtitueretur ſub ſpeciebus panis : Prob. conſequentia, quia corpus Chriſti verum continetur in hoc Sacramento ut cibus, non quidem qualiſcumque, ſed ut cibus conveniens, cibus efficax, cibus ſanans, cibus omnibus communis : ſed ſolus panis eſt hujuſmodi ; ergo ſub ſpecie panis debuit inſtitui : Minor prob. quia ſolus panis, & vinum ſunt omnibus convenientia, nec aliquod faſtidium generant, ut cæteri cibi : eſt & cibus efficax in confirmando ; panis enim corroborat, & vinum lætificat ; eſt & cibus ſanans, quia uterque ad ſanitatem facit : eſt & omnibus communis, & uſitatus maximè inter gentes rationabiliter viventes ; ergo per iſta convenientiſſimè inſtitutum eſt hoc Sacramentum, ut per hæc (ut ait Damaſcenus) quæ ſunt conſueta ſecundum naturam, in quibus vita conſervatur, ad ea, quæ ſunt ſupra naturam, anima transferatur. 2. inſtitutum fuit hoc Sacramentum in pane, & vino ad clariùs ſignandum corpus myſticum, quia videlicet panis fit ex pluribus granis, & vinum ex pluribus racemis, hinc per hoc Sacramentum fidelium multitudo unitur in unum cum Chriſto.

Reſp. 2. ſolum panem factum ex tritico, & ſolum vinum ex una eſſe ſufficientem materiam hujus Sacramenti. Panis enim ex aliis granis, & vinum ex alia materia non ſunt ſufficientia ; & hoc determinatum eſt in Concil. Carthag. aliiſque Conciliis, & commune eſt apud omnes Theologos : qui panis debet eſſe confectus ex aqua naturali, non artificiali, ſaltem neceſſitate præcepti ; & qui oppoſitum faceret exponeret ſe periculo non conficiendi Sacramentum, ideoque graviter peccaret. *Vide S. Bon. ibid. art.2.*

Q. 2. *An utraque ſpecies ſit de integritate Sacramenti?* Reſp. S. Bon. *cit. art.1. q.2.* cum diſtinctione. In hoc Sacramento duo ſunt : ſcilicet efficacia, & ſignantia, ſeu ſignificatio : Unde eſſe de integritate Sacramenti poteſt ſumi vel in ordine ad efficaciam, vel in ordine ad ſignificationem : primo modo neutra ſpecies eſt de integritate, ſed quælibet eſt totum, quod habet efficaciam : in utraque enim eſt totus Chriſtus, & confertur gratia : ſecundo modo utraque eſt de integritate ſimul, quia in neutra per ſe exprimitur ſignificatio perfecta, nempè refectio perfecta animæ : refectio autem iſta datur manducantibus ſpiritualiter. 107

Et ſi quæras : *Quomodo manducatur ſpiritualiter?* Reſp. S. Bon. ibid. quòd manducare ſpiritualiter eſt cognoſcere, & affici circa ejus paſſionem, quæ fuit in corpore ejus multiplici afflictione, & ſanguinis effuſione, in quo manifeſtatur ejus immenſa charitas, & in hoc anima reficitur, & delectatur. Vid. ibid. S. Doct. ubi plurima ad profectum animæ affert. Et hinc inferunt Theologi, adeſſe præceptum de non conficienda una ſpecie ſine altera ; an vero ſit divinum, an poſitivum Eccleſiæ, eſt in controverſia apud Theologos ; alii enim negant, eſſe divinum præceptum : ſic Adrianus cum pluribus : Alii affirmant : Sic S. Bon. Scotus, & D. Thomas, & communiter alii ; ratio eſt, ait Seraph. Doctor, quia ut refectionem profectam ſignificet

significet, exigit utramque speciem: tum quia est memoriale passionis Christi, qui corpus, & sanguinem tradidit.

Dices cum Tannero: non mutilatur Sacramentum, dum sub una specie distribuitur, alioquin laici communicantes sub una specie non perfectè reficerentur. Resp. ex doctrina supra allata Seraph. quod alia est integritas quoad significationem, alia quoad efficaciam: primo modo exigitur utraque species dum conficitur sacrificium, in quo repræsentatur passio corporis, & effusio sanguinis: qua confectione transacta sufficit una species ad efficaciam; tantam enim recipit communicans in una specie, quantam in duabus; ratio est, quia alia est ratio de sumptione in una specie, & alia de confectione sacrificii, quia enim integritas sacrificii exigit utramque speciem, ideo non potest alio modo confici: sed quia hoc Sacramentum non consistit in usu, ideo absque præjudicio Sacramenti ordinata est laicis sumptio in unica specie ob varias causas congruentissimas: Hinc non est credendum Volaterrano *l.7.c.4.* dicenti aliquando fuisse dispensatum à Summo Pontifice conficiendi sacrificium in una specie ob penuriam vini: *Vide Suarez d.43.sect.3.& 4.* Lugo *d.19.sec.8.* Mastrium *dist. 3. q.5.* Hinc & inferunt plurimi Theologi, Pontificem non posse dispensare in hoc jure divino: Potest tamen accidere, quod ex aliquo casu adveniente non possit fieri sacrificium, nisi in unica specie. v. g. ob mortem, vel incendium, & similia. Vide Ba[illegible]æum, aliosque summistas.

Posset objici in contrarium, quod Christus discipulis euntibus in Emaus dedit tantùm suum corpus, tunc enim consecravit in unica specie, eosque in eadem communicavit, nam fracto, & benedicto pane evanuit: ergo licebit conficere in unica specie. Resp. esse controversiam magnam inter Doctores, an Christus tunc consecraverit; aliis affirmantibus, aliis negantibus, & data consecratione tunc Christus usus est sua potestate excellentiæ, nec id trahendum est ad exemplum, sed ad tempus, in quo ipsum instituit in utraque specie: communiter tamen negat consecrasse, sed tali modo processisse, ut significaret eos illuminari à Deo, qui in unitate Ecclesiæ permanent, significata in sumptione Panis, sic Seraph. Doct. *in Luc. cap. 24.*

108 Q. 3. *An, & quomodo materia panis, & vini debeat esse determinata, ut valide possit consecrari?* Not. quòd hæc determinatio potest sumi, vel in ratione quantitatis: an in quantacumque magna quantitate, vel modica possit fieri consecratio? Vel quoad præsentiam determinatam, an in quantacumque distantia? In quibus omnes conveniunt, quod in ordine ad quantitatem parvam sufficit, ut sit sensibilis ut forma, hoc, & hic, &c. humano modo cadat super materiam; & hoc maximè in sententia S. Bon. admittentis dari minimum in inanimatis, ut latè à nobis probatum est in Physica: major dubitatio est circa magnitudinem: in qua 1. op. est D. Thom. & sequacium, Scoti, Mastrii *dist.3. q.3.* posse consecrari quantamcumque materiam ingentem, & nullum habentem terminum magnitudinis, sufficereque (ait Caspensis cum cæteris) ut una pars continui sit præsens: non loquuntur autem de discreta quantitate. v.g si tota platea plena esset panibus discretis: Secunda opinio est opposita D. Bon. *d. 10. p.2. q.4.* cum pluribus aliis Theologis.

Resp. 1. Materiam consecrationis habere terminum magnitudinis, ultra quem non fieret consecratio. Prob. à Seraph. Doct. Deus sapienter instituit Sacramenta in determinato numero, pondere, & mensura juxta fines eorum, sicut & omnia condidit, & nihil fecit frustra: ergo & potestatem dedit ministris proportionatam, nempe ut id, quod fit, possit ex parte rei factæ ad finem Sacramenti adhiberi: sed potest esse talis quantitas panis, & vini, quæ nequeat adhiberi. v. g. si totum triticum, & vinum pluribus annis duraturum pro una Civitate, vel pluribus una vice minister consecraret: & in dato casu certum est, totam illam materiam ex natura sua non esse consumptibilem ad finem Sacramenti, sed panem interim putrefiendum, & similiter vinum in magna parte ex natura sua accescendum: ergo. Confirmatur à S. Bon. omne Saramentum irritum redditur, si contra institutionem celebratur, sed intentio instituentis, & Ecclesiæ est ipsum convertere ad usum fidelium, ergo, ablato hoc fine, non fit Sacramentum: Hîc autem notat P. Gaud. *quæst.5.* responsionem, quam adversarii tribuunt supra traditis rationibus non esse ad rem: nam ipsi respondent, Christum dedisse potestatem conficiendi absolutè ministris, ita quod ex innata eorum libertate possent abuti tali potestate, licèt contra intentionem instituentis: unde inferunt, quod etiamsi consecretur tanta quantitas, quæ non potest esse ad usum fidelium non per hoc præjudicatur confectioni Sacramenti: quæ responsio (ait benè Gaud.) saltat extra chorum; nam argumentum Seraphici Doctoris, & probatio invaliditatis Sacramenti non fundatur in malo usu ministri, sed in re ipsa, & in materia ipsa, quæ sit apta, vel non apta ordinari ad finem Sacramenti: quia materiæ quantitas sumitur ex usu: & cum usus fidelium sit determinatus, sicut usus aliarum rerum artificialium constantium materia, sumitur à fine, uti docent etiam adversarii: nec tamen quantitas de se sit consumptibilis ad usum fidelium, quia major pars putrefieret, etiamsi ad satietatem, quantum possent, curarent: igitur tanta debet esse materia, ut ex natura rei possit ad usum Sacramenti adhiberi.

Valentia. Resp. admittendo, Sacramentum institutum fuisse ad usum fidelium, sed tamen talis finis est remotus, à quo non sumitur validitas Sacramenti: sed debere sumi ex fine proximo, qui est collocare Christum præsentem per transubstantiationem sub illis speciebus; hocque dependet ex materia destinata, non verò à quantitate: sic negat consequentiam. Contra: quia materia simpliciter est à Deo instituente præparata cum peculiari providentia, & intentione, nempè non præcisè sumpta, sed ad usum Sacramenti, ergo, ablato hoc fine, fit contra mentem instituentis ex parte ipsius materiæ, & ex natura sua.

Dices: conversio ista est à virtute immensa, ergo potest super quantamcumque materiam. Resp. Seraph. Doct. istum defectum non venire ex defectu potentiæ formæ, sed ex defectu intentionis. Resp. 2. quoad distantiam, materiam consecrandam omninò debere esse præsentem consecranti præsentia quadam sensibili, & morali judicio determinandam, habita ratione tam ipsius materiæ, quæ consecratur, quàm formæ, hoc, vel hic, in verbis: sic cum S.Bon. Theologi communiter apud Suar. *d.41.sect.5.* ratio est, quia formæ Sacramentorum debent cadere super materiam signando suum effectum in ea modo humano: sed pronomen, hoc, vel hic, denotat præsentiam, & quidem majorem,

majorem, quàm si adderetur substantivum, quod ad determinationem magis conferret, vel si diceretur, istud, ratio est (ut notat Suárez,) quia pronomen, hoc, vel hic, solùm determinatur à præsentia, ergo debet esse sensibilis: sed vide Suarez, Mastrium, & Summistas, qui fusè de hac re disputant, & solvunt multos casus incidentes.

109 Q. 5. *An Christus confecerit in pane azimo, vel fermentato? & an sit de necessitate Sacramenti panis azimus?* Resp. 1. Seraph. Doct. *dist.* 11. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. certum esse, Christum instituisse hoc Sacramentum eo tempore, quo non licebat uti fermento, & ideo in azimo consecrasse: Addit tamen, quod non est de essentia Sacramenti, ut consecrétur in azimo: idque est de fide ex Concil. Florent. & Tridenr. Resp. 2. Ecclesiam Latinam iure ad Christi institutionem consecrare in azimo; Græcam verò in pane fermentato: omnesque tam Latini, quam Græci teneri sub mortali servare suum ritum. Sic DD. communiter: *Vide Dianam part.* 3. *ref.* 99. *tract.* 6. *& p.* 10. *tract.* 16. *ref.* 39.

Addit Seraph. Doctor quod antiqui Patres propter Judæorum observantiam eo tempore, quo urgebat error de legali observantia ex consilio Spiritus sancti decreverunt cessare à confectione in azimo, quousque error ille minueretur, sicut decreverunt baptizare in nomine Christi: unde tota Ecclesia primò in azimis conficiebat, postmodum ex hac causa in fermentato, sed cessante jam tali errore, Ecclesia Romana rediit ad ritum pristinum: Græci verò tamquam superbi noluerunt ad eumdem ritum redire, & ideo coacti sunt ex hoc defendere suam pervicaciam, inciderunrque in varios errores pessimos: quibus non obstantibus, verè conficiunt.

QUÆSTIO III.

De Mixtione aquæ in vino Eucharistico: plura disseruntur.

110 SUppon. 1. tamquam certum apud Theologos omnes, & in Ecclesia, aquam non esse necessariam ad validitatem Sacramenti: Sic S. Bon. *d.* 11. *part.* 2. *q.* 3. ratio est, quia post consecrationem nihil aquæ remanet, sicut remanent accidentia panis, & vini: ergo. Tum quia, quod est de substantia Sacramenti, aut est quantum ad significandum, aut quoad efficaciam, sed neutro ex capite aqua est necessaria, ergo. Prob. minor (nam major est certa) non est necessaria ex significatione, quia Christi corpus verum & passum, simul cum mysterio sanguinis effusi satis vino exprimitur, neque ex efficacia, quia sine aqua fit transubstantiatio; ergo.

111 Supponend. 2. mixtionem aquæ cum vino esse necessariam necessitate præcepti: Sic communiter Theologi cum S. Bonaventura; ratio autem hujus præcepti est (ait S. Bon. *cit. in corp.*) ad expressiorem significationem: aqua enim significat populum, & per conjunctionem sui cum vino signat unionem capitis cum membris, & per vinum signatur unio membrorum ad invicem: tum quia ex traditione perpetua Ecclesiæ Christus apposuit vino aquam antequam consecraret, & hoc non de necessitate, sed congruitate: ergo. An verò sit præceptum divinum, an Ecclesiasticum tantum, est in quæstione, nam aliqui affirmant esse divinum, sed communior sententia negat, vultque esse præceptum tantum Ecclesiæ: Sic S Bon. nullibi enim constat istud præceptum factum à Christo, sed tantum ab Apostolis: Vide S. Bon. cit. His suppositis tanquam notis.

Quæstio instituitur, & verè celebris, an aqua prius convertatur in vinum, quàm in sanguinem Christi, & dato quod ante consecrationem non convertatur in vinum, an & aqua convertatur in sanguinem vel in consecratione, vel post consecrationem. 1. Opinio asserit, aquam, dato quod tempore consecrationis non fuerit conversa in vinum, in consecratione tamen immediatè converti in sanguinem Christi: sic Alanus Altisiod. pluresque recentiores, quam Aresius, & Morandus mordicus sustinent. 2. op. quæ est communissima, & omnium antiquorum, & majoris partis recentiorum est, aquam converti in sanguinem mediatè, scilicet prius conversam in vinum; & hæc est Seraph. D. *d.* 11. *p.* 2. *dub.* 5. *& q.* 3. 11

Not. 1. quod tamquam certum accipitur ferè ab omnibus falsam esse cognitionem asserentium, aquam virtute divina converti in humorem phlegmaticum corporis Christi: item & aliam mutari in aquam, quæ profluxit de latere Christi, quas opiniones rejecit Innoc. 3. in sua decretali; & ratio est, quia verba efficiunt quod significant, sed in illis verbis, hic est sanguis meus, non significatur ille humor, aut aqua: falsam etiam sententiam dicentem, aquam annihilari, cum non sit ista necessitas multiplicandi tot miracula: tum quia ad quid poneretur aqua statim annihilanda? falsam etiam illam, quæ dicit ibi remanere aquam in sua substantia, quia sic verba consecrationis non haberent virtutem efficiendi quod significant, nempè virtutem convertendi illum totum, quod est in calice, in sanguinem per modum potus: Hæc sunt certa apud omnes. 111

Not. 2. hanc quæstionem dependere ex traditis in Philosophia in illa quæstione, an vinum habeat virtutem convertendi aquam in vinum: ubi major pars Philosophorum cum Aristotele sentit affirmativè, quicquid in contrarium dicant Aresius, Morandus, aliique recentiores: ut autem id probet Seraph. notat *l.* 3. *d.* 6. *a.* 2. *q.* 1. *corp. & l.* 4. *d.* 11. *p.* 2. *q.* 4. *ad* 3. *& dub.* 5. quod unio miscibilium, quando habent ad invicem repugnantiam, & in altero ipsorum est excellens prædominantia, tunc in isto adest virtus convertendi in se alterum miscibile, ut quando modicum aquæ miscetur vino, talisque conversio fit tali pacto: scilicet cum in mixtis sit pars pura, & impura, cum conversio fiat per rarefactionem, & dilatationem à virtute activa, tunc fit depuratio, & separatio puri ab impuro, & purum convertitur remanente impuro in suo esse, ob idque & debilitatur semper virtus agentis, impediturque partialiter, tum ob reactionem passi, tum ob impurum permanens, ne reassumat vires pristinas, ex quo sequitur, quod nunquam fiat totalis conversio mixti, & hinc ait Seraph. *l.* 4. *d.* 12. *p.* 1. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 4. *& d.* 11. *p.* 2. *dub.* 5. quando aqua convertitur in vinum, superadditur vino in tali conversione pars secundùm materiam, non secundùm speciem, vel formam, idest pars, quæ non est de constitutione prima, & innata vini, sed plus habet de materiali, quàm de formali, estque magis imperfecta, & debilis, ob idque & vinum remanet cum debiliori virtute: quæ omnia fusè à nobis explicata sunt *in tract. de generat. q.* 8. *a r.* 152. *& seq.* & hinc subdit Seraph. *l.* 4. *d.* 11. *p.* 2. *dub.* 2. quod si aliquando videmus per congelationem, &c. appositum vino exire aquam, vel separari aquam à vino, illa non est verè aqua, sed pars aquosa totius vini,

vini, non quia ibi sit aqua, sed partes debiles vini, quæ minus habent de virtute vini, quas appellat Aristoteles partes secundùm materiam, ut dictum est, de quibus partibus secundùm materiam, & formam vide S. Bon. *l.* 2. *d* 30 *q.ult.*

113 Not. 3. quod in hoc proposito altera quæstio controvertitur nempè: an si aqua tempore consecrationis non sit conversa in vinum, an semper remaneat aqua, an verò ipsa etiam immediatè convertatur in sanguinem: In qua est sententia plurimorum Theologorum affirmativa: altera est negativa: estque ut diximus probabilior, & certior: & data hac opinione secunda, quæritur ulterius, an dato quod aqua remaneat aqua post consecrationem, dato inquam quod species vini convertant in se illam aquam, illud, quod superadditur speciebus vini sit verè vinum, an aqua, an solùm sint species vini, ita quod illud substantiale superadditum convertatur in sanguinem.

Not. 4. ex Seraph. *l* 4 *d.* 12. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 2. corpus, &
11 sanguinem Christi non posse misceri cum aliquo liquore: cum enim sit sanguis gloriosus, & inclusus in venis viventibus Christi non miscetur liquori in fuso, sive unum sit, sive aliud: miscentur tamen liquores infusi cum speciebus: & secundùm qualitatem miscibilium etiam fit transmutatio substantialis, si adsit repugnantia, & excellens prædominantia in aliquo ipsorum, vel alteratio sequetur accidentalis, quando non adest talis repugnantia, & prædominantia: hinc est, quod, si magna quantitas aquæ infundatur in modico vino etiam consecrato, tunc sequitur corruptio specierum, & desinit præsentia Christi: è contra si vino modico consecrato misceatur illis speciebus aliud vinum ejusdem rationis etiam in magna quantitate, tunc non desinet præsentia Christi, quicquid dicant in oppositum aliqui, & ratio est, quia quousque species permanent in esse, permanet etiam Sacramentum.

114 Concl. 1. Aqua vino mixta non prius convertitur in sanguinem, quam convertatur in vinum. Est Seraph. D. *d.* 11. *p.* 2. *dub.* 5. *&* *q.* 3. & P. Gaud. *q.* 10. & communior contra aliquos asserentes aquam converti immediatè in sanguinem. Prob. 1. Id fit in nostra consecratione, quod in consecratione facta à Christo, sed Christus consecravit calicem jam transmutata aqua in vinum; ergo. Major est evidens, Christus enim dixit: Hoc facite in meam commemorationem: Minor patet, nam ut notat S. Bon. Christus consecravit calicem dicens: hic calix sanguinis mei, idest hic est sanguis meus, metonomycè loqnens, & ponens continentem pro re contenta: at totum, quod erat in calice, erat de genimine vitis, ut dixit posteà Christus, idest vinum, ergo.

Et confirmatur, quia ex Concil. Florent. apponitur modicissima aqua, ut facilius convertatur in vinum: & hic est sensus totius Ecclesiæ ex Cathechismo, & Sacerdotali Romano. Et ideo hanc opinionem tamquam veriorem, & probabiliorem declarat Innoc. 3. Cum Marthæ de celebratione Missarum apud D. Bon. *dub.* 5. *cit.* Varias responsiones adhibent Aresius, Morandus, aliique huic rationi, & textui Summi Pontificis. quæ verè sunt extortæ, & patenter contra mentem Papæ: & ex hoc etiam id patet, quia aqua ponitur ex præcepto Ecclesiæ, sed Ecclesia non potest materias Sacramentorum mutare: cum autem fuerit institutum Sacramentum in vino, sequitur quod solum vinum sit materia sufficiens, & non aqua nisi prius conversa in vinum. Respondent, etiamsi aqua non convertatur in vinum, mixta tamen cum vino potest esse materia sufficiens, quia facit vinum usuale, sic tam in vino, quam in aqua erit sanguis Christi. Contra: ponamus illas duas materias esse tantum contiguas, quod erit si aqua congeletur: ergo adhuc in aqua erit sanguis: & si aqua vino mixta est apta, quia facit vinum usuale, ergo est etiam apta, si adæquet vinum in quantitate, nam tale vinum est usuale, ut docet Arist. *cap.* 3. poeticæ; & Plutarcus: hoc autem est contra Patres, & Concilia; ergo, &c.

Objic. 1. Multos SS Patres asserere calicem Domini non esse vinum solùm, nec aquam solam, sed utrumque mixtum, & hoc esse quod sanctificatur: 115
Sic S. Ciprianus, aliique asserunt vinum, & aquam converti in sanguinem Christi. R. non adesse ullum ex SS. Patribus asserentem unquam aquam immediatè converti in sanguinem, sed dicunt simpliciter converti in sanguinem (sive mediatè, sive immediatè) sed tali modo loquendi utuntur, quia verè aqua etiamsi prius convertatur in vinum mutatur eo modo, quo dicitur panis converti in carnem, licèt prius convertatur in chylum, sanguinem, &c. Afferunt adversarii hic varias auctoritates & Conciliorum, & Summorum Pontificum, quas doctè expendunt Mastrius, & Gaud. & interpretantur germano sensu, ut videre est apud ipsos.

Objic. 2. Vinum non potest convertere aquam in suam substantiam, ergo falsa conclusio. Prob. antecedens primò, quia qualitates formales vini non solùm non sunt repugnantes, immò sunt consentaneæ aquæ: ergo. Prob. anteced. quia vinum est frigidum, & humidum formaliter: aqua est frigida, & humida: Et si dicas, vinum habere in se calorem: Contrà: quia iste calor non est consumptivus aquæ, ut patet in aqua calida, quæ ob calorem non consumitur. Et si rursus dicas: Vinum habere calorem virtualiter excedentem: Contra est, quia istæ qualitates non agunt nisi adjuventur & excitentur à formalibus, ut patet in pipere, veneno, & vino, quæ, si non excitentur à calore stomachi, non calefaciunt, sed non adsunt in vino istæ qualitates formales contrariæ, ergo. Et confirmatur: quia vinum per infusionem aquæ debilius evadit, sed natura non tribuit virtutem in detrimentum agentis, ergo nec vino tributa fuit hæc virtus in sui detrimentum. Confirmatur iterum, quia mixta habent qualitates refractas, ergo & vinum, ergo nec possunt vincere aliud mixtum ipsum in se convertendo: Hæ sunt rationes potissimæ, quas congerunt Aresius, Morandus, aliique: In quibus tamen currit maxima hallucinatio.

Resp. igitur ex doctrina Seraphica, vinum per qualitates suas disponere aquam ad sui conversionem: licèt enim habeat aliquam frigiditatem, attamen hæc superatur ab ipsius calore virtuali nativo, per quam forma substantialis agit, & disponit aquam ad transmutationem: Unde ratione repugnantiæ, & excellentis prædominantiæ vini forma convertit in se aquam; quia ubi intervenit excellens prædominantia non fit mixtio, ut evenit, quando ista deficit, sed transmutatio, & conversio aquæ in vinum: Nec valet paritas de calore aquæ calefactæ, iste enim est adventitius, & extrinsecus, imò & iste, si est valdè excedens, habet vim corrumpendi ipsam aquam; at calor vini est intrinsecus, & innatus, & adjutus à forma, ideo potest disponere ad destructionem aquæ: Et ad id, quod vinum fit debilius. Resp. fieri debilius, tum ratione reactionis, tum ratione partis impuræ. quæ remanet de aqua, ut supra dictum est, tum quia vinum, quod per conversionem additur fit pars secundum materiam, idest non habens illam virtutem,

rem, quæ inest à sui origine in vino; & hæc est illa pars, quæ attrahitur per spongiam oleo imbutam obturantem vas vini aqua diluti plenum, & inversum; item si in dolio fit congelatio, aliisque similibus casibus, ut supra dictum est: Et quod hoc sit verum, patet ex hoc quod etiam ex vino sine aqua facto extrahitur talis aqua apparens, nempe vini pars impurior, & debilior: ut continua experientia videtur, & dato casu quod extrahatur, id erit, quia in majori quantitate erit aqua, quam pars vini sit. Ad illud de qualitatibus refractis resp. S. Bon. neg. conseq. quando adest in aliquo miscibili excedens prædominantia, & repugnantia: quando verò deest ista prædominatio, tunc non fit conversio, sed mixtio, ut à nobis probatum fuit in Philosophia *loc.cit.*

Dices, hanc sententiam infringere aliam ex S. D. traditam in Philosophia, nempe elementa manere in mixto secundùm substantiam. R. neg. seq. ibi enim diximus, elementa in mixto manere, quando verè fit mixtum, nec adest excellens prædominatio, & repugnantia, quando enim ista adest, tunc in mixtione fit transmutatio unius miscibilis in aliud, ut in nostro casu.

Objic. 3. Concertatio inter istas duas sententias est, quod altera asserit vinum, & aquam immediatè converti in Sanguinem, eo quod aqua non convertitur in vinum; altera verò est, prius aquam converti in vinum, postea in Sanguinem: utraque est probabilis, sed prima est probabilior, ergo tenenda. Prob. minor, quia apud Philosophos est controversum, an verè aqua convertatur in vinum, apud Theologos certius est totum contentum in calice converti in sanguinem, ergo opposita rationabilior. R. hanc objectionem facere magis pro nostra sententia: nam cum certum sit totum quod continetur in calice vinum mixtum cum aqua converti in sanguinem, & hoc est de fide: in controversia postea est, an aqua etiam immediatè convertatur in sanguinem, in qua certior, & communior est negativa, licèt opposita non careat sua probabilitate ex qualitate Doctorum ipsam docentium, hinc sequitur nostram esse probabiliorem, licèt dependeat à controversia illa philosophica, in qua major pars Philosophorum, & Theologorum convenit nobiscum.

116 Q. *Quid significet mixtio parvulæ aquæ cum vino in hoc sacrificio?* R. S. Doct. significare incorporationem populorum cum Christo capite: & in paucitate aquæ vilitas eorumdem populorum, & eorum parvula virtus, quæ virtute magna, & infinita Sanguinis Christi copulatur capiti: sic Julius I. & Innoc. in decretali, &c.

Concl. 2. Dato quod tempore consecrationis aqua non fuerit in vinum conversa, sed postea convertatur in vinum: illa substantia nova non erit Sanguis Christi, sed substantia vini: hæc est communior, contra aliquos asserentes converti in sanguinem: Ratio evidens est, quia conversio solùm fit virtute verborum consecrationis, quæ jam supponuntur transacta, & præterita: unde si ibi adsit substantia vel aquæ, vel vini non consecrata, id erit per accidens: tum etiam quia species vini virtutem habent convertendi aquam in vinum, non verò in sanguinem, ut docet etiam cum communi Suar. *d.* 44. *in fine*, & nos discutiemus infra, agentes de qualitate specierum Sacramentalium.

QUÆSTIO IV.

De forma consecrationis disseruntur plura quæsita.

PRimò suppon. tanquam certum apud omnes 117 Theologos Catholicos formam consecrationis corporis in illis quatuor verbis consistere: Hoc est est corpus meum. Sic habetur 1. *Cor. c.* 11. & declaratum in Concilio Florent. & novissimè in Trident. qui etiam conveniunt, quod illa particula (enim) non sit de essentia formæ, & consequenter nec de necessitate Sacramenti, sed tantùm poni ad continuanda præfata quatuor verba cum præcedentibus, scilicet, Qui pridie: esse tamen de necessitate præcepti, unde qui eam omitteret, graviter peccaret contra præceptum, & universalem Ecclesiæ consuetudinem; solum ergo controversia sistit, an ista quatuor verba ad validitatem, & substantiam Sacramenti sufficiant, an etiam necessaria sint verba præcedentia: Qui pridie, &c. ut Sacramentum conficiatur.

Prima sententia docet esse necessaria verba antecedentia, non quidem ut forma, vel pars formæ, sed ut conditio determinans modo sensibili prolationem formæ fieri in persona Christi: ita ut ipsis omissis vel nihil efficeretur, vel saltem dubia esset consecratio: sic Scotus, Faber, plures alii Scotistæ, Pasqualigus, &c. 2. Op. communis D. Thom. Bon. aliorumque etiam Scotistarum est opposita, nempe si Sacerdos absque præcedentibus proferret super materiam debitam cum debita intentione illa quatuor verba solùm, verè conficeret.

Quo ad formam consecrationis calicis, seu sanguinis disputant Theologi, an omnia verba in ea contenta sint de essentia consecrationis, cum plura proferantur, quam in consecratione panis. 1. Op. asserit omnia illa, quæ proferuntur à Sacerdote esse de essentia: sic plures Thomistæ. 2. docet, illa intermedia (*novi, & æterni Testamenti*) non esse essentialia, sed proferri ad majorem explicationem: ita Pasqualigus cum aliis recentioribus. 3. Op. communis S. Bon. Alens. aliorumque Antiquorum, & recentiorum docet tantùm ista, Hic est calix Sanguinis mei, vel, Hic est Sanguis meus, esse essentialia formæ consecrationis, reliqua verò non esse essentialia: Et hac occasione disquirunt, cur dicatur: Hic est calix Sanguinis mei, & non potius, Hic est Sanguis meus, &c.

Not. 1. ex Seraph. Doct. *l.*4. *d.* 1. *a.*1. *q.* 2. *ad* 5. 118 *& 6. & Brevil. p.* 6. *c.* 1. quod Sacramentum de ratione Sacramenti habet habilitatem ad significandum ex natura sua: sed actualem significationem habet ab institutione Christi: unde sequitur, ut notat Seraph. *l.*4. *a.*13. *a.*2. *q.* 2. quod cum in Sacramento concurrant elementum, forma, & intentio Ministri habentis potestatem, ista tria se habent ordinatè: nam penes elementum est ratio, per modum potentiæ passivæ: penes verbum ordinatio per modum potentiæ activæ, similiterque penes Sacerdotem, & Ministrum, sed tamen potestas in Sacerdote est per modum generalis, & mediatè, in verbo per modum specialis, & immediatè, quia potestas Ministri arctatur ex verbo prolato cum intentione Christi, ad hoc ut conficiat: Hinc sequitur, ait Seraph. D. *d.* 1. *cit. ad* 5. *&* 6. quod verba Sacramentalia non necessariò ex

vi propria innata habent significare,quod efficiunt consecratione, sed id habent ex institutione Christi superaddita signis; quare verba à Sacerdote prolata : Hoc est corpus meum, absque præcedentibus, Qui pridie, &c. dummodò cum debita intentione, & secundum institutionem factam à Christo,non ad corpus Sacerdotis proferentis, sed ad Corpus Christi instituentis referuntur;& in hac doctrina,quæ est certissima apud omnesTheologos fundatur sententia nostra.

119 Not. 2. ex eodem Seraph. Doct. quod verba, quæ sunt essentialia Sacramento, habent hoc, quod debent determinare prædicatum ad conficiendum Sacramentum, & in Eucharistia ad significandam conversionem panis in Corpus, & vini in Sanguinem Christi, cætera verò quæ non determinant prædicatum ad talem confectionem licèt ad aliud determinent non sunt de essentia formæ : idque patet in illis verbis Apostoli : Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur, hæc enim determinant corpus in ordine ad redemptionem, & tamen certum est ista (quod pro vobis tradetur) non esse essentialia : & in consecratione vini illa verba:Novi, & æterni testamenti determinant quidem sanguinem, scilicet illud prædicatum sanguinis mei, scilicet ad significandum effectus Sanguinis Christi, ut notat S.Doctor *l.4.d.8. p.2.a.1.q.2. ad arg.* non verò ad transubstantiationem, unde patet,quod priora verba : Hic est calix, &c. sunt tantùm de essentia, non sequentia.

120 Not. 3. Quod controvertitur inter Theologos, an verba consecrationis proferantur à Ministro recitativè solùm, scilicet materialiter enarrando, & recitando quod fecit Christus, & proferenda verba à Christo prolata ; an etiam significativè, simulque effectivè : aliqui apud P. Gaud. *quæst.* 3. & Mastrium *q.* 8. asserunt proferri recitativè tantùm, & materialiter : alii volunt proferri significativè tantùm, & non recitativè : Communior opinio antiquorum, & recentiorum vult proferri, & recitativè, & significativè, & operativè : sic S.Bon. citandus in conclusione propria.

121 Concl. 1. Forma consecrationis corporis, & sanguinis est certa, & determinata, & eadem, qua usus est Christus in consecratione, & institutione hujus Sacramenti : Prima pars est de fide definita in Concil. Florent. & in Trident. *sess.13.c.3. & in cap.cum Marthæ de celebrat. Miss.* 2. pars est communis etiam Theologorum contra aliquos paucos sustinentes, Christum consecrasse prius voluntate, vel nutu aliquo, vel simili : postea tradidisse formam : Est & contra aliquos alios admittentes,consecrationem factam fuisse à Christo verbis, sed non iisdem, quibus nos utimur, utraque tamen cum communi traditur à Seraph. Doct. *l.4.d.8.p.1. q.ult. & p. 2. q.1.* Prima pars probatur ex usu, & traditione Ecclesiæ, quæ non potest errare, & colligitur ex facto, & præcepto Christi : Hoc facite in meam commemorationem. 2.pars prob. à S. Doct. *d.8.p.1.q.ult.* quia si confecit sine verbis, ergo Ecclesia non imitatur summum Magistrum in conficiendo, sed hoc est inconveniens : ergo. Pr. minor, quia in isto Sacramento summus Sacerdos formam, & exemplar dedit conficiendi, dicens, Hoc facite,&c. Si verò aliis verbis ab istis fiat consecratio, quibus utitur Ecclesia, ergo illa maximè habent virtutem conficiendi, & non ista, quod est erroneum; probatur sequela : quia tradens postea nobis modum conficiendi dicendo, Hoc est corpus meum, &c., sequitur quod ista verba sint tantùm significativa absque virtute operativa : prob. sequela, quia nunc verba Christi in tantum habent virtutem, in quantum habuerunt à principio; non enim habent nunc, nisi propter illud, quod tunc factum est : Tum etiam quia in confectione hujus Sacramenti Christus non solum ostendit potentiam suam, sed & se præbuit Magistrum, & Doctorem.

Objic. 1. quod ex Matth. dicitur, prius benedixisse, postea fregisse, & dedisse Apostolis Eucharistiam dicendo : Hoc est corpus meum; sed benedictio est consecratio; ergo consecravit ante prolationem verborum. R. S. Bon. illam benedictionem non fuisse consecrationem, sed præparationem, seu potius gratiarum actionem, seu orationem præmissam ante sumptionem cibi,qui mos etiam practicatur in Ecclesia.

Objic. 2. Christus ante prolationem verborum : Hoc est corpus meum, fregit panem, sed fractio præsupponit consecrationem ; ergo. R. S.Bon.fregit Christus panem, ut ipsum postea consecratum multis distribueret.Præterea fregit panem non ante consecrationem, sed post, ad significandam fractionem Corporis Christi in passione : *Sic & in Luc.c.22.*

Dices : In Liturgia D.Jacobi post consecrationem Sacerdotem precari, ut Sacramentum consecretur, & Corpus Christi, ergo per illa verba antecedentia non fit consecratio. R. quòd etiam in Missa Latina Ecclesia orat, ut Corpus Christi sanctificetur, sed allusio fit ad Corpus Christi mysticum, ideoque fit precatio, ut consecretur Sanguine Christi.

Concl. 2. Verba consecrationis à Sacerdote proferuntur, & recitativè, & significativè, & operativè : sic S.Bon. *d.8.p.2.q.1. & d.13.p.2.a.2. q.3.* Prima pars patet ex contextu verborum, quæ Sacerdos profert dicens : Qui pridie quam pateretur, &c. per quæ refert, quod Christus fecerit, & dixerit : 2. & 3. pars prob. quia Sacerdos verba recitans, & recitat in eo sensu quo Christus, & protulit, & instituit ejus personam repræsentans, sed ea protulit Christus simul significans, & operans : tùm quia ad confectionem Sacramenti concurrunt simul cum unica virtute elementum, verbum, & Sacerdos per modum activi : sed activitas Sacerdotis est quid generale determinatum à verbo ad hunc effectum, cui assistit divina virtus; ergo Sacerdos, & profert, & significative, & operativè. *Vide S.Bon. d.13.cit.* 122

Objicies : Verba consecrationis : Hoc est corpus meum, significant corpus non Sacerdotis, sed Christi ; ergo Sacerdos recitativè tantùm ea profert : & confirmatur ex Durando,quia in consecratione corporis dicitur ; Quod pro vobis tradetur, & calicis, Qui pro vobis effundetur, sed hoc est falsum cum jam transacta fuerit traditio, & effusio ; ergo recitativè tantùm. R. per hoc probari, Sacerdotem proferre illa verba recitativè, quod & nos admittimus, & ideo antecedentia, & consequentia verba non sunt essentialia consecrationi, sed recitationi, sed quando advenit ad formam, tunc illam profert, & significando, & conficiendo, ut dictum est : sic S.Bon. *d.8.p.2 q.1.*

Concl. 3. Essentialis forma consecrationis panis est hæc : Hoc est corpus meum, forma consecrationis vini est hæc : Hic est calix sanguinis mei, prolata in persona Christi cum debita intentione : cætera verò antecedentia, & consequentia sunt accidentalia, & recitativa tantùm : est com-munis 123

cum S. Bon. *d.8 p.2.q.1.& 2. & seq.* contra supra citatos Scotistas: Prima pars patet ex usu, & praxi Ecclesiæ, quæ ita ipsa tradit, prout ab Apostolis, & Apostoli à Christo edocti fuerunt. Prob. 2. pars, quia ad hoc ut conficiatur Sacramentum, necesse est ut verba proferantur in persona Christi, non verò Sacerdotis, loquentis in persona Christi, dum dicit: Hoc est corpus meum, sed ut in persona Christi proferantur, non pendet ex verbis antecedentibus, vel consequentibus, sed ex intentione Ministri, quam postulat veritas formæ à Christo institutæ, aliàs non continerent veritatem; ergo. Major patet. Minor prob. evidenter: demus quod Sacerdos ea proferat recitativè tantùm, ut quando legit Evangelicam historiam sine tali intentione, certum est ipsum non conficere Sacramentum; ergo ab intentione, non à verbis antecedentibus, quæ sunt merè recitativa, & historica pendet ista confectio: tùm quia illa verba antecedentia vel sunt dicta ab Evangelistis tantùm, vel addita ab Ecclesia, ergo nullam vim habent ad confectionem.

124 Respondent Adversarii, intentionem non sufficere ad hoc ut verba proferantur in persona Christi ad hoc ut habeant vim consecrandi, sed requiritur & ut sensibilia fiant, & sensibili modo significent esse prolata in persona Christi, quod non habent ex vi sermonis sensibilis ex sola intentione proferentis, sed ex modo significandi verborum antecedentium, quæ id exprimunt. Sed contra: Verba Eucharistiæ non solùm repræsentare debent Christum loquentem, sed Corpus Christi ex vi prolationis, quia non solùm recitativè, sed & significativè, & operativè proferri debent, sed seclusa intentione faciendi id, quod Christus fecit, & instituit, per verba consecrationis præcedentia datur tantùm sensibiliter intelligi Sacerdotem verba consecrationis proferre recitativè, & materialiter tantùm, non vero formaliter, & significativè; ergo id specialiter pendet ab intentione Ministri, quatenus ea profert ex intentione, qua Christus instituit, & protulit efficiendi quod Christus fecit: Major est certa etiam apud Adversarios: minor prob. evidenter: dum Sacerdos profert verba antecedentia: Accepit Jesus panem, benedixit, fregit, deditque Discipulis suis dicens: Hoc est corpus meum: Hic est, &c. ex vi sermonis sensibilis non denotatur id, quod habet in manibus, sed quod Christus tunc habebat, quia ex vi ipsorum tantùm historia narratur consecrationis factæ à Christo: ergo per verba præcedentia nihil aquirit forma consecrationis, ergo per solam intentionem eo modo, quo dictum est; idque est conforme determinationi Concilii Florent. nempe ad confectionem Sacramenti requiri essentialiter tantùm materiam, formam, & intentionem, nec ultra formam requiri alia verba indicantia intentionem Ministri, ut patet in omnibus Sacramentis; ergo quando Sacerdos profert verba antecedentia tunc se habet ut merè recitans factum Christi, & ut persona privata: solumque induit personam Christi, quando profert verba consecrationis cum intentione ea proferendi in persona Christi, & eo modo quo instituit.

Addimus tamen cum Mastrio *n. 145.* esse aliquid discrimen inter cætera Sacramenta, & Eucharistiam, nam in cæteris licèt Minister loquatur ut Minister Dei, & Christi, tamen verba ejus immediatè significant personam Ministri, ut patet in illis: Ego te absolvo, &c. ego scilicet Petrus Sacerdos te absolvo nempe auctoritate Dei; at in consecratione Ecclesiæ verba nullo modo ad personam Sacerdotis loquentis referuntur, sed ad Christum in persona cujus loquitur, ideoque in hoc Sacramento major videtur necessitas id explicandi, quam in aliis, ut scilicet, ly, *meum corpus*, referri significetur ad Corpus Christi.

Ex quibus sequitur quod cum opposita opinio non careat sua probabilitate, in casu quo quis absque præcedentibus verbis proferret formam consecrationis super materiam debitam, & cum debita intentione, tunc esset Sacramentum dubium, nec omnimodè certum: & hinc, quod sicuti fama est, in contingentia facti quidam Episcopus dispensari fecit particulas panis in magna quantitate consecrati à Sacerdote dum ducebatur ad carceres super quam protulit verba illa nuda: Hoc est corpus meum, cum intentione consecrandi: ipsas inquam particulas fecit dispensari simul cum alia particula rectè consecrata communicantibus: quare in tali casu talis materia esset adoranda sub conditione, quod & innuit Seraph *loc.cit.dub.* 1.

Objicies cum oppositæ sententiæ Assertoribus. 125 Ad hoc ut conficiatur Sacramentum oportet ut verba Sacramentalia ex vi propriæ significationis sensibilis, & non tantùm ex intentione efficiant, & operentur, sed hanc vim non habent absque præcedentibus, quæ exprimunt loqui de corpore Christi, non verò Sacerdotis; ergo. R. ex doctrina supra tradita Seraph. Doct. neg. majorem, & minorem: nempe verba formæ habere ex vi propria id significare quod efficiunt: quia certum est id habere, ut loquitur S. Bon. ex ordinatione divina, cum qua intentio Ministri se conformare debet, & in hoc stat tota ratio activitatis, ait S. Doctor *d.13. cit.* Unde potuisset Christus instituere alia verba, vel nutus ad hunc effectum producendum, absque eo quod continerent hanc significationem. Et ad minorem, quod verba nuda consecrationis absque præcedentibus non significant corpus Christi, sed Sacerdotis. Resp. quod, si sumantur prout abstrahunt ab institutione, & præcepto Christi, verum est, sed non quatenus sumuntur secundum ordinationem divinam qua ordinavit ad prolationem ipsorum cum debita intentione factam à Ministro fieri consecrationem: unde licèt ab intentione præcisa proferentis non habeant hanc vim, habent tamen ab intentione prout substat institutioni Christi: qua doctrina satisfit omnibus objectionibus adversariorum, qui in hoc hallucinantur, quia sumunt illa verba nudè, & etiam intentionem Ministri nudam, non verò ut substat ordinationi divinæ.

Objic. 2. Particula conjunctiva (enim) copulat formam cum præcedentibus, & reddit sensum propositionis causalis, & hypotheticæ verum, & perfectum, & necessarium ad confectionem Sacramenti, qualem debet habere forma consecrationis, nempe sensum perfectum; sed si quis formam nudam sine præcedentibus proferret, redderet sensum mutilum, & imperfectum, ergo antecedentia verba prærequiruntur. R. Mastrius post S. Bon. quod verba essentialia sunt tantum quatuor: Hoc est corpus meum; ly (enim) non est de essentia, sed posita est illa copulativa causalis ad ipsam formam conjungendam cum antecedentibus. Ad id autem de sensu perfecto, vel imperfecto propositionis. R. concedendo in hoc casu illam propositionem ut hypotheticam, & causalem habere sensum imperfectum absque præcedentibus, non verò ut cathegori-

cathegoricam, & simplicem, & patet quia illa causalis hypothetica his duabus simplicibus æquivalet, & resolvitur: Hoc est corpus meum, & ideo debetis illud accipere, & comedere: sic redditur sensus perfectus, & sufficiens ad consecrationem.

QVÆSTIO V.

Explicatur sensus formæ consecrationis Corporis Christi: Hoc est corpus meum.

116 IN hujus quæstionis solutione tota difficultas residet in illa particula demonstrativa: *Hoc*, quid significet, an panem, an accidentia, an totum compositum ex accidentibus, & corpore Christi: an solùm corpus Christi, in qua diversitate occurrunt gravissimæ difficultates; ut rectè expendit P. Gaudentius, qui meritò conqueritur, quod Seraph. Doct. à diversis in diversos sensus trahitur etiam invitus, eo quod dicti Authores Seraphicum legerunt in speculis sæpe extortis. 1. op. in hac re est aliquorum asserentium, ly, *hoc*, significare panem, quatenus adhuc in sua substantia permanet, totam autem propositionem non esse substantivè, sed transitivè explicandam, scilicet hoc transit in corpus meum. Citantur pro hac sententia Alensis, & Seraphicus Doctor, sed non rectè, vel saltem mutilatè, & extortè. 2. op. docet, ly, *hoc*, significare accidentia. 3. docet, ly, *hoc*, significare corpus Christi tunc existens in propria specie, quod tunc erat in mensa, quando ipsa verba Christus protulit: nunc verò à Sacerdote proferri recitativè tantùm: sic Major, & Ocham, quam & Carolestadius secutus est. 4. opinio est plurimorum Gabr. Majoris, Vasq. Caspens. Pasq. Hurtadi, & aliorum, ly, *hoc*, significare corpus Christi, ut est sub accidentibus panis in termino prolationis verborum, quæ licèt sit vera tamen patitur graves difficultates, ut notat S. Bon. *l.4.d.8.p.2.q.1.corp.in post.* 5. op. est plurium aliorum, ly, *hoc*, demonstrare ad sensum substantiam, sub ratione communi contenti, idest sub speciebus panis, quæ primò fuit panis, postea est corpus Christi; sic facit sensum: *Hoc*, quod sub his accidentibus continetur, est corpus meum: quæ opiniones sunt veræ ex parte, sed tamen insufficientes (ait Seraph. *in corp.*) ut autem pateat mens Seraph. quæ est super cæteras adæquatior, & rationabilior.

127 Not. 1. quod explicandum est in hac quæstione primò, an verba consecrationis in toto rigore sint vera: & ratio dubitandi est, quia copula de præsenti solùm significat tempus præsens, in quo profertur, ergo solùm pro tempore præsenti debet verificari, non verò futuro: cum autem, dum profertur, non sit corpus Christi, nisi completa oratione; ergo non videtur vera in toto rigore: & tamen certum est de fide continere veritatem, ideo ejus veritas explicanda est: hinc oritur alia difficultas, an scilicet, cum sit vera ista oratio, an ista veritas sit causa conversionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, vel potius conversio sit causa veritatis propositionis, ita ut verba consecrationis sint causa conversionis non solùm ratione specificationis, sed etiam ratione veritatis ipsis inclusæ: hanc amplexantur Thomistæ, nempe veritatem esse causam, &c. Scotus cum pluribus recentioribus docet illa verba in illo priori esse quidem significativa sui objecti, sed tamen præscindere à veritate, & falsitate, ac proinde ut significativa esse causam conversionis, non verò ut vera, vel ratione veritatis à qua præscindunt, & hæc est germana sententia Seraph. Doct. nempe conversionem esse causam veritatis, quod infra patebit.

Not. 2. ex eodem S. Doct. *ibid.* quod magnum discrimen est inter propositionem speculativam, & practicam: prima enim supponit rei existentiam, quam significat, ut homo est animal: Petrus est animal: secunda est ordinata ad aliquid efficiendum, vel quod fit, ut Petrus currit, ideo non supponit rem significatam, sicut speculativa, sed significando facit, vel indicat aliquid, quod fit. Præterea ista propositio: Hoc est corpus meum, cum sit practica, & operativa virtute divina ipsi assistente, non solùm significat, sed etiam simul efficit conversionem panis in corpus Christi, ideoque talis propositio practica est sui significati factiva ejusque veritas consistit in connexione cum suo significato præsenti, quo existente est signum certum, & infallibile: Ex qua doctrina apud omnes certissima sequitur, quod cum hæc propositio practica efficiat id, quod significat, necesse est, ut habeat etiam rationem causæ, & consequenter debet saltem prius natura præcedere terminum productum: Et hinc etiam sequitur non esse necesse quod, quando copula profertur, adsit terminus, qui per talem rationem practicam producitur, sed solùm quando est ultimatè tota prolata, ad hoc ut verificetur copula: est enim necesse, ut tota præcedat secundum totam significationem: talesque sunt istæ formæ consecrationis: & ratio est, quia per hoc differt hoc Sacramentum à cæteris, quod istud perficitur consecratione, non usu, cætera verò usu tantùm: perficitur item à Ministro pro ut immediatè repræsentat personam Christi: in aliis verò perficitur à ministro ut persona diversa à Christo, pro ut tamen habet auctoritatem ab ipso: Et hinc rectè infert Seraphicus Doct. hanc orationem esse singularem inter omnes alias orationes, cum sit non solùm practica, sed & operativa, & indicativa, operatur enim quod significat.

Not. 3. quòd hæc forma, seu oratio habet sex conditiones peculiares: primò quod sit significativa rei, quam efficit, & simul transitiva, & operativa non rei novæ, vel non existentis, sed ejus terminus est ens actu completum, & non mutatum, nempe corpus corpus Christi jam præexistens, 3. quod, cum sit hæc mutatio instantanea, ideo est simul fieri, & factum esse, ideo adhibetur verbum præsens, est, & non futurum, erit: 4. est terminatio hujus mutationis ad corpus Christi verum, ut signum mystici corporis, in quo est quid etherogeneum, non caro homogenea; 5. quia hæc operatio, & mutatio operativa est per virtutem verbi increati conjunctam, & ut conjunctam cum oratione, ideo dicit meum, quia Sacerdos loquitur in persona Christi, ob idque pro Christo dicit meum: 6. quia verò minister nihil operatur circa materiam, nec immutat, ideo nihil aliud superadditur formæ, ut fit in aliis Sacramentis, v. g. Ego te baptizo, &c. unde licèt Sacerdos nec tangat, nec frangat, dum tamen intendat, & verba dicat, conficitur consecratio. 128

Not. 4. quod cum Seraph. Doctor asserat, ly, 119

hoc

demonstrare substantiam panis, occurrit maxima difficultas circa veritatem enunciationis, ùt advertit ipse in corp. quæstionis: certum enim est panem non esse Corpus Christi, quomodo ergo verificatur ista enunciatio, quæ debet esse vera pro momento, quo profertur verbum, est. S. Bon. respondet, quod sicut in Christo est veritas, & omnipotentia, ita & in verbo ab illo prolato, & ideo utrumque debet reperiri in hac propositione: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus, & sicut mandavit Sacerdotibus ea verba proferre verè, & efficaciter operando, ita supponenda est in eis utraque prærogativa, non sic in eadem propositione à laico prolata: cum igitur ista propositio indicet, & simul efficiat efficaciter transmutando panem in Corpus Christi: sic etiam significat hoc fieri simul, & esse in ultimo instanti, in quo producit suum effectum, ita ut non significet, esse, nisi pro instanti, quo completur forma: toto autem sermone significatur efficacia, qua panis virtute illius verbi transit in Corpus Christi: Et quia sermo ille verus est, ideo id magis enunciat per verbum, est, quia per mutationem instantaneam in fine verborum est Corpus Christi, & ita in toto decursu verborum per particulam (hoc) significat panem, & verbum (est) efficacem transmutationem instantaneam faciendam in fine verborum, per quam ex pane Corpus Christi fiat, & fit: itaque sensus est: hoc, idest quod prius fuit panis, est sub his accidentibus Corpus Christi.

Contra hunc sensum Seraphici insurgit Mastrius *n.*187. vocans ipsum improbabilem, vel falsum: ex hoc (ait ipse) quia si, ly, *hoc*, demonstrat panem, non qui permanet, sed qui convertitur in Corpus Christi, sequitur quod talis sensus corrumpit propriam significationem verbi substantivi (est) quod non transitum, ex uno termino in alium, sed identitatem prædicati cum subjecto propriè importat: nam ly, est, debet sumi assertivè in propria significatione, ita quod affirmet existentiam Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, ut docent Concilia, & Patres: alioquin si semel concedamus ly, est, admittere aliquas expositiones minus proprias, scilicet transit, fit, &c. ut reddat sensum: hoc fit corpus meum, vel transit in corpus meum, illicò hæreticis reservatur aditus interpretandi, ly, *est*, pro significat, atque adeo negandi veram, & realem præsentiam Christi in Eucharistia. Hæc est objectio, quam contra doctrinam antiquorum Theologorum, & in specie Seraph. Doct. urget Mastrius, quæ tamen nihil probat, estque in parte contra ipsiusmet Mastrii doctrinam, qui semper stabiliter docet istas propositiones solùm in ultimo instanti prolationis habere suum sensum proprium; & ideo supposita doctrina superius allata, cum istæ propositiones sint practicæ, efficiantque id quod significant, ideo dum actu proferuntur, etiam efficiunt transmutationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, & ideo propriè in subjecto demonstratur id, quod convertitur, & in prædicato id, in quod convertitur, & hoc significatur dum profertur in fieri, & operativo modo; & quia solùm in ultimo instanti prolationis verborum intelligitur ipsa conversio, in quo simul est fieri, & factum esse, hinc dicitur propriissimè est, non fit, nec transit, nec erit, sed est Corpus Christi sub his accidentibus: sic S. Bon. in corp. quæstionis: unde ly, est, non significat simpliciter transitum panis in Corpus Christi solitariè, ob idque nec ansam præbet hæreticis recedendi à propria significatione, quæ habetur in ultimo instanti: sensus igitur Seraphici Doctoris est iste: *Hoc est corpus meum:* Hoc, scilicet substantia panis est (dum profertur) in fieri Corpus Christi, & in fine operatorii sermonis, ut instrumenti verbi Domini operantis verè est Corpus Christi: sicque ly, hoc, non significat aliquid commune, ut dicunt Thomistæ, sed significat panem pro toto cursu verborum. In fine autem indicat, hoc, quod præ manibus habet, &, quod priùs erat panis, transubstantiatum esse in Corpus Christi, & sic veritatem dicit, exprimitque quod operatur, & operatur id, quod exprimit, & significat quod est debitum formis Sacramentorum.

Dices hinc sequi verbum, est, significare duplici sensu æquivocè: scilicet panem, & Corpus Christi: sicque videtur convenire cum hæreticis, qui sic exponunt, hoc idest panis, est corpus meum, ut sensum metaphoricum astruant, nam verè non potest panis esse Corpus Christi. Resp. neg. sequelam: Verbum enim, est, significat eo modo quo institutum est ad significandum, nempe transubstantiationem in fieri, dum profertur forma, & factum in fine: cum talis sermo, & verbum sint operatoria ex institutione Christi.

Not. 5. Quod controvertitur apud Theologos an 130
pronomina, hoc, & hic in istis formis sumantur adjectivè, an substantivè, & si substantivè, ut tenet communis opinio, quid significent, an aliquid commune vagum pani, & Corpori Christi, ut volunt plures, an aliquid singulare entis ut sic, ut volunt Scotistæ apud Mastr. *n.*192. In qua multiplici quæstione communiter apud Seraph. D. Scot. aliosque sustinetur sumi non adjectivè, sed substantivè: quod patet ex regulis Grammaticæ, quia pronomina demonstrativa hic, hæc, hoc, tunc adjectivè sumuntur, quando actu alicui subjecto copulantur, ut hic calamus est obtusus, hæc pagina est alba, hoc atramentum est nigrum: substantivè verò, quando per se ponuntur nulli substantivo copulata, ut hic est calamus, hæc est pagina: cum ergo in his formis pronomina per se ponantur, & nulli substantivo actu copulata, & explicitè copulentur, substantivè, & non adjectivè sumuntur. Tum & probatur ex Logica; quia illæ propositiones: *Hoc est corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, sunt de 3. adjacente, ergo subjectum illarum in sensu logico substantivè sumi debet: Ratio est quia prædicatum habet rationem adjacentis, & formæ apud logicum etiam, quando est substantivum, ergo subjectum ad quod refertur necessariò debet sumi substantivè, alioquin non determinaret dependentiam prædicati, ut est forma logica, tum quia adjectivum adjectivè sumptum logicè loquendo nomen non est, sed tantùm substantivè sumptum: tum quia hic, & hoc adjectivè sumpta non faciunt cathegorema, sed sincathegorema, ac proinde extrema propositionis esse non possunt.

Quòd verò hæc pronomina hoc, & hic non demonstrent aliquod singulare vagum commune substantiæ panis, & Corporis Christi: patet, quia quodcumque singulare vagum commune corpori Christi, & aliis corporibus, aut substantiis habet se per modum superioris respectu corporis Christi: sed quod est inferius prædicatione propria, & naturali non potest prædicari de superiori, ut animal est homo, sed è contra: tum quia ex logica propositio singularis est illa, in qua subjicitur terminus singularis

vel terminus communis signo singulari determinatus: Sed illa propositio (*hoc est corpus meum*) est singularis, ergo non potest habere veritatem, nisi ejus subjectum singulariter supponat, ergo, ly, hoc, hîc supponit determinatè aliquod singulare, & non communiter, & vagè, ut quando dicitur, hæc herba nascitur in horto meo, ly, enim hæc herba supponit genericè, vel specificè: non sic in hac propositione: Hoc est Corpus meum, quæ rationes etiam infringunt dictum Scotistarum de ente ut sic, licèt enim sit verum, quod ait Mastrius, dari individua generica, de quibus genus immediatè prædicari potest, tamen quia ista individua de se sunt particularia cum omnibus conditionibus individuantibus, non benè salvatur hoc pronomen, hoc, nec est necesse ad istam rationem entis recurrere, cum hoc ens necessariò sit vel panis, vel Corpus Christi, ergo melius omnibus salvatur in sensu allato à Seraphico.

131 Concl. 1. In hac propositione: Hoc est Corpus meum; Hic est Sanguis meus, &c. nomen demonstrativum, hoc, & hic, significat substantiam panis, & vini pro ut in ultimo instanti prolationis transit in Corpus, & Sanguinem Christi: sic S. Bon. qui in hoc ab aliis discrepat: & clariùs, & perfectiùs explicat hanc veritatem. Pr. 1. quia hic sermo est enunciativus, conversivus, & transitivus, ordinatusque ad transitionem, ideo est operativus ex virtute conjuncta Christi, sed operatio est circa substantiam panis, ergo pronomen demonstrat substantiam panis sub accidentibus sensibilibus, ergo subjectum propositionis indicat panem, & quia est efficax, & conversivus, ergo prædicatum est id, in quod panis convertitur. Confirmatur, quia pronomen, Hoc, significat non rem communem, ut volunt Thomistæ, aliique sequaces, sed rem individuam indicatam, & demonstratam ipso initio enunciationis, nam ex Arist. 3. Elenc. terminus supponens verbum de præsenti strictum supponit pro eo, quod actu est: sed tunc in principio non est aliquid commune, nec suspensam significationem tunc habet, ut putat Suarez, sed ibi est tantùm panis iste; ergo pro toto cursu verborum significatur panis propositus in subjecto propositionis: sed quia enunciatio est operativa, & operatur in ultimo instanti prolationis, in quo simul est fieri, & factum esse; ergo verè dicitur: Hoc est Corpus Christi, scilicet hoc, quod præ manibus habet, & quod prius erat panis, transubstantiatum est in Corpus Christi: ergo sic enunciatio veritatem dicit, & exprimit quod operatur, operaturque id, quod exprimit, & significat, quod est debitum formis Sacramentorum.

132 Concl. 2 In hac propositione: *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus*, rectè, & debitè adhibetur verbum præsens, *est*, non verò, *fit*, vel *erit*. Est Seraph. Doct. & de fide. Explicatur, & simul prob. verbum, *est*, licèt sit expracticum, & extra operationem, & supponens in cæteris enunciationibus rem jam existentem; non tamen in hac enunciatione, quæ est singularis inter omnes: & probatur, quia cum sit iste sermo efficax, & operatorius ex virtute omnipotenti verbi, tanquam ipsius instrumentum, sequitur, quod significet eo modo, quo institutum est, sed institutum est ad significandum, & ad efficiendam transubstantiationem panis in Corpus Christi, & in termino prolationis simul factam transubstantiationem in facto esse.

Dices cum Adversariis: dum profertur verbum, est, tunc non est Corpus Christi; ergo. R. S. Bon. enunciationem non exigere sui veritatem, nisi pro momento, quo finitur ejus prolatio, quia ante prolationis terminum non completur essentia enunciationis, atque adeo nec ejus significatio; ratio est, quia verbum in enunciatione significat compositionem, quam sine extremis intelligere non potes ex Arist. l. 1. *Periherm.* donec enim audierimus prædicatum, indifferens est prolatio, & etiam ratio subjecti, ut sit hoc, vel illud, vel hæc, vel illa conjunctio; sicque significatur, ly, est, in fine enunciationis.

Concl. 3. Verba consecrationis in hoc Sacramento propriè, & in rigore sermonis sunt vera, quando proferuntur, licèt non nisi in ultimo instanti prolationis eorum reperiatur Corpus Christi sub speciebus panis, & vini. Est Seraph. Doct. Scoti, D. Thom. aliorumque Theologorum Catholicorum. Sequitur ex suprà traditis, & iterum confirmatur, simulque probatur ex Seraph. Doct. quam doctrinam Scotus desumpsit, & post ipsum Scotistæ cum Mastrio *n.* 198 *seq.* Verba Christi, qui est prima veritas, nec per se ipsum, nec per alium mentiri potest, necessariò sunt vera, ergo & verba consecrationis à Sacerdote in persona Christi prolata sunt necessariò vera: continent enim veritatem, & simul efficaciam Dei omnipotentis. Prob. 2. Veritas propositionis non regulatur pro tempore, quo tota propositio absolvitur, atque adeo à tota propositione finita desumitur, sed in ultimo instanti prolationis verborum, quod est primum non esse illorum, in quo præcisè instanti verborum Sacramentalium significatio intelligitur completa, res per illa significatæ à parte rei existunt, scilicet Corpus Christi sub speciebus panis, & Sanguis sub speciebus vini; ergo formæ illæ secundùm omnem rigorem, & verborum proprietatem sunt veræ: Minor est de fide; major, in qua consistit tota vis argumentationis, & difficultatis, probatur. Conceptus per orationem prolatam causatus non habetur nisi in ultimo instanti prolationis ejusdem; ergo ut aliqua propositio vocalis sit vera de rigore sermonis, satis est, quod in illo ultimo instanti in quo conceptus illius completur significatum per eam existat à parte rei: unde hæc oratio: Hoc est corpus meum, non sortitur veritatem, & significationem totaliter, nisi sit omnino finita, & secundùm omnes ejus partes completa: Patet hoc; si quis proferat hanc orationem: Hoc est corpus, & non addiderit, meum, tunc certè talis oratio est incompleta, quia ei potest addi vel meum, vel Petri, vel alterius rei, sicque ad illam rem referuntur. ergo ejus sensus nondum determinatus intelligitur, nisi ultima quoque particula proferatur, per quam termini priores, & copula eorumdem determinantur. Addit S Doct. sed hæc doctrina maximè verificatur in propositionibus practicis, & super omnes in formis consecrationis, quæ sunt super omnes singulares, cum sint significativæ, simulque operativæ, efficientes id, quod significant, ergo ut efficiant quod significant, debent omnino præcedere secundùm totam, & completam ipsorum rationem; ergo tantùm in ultimo ipsorum instanti habent suam significationem, & effectum completum.

Objic. 1. Pronomen hoc est demonstrativum absolutum, ut dicit Priscianus, alioquin esset cassum, si esset relativum: si ergo demonstrat, vel demonstrat ad intellectum, vel ad sensum, scilicet sensibiliter: si ad intellectum, tunc quæro quid? 134

non

non potest dici nisi Corpus Christi verum; ergo sensus est, corpus meum est corpus meum: sed hoc non potest dici, quia sic nullam rationem operandi dicit: nec ad sensum, quia sic diceretur, panis iste, est corpus meum, sed hoc simpliciter est falsum, ergo neutro modo potest sumi. R.S.Bon. ly, *hoc*, demonstrare ad intellectum, & ad sensum, sed principaliter ad sensum, sed ad hoc sufficit, ut res demonstrata fiat præsens sensibus in fine completæ orationis; quod patet in hac propositione: Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem: in qua est pronomen demonstrativum, & tamen præceptum charitatis, quod ad sensum auditus demonstratur, non nisi in fine completæ orationis fit auribus præsens; sicut etiam quando dico, hoc, quod jam dicam, est verum, significat aliquid postea dicendum, & non aliquid ostensum, quando prolatum est: sic in proposito, & maximè in hac oratione practica, & operativa, ly, *hoc*, demonstrat panem sub accidentibus, quæ oculis conspici possunt, nec habet hoc pronomen completam significationem, nisi in fine orationis completæ, idque non ex intentione tantùm proferentis, sed etiam ex vi conjunctionis cum prædicato, à quo determinatur ad supponendum pro hac, vel illa re; scilicet pro corpore Christi; & cum tangatur in hac oratione in subjecto illud, quod convertitur, & in prædicato id, in quod convertitur panis, hinc solùm habet veritatem in ultimo instanti prolationis.

Sed contra: hoc pronomen importat demonstrationem, non ut conceptam, sed ut exercitam, scilicet super id, quod actu est tempore prolationis: sed dum profertur solùm ibi est panis non Corpus Christi; ergo tunc est falsa: Et si dicas verificari in ultimo instanti prolationis totius orationis: Contra est, quia successiva desinunt per instans extrinsecum, & per primum non esse eorum, qualia sunt verba, quæ proferuntur; ergo non possunt subjectare veritatem, cum tunc non sint. Confirmatur, nam quælibet dictio, si est significativa, generat conceptum in mente verum, dum profertur, sed, ly, est, in propositione significat unionem prædicati cum subjecto, ergo dum profertur vel est vera, vel falsa enunciatio; sed non est verum, quod panis sit Corpus Christi; ergo falsa.

Resp. ex doctrina allata Seraph. Doctoris: admissa responsione data in objectione. quod dupliciter potest intelligi, orationem verificari in ultimo instanti, quando non est; nempe quando non est formaliter in se, vel quando non est in aliquo effectu sibi proprio: primo modo conceditur non esse orationem in se formaliter, secundo modo negatur, dum enim proferuntur dictiones singillatim generant conceptum aliquem in mente, sicque in fine orationis intellectus per collationem format conceptum complexum totius propositionis; & tali pacto dicitur oratio existere, dum tamen actu non est, cum sit transacta: sicque inter species, & rem expressam insurgit relatio veritatis; & sic salvatur subjectum veritatis: Ad confirmationem respondeo, copulam non exercere suum munus inter subjectum, & prædicatum, nisi in fine, sic enim habet rationem propositionis de tertio adjacente, alioquin prædicatio esset tantùm de secundo adjacente: unde verba antecedentia se habent tantùm per modum præambulæ dispositionis, ad quam per collationem intellectus sequitur causatio totius conceptus ex conceptibus per partes causatis.

Dices: dictio idem habet significatum tam inserta in oratione, quàm in se prolata, sed dum per se proferatur, statim facta prolatione ejus, significatum habetur; ergo & in oratione, quamvis aliæ non sint prolatæ, alioquin dictiones haberent significationem suspensam, quod est falsum. R. neg. paritatem de dictionibus per se, & solitariè prolatis, & de iisdem insertis in oratione: primo modo quælibet habet suum significatum per se clarum, & independens: secundo modo nequaquam: quatenus enim sunt pars orationis habent suum significatum veluti in potentia, & ordine quodam cum aliis dictionibus ad ultimum instans prolationis totius orationis: sic enim quælibet sequitur legem, & naturam totius: & ad id de suspensione significationis. Resp. dici habere suspensam significationem, quatenus sunt partes orationis, donec tota propositio sit completa: nam licèt quælibet suam habeat significationem, veritas tamen, vel falsitas consequens talem significationem non censetur consistere, neque intellectus illi assentitur, quousque tota propositio sit prolata.

Objic. 3. Verbum, est, malè ponitur in hac forma. Probatur, quia cum sit oratio operativa, nec operetur, nisi in fine, sequitur quod malè dicatur, est, quod est verbum expracticum, & extra operationem, ergo dici debet, erit, &c. vel fiat, ut denotetur imperium potestatis Christi. R. hanc objectionem excitare quæstionem celebrem, an, ly, est, significet identitatem, an transitionem, an conversionem; an existentiam? Seraphicus Doctor respondet acutissimè, quod cum hæc oratio sit singularis, quia est practica, & operativa, ideo ei dedit Deus efficaciam, ob idque debet instituere orationem enunciativam veritatis, sicut & ipsa veritas divina, ac per hoc constituere illam indicativam veritatis, sicque meritò dicitur, hoc est corpus meum, non erit, nec fiat: ita ut, ly, est, non significaret identitatem, nec simultatem inter panem, & Corpus Christi, sed hoc esse corpus, hoc est, ad ipsius verbi prolationem, hoc totum transiret in ultimo instanti in corpus, quare verbum, est, non dicit identitatem, sed conversionem in hac oratione, quæ non tantùm est significativa, sed etiam operativa: Igitur magis huic formæ competebat verbum essendi (est) quàm operandi (fiat) quia magis competebat formæ, ut simul esset efficacia cum veritatis enunciatione, simul etiam notaretur termini immutabilitas, scilicet corporis Christi prius existentis cum conversione, ut in superioribus dictum est: cum enim terminus operationis sit actu ens non innovatum, ideo debuit poni verbum essendi, non fiendi, ut significetur conversio esse sine mutatione termini, scilicet in eo quod est.

Dices cum Suarez si, ly, hoc, significat panem, cur non potius dicitur, hic est corpus meum? Resp. ex doctrina Seraph. aptius dici hoc, quam hic; nam, ly, hoc, sumitur substantivè, & pro ut tendit operativo modo ad terminum, & prædicatum per conversionem, quare, ly, hoc, significat panem quidem, sed pro ut est in fieri Corpus Christi; ut inde redundet significatio accidentium, sub quibus transit Corpus Christi. Ex quibus patet, vel falsitas, vel deficientia aliarum sententiarum, nempe, ly, hoc, non significare accidentia: quia ista non transeunt in Corpus Christi: nec item significare hoc corpus, quod est in mensa edendum, est corpus meum naturale, Christo ita loquente recitativè, quia sic non significaretur transsub-

 stantiatio

stantiatio ex vi verborum, ut cum Corpus Christi naturali modo in Cœlo existens sit remotissimum, nunc particula illa, hoc, impropriè significaret: nec item hoc significat, hoc corpus est corpus meum; quia ly hoc significat cum pronunciatur, sed tunc non est Corpus Christi: unde remanet vera conclusio Seraphica, quod per hoc significatur panis, qui est sub his accidentibus est corpus meum: ly enim hoc sumitur substantivè, & pro re singulari, ergo pro pane: sic enim hac forma significatur id, quod efficitur, ut id, quod est sub illis accidentibus, sit Corpus Christi, & hoc tantùm in ultimo instanti verificatur, ita tamen ut interim significet in fieri, at in suo completo significato significet simul fieri, & factum in ultimo instanti: quare forma significat propriè, & ultimo esse.

133 Concl. 3. Forma consecrationis est conversiva, causans præsentiam Corporis, & Sanguinis Christi, in quantum est significativa, non verò in quantum vera: unde verba consecrationis esto sint vera in fine prolationis, non tamen sunt conversiva quatenus vera, sed quatenus præcedentia veritatem saltem natura, idest verba consecrationis sunt causæ conversionis ratione significationis, non verò ratione veritatis. Est S. Bon. *q.* 1. *cit.* Scoti, & communis recentiorum contra Thomistas: Duas partes habet hæc conclusio: altera est, ut forma causat, ut est significativa: altera, quod prius intelligitur conversio, quam intelligatur oratio veritatem continens. Prima pars, quæ est communis omnium, probatur, quia omnia Sacramenta suos effectus causant, quatenus sunt quædam signa sensibilia à Deo assumpta, & instituta ad istos effectus ab ipso Deo ponendos: ergo causant quatenus significant: tum quia ex eo quod forma consecrationis significet Corpus Christi esse sub speciebus colligitur quod causet præsentiam ejus sub illis: Sacramenta enim efficiunt quod significant: ergo ut significativa causant. 2. pars, prob. quia ideo hæc oratio est vera: *Hoc est corpus meum*, quia ipsa expleta panis destruitur, & Corpus Christi sub speciebus ponitur, in quo consistit conversio, ergo prius natura est conversio ista, quam intelligatur oratio veritatem habere: Patet consequentia, quia prius natura est causa, quam effectus, sed causa talis veritatis enunciationis est conversio, quæ fit mediante ipsa oratione; ergo. Et confirmatur, quia in omni propositione prius natura intelligitur significatio, quam veritas, & veritas habetur mediante intelligentia significationis: sed in Sacramentis significatio est via, & causa effectus; ergo.

Respondent Thomistæ, conced. totum de veritate speculativa, non de practica, quæ cum sit causativa non præsupponit, sed facit rem, unde antequam res sit, veritas practica est. Contra: Veritas consistit in connexione cum suo significato præsenti; sed hæc connexio præsupponit conversionem panis in Corpus Christi, nisi enim præcedat conversio, non datur talis connexio: veritas enim propositionis pendet ab existentia rei, pro ut in propositione affirmatur, sed in forma consecrationis affirmatur existentia Corporis Christi sub speciebus de præsenti, ergo ab existentia tali causata à significatione verborum dependet talis veritas: sed talis existentia pendet à conversione, quæ fit mediantibus verbis, ergo ista antecedit.

Objicies: Propositio formarum Sacramentalium causat vel ut vera, vel ut falsa: non enim datur medium in propositionibus: non ut falsa, ergo ut vera: ergo præsupponitur veritas ad confectionem effectus: Major est certa, nam in contradictoriis non datur medium: Minor est de fide, &c. Resp. propositionem de se præscindere à veritate, & falsitate, istæque sunt ipsius proprietates: unde primò fundat conformitatem ad rem, si est vera, vel difformitatem, si est est falsa: quare loquendo de veritate formali, de qua nunc est quæstio, negatur veritatem præcedere: sed potius consequitur ipsam propositionem: posset tamen admitti major loquendo de veritate virtuali, indicalique, & in actu primo desumpta ex infallibili promissione Christi, ex qua oritur securitas effectus futuri, non præsentis: sed hæc non est ad rem.

Dices cum Amico: In tantùm forma consecrationis operatur, in quantum continet verba primæ veritatis, ergo in quantum continent veritatem? Resp. S. Bon. conced. anteced. sunt quidem verba primæ veritatis, & quia eis est annexa virtus omnipotentis: sed hinc non sequitur, quod causent ut vera, ita ut veritas sit causa conversionis, nisi veritate radicali, ut dictum est.

QUÆSTIO VI.

Explicatur quidditas formæ consecrationis sanguinis.

Upponend. 1. tanquam certum de fide, formam essentialem consecrationis vini esse istam: 134
Hic est calix Sanguinis mei, estque idem ac: Hic est Sanguis meus: Ratio est ait Seraph. *l.4.d.8.p.2.q.2.* quia hæc est forma tradita Ecclesiæ ab Apostolis, qui jussu Christi ipsam fundaverunt: & licèt Evangelistæ discrepent aliqualiter in ipsa tradenda, hæc variatio non essentialiter diversificat, ipsi enim non intenderunt tradere, nisi historiam vitæ Christi: sed formam tradiderunt Apostoli Ecclesiæ eo modo, quo à Christo adhibita est, & ipsi receperunt: Difficultas verò versatur circa duo: Prima est, cur dicatur: *Hic est calix Sanguinis mei*, sumens in recto continens, & in obliquo contentum, & non potius dicatur: *Hic est Sanguis meus*, sicut dictum est: Hoc est corpus meum. Secunda est circa sequentia verba: *Novi, & æterni testamenti, qui pro vobis, &c.* an sint de essentia formæ: De prima, quæ est facilis, infra dicetur. Sed circa secundam difficultatem triplex sententia circumfertur: Prima asserens, omnia ista verba esse de substantia consecrationis: sic D. Thom. & & Thomistæ plures: secunda asserit illa intermedia, Novi, & æterni testamenti esse accidentalia; cætera autem omnia essentialia; tertia communis cum Seraphico Doctore, Scoto, & plurimis solùm prima, Hic est calix sanguinis mei, esse essentialia, reliqua verò accidentalia, necessaria tamen necessitate præcepti.

Not. 1. ex Seraph. Doct. *q.2.cit. ad argum.* quod 135
forma consecrationis ad hoc ut sit conveniens debet exprimere, & significare transubstantiationem vini in Sanguinem Christi; unde debet ista regulari eo modo, quo dictum est de forma consecrationis panis, est enim propositio conversiva, & operativa, & habet eundem sensum in ordine ad substantiam vini.

N. 2.

135 Not. 1. quod non sine mysterio notabili Christus per figuram methonimiam usus est hoc nomine, *Hic est calix*, ut continens vinum, ita tamen quod calix in recto, & vinum in obliquo poneretur, quia faciunt sensum intransitivum, & identicum, quatenus significant vinum: sed cur dicitur, *Calix sanguinis*, & non potius, *hic est sanguis meus*, explicando per nomen calicis vinum? Resp S Bon. quod ideo usus est Christus hac forma, & modo loquendi ex eo, quia sanguis Christi proponitur in hoc Sacramento, ut effusus in pretium, & ut administratus in potum: & si diceretur, *hic est sanguis meus*, non sic accommodatè exprimeretur ejus effusio, & administratio in potum, quia sanguis de se neutrum dicit expressè, sed per conjunctionem cum calice rectè exprimitur; sanguis enim in calice ut effusus, & ut potandus proponitur; calix enim in scriptura significat aliquando passionem, ut in Matth. *cap.* 20. Potestis bibere calicem, &c. significat & potus refectionem per transumptionem, ut Psal. 22. Calix inebrians, quàm præclarus est: sicque per hunc duplicem tropum melius dicitur calix sanguinis, quàm sanguis per se: & si quæras: ad quid sit ista transumptio, idest ad quid ordinatur? Resp. Seraph. quod ordinatur ad contentum, unde dicitur calix sanguinis, sicut calix vini, cum dicitur bibe calicem: & si quæras: cur de corpore non dicitur cibus corporis; resp. quod corpus Christi de se cibus est: sed sanguis non dicitur potus, nisi pro ut propinatur in calice passionis.

Not. 3. quod ut in superioribus traditum est, forma illa est essentialis consecrationi, in qua verba significant præsentiam Christi sub speciebus: illa autem sunt, quæ essentialiter determinant prædicatum propositionis in ordine ad subjectum simul significando, & efficiendo ad hoc, ut in ultimo instanti prolationis intelligatur transmutatio facta, & præsentia Christi: & per consequens sola ista, *Hic est calix sanguinis mei*, sunt talia: Et licèt addatur aliquid aliud determinans exprimendo clariùs, illa denominatio erit accidentalis, qualis est in verbis sequentibus, patet id in forma absolutionis, vel baptismi, *Ego te absolvo, ego te baptizo*, additur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, quæ determinatio est non essentialis, sed accidentalis, & de præcepto tantùm.

136 Concl. 1. Convenientissimè instituta fuit forma consecrationis vini eo modo, quo Ecclesia utitur, nempè, *Hic est calix sanguinis mei*: ratio est, quia sic à Christo factum est: tum quia forma debebat exprimere, & significare tùm Christi præsentiam sub speciebus vini, tùm quia per ista proponitur sanguis effusus pro redemptione mundi, & administratus in potum: ergo.

Concl. 2. Sola ista verba, *Hic est calix sanguinis mei*, sunt essentialia formæ, sequentia verò accidentalia, solúmque addita ad majorem expressionem effectuum talis sanguinis: Est communis S. Bon. Scoti, & majoris partis Theologorum contra aliquos Thomistas. Prima pars patet ex usu Ecclesiæ, & ex Sacra Scriptura, & ex SS. Patribus, ut videre est apud Suarez *d.* 60. *sect.* 1. & ratio in promptu est, quia verba Sacramentorum efficiunt quod significant, & significant quod efficiunt, sed hæc verba sola, *Hic est calix sanguinis mei*, *hic est sanguis meus* significant conversionem, ergo illam efficiunt; ergo illa sola sunt essentialia: major est certa de fide, minor probatur, quia hæc verba sola determinant prædicatum, & integrant, consumuntque propositionem integram, ideóque non possunt esse falsa, ergo quidquid postea superadditur non est essentiale.

Respondent Adversarii per illa sola verba non perfectè significari effectum Sacramentalem, licèt enim exprimatur conversio, non tamen effusio, unde requiruntur verba sequentia, *qui pro vobis*, &c. Sed contra, quia, ut rectè notat S. Bon. per calicem utrumque exprimitur, nempè effusio sanguinis, & administratio potus: alias responsiones congerunt Suarez, Mastrius, aliique, sed hæc Seraphici Doctoris sat est: sic enim exprimitur conversio, effusio, & administratio in potum.

Respondent adhuc Thomistæ gratis conced. verba essentialia formæ calicis esse sola illa, *Hic est calix sanguinis mei*, reliqua tamen dicunt esse de substantia, & integritate formæ, quia ex intentione Ecclesiæ omnia concurrunt ad consecrationem: unde licet sine illis possit confici Sacramentum, tamen quando dicuntur, verè concurrunt; ita ut si Sacerdos habeat intentionem per illa omnia consecrandi, verè non perfici Sacramentum, nisi in fine omnium: nec mirum esse debet, inquiunt, quod aliquid sit de substantia, & integritate rei, non autem de essentia, nam manus, & digitus sunt de integritate hominis, non autem de essentia: afferunt exemplum in forma pænitentiæ: Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine, &c. certum est essentiam consistere in illis, te absolvo, & tamen alia addita concurrunt ut partialia ad causandum effectum, quia proferuntur per modum unius formæ, & sic sunt significativa, & operativa.

Contra insurgit Mastrius & rectè *num.* 161. *seq.* quia ineptè distinguitur in his formis id quod est substantia, ab eo quod est de essentia, quicquid enim est necessarium ad Sacramentum perficiendum, est de substantia, & essentia simul, & è contra: quod non est necessarium, non est de essentia, nec de substantia, quia coincidunt in idem in formis Sacramentorum; nec exemplum de toto integrali est ad rem: nam licet in toto merè integrali, & quantitativo, sicut est oratio & forma consecrationis partes integrales, & essentiales coincidunt in unum: sicut si ab una dictione auferatur aliqua pars soni, & prolationis, aufertur ab ea pars aliqua, quæ simul est integralis, & essentialis, sic & si addatur: idemque dicendum de dictione in oratione; & hinc arguitur; aut prolatis primis verbis essentialibus fit consecratio, vel non: si primum ergo cætera non sunt necessaria: si secundum, ergo sunt necessaria non minus quàm prima, & essentialia: hinc vanum est dicere verba subsequentia dici de substantia non de essentia, quia quæ sunt de essentia pendent ab institutione Christi: de substantia ab intentione ministri, à quo pendet fieri consecrationem cum illis, vel sine illis: Vanum quidem dictum, & sine fundamento, quia ad consecrationem concurrit tantùm id quod Christus instituit, & ordinavit, non verò quod ab Ecclesia, vel ministro ordinatur.

Objicies 1. Evangelistæ discrepant in tradenda forma consecrationis à forma usitata ab Ecclesia latina, ergo non est vera. Resp. S. Bon. cum communi intentum Evangelistarum fuisse narrare historiam vitæ Christi, non autem tradere præcisam formam Sacramentorum, quam ab Apostolis recepit Ecclesia, sicut ipsis à Christo tradita fuit: deindè Evangelistæ licèt non in verbis, tamen in sensu conveniunt in nostra forma.

Objicies 2. In hac forma exercetur transumptio, &

& tropus, ergo cum impropietate verborum, & multiplicate sensuum, nempè sensu proprio, & improprio, sed hoc est aperire viam erroribus, & ansam præbere hæreticis recurrendi ad sensus improprios, & rejiciendi proprios; ergo. Resp. S. Doctor optimo jure Christum usum fuisse tropo calicis ob rationes adductas, nempè ut exprimatur ratio administrationis sanguinis in potum, & effusionis ipsius in redemptionem: & ad id de occasione erroris, & evagationis ad varios sensus. Resp. neg. id sequi, ubi est transumptio clara, & expressa, sicuti est in hac forma.

157 Concl. 3. Post verba essentialia formæ, quæ sunt, *Hic est calix sanguinis mei*, sequuntur cætera ad hoc esse, veluti accidentalia ad explicationem triplicis effectus sanguinis Christi, pro nobis in passione effusi. Est S. Bon. *cit. q.* 2. Prob. & explicatur. Primus effectus est testamenti innovatio, & innovati confirmatio, quia in morte confirmatur testamentum, & novum efficitur, ideo dicitur novi, & æterni testamenti, quia vetus, quod in sanguine taurorum fuerat confirmatum, in hoc est evacuatum, & novum factum: secundus est fidei manifestatio, quia quod erat sigillatum, & occultum, in passione agni est apertum: ideo dicitur mysterium, idest secretum fidei, quia quod prius erat occultissimum, hoc revelato, revelata est fides, in hoc, inquam, quod erat difficilius ad credendum. Tertius effectus patet in illis verbis, qui pro vobis, & multis, &c. effundetur in remissionem peccatorum. Pro vobis, idest Judæis, & in his intelligens Apostolos: in multis intelligens Gentiles: Vel pro vobis, scilicet Sacerdotibus offerentibus, qui debent orare pro se ipsis: & pro multis, idest etiam pro subditis, & aliis: Ex quibus patet, ista verba sequentia addita fuisse ad majorem explicationem istorum effectuum, non ut essentialia.

Objicies cum Thomistis: In forma Sacramentorum determinatio prædicati ad subjectum est essentialis, vel saltem de substantia formæ, sed ista sequentia verba determinant prædicatum, scilicet sanguinem, ergo sunt de substantia. Confirmatur, quia sine his verbis sensus propositionis. Hic est calix sanguinis mei, est incompletus, & suspensus, quousque proferantur cætera verba; ergo sine illis non fit consecratio. Et confirmatur iterum, quia in Missali omnia notantur litteris majusculis, & præcipitur, ut proferantur, nec sanguis proponitur adorandus, donec omnia sint prolata: & hinc in Cathechismo Romano, & in Concil. Coloniensi, & Florent. dicitur omnia illa verba ad formam 158 consecrationis pertinere: Sed jam huic objectioni in 3. notabili satisfactum est: duplex enim determinatio prædicati potest considerari alia essentialis, alia accidentalis: prima sufficienter habetur in illis verbis, *Calix sanguinis mei*, quæ determinant, & copulant prædicatum ad subjectum: alia determinatio est, per verba sequentia ad majorem explicationem: idque patet in cæteris formis: nam dicitur, *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*; certum enim est, ista (*quod pro vobis tradetur*) determinare corpus, & tamen non sunt de essentia. Et in absolutione: *Ego te absolvo, &c. in nomine Patris, &c.* etiam ista determinant accidentaliter: & hinc ad Confirmationem negatur, sensum verborum essentialium sine sequentibus manere suspensum: licèt inserviant ad majorem explicationem. Ad secundam confirmationem negatur inferri verba sequentia essentialia ex hoc quod litteris majusculis notantur, & proferuntur à Sacerdote, solùmque infertur, esse proferenda de præcepto, sicuti in forma panis particula (*enim*) & in forma absolutionis, *Ego te absolvo, &c. in nomine Patris, &c.* inde nec in Cathechismo, nec in Conciliis adductis declaratur esse de essentia formæ, sed tantùm præcipitur, ut juxta consuetudinem Ecclesiæ proferantur; unde sunt necessaria necessitate præcepti tantùm.

Objicies iterum per verba sequentia declaratur ratio, & natura hujus Sacramenti in ratione sacrificii, sicut est tale essentialiter, ergo sunt de essentia, vel saltem de substantia consecrationis. Resp. S. Bon. neg. talia verba esse de essentia, vel substantia hujus Sacramenti, pro ut sacrificium est: quia primò exponitur ejus effusio in illis verbis, calix sanguinis mei: secundò quia eo ipso, quo vi verborum ponitur sanguis sub accidentibus, & non corpus nisi concomitanter, satis declaratur oblatio sacrificii, vel sanguinis effusi: sicque complete Christi mors repræsentatur per separationem mysticam corporis, & sanguinis.

Q. *An plures formæ possint simul concurrere ad ejusdem materiæ consecrationem, ita ut plures Sacerdotes possint eamdem hostiam consecrare?* Negat Durandus; sed tamen communis sensus Theologorum & praxis Ecclesiæ est in contrarium; nam in ordinationibus omnes Sacerdotes de novo ordinati concurrunt verè ad eamdem hostiæ consecrationem cum Episcopo, & illa est vera uniuscujusque oblatio Missæ, nec sine temeritate id negari potest: Data enim etiam opinione negantium posse eumdem effectum causari à pluribus causis totalibus in genere physico, quod nos tamen in Philosophia admittimus, in genere moris tamen non currit eadem ratio.

QUÆSTIO VII.

De præsentia Christi in Eucharistia. Quid sit præsentia Christi in Eucharistia sub speciebus accidentalibus.

Seraphicus Doct. *d.* 10. *p.* 1. *q.* 1. refert hæresim 159 suscitatam suo tempore, immo multo ante, negantem veram, & realem præsentiam Christi in Sacramento, sed asserentem ibi tantùm contineri tamquam in signo, & manducari non verè, sed quia signum ejus manducatur, & sumitur, quæ hæresis postea in his novissimis temporibus amplexata fuit à Calvino impiissimo, & sequacibus monstris, qui ut refert Bover. & Belar. in ducentas pravas vias declinarunt in declarando isto pessimo errore: quem fusè confutant Belarm. Bover. Gaud. *dist.* 5. *q.* 1. ad quos remitto lectorem, solùmque hanc quæstionem resolvam pro Catholicis Theologis secundùm principia Seraphica: Igitur in hac quæstione oritur difficultas, primò an idem corpus possit de absoluta Dei potentia esse in pluribus locis, sivè circumscriptivè, sivè definitivè, sivè alio modo: quam & nos in Philosophia solvimus tom. 2. secundò qualis sit ista præsentia Christi tum in ordine ad locum, tùm in ordine ad species, & cum utroque modo Christus sit præsens in Sacramento, an sit per duplicem præsentiam, an per unicam tantùm: tertiò an data ista præsentia, adsit aliqua physica unio inter corpus, & sanguinem Christi, & species ipsas, an verò alio modo. Circa quas dubitationes

bitationes varietatem opinionum referemus in conclusionibus.

Not. 1. & supponend. quod à nobis traditum est in 2. parte Philosophiæ *l. 4. phys. tract. 1. de loco q. 6.* nullam implicantiam posse adferri, idem numero corpus posse per absolutam Dei potentiam esse in pluribus locis, & simul habere plures præsentias pluribus locis, sive hujusmodi præsentiæ sint ejusdem rationis, sive diversæ, scilicet vel circumscriptivæ, vel definitivæ, Deus enim potest producere in eodem corpore diversa ubi, & præsentias, cum repletio loci sit effectus secundarius quantitatis, tum quia locabilitas corporis in uno loco non expleat totam potentiam obedientialem ipsius in ordine ad alia loca: Supponendum item nec posse adferri implicantiam quin corpus idem sit totum in toto, & totum in qualibet parte: potest enim Deus impedire extensionem actualem partium corporis in ordine ad locum, & retinere in corpore extensionem entitativam ipsarum partium in corpore: quod & in cit. quæst. Philosophica probatum est, & infra suo loco dicetur.

140 Not. 2. quod aliquid potest dici esse in loco quatuor modis. 1. dimensivè, & circumscriptivè, idque est proprium corporum, quæ sunt tota in toto, & partes in partibus loci. 2. definitivè tantùm, sic Spiritus sunt in loco limitato, & finito, sed non dimensivè, cum sint toti in toto, & toti in qualibet parte. 3. immensivè, sic Deus est ubique per suam immensitatem. 4. præsentialiter tantùm, & hoc potest esse dupliciter. 1. Sacramentaliter, sic corpus Christi est totum in hostia tamquam sub signo sensibili, & totum in Cælo, & in cæteris hostiis consecratis. 2. aliquid potest esse præsentialiter in loco, præscindendo à commensuratione, positioneque partium extra partes, ut si Deus destrueret omnem locum, & crearet Angelum in isto vacuo, vel spatio imaginario, tunc iste Angelus haberet suum ubi intrinsecum, non verò extrinsecum: sic S. Bon. *lib. 2. d. 2. part. 2. art. 2. q. 4. corp. & lib. 4. d. 10. p. 1. a. 1. q. 4. ad 2. 3 & 4.* & hoc pacto corpus Christi est in hostia non quidem localiter propriè, sive dimensivè; sed conterminativè, privativè scilicet, quia ibi nec excedit, nec exceditur: cum autem ibi non sit localiter propriè, sed tamquam signatum in signo, vel sub signo sensibili contentum, & quia eodem modo signatur in parva, & in magna hostia, hinc eodem modo ibi est, & totum in toto, & totum in qualibet parte.

141 Concl. 1. Christus suo corpore realiter & verè præsens est in Eucharistia: Est de fide, & habetur in Evangelio, *Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, &c.* & hoc est determinatum in omnibus Conciliis contra impiissima dogmata hæreticorum, qui hanc veritatem negantes errant manifestè (ait Seraph.) contra pietatem, & contra Sacramenti dignitatem, & excellentiam: contra pietatem, quæ tantum beneficium à Deo datum recognoscit, & gratias agit, quod in carne sua, & propria natura nobiscum sit; errant & contra Sacramenti dignitatem, & excellentiam, in quo relucet divina potentia, & sapientia, & bonitas altiùs cæteris Sacramentis: Congruentias autem mirabiles circa institutionem hujus Sacramenti affert Seraph. *lib. 4. d. 10. q. 1.* quas videre potest Lector.

Concl. 2. Præsentia hæc Sacramentalis est modus aliquis positivus realis: Est communis cum S. Bon. *d. 10. p. 1. q. 1. & seq.* ratio est, quia fit de novo præsens speciebus, ergo acquirit novum modum essendi: tùm quia hæc præsentia est fundamentum realis relationis propinquitatis, & distantiæ, quas habet corpus Christi ad res diversas, atque modificat corpus Christi: ergo.

Concl. 3. Corpus Christi in Eucharistia est Sacramentaliter, non verò propriè definitivè, nec dimensivè: Est communis omnium Theologorum cum S. Bon. *l. 4. d. 10. p. 1. art. 1. q. 3. & 4.* Prob. 1. quòd ibi non sit definitivè: quia illud loco definitur, quod est in uno loco solo, sed corpus Christi sub Sacramento est in pluribus locis: quia ubicunque consecratur, ibi est: ergo. Notat autem S. Doctor, quod corpus Christi est individuum secundùm se, & individuum, in quo plura convertuntur. Ut individuum secundùm se est in Cælo tantùm propriè, & definitivè, ut in proprio loco: quia verò est individuum, in quo plura convertuntur, non habet terminum substantiæ limitatum ad unum locum, sed extendit se ad locum conversionis, & quia institutum fuit hoc Sacramentum, ut fieret talis conversio ad hoc ut esset cibus communis multorum, ideo etiam conveniens fuit, ut non esset ibi definitivè, sed medio modo, scilicet non quidem immensivè ut Deus, nec in uno loco ut est in Cælo, sed medio modo. Quod verò non sit ibi dimensivè, licèt in se habeat propriam dimensionem, non tamen est in hostia tali modo: cum in hostia non sit sicut locatum in loco: sed tamquam signatum in signo contentum; ergo eodem modo & in magna, & in parva hostia; quia est ibi secundùm corporalem præsentiam. 142

143 Objic. 1. In hoc Sacramento Christus solum est ut cibus spiritualis; ergo quantitas corporis est superflua, ergo est ibi Christus sine quantitate. R. S. Bon. quòd Christus est quidem cibus spiritualis, sed tamen totus cum omnibus suis propriis perfectionibus, ob idque cum sua quantitate.

Objic. 2. Corpus Christi est individuum, ergo hìc & nunc, ergo definitivè est in uno loco: Nec valet si dicas, hoc individuum, quia unitum est substantiæ, posse esse in pluribus locis: non valet, quia si ob talem rationem auferetur esse definitivum, sequitur, quod etiam ante, & extra Sacramentum sit in pluribus locis, quod est irrationabile dicere, tum quia talis unio non aufert esse individuum corpori, ob idque nec esse definitivum. Resp. S. Bon. *q. 2.* quòd corpus Christi est individuum secundùm se, sic habet esse definitivum in cælo: est & individuum in ordine ad convertibilitatem panis, & vini in ipsum, quæ sunt in diversis locis: & hoc quia cum sit cibus spiritualis & communis, & natum cibare plures ex unione cum diversitate, ideo sic institutum fuit, ut sub Sacramento exponeretur in pluribus locis: & ratio convenientiæ est (ait S. Doct.) quod sicut individuum tale est, quod alia possunt converti in ipsum per nutritionem secundum partem, sic & hoc tale est ex unione cum divinitate, quod alia possint in ipsum totaliter converti, ideoque potest esse in pluribus locis. Sed contra: Demus quod in mundo sint tantum tria loca, & ibi esset corpus Christi: tunc diceretur esse ubique, sed hoc est solius Dei proprium, ergo. R. S. Bon. neg. paritatem: Deus est ubique ob suam immensitatem: in tali autem casu corpus esset in tribus locis non per immensitatem, sed ob locorum paucitatem.

Objic. 3. Quod movetur ad motum alterius, in loco est definitivè; sed Christus movetur ad motum totalis speciei, cum scilicet transferunt species de uno loco ad alium; ergo. R. S. Bon. Corpus Christi medium tenet inter esse immensum, & 144

esse definitum, ideò quodammodo est immotum, & quodammodo mobile: mobile quidem in uno loco, quando tota species transfertur ad alium locum: immotum autem est in alio nempè in cælo: vel etiam in hostia respectu partium hostiæ, non enim movetur nec per se, nec per accidens, nisi transferatur tota hostia.

Objic. 4. Quod habet dimensionem est ibi dimensivè, sed corpus Christi in hostia est organicum cum sua quantitate, ergo est ibi dimensivè. Resp. S. Bon. quòd habet dimensionem est in loco dimensivè, si ibi est localiter, concedo, si ut signatum contentum in signo, nego, &c.

Contra: Corpus Christi est in Sacramento localiter, cum in pluribus locis existat; ergo est ibi dimensivè. Resp. S.Bon. esse localiter stat dupliciter: aut quia est secundùm corporalem præsentiam tantùm, aut quia est secundùm commensurationem corpori debitam: primo modo est in Sacramento, secundo modo est in cælo.

Contra iterum: corpus Christi est totum localiter in Sacramento ita quòd nec excedit locum, nec exceditur à loco, sed hoc est esse conterminativè, & per consequens circumscriptivè in loco; ergo. Resp. S. Bon. quòd esse conterminativè stat dupliciter: primò modo privativè, ita quod nec excedit, nec exceditur ratione præsentiæ; & tali pacto corpus Christi est in hostia: alio modo positivè per respondentiam partium partibus loci: sic non est in hostia.

145 Concl. 4. Præsentia Sacramentalis Christi ad locum specierum est differens à præsentia, quam habent species ad eumdem locum: Est Seraph. Doctoris, Scoti apud Mastrium *num.* 216. & communiter contra Vasq. aliquosque alios recentiores: ratio evidens est, quia ut notat Seraph. Doct. supra cit. præsentia Christi ad locum specierum non est perfectè localis, scilicet vel definitiva propriè, nec commensurativè: præsentia specierum est & definitiva, & commensurativa, & propria ad proprium locum, ob idque illa est tantùm per ordinem ad species: ista per ordinem ad superficiem ambientem species: ergo. Dices: Corpus Christi movetur per accidens ad motum specierum, ergo & fit præsens loco ad præsentiam specierum, ergo est eadem præsentia utriusque. Resp. neg. consequentiam; ratio est, quia ideo aliquid dicitur vel moveri, vel fieri præsens per accidens, quia non per se primò movetur, sed secundariò ad motum alterius: sed tamen & motus iste secundarius, & præsentia nova recipitur in re mota, & quæ fit præsens loco ad positionem alterius rei: hinc negatur ultima consequentia, quod sit eadem præsentia utriusque.

146 Concl. 5. Prædicta præsentia Sacramentalis Christi ad locum specierum est aliquid reale positivum de novo superadditum, & ab ipso distinctum; nempè modus quidam accidentalis, spectans ad prædicamentum ubi. Concl. hæc est contra Nominales, est tamen omnium realium, D. Bon. D. Thom. Scoti, &c. quæ supponitur probata in Philosophiâ, & nos fusè de ea agimus *lib.*4. *Phis. de loco*, q.4. ubi ex Seraph. probavimus, ubi intrinsecum esse formam quamdam realem intrinsecè in re locata, per quam res formaliter constituitur in tali, vel tali loco, quæ forma à S. Doctore vocatur præsentia, vel indistantia realis; de qua forma. *Vide S. Bon. lib.*1.*d.*37.*p.*1. *art.*2.*q.*20. *d.*4. *& p.*2. *dub.*2. *& q.*1.*ad* 1. *& l.* 2. *d.*1.*p.*1.*art.*3. *q.*1.*fund* 5. *& d.*2.*p.*1. *q.ult. fund.*3. *&* 4. & ratio evidens est, quia non potest intelligi corpus Christi fieri præsens loco, cui prius non erat præsens, nisi mutatione aliqua facta in Christi corpore, illam novam præsentiam in se recipiendo; ergo est aliquid intrinsecè illi superadditum, sed vide quæstionem citatam in Philosophia.

Ex quo rectè inferunt Theologi Corpus Christi habere pro loco ipsum locum specierum licèt secundariò, quia quasi continetur ab ipso, licèt absque divisibili correspondentia: nempè ut ait S. Bon. *lib.*4. *d.*10. *part.*2. *q.*4. *ad arg.* quia continetur in speciebus non commensurativè positivè, sed ut signatum in signo contentum, ob idque nec excedit, nec exceditur à loco, quatenus non quidem propriè ambitur, sed ibi occultatur, & subest speciebus loco substantiæ panis.

Dices: si ibi corpus Christi non continetur propriè ut in loco, ergo nec ubi in eo propriè recipitur, quia à speciebus non continetur, ut à loco. Resp. S.Bon. *d.*11. *p.*1. *art.* 1. *q.*2. mutationem, per quam corpus Christi aquirit ubi novum, non esse integrè mutationem localem, sed habere aliquam similitudinem cum ea, ob idque rationem istius convenientiæ, sed reduci debere ad genus ubi, licèt sit mutatio singularis, de qua infra erit sermo

Concl. 6. Præsentia corporis Christi speciebus, licèt sit inseparabilis, non est per aliquam phisicam unionem sivè formalem, sivè effectivam, sed solùm moralem, & procedentem à divina voluntate, quæ decrevit, corpus Christi esse intimè præsens speciebus, quousque esse specierum retinent; Est contra Thomistas, est tamen Seraph. Doct. & Scoti, & communior Theologorum. Quoad Seraphicum id patet, quia semper stat fixus in hoc, quod Christus continetur sub speciebus tamquam sub signo infallibiliter repræsentante Christum ibi præsentem, quæ significatio fundatur in institutione Christi; ergo cum ad talem significationem sit superflua omnis alia unio præter præsentialitatem, sequitur, quod ista sufficit. 147

Nota autem quod Thomistæ de hac unione reali variè loquuntur: Alii enim dicunt interesse unionem phisicam inter corpus Christi, & species similem illi, quæ erat cum substantia panis, sic Cajet. Soto, Belarm. Pasqual. Anversa, &c. Alii negantes hanc formalem unionem admittunt effectivam, seu per vim attractivam, qua unum trahit, & unum sibi alterum unit, sic magnes trahit, & unit sibi ferrum, & sibi copulatum retinet, quod vinculum est reale: Sic Suar. Lugus, Caspens. aliique recentiores: Seraphicus autem Doctor semper fixus permanet in hoc, quod corpus Christi fit præsens speciebus præsentia pura, vel continentia absque propria locabilitate, definitione, vel commensuratione: unde *d.*10.*p.*1.*dub.*1. *&* 2. notat ex corpore Christi, & signo visibili non fieri aliquod unum per essentiam, sed ad unum concurrunt ad constituendum unum Sacramentum, undè propriè non fit ex eis compositio, sed tantùm impropriè, & largè pro ut importat concursum plurium, non confectionem tertii: *Idem &* *d.*12. *q.*1.

Probatur autem contra primam opinionem, quia alia unio formalis phisica non datur nisi vel ut partium in continuo, vel ut formæ in subjecto, quorum neutrum dici potest; quia licèt species, & corpus Christi compenetrentur ad invicem, non tamen continuantur, nec accidentalia ullo pacto corpori Christi inhærent, ut subjecto, nec illud taliter afficiunt, non enim dicitur corpus Christi

album albedine specierum, vel quantum quantitate ipsarum, nec è contra corpus Christi afficit species, cum nihil ab eo recipiant, ut innuit S. Doctor *d.* 11. *q.* 2.

Prob 2. contra secundam opinionem. Unio, quæ fit inter corpus Christi, & species fit per verba consecrationis, non verò per mutuam actionem specierum, & corporis Christi ad invicem; ergo talis unio, seu attractio est tantùm moralis, scilicet (ait Seraph. Doctor) ratione institutionis, & decreti facti à Christo: tùm etiam quia sola causalitas effectiva sufficiens non est ad denominandum corpus Christi unitum speciebus, & species illi unitas: causalitas enim effectiva ex vi sua non postulat unionem effectus cum causa, ut patet in Creatura respectu Dei causantis, vel conservantis: Nec valet responsio adversariorum, hanc unionem esse ineffabilem, & differentem ab omnibus unionibus naturalibus accidentium cum subjecto: unde in hac unione extrema non se habent ut actus, & potentia, cum species non inhæreant corpori Christi, ob idque nec possint ipsum afficere suis qualitatibus. Non valet, inquam, hoc effugium, quia non est excogitabilis unio phisica accidentium cum subjecto absque inhærentia: nam forma apta inhærere, si uniatur subjecto alicui substantiali, habet quicquid requiritur ad inhærendum; ergo si accidentia unita sunt corpori Christi, ei etiam inhærent, & illud afficiunt.

Dices: In Eucharistia manent accidentia suspensa absque inhæsione actuali, ergo sine inhærentia possunt esse unita corpori Christi: Sed contra, quia hoc est merum figmentum, si enim actu non inhærent substantiæ, ergo ei non sunt unita, ergo nec corpori Christi, ergo reduci debent ad unionem moralem.

148 Objic. 1. Sola præsentia corporis Christi ad species non est sufficiens ad salvandum omnia, quæ dicuntur in hoc Sacramento, ergo alia major unio debet assignari. Antec. probatur à Suar. *d.* 47. *sect.* 3 v. g. quod corpus Christi sit incompossibile cum substantia panis, & ejus unione ad sua acccidentia, quod corpus Christi suppleat vices substantiæ panis, seclusa inhærentia, eaque sustineret effectivè: quod species contineant corpus Christi inseparabiliter: quod corruptis accidentibus amittit corpus Christi ibi sacramentalem præsentiam, quod motis accidentibus moveatur corpus Christi, quæ omnia per talem unionem effectivam optimè salvantur. Sed R. neg. ex his prædicatis, vel debere, vel posse necessariò inferri ullam unionem præter præsentialitatem, immò alienum est à recta Philosophia inferri ex causalitate effectiva unionem phisicam causæ cum effectu, quare meliùs est dicere cum Seraphico Doctore, & Scoto ista omnia competere corpori Christi, & speciebus ex pura ordinatione, & institutione divina, ob idque dependenter à decreto divinæ voluntatis: unde licèt de facto sint incompossibiles simul substantia panis, & substantia corporis Christi, talis incompossibilitas non est ex natura extremorum; potuisset enim Deus, si voluisset, relinquere panis substantiam simul cum corpore Christi: est igitur tantùm ista impossibilitas ex divina ordinatione suæ voluntatis.

Objic. 2. Ad motum specierum movetur etiam corpus Christi; sed si adesset tantùm pura præsentialitas non diceretur moveri corpus; ergo alia major unio debet intelligi R. transeat major, & neg. minor, falsum enim est quòd id, quod movetur ad motum alterius necessariò habeat unionem phisicam cum mobili, patet hoc in motu hominis ad motum navis: muscæ ad motum totæ: Et si quæras quomodo potest moveri corpus Chr sti à Sacerdote ad motum specierum? Resp. moveri à Deo dum species moventur à Sacerdote ex eo, quod Deus alligavit præsentiam corporis Christi ipsis speciebus, quousque durant in esse.

Concl. 7 Præsentia Christi in Sacramento per se primò, & principaliter refertur ad species, & secundariò ad locum specierum: Est communis omnium, excepto Durando negante, hanc præsentiam referri ad locum. 1. pars patet ex verbis consecrationis, *Hoc est corpus meum*, non dicitur, hìc est, &c. ista enim verba clarè exprimunt præsentiam, & conjunctionem corporis Christi cum speciebus, non verò ad locum specierum referuntur de se: tum quia hæc præsentia semper eadem manet, etiamsi moveantur species de loco ad locum. Secunda pars etiam est clara, nempè præsentiam ad locum esse secundariam tantùm, vel concomitantem: quia si Christus continetur sub speciebus, ergo refertur etiam ad locum specierum. 149

QUÆSTIO VIII.

Qualis sit præsentia Christi in Eucharistia, & an hæc dependeat essentialiter à modo existendi naturaliter in se ipso?

Titulus iste in duas partes quæstionem proponit, & dividit: In prima quæritur qualis sit præsentia corporis in Eucharistia, nempè an fit divisibiliter, scilicet totus in tota hostia, & pars in parte, an verò indivisibiliter, scilicet totus in tota hostia, & totus in qualibet parte: In secunda quæritur, an talis præsentia in Eucharistia necessariò supponat existentiam corporis Christi (non loquimur autem hìc de existentia, qua corpus Christi est extra suas causas, ut malè intellexit Cajet. contra Scotum; hoc enim certum est, debere scilicet præsupponi ejus existentiam entitativam) sed loquimur de existentia sub modo naturali quantitativo, & dimensivo, sicut nunc habet in cælo, ita ut præsentia Sacramentalis dependeat intrinsecè à præsentia corporali naturali in alio loco. Quoad 1. partem S. Bon. *d.* 10 *p.* 1. *q. ult.* affert duas opiniones, altera est, quod Christi corpus totum sit sub totali specie, ita quod sub nulla parte totum sit ante fractionem, sed post fractionem est in qualibet parte totum: & hoc est, quia talis præsentialitas post fractionem non venit per conversionem, ita quod virtute conversionis sit totum in toto, & totum in qualibet parte, sed per inseparabilem unionem, nempè quia post fractionem illi parti correspondebat pars Corporis, & quia ista est inseparabilis à reliquo corpore, ideo ratione hujus inseparabilitatis est etiam ibi totum corpus; Affert postea propriam sententiam communẽ aliorum Theologorum asserentium, Christi corpus esse totum in toto, & totum in qualibet parte tam ante, quàm post fractionem: Suarez autem *d.* 52. *sect.* 1. se opponit Seraph. D. eò quod ipse asserit dari minimum phisicum in divisione continui, in quo & non in minori potest consecrari substantia rei, & panis, ob idque in ista minori non est corpus Christi: hanc sententiam clamat Suarez esse contra philosophiam, & parum tutam, in quo valde decipitur, quia nec legit, nec expendit doctrinam, & principia Seraphici Doctoris, sic enim ut plurimum se habet iste Author alioquin doctissimus cum Seraphico 150

Doctore. In hac autem quæstione Amicus apud Mastrium *num*.235. affert plures modos explicandi hanc veritatem adhibitos à Doctoribus,& concludit esse ferè impossibile ob difficultates occurrentes assignare modum, qui adæquet rationi. Quoad 1. partem Thomistæ existimant, præsentiam Sacramentalem Christi essentialiter dependere ab existentia naturali Christi in proprio loco: Scotus verò id negat, quod etiam infertur ex doctrina Seraphica.

151 Not.1. & suppon. id quod à nobis traditum est in secunda parte Philosophiæ nostræ *lib*.4. *tract*.1. *q*.6. nullam posse adferri implicantiam, quin Deus de potentia absoluta possit ponere ens sive corporeum, sive spirituale in pluribus locis simul, ita quod sit in uno circumscriptivè,in aliis definitivè, vel Sacramentaliter:vel quod sit in omnibus locis idem corpus circumscriptivè:& hoc est ratione potentiæ obedientialis passivæ existentis in quolibet corpore,ad recipiendas simul plures formas,& præsertim ubi in ordine ad diversa loca.Suppon.etiam quamlibet quantitatem corpoream habere hanc proprietatem intrinsecam, simul capacitatem, & aptitudinem naturalem ad locari, & situari in loco vel cum extereitate, & commensuratione totius corporis ad totum locum,& partium partibus loci, vel sine extereitate: cum enim ista situatio actualis sit effectus secundarius quantitatis, potest à Deo impediri, tuncque poneretur indivisibili modo in loco: de qua vide quæ à nobis tradita sunt in prima parte Philosophiæ *cap.de quant*. *q*.1.*& in* 2.*parte supra cit*.& hanc tradit Seraph.Doct.pluribus locis infra cit. & *l*.4.*d*.12. *q*.1.*&* 3.

152 Not.2. quod dum dicitur, Deum impedire extensionem corporis ad locum dimensivo modo, ex quo redundat negatio localis divisibilitatis, id potest intelligi dupliciter: primò quod derivet negatio pura localis divisibilitatis: secundò quod redundet positiva indivisibilitas per aliquem modum supernaturalem superadditum corpori Christi, ut ejus totum corpus sit præsens sub quavis parte specierum: in nostro casu autem hoc secundo modo debet intelligi hæc indivisibilitas corporis Christi: & ratio est, quia cum accidentibus separatis à substantia, & præcipuè quantitati secundùm communiorem sententiam,& Seraph.D.*d*.12.*a*.1.*q*.2.detur novus modus subsistendi per se supernaturalis, sic (ait Seraph. *ibid.dub*.4.*& d*.10.*p*.1.*q*.*us*.*fund*.4.)datur corpori modus novus essendi supra naturam corporum,ex quo derivat effectus formalis positivus præsentialitatis toti,& partibus totaliter,quod non posset esse ex pura negatione, quæ non potest gignere effectum formalem positivum; sic etiam disctirrit ex Mastrio *n*.234. Scotus: de qua re tamen alibi erit propria consideratio.

153 Not.3. quod cum sit de fide,corpus Christi esse totum in toto, & totum in qualibet parte, adhuc tamen controvertitur, an Christi corpus in Sacramento habeat unicam præsentiam ad species, an verò habeat plures præsentias, quibus ad singulas partes proportionales Sacramenti totus referatur. In qua quæstione Scotistæ apud Mastrium hic *n*.235 & in Phisica *d*.11.*n*.118. volunt multiplicari præsentias ad multiplicationem partium proportionalium,quas appellant relationes extrinsecùs advenientes. S.Doctor verò *l*.4 *d*.12.*p*.1. *dub*.4. *& d*.10. *p*.1.*q*.*ult*. cum pluribus Theologis sustinet esse unicam actualem præsentiam, aptitudine verò multiplicem, ut si dividatur in plures partes: ratio evidens est, quia cum Christus sit in hostia ratione signi,& ut signatum in signo,non tantùm signante, sed etiam continente, non verò propriè ut in loco, hinc & cum omnes partes hostiæ unitæ conveniant in ratione unius signi, quatenus unum sint cum toto,nisi dividantur; hinc est quod cum semel contineant,& Christus semel totus contineatur, etiam ibi adest unica præsentia formalis, & multiplex in potentia: exemplum patens est in anima unica in unico corpore,& in membris singulis existens tota, & est semel,quia unum est perfectibile: sic & corpus Christi semel tantùm est in uno Sacramento.

Not.4.quod est maxima concertatio inter Theologos,an corpus Christi sit præsens cuicumque parti hostiæ minimæ etiamsi sit insensibilis, nec subjici possit sensibus, qualia etiam sunt puncta: In qua plures Theologi id affirmant,alii negant. S.Doctor *d*.10.*p*.1.*q*.*ult*.*ad* 2.docet continuum non esse divisibile phisicè in partes infinitas, ita quod ratio totius,scilicet panis,& consequentis proprietatis salvetur, qui in divisione continui est status naturalis, & phisicus quantum ad partes secundùm formam, scilicet spectantes ad tale esse naturale, v. g. panis; undè infertur,quod quando in divisione hostiæ destruitur ratio sensibilis accidentium panis, tunc cessat ibi esse corpus, non verò quando illa pars est unita cum alia.

Concl.1.Christi corpus verè existens in hostia est totum in toto, & totum in qualibet parte, in qua salvatur ratio,seu species totius: Est S. Bon. *d*.10. *&* 12. *supra cit*. & quoad primam partem est de fide determinatum in pluribus Conciliis, & ultimò in Trident. secunda pars est plurium recentiorum contra Scotum,aliosque. 1.pars docetur à SS. Patribus communiter: & ratione hac ineluctabili tradita à Seraphico Doctore in corp. tali pacto. Hæc positio,& conclusio facit ad veritatem Sacramenti, ad utilitatem fidei:Ad veritatem, quia Christus ibi continetur ut signatum in signo: sed ratio signandi uniformiter est in partibus, & in toto homogeneo, ergo ad veritatem Sacramenti spectat,ut sit uniformiter in partibus, & in toto: ad utilitatem fidei etiam facit, quia phantastica imaginatio multum impedit nos ab elevatione ad contemplandum mysteria credenda fidei: sed si corpus Christi ponatur ibi quod pars sit in parte,& totum in toto, non est omnimoda abstractio ab imaginatione, quæ involuta remaneret in dubietate circa partes tales,& tales corporis,& hostiæ: & è contra si ponatur ut totum sit in toto,& totum in qualibet parte,hoc nullatenus cadit sub imagine, cum sit supra naturam, & totum purum miraculum, & tali pacto multum sublevatur homo ad puritatem intelligentiæ. 154

Prob.2.quia talis positio facit ad majorem nobilitatem Sacramenti: tum quia post fractionem hostiæ æque est totum in illa parte,ac erat prius:ergo. Prob.antecedens, quia per fractionem nihil novum ibi efficitur: Nec valet, si dicas, id in parte fracta evenire ex consequenti, ut in speculo si frangatur, non valet, inquam, quia in speculo, & in singulis partibus generatur nova species, sed in fractione hostiæ non est aliquid amplius his faciens venire corpus Christi de novo: quia verba longo tempore sunt ante dicta: ergo semper est ibi totum: tum quia corpus Christi sub Sacramento sublimatur ad excellentiorem modum essendi quam Spiritus: Spiritus enim est tantùm in uno loco,& corpus Christi est in pluribus,sed Spiritus est totus in toto,& totus in qualibet parte loci,ergo multò fortius est corpus Christi: tum quia hostia est totum homogeneum, in quo quælibet pars habet rationem totius, ergo non

non est major ratio quare ista pars magis convertatur in hanc partem, quam in illam, & qua ratione in unam, & in omnes, sequitur quod totum sit in partibus. Prob. tandem per impossibile: designetur aliqua pars hostiæ continuantis cum toto: aut est ibi totum corpus, aut non: si primum, habemus intentum: si solùm est ibi pars corporis: tunc dividatur hostia, & remaneat illa pars sejuncta à cæteris: tunc quæro aut est ibi totum corpus, aut pars: si pars tantùm, ergo Christus erit divisus, quod est impossibile: si totum, & priùs non erat, ergo post fractionem plus continet hæc pars, quam priùs: ergo necessariò est ibi conversum in partes aliquid, quod priùs non fuerat: & ulteriùs locus est mutatus, quia pars illa cessit aliis partibus, quæ de novo ibi esse incipiunt: quæ omnia sunt absurda: Addimus, dato quod fieret consecratio in pane; quod esset majoris quantitatis quàm corpus Christi: tunc vel aliqua pars hostiæ esset vacua à continentia corporis Christi, aut corpus Christi esset ibi majus, quam sit, per naturam: aut est in qualibet parte: primum est contra perfectionem Sacramenti, cum tota hostia sit consecrata, & signum, &c. secundum est contra perfectionem corporis Christi, ergo tertium ponendum.

155 Objic. 1. Si ubi pars, ibi totum est, ergo ubi una pars, ibi est quælibet; ergo pars non est aptè distincta in corpore Christi; ergo in corpore Christi est confusio partium. Resp. S. Bon. quod in corpore Christi sub speciebus potest considerari ipsum corpus præcisè secundùm suum esse naturale, & sic habet omnes suas partes distinctas: potest & considerari ut signatum in signo, & in ordine ad hostiam, & sic cum signum æqualiter in omnibus partibus signet corpus Christi, ibi est totum in toto, & totum in qualibet parte.

Objicies 2. Ponere corpus Christi tam in partibus, quam in toto est superfluum: ergo. Prob. anteced. quia tantumdem facit, si est totum in toto, quantum est in qualibet parte: ergo. Resp. S. Bon. neg. anteced. ad probat. Resp. neg. paritatem: ponere enim corpus Christi in partibus totum facit ad Sacramenti veritatem, & fidei utilitatem, ut suprà dictum est.

Objic. 3. Ad hoc Sacramentum concurrit verbum, elementum, & intentio ministri: sed intentio fertur ad totam hostiam, non ad partes, quia sunt innumerabiles: ergo. R. non esse necesse, quod intentio feratur nisi super totam hostiam, sic enim complectitur omnes partes, quarum quælibet habet rationem totius: & ad id de partibus innumerabilibus respondet S. Bon. negando hoc: nam continuum phisicè non est divisibile in infinitas partes, quia datur ultima pars, licèt mathematicè sit divisibile in infinitum, sed talis consideratio mathematica non spectat ad hoc Sacramentum, sed solùm elementum phisicum.

156 Concl. 2. Christus in hoc Sacramento habet unicam propriè præsentiam ad totum, & partes simul absque multiplicatione præsentiarum ad singulas partes nisi potentialiter: Est S. Bon. *d.* 10. *cit. ad* 2. *&* *d.* 12. *dub.* 2. & communior recentiorum contra Scotum, & Scotistas apud Mastrium *n.* 35. *& in Phis. d.* 9. *n.* 118. *& seq.* ratio primæ partis ex Seraph. D. est, quia unica est ratio talis præsentiæ, & ejusdem rationis in toto, & partibus tam ex parte corporis, quam ex parte hostiæ: ergo & unicus effectus, seu præsentia: Antecedens patet: quia ratio præsentiæ ad hostiam est signatio signi ad signatum, sed tota hostia prout continet partes, & partes prout constituunt totum, constituunt etiam unicam rationem signi, & ex parte signati est Christi corpus indivisibili modo, ergo unica præsentia tantùm: consequentia etiam patet, quia non potest multiplicari effectus formalis, nisi multiplicetur ratio formalis; ergo. Tùm quia replicatio ista totius esse corporis ad partes per replicationem præsentiarum videtur omninò superflua, cum ad id unica, & continua diffusio sufficiat, ut partes etiam in Angelis, & anima, sed sublimior, & purior est ista corporis Christi præsentia in hostia quacumque præsentia angelica, vel animæ ad loca, ut verè advertit S Bon. cum partes sint denudatæ positione in loco, & in Sacramento una pars non sit extra aliam, undè habent omnes eamdem communem præsentiam totalem licèt non totaliter: tùm etiam verba æquè cadunt in totam hanc materiam, & in quamlibet partem, & vi sua convertunt illam in corpus Christi unica conversione, ergo etiam faciunt unicam præsentiam, cum non sit major ratio, quod fiat corpus præsens magis huic, quam illi parti, &c. 2. pars de multiplicatione etiam patet; quia cum hostia sit divisibilis, si actu dividatur, tunc multiplicantur præsentiæ.

Objicit Mastrius, quia præsentia corporis Christi licèt sit indivisibilis in ordine ad locum, est tamen divisibilis ex parte subjecti scilicet corporis, per quod differt ab indivisibilitate præsentiæ Angeli ad locum, & animæ ad corpus, quæ sunt subjectum indivisibile; ergo cum in corpore sit divisibilitas, poterit dividi præsentia. R. hoc argumentum nihil concludere, quia si aliquid valeret inferret corpus esse totum in toto, & partem in parte, quod est falsum; verum quidem est corpus esse de se divisibile, tamen pro ut est in hostia non est divisibile, quia ibi est ut signum contentum in signo, & eadem ratione in toto signo, & partibus. 157

Instat: si est præsens corpus per unicam præsentiam ad hostiam, ergo si consumatur pars hostiæ desinendo in ea præsentiam, desinet tota etiam ab aliis partibus, cum sit unica, & eadem. R. & hanc instantiam nihil concludere, nam ut ait Seraph. D. anima est per unicam præsentiam præsens toti corpori, & tamen recisa una parte adhuc remanet præsens cæteris, & ratio est, quia non est in illis posita ut in loco: sic & corpus Christi præsens est toti hostiæ, & partibus non ut in loco, sed ut signatum in signo, desinente tali signatione cessat præsentia, & si desierit in una parte, non desinit in alia.

Instat iterum: quia multæ sunt partes in corpore Christi, & in hostia, quæ inter se sunt distinctæ; ergo etiam important distinctionem præsentiarum, si non ex parte subjecti, quia ex parte subjecti singulæ partes adæquant ipsum totum; cum in singulis sit præsens totum corpus, ac in toto, saltem ex parte termini est multiplicatio præsentiarum, cum singulæ non terminantur ad totum locum, scilicet hostiam, sed ad singulas illius partes: ergo ex hac parte fit multiplicatio præsentiarum. R. latere in hac doctrina maximam æquivocationem: nam verè verificatur in substantia, quæ fit præsens pluribus partibus per replicationem ubi, ut si Angelus fieret præsens uni parti loci, postea se extenderet ad aliam partem: vel si corpus transiret de uno ad alium locum: cum autem corpus Christi fiat præsens per conversionem substantiæ totius in se ipsum, & conversio fiat totaliter simul, hinc non sequitur talis replicatio, vel respectuum multiplicatio ad partes, ut ad terminos diversos.

Concl. 3. Christi corpus, & sanguis est præsens cuicumque parti minimæ, dummodò sint sensibiles, non verò indivisibilibus propriè: Est S. Bon. *d.* 10. 158

p.1 q.ult.ad arg.& d.12.p.1.dub.4.& plurium Theologorum. Not.autem pro intelligentia sensus Seraphici Doct.quod in hac quæstione citata quærit,an corpus Christi sit totum in toto, & totum in qualibet parte : ubi resolvit quod affirmativa est rationabilior,& fidei magis proficua : deindè in responsione ad argumenta docet,Christum esse præsentem toti,& partibus per unicam præsentiam,non autem per infinitas præsentias multiplicabiles in divisione continui in infinitum : negat enim dari hanc infinitam divisionem phisicam, sed sustinet dari minimum quod sic , infra quod non potest corpus , vel panis,vel continuum suam formam servare:Et hinc Suarez ansam sumit carpendi S. Bonaventuram,eo quod dixerit , opinionem admittentem minimum in divisione continui esse rationabiliorem, & magis veram,quod est falsum,cum sit contra communiorem Philosophorum. In quo Suarez hallucinatur patentissimè, cum Seraph. D. doceat rationabiliorem esse sententiam asserentem Christi corpus esse totum in toto,& totum in qualibet parte : licèt postea hac occasione solvat aliam quæstionem,an dato hoc , multiplicandæ sint præsentiæ in infinitum ad omnes partes infinitas,& docet non multiplicari infinities , quia datur ibi unica præsentia ad totum,& partes finitas,& addit dari minimum quod sic, quod etiam advertetunt Bonagratia , & Gaud. noster : quibus suppositis.

Prob. prima pars conclusionis:quia Christi corpus ut signatum per modum unius cibi , & uniformiter in omnibus, & singulis partibus , seu speciebus panis,& vini homogeneis est panis de cælo vivificus : ergo est in partibus etiam minimis sensibilibus : tùm quia super totum,& partes omnes dicitur.*Hoc est corpus meum*,ergo ubicumque erat panis, ibi adest corpus Christi. 2.pars.de solis sensibilibus probatur:quia ex vi verborum ponitur sub speciebus Sacramentalibus , sed species Sacramentales sunt solùm sensibiles : sunt enim signum rei sacræ, ergo.Sic enim,ly,hoc, & hic,in forma demonstrant aliquid sensibile. 3.pars de indivisibilibus est Seraphici D. & communioris contra Capreolum, Scotum,Suarez,Morand. qui etiam adducit malè Seraphicum Doctorem , ratio Seraphici Doctoris est hæc : Corpus Christi ingreditur species loco substantiæ panis,& vini : ergo solùm est sub illis , sub quibus potest esse forma panis,& vini : at sub indivisibilibus non potest esse forma panis,& vini,ergo. Confirmatur , quia sicut partibus quantitatis respondent partes substantiæ,ità indivisibilibus quantitatis respondent indivisibilia substantiæ, non autem partes ; ergo si in ipsis non potest esse forma panis, sic nec corpus Christi Respondent Suarez, & Capensis : Indivisibilia quantitatis subjectari in indivisibilibus substantiæ,& ita corpus Christi esse sub omnibus indivisibilibus quantitatis , sub quibus erant indivisibilia substantiæ.

Notat hic P Gaud. & rectè, hanc responsionem non esse ad rem : argumentum enim est hoc : Corpus Christi ingreditur loco substantiæ panis , quæ convertitur in ipsum : indivisibilia autem substantiæ, si dantur,non habere formam panis , quæ aliquam requirit quantitatem determinatam,& sensibilem, ergo Christus non est sub illis : ergo eorum responsio est extra chorum. Mastrius.R.disting majorem : Corpus Christi succedit loco substantiæ panis,vel ubi fuit aliquid panis,qualia sunt indivisibilia panis : Addit verò cum Suarez *sect.5.* Christum esse in indivisibilibus non primò , sed consequenter, vel per concomitantiam.

159 Contra primo : in quocumque potest esse per se primò adæquatè corpus Christi , id potest seorsim consecrari , sed per adversarios in quavis particula insensibili , & indivisibili est adæquatè corpus Christi,ergo illa potest seorsim consecrari,quod est falsum : major,& minor est adversariorum , consequentia est evidens : sed ista est falsa , ergo. Prob. minor subsumpta,& falsitas consequentis : materia consecranda debet esse Sacramentalis, & apta, ob idque & sensibilis, ut queat demonstrari pronomine,Hoc,& hic,sed hoc est contra ea, quæ dixerunt non dari minimum, sub quo sit corpus Christi, ergo, &c.R. Mastrius *n.244.* cum Anversa , negando sequelam illatam , quia consecratio debet esse humano modo accommodata , & cadere super materiam humano modo tractabilem,quare solùm conjunctim cum partibus sensibilibus possunt indivisibi ia consecrari.

Contra primò : quia illa ultima superficies est sensibilis,ergo posset seorsim consecrari:Contra 2. quia id potest consecrari per se, sub quo potest esse, & verè est corpus Christi ; ergo & indivisibilia à Deo separata poterunt per se esse materia sufficiens ad consecrationem, quod est contra rationem Sacramenti, nec ab adversariis admittitur. Contra 3. quia sequeretur Christum advenire, ubi virtute consecrationis non affuit : puta cum frangitur hostia in indivisibilibus terminantibus de novo productis in terminis fractarum particularum : sic & multæ præsentiæ destruerentur absque corruptione specierum , si plures è calicibus multis species in unum confluunt. Resp. Mastrius cum Morando : Ex vi primæ consecrationis Christum esse præsentem omnibus partibus, & terminis , sicut in accidentibus de novo productis est præsens puta calore , colore, &c.

Sed contra : Christus non est præsens nisi virtute consecrationis cadentis super illam materiam determinatam de præsenti per verba : sed secundùm ipsos erat tantùm præsens indivisibilibus tunc existentibus , ergo non fit de novo præsens novis succedentibus. Præterea : misceatur vinum consecratum cum non consecrato ; tunc fit unum continuum homogeneum:ergo Christus erit, & non erit sub indivisibili cōtinuativo,quod de novo resultat, & continuat utraque, non enim est major ratio alterutrius , cum sit indivisibile continuans species consecratas cum vino. Hic verò adversarii varias responsiones afferentes semper magis se involuunt coacti recedere ab axiomate communi Theologorum consecrationem respicere tantùm materiam suam , non alienam , vel incertam, nec post prolationem habere ullam vim de novo conversivam,& constituentem Christum præsentem.

Objic.1. Minima pars insensibilis est verè panis, 160
ergo sub illius speciebus est corpus Christi. Resp. à nobis non posse fieri partem istam insensibilem, & dato etiam quod possit fieri vel etiam à Deo,negatur esse panem,quia destrueretur forma panis exigens naturaliter determinatam materiam , & accidentia propria. Objic.2. contra ultimam partem : Indivisibilia sunt aliquid substantiæ panis, & vini, sed post consecrationē Christus per nos non fit præsens illis,ergo in hostia erit aliquid substātiale panis cum ipso corpore Christi.R.distin.maj Indivisibilia sunt aliquid panis,scilicet modi conce:do,sunt verè & propriè panis nego:hinc negatur sequela.Christus enim est præsens toti hostiæ,ob idque etiam dicitur esse præsens adæquatè, & impropriè etiam indivisibilibus,nempè præsentia non propria,& distincta eo modo,quo dicitur anima esse forma corporis organici, ob id etiam indivisibilium, sed impropriè.

Q. An

161 Q. *An in Euchariſtia ſit aliquid ſolùm per concomitantiam, an verò totum ſit vi verborum?* R. primò ex S.Bon. *l.4.d.11.p.1.q.4. & alibi ſpiſſim*, ex vi verborum conſecrationis panis ſolùm eſſe in Sacramento corpus: ex vi verborum conſecrationis vini eſſe ſolùm ſanguinem: reliqua verò per concomitantiam, ratio primæ partis clara eſt, quia Sacramenta id efficiunt, quod ſignificant verbis, vel aliis ſignis: at verba conſecrationis vini ſolum ſanguinem; ergo. Ratio ſecundæ partis eſt, quia cætera licèt non ſint ibi per converſionem, ſcilicet anima, divinitas, corpus cum ſanguine, ſanguis cum corpore, ſunt tamen ibi ob inſeparabilem conjunctionem, ſeu indiviſionem: Sanguis enim eſt ibi ratione commixtionis: anima ratione conjunctionis: & divinitas ratione unionis hypoſtaticæ; hinc eſt, quod forma ordinatur primò ad ſuum objectum, & ex conſequenti ad cætera connexa.

Dices: Sanguis eſt pars corporis; ergo in conſecratione panis vi verborum etiam fit converſio ſanguinis. Reſp. ſanguinem eſſe quidem partem corporis, ſed concomitanter tantùm, nam de ratione corporis propriè eſt tantùm materia, & forma corporeitatis: ſic negatur conſequentia. Et hoc patet, ait S.Bon. *in fundam. u t. & ad ult.* quia in conſecratione corporis nihil mentionis fit de ſanguine, & viceverſa, ideo fit duplex conſecratio ad hoc ut repræſentetur Chriſti mors, ob idque ſeparatio myſtica carnis à ſanguine. Reſp. 2. ex vi verborum debere ineſſe ſub ſpeciebus panis formam ſubſtantialem corporis: quæ eſt forma organizationis diſtincta ab anima rationali; de qua fusè à nobis actum eſt in 2. parte Philoſophiæ *l.1. Phyſic. tract. 4. quæſt* 3. ubi probavimus organizationem, & corporeitatem in materia non poſſe provenire ab anima rationali, ut dicunt Thomiſtæ: & probatur concluſio, primò quia ſola materia non eſt corpus, ſed corpus eſt compoſitum ex materia, & forma, ergo ſola materia non ſufficit ad veritatem formæ: *Hoc eſt corpus meum.* Reſpondent Thomiſtæ corpus dicere materiam cum anima rationali: Contra, quia ſi in nocte Cœnæ Euchariſtia fuiſſet conſecrata, & ſervata in triduo mortis Chriſti, ibi anima unita non adfuiſſet; ſed ſolum corpus ex vi verborum. Contra 2. quia ſi conſecratio terminatur ad materiam & unitam animæ rationali, ergo ex vi verborum fit etiam converſio in animam. Prob. conſequentia, quia ex vi verborum producitur hoc corpus Chriſti cum ſua forma individua eſſentiali, & eſſentialiter conſtituente illam materiam corpus, ergo & producitur ibi anima: Hìc brevitatis cauſa omitto reſponſiones Thomiſtarum, quæ ſunt variæ, & diverſæ ſecundùm ſenſum uniuſcujuſque, quæ non ſatisfaciunt difficultati iſti: videantur, quæ tradita à nobis ſunt *in Philoſ. loc. cit.*

Reſp. 3. Ex vi verborum conſecrationis corporis adeſſe etiam quantitatem, & cætera accidentia corporis propria: ibi enim fit converſio panis in corpus verum humanum, & integrum, & organizatum, aptumque ad vitam; ergo quicquid eſt neceſſarium ad organa conſtituenda, qualis eſt quantitas, ibi eſt ex vi verborum. Idem & dicendum de formis partialibus carnis, oſſium, &c.

Dices: Actio conſecratoria eſt tranſubſtantiatio, ergo terminat ſolùm ad ſubſtantiam, non ad accidentia; & ſi ad accidentia, id erit ſolùm per concomitantiam.

162 Reſp. tranſubſtantiationem habere pro termino principali ſubſtantiam primò, & ſecundariò accidentia, quæ faciunt ad integritatem corporis organici.

Dices: Si ſecundariò terminat ad accidentia, ergo ibi ſolùm ſunt per concomitantiam. Reſp. neg. conſeq. quia aliud eſt aliquid eſſe in Sacramento ſecundariò, aliud per concomitantiam: aliquid enim dicitur eſſe ſecundariò in corpore, quod ſpectat ad rationem corporis ſecundariò, qualia ſunt accidentia ſupra dicta: Id verò eſt per concomitantiam ſolùm, quod non eſt de ratione, vel compoſitione rei expreſſæ verbis, puta Verbum, anima, &c. iſta enim non ſunt de ratione corporis, ut eſt quantitas: Anima autem eſt in corpore tantùm, quatenus corpus, quod nominatur, eſt vivum: & Verbum ratione hypoſtaticæ unionis. Ex quibus ſequitur, quod cum Verbum ſit in Euchariſtia, & conſequenter etiam Pater, & Spiritus Sanctus, diverſo tamen modo eſt verbum, nempe ratione unionis ad corpus: Pater verò, & Spiritus Sanctus ratione identitatis in deitate: unde impropriè dicitur panem tranſubſtantiari in Verbum, vel in Deum.

QVÆSTIO IX.

Appendix pro concurſu materiali B. Virginis Mariæ ad conſtitutionem Euchariſtiæ venerabilis.

Seraphicus Doct. *l.4.d.10.p.2.a.2.q.2* comparat virtutem, & actionem tranſubſtantivam corporis Chriſti in hoc Sacramento cum conceptione Chriſti facta in utero Beatæ Virginis, & quærit, quænam ſit ex iſtis duabus actionibus major: 163
& reſolvit, quod comparando virtutem datam Beatæ virgini concipiendi filium Dei, cum virtute collata Sacerdoti conficiendi hoc Sacramentum, virtus collata Beatæ Virgini eſt dignior, & excellentior incomparabiliter: tum ratione ſubjecti magis nobilitari, quia ex hac facta eſt Mater Dei, quod non evenit Sacerdoti, quamvis ad ejus miniſterium convertatur panis in beatiſſimum Corpus Chriſti: tum ratione actionis Beatæ Virginis, quæ eſt ſingularior, & præclarior: majus enim eſt concipere, quam conficere, quia terminus actionis plus accepit à concipiente matre, quam accipiat à conficiente Sacerdote; accepit enim humanitatem, & eſſe, non tantùm eſſe hic, & eſſe ibi: in conſecratione verò Corpus Chriſti non incipit eſſe, ſed tantum eſſe præſens ſpeciebus: Ex qua doctrina veriſſima patet, quod concurſus B. Virginis ad conſtitutionem Corporis Chriſti & ejus humanitatis fuit perfectiſſimus, & pleniſſimus ex eo, quia & præſtitit materiam neceſſariam ad formationem humanitatis, & corporis, & activè ad ipſam concurrit ſua actione phiſica ſupernaturali. Hinc eſt, quòd meritò hìc proponitur quæſtio, an B. Virgo Maria aliquem concurſum habuerit ad inſtitutionem hujus venerabilis Sacramenti, tum in ratione cauſæ materialis, tum in ratione cauſæ efficientis ſaltem moralis.

Not. 1. & ſuppon. tanquam certum de fide totum Chriſti Corpus, & totum ſanguinem ex vi 164
verborum eſſe terminum duplicis conſecrationis eo modo quo exiſtebant in Chriſto tempore inſtitutionis Sacramenti: ſed quia in corpore, & ſanguine humano eſt duplex pars: alia dicitur ab

Aristotele secundùm formam, seu speciem, alia secundùm materiam *ex 1. de gener. cap. de augm. cont.35.* & de qua Seraph. *l.2.d.30. a.3.q.2.* prima est de constitutione corporis humani fundamentali, & radicali, quod habet vim activam, & potentiam convertendi alimentum in carnis, & corporis naturam ad complementum fabricæ corporis humani: illa verò, quæ superadditur in nutritione, & augmentatione nec habet vim activam talis conversionis: prima caro est à generantibus, secunda est mediante nutritiva: Ex quibus sequitur, quod conversio, quæ fit panis in Corpus Christi, terminat primò ad partem secundùm formam, & speciem, secundariò ad partem secundùm materiam.

Not. 2. ex traditis in Philos. quod cum in ventre matris efformetur fœtus, sicut efformatus est in utero B. V. & in unico instanti organizatus virtute Spiritus S. & concursu partim naturali, & partim supernaturali ipsius B. V. M. & hoc ex purissimis sanguinibus ipsius: qui, ut notat S. Doctor *l.3.d.3. p.1.dub.3.* dicuntur humores, quatenus inserviunt ad formandam carnem ad corporis formationem: dicuntur & sanguis in comparatione ad suam originem: dicuntur caro in comparatione ad illud, quod ex ipsa fit; & semen quantum ad formam, quam habent, talique pacto dicitur Christus provenire ex semine, ex sanguine, ex carne, & humoribus B. Virginis: facta autem organizatione corporis secundùm formam superadditur pars secundùm materiam, nempe augmentum usque ad totalem formationem, & completionem corporis per nutritionem alimenti, quod ex matre in utero sugit puer, & tractus ex uberibus, & inde postea ex cibo, qui manducatur. Hæc sunt certissima apud omnes.

165 Concl. 1. In Eucharistia reperitur solum Corpus, & Sanguis Christi primariò ex vi verborum, quæ à Maria recepit: secundariò verò aliæ partes, quæ superadditæ fuerunt per nutritionem; primæ dicuntur partes secundum formam, secunda secundùm materiam: Est Seraph. Doct. infra cit. Est S. Bernardini Senens. *serm. 61. de B. Virg.* aliorumque PP. apud Vegam *in Theol. Mariana à n.1473.* Prob. 1. ex doctrina supra tradita: In Eucharistia adest Corpus, & Sanguis Christi primariò, quæ de prima institutione naturæ humanæ sunt, nempe secundùm formam, & speciem, sed omnia ista desumpsit Christus ex B. Virgine ad efformationem sui corporis, cum sanguine, ergo. Prima pars est communis Theologorum omnium: secunda pars est de fide. Prob. 2. ex aliis verbis Cantic. *Venter tuus sicut acervus tritici:* ubi S. Thom. à Villanov. illius, inquam, tritici, quo Angeli saginantur, populi reficiuntur, illius Panis, qui de Cœlo descendit: & S. Petr. Dam. *serm. de Nativ. Virg.* Cibum Eva tradidit, per quem nos æterni convivii fame mulctavit, cibum Maria dedit, qui nobis cœlestis convivii aditum patefecit: Idem & docet Seraph. *in Op. de dono Sap. c.5.*

Dices: Christi Corpus, & Sanguis traditur in Eucharistia, anima Christi, & non Mariæ informata, ergo malè dicitur caro, & sanguis Mariæ. R. ex Vega *cit. n.1476.* conced. antecedens, & negando consequentiam; non enim per hoc tollitur, quin illa caro, & sanguis non fuerit caro, & sanguis B. Virg. sed tradita fuere Christo à Maria ad hunc finem principalem, ut pro nobis inservirent alimento cœlesti.

166 Concl. 2. Probabilissima est opinio Theologorum asserentium in Eucharistia conservari aliquam portionem carnis, & sanguinis Mariæ sub diversa tamen forma: ita plures Theologi cum Suarez *in 3. part. t.2. disp. 1. sect. 1.* Ratio est, quia Christus, quod semel assumpsit, numquam dimisit, & præcipuè loquendo de partibus præcipuis constituentibus, & integrantibus Corpus Christi: ergo nunquam dimisit, quod assumpsit ex Virgine. Vide Vegam fusè ista differentem ad gloriam Mariæ *n.1478.* Ex quibus inferunt multi SS. Patres vota præcipua B. Virginis ad institutionem hujus Sacramenti tendisse; ideoque Christus ipsum instituit id optante, & orante Virgine: de quo vide Vegam cit. & Novatum de eminentia Virginis fusè id ostendentem.

QUÆSTIO X.

An Christus pro ut est præsens in Eucharistia possit percipi ab oculo, sive intellectuali, sive corporeo?

Seraphicus Doctor *l.4.d.10.p.2.a.2.q.1.* loquens 167
de præsentia Christi in Eucharistia excitat tantùm quæstionem duplicem in terminis de visione intellectiva pro hoc statu, & pro statu beatifico: sed tamen in quæstione 2. tangit etiam solutionem de visione corporea, an scilicet Christus pro ut est præsens in Eucharistia possit videri naturaliter sive oculis corporeis, sive intellectualiter: & si non, an saltem supernaturali auxilio, & adjutorio. Quo ad oculum corporeum. Prima opinio est Nominalium, asserentium posse videri naturaliter Christum in Eucharistia, licèt postea talis visio impediatur à Deo ob meritum fidei. 2. communis D. Bon. D. Thom. Scoti, aliorumque negat posse videri Corpus Christi, vel præsentiæ modum naturaliter, etiamsi oculus sit beatus: aliqui tamen ut Alens. aliique cum Alense probabiliter volunt posse oculum elevari à Deo ad ipsum videndum, & id concessum fuisse B. Virgini: alii negant, & volunt id implicare contradictionem; sic Richard. Paludan. Capreol. Caspens. aliique. Quo ad visionem intellectualem: Aliqui asserunt, posse Angelum naturali virtute intueri Christum sub speciebus, & modum ibi existendi; sic Scotus cum Mastrio *in 2.d.2.q.10. & l.4.d.3.q.11. & aliis.* 2. op. negat; estque communis: de potentia verò supernaturali infra dicemus.

Not. 1. ex Seraph. Doct. cit. quod existentia cor- 168
poris Christi in Eucharistia est omninò supernaturalis & secundùm substantiam, entitatemque propriam, & secundùm modum: supernaturale secundùm substantiam est id, quod nullo modo à causis naturalibus fieri potest, sed à solo Deo, ut Authore supernaturali, & supra exigentiam totius naturæ operante: supernaturale quo ad modum tantùm est id, quod potuit à causis naturalibus produci absolutè loquendo, licèt hic & nunc miraculosè hic & nunc producatur: exemplum primæ supernaturalitatis est, v. g. unio hypostatica, visio beata, gratia sanctificans, & similes, exemplum secundæ supernaturalitatis est visus cæco restitutus, gressus datus claudo, & similes: sunt enim in sua entitate ejusdem rationis cum visu, & gressu aliorum hominum, licèt hic & nunc miraculosè solum producatur, eo quia naturaliter à privatione ad habitum non datur regressus: unde talium

talium entitas ſolùm eſt ſupra vim naturæ quoad modum, ſcilicet penes comparationem agentis, modo ad rem noſtram: præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia eſt utroque modo ſupernaturalis: cum ſit, ut ait S.Bon. cit. ſupra ſenſum imaginationis, ſupra experientiam, ſupra omnem rationem naturalem, cum non ſit tale corpus locatum pro ut exigit ipſius natura, & quantitas, & ſubſit accidentibus ſine illorum inhærentia; unde etiam talis modus præſentiæ eſt ſupra locationem angelicam: & cum ſit totum in toto, & totum in qualibet parte, eſt etiam ſupernaturalis quo ad modum.

168 Not. 2. Quod diſputant Theologi quam figuram retineat corpus Chriſti in Euchariſtia, an ſcilicet habeat eandem, quam habet in Cœlo, & communiter cum Seraph. Doct. *d.* 10. *p.* 1. *q. ult. ad argum.* dicunt, quod duplex figura poteſt conſiderari in corpore Chriſti, alia eſt quantitativa abſolutè, ſcilicet per ordinem ad partes in toto, qualem habet in ſe, & in Cœlo, ſcilicet diſtinctionem membrorum, ipſorumque ordinem inter ſe: alia eſt in ordine ad locum, quæ dicitur ſitualis, hancque habet etiam in cœlo quatenus locatur propriè in ſuo loco continuè, ſed non habet hanc in Euchariſtia, pro ut eſt ipſi præſens, ſecundùm quam caput eſt ſurſum, pedes ſunt deorſum, &c. cum ibi ſit indiviſibiliter, nec poſſit dici caput diſtare à pedibus, &c. diſtantia enim, & propinquitas ſunt differentiæ locales.

169 Concl. 1. Corpus Chriſti nullo oculo corporeo etiam beato naturaliter poteſt videri. Eſt Seraph. Doct. cit. & communior. Prob. à Seraph. *l.* 4. *d.* 10. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2. quia omnis cognitio intellectiva naturalis incipit à ſenſu: nihil enim eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu, ait Ariſt. ſed exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia eſt ſupra omnem ſenſum, nec unquam fuit vel in ſe, vel in ſuo ſimili, eſt enim ſupra omnem experientiam, imaginationem, & rationem naturalem, ergo. Quod verò ſit ſuprà rationem patet, quia ratio dictat, quod omne continens corpus majus eſt, vel illi æquale, quod continet: ſpecies autem continentes corpus Chriſti ſunt minoris quantitatis: ratio etiam dictat, quod ſi aliquid eſt in aliquo toto, & fiat in minori, neceſſe habet contrahi, vel illud excedere, quæ omnia deficiunt in hoc Sacramento: tum quia exiſtentia corporis Chriſti eſt ſupra modum exiſtendi ſpirituum: tum quia de ratione viſus eſt, ut non abſtrahat à quantitate, ſive naturalis, ſive beatus, ergo nec poteſt tendere naturaliter in Chriſti corpus elevatum ſupra modum eſſendi omnis rei corporeæ.

Dices: Charitas corporis glorioſi non poteſt latere viſum glorioſum: ſed corpus Chriſti eſt clariſſimum, ergo poteſt videri ab oculo beato. Reſp. conced. totum, dummodo corpus viſum habeat modum exiſtendi corporeum: cum autem corpus Chriſti in Euchariſtia habeat modum ſuperiorem: hinc negatur, &c.

Dices: Ideo Chriſtus ponitur ſub ſpeciebus, ut fides habeat meritum, ſed in beatis fides non habet locum, ergo videtur, quod eis debeat apparere in propria ſpecie. Reſp. S.Bon. quòd privatio viſionis ſenſibilis in Beatis non eſt ob velationem ſpecierum, quia intellectus hoc clarè novit, ſed quia ibi eſt corpus Chriſti alio modo quam ſit corpus ſenſibile, nempe indiviſibili modo: addit S. Doctor, quod etiam ſenſus poteſt aliquo modo adjuvare intellectum ad comprehendendam præſentiam Chriſti in Euchariſtia; ut v. g. per aliquod miraculum à Deo patratum.

Concl. 2. Probabiliſſima eſt ſententia affirmans 170 corpus Chriſti per abſolutam Dei potentiam poſſe videri, & percipi, tùm ab oculo corporeo, tum ab intellectuali: Sic Scotus cum plurimis Theologis apud Maſtrium: nec ulla implicantia poteſt adduci evidens in hac materia, & licèt Seraph. D. *d.* 10. *cit.* aſſerat oppoſitum, ibi tamen loquitur quò ad potentiam naturalem Beatorum, non quò ad potentiam abſolutam Dei; & ratio eſt, quia, ut diximus *in lib.* 1. *diſp. de viſione beata*, probabilis eſt opinio aſſerens poſſe elevari oculum corporeum ad videndum Deum clarè ex eo, quod in oculo corporeo adeſt virtus inchoata in ratione videndi, quæ per potentiam obedientialem poteſt elevari ſupra proprium poſſe: Sic & in propoſito: tum quia poteſt à Deo infundi tum in oculo corporeo, tum in intellectu viſio excedens propriam ſpheram naturalem, quæ terminet ad objectum, pro ut præſcindit à modo diviſibili, & indiviſibili: ſed ſufficit, ut tale corpus habeat in ſe entitativè quantitatem ſenſibilem ad efficiendam viſionem etiam ſuperiorem, etiamſi ei deſit extenſio ſitualis: cum ille modus indiviſibilis, & inſitualis ſuperadditus ſit à Deo tali corpori, qui modus cum inſit in quantitate entitativa extenſus ex hac parte, quatenus eſt extenſus ſubjectivè, poteſt Deus per elevationem obedientialem facere, quod viſio ſe extendat etiam ad ipſum præſcindendo ab eſſe indiviſibili, & inviſibili: qualis eſt præcisè talis modus, ut dicit Seraph. D.

Dices: In tali caſu talis viſio eſſet abſtractiva, ſi præſcinderet ab eſſe quantitatis diviſibili, & indiviſibili, ſed id eſt contra rationem objectivam ſenſuum, ergo. Reſp. talem cognitionem fore intuitivam ex hoc quod tenderet in quantitatem propriam entitativam corporis, licèt quo ad modum poſtea diceretur intuitiva impropriè: nec id eſt abſonum à ratione, nam etiam res à longè conſpecta videtur modo confuſo, & non ſecundùm omnem modum, ergo multò magis de potentia abſoluta Dei poteſt videri aliquod objectum, nempe quantitas entitativa, ut affecta illo modo indiviſibili, licèt viſio non præcisè terminaret ad ipſum modum.

Quæſtio lateralis.

ET quia hac occaſione diſquirunt Theologi, an 171 apparitiones, quæ aliquando in Euchariſtia ſunt, v.g. Chriſti parvuli, vel in Cruce expoſiti, & ſanguinem emittentis è latere, ſicut ſæpe evenit, ut referunt Suar. *d.* 55. D. Paſchaſ. aliique DD. & innuit Seraph. Doct. *d.* 10. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *in corp.* diſquirunt inquam, an illæ apparitiones ſint veræ, an tantùm apparentes, & an oſtendant præſentiam Chriſti veram eo modo, quo eſt in Euchariſtia.

Supponend. 1. Quod iſtæ apparitiones duobus modis contingere poſſunt: primo per immutationem ſolam ſpecierum viſualium ad oculum emiſſarum: Secundo per immutationem objecti ſcilicet ſpecierum Sacramentalium, de quibus modis fusè agit Seraph. *l.* 2. *d.* 8. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 5. ut autem dignoſcatur diſcrimen, quod eſt inter iſtas duas apparitiones D.Thom. *q.* 76. aſſignat hanc regulam: Si apparitiones durant pauco tempore, nec ſint univerſales reſpectu omnium intuentium tales figuras, ſignum eſt immutationem ſolum eſſe ex parte ſpecierum, ſi verò diù perſeverent, & univerſaliter

versaliter ab omnibus tali modo videntur, signum est immutationem esse ex parte objecti.

172 Concl. 3. Apparitiones, quæ fiunt primo modo per immutationem specierum, non sunt veræ, non tamen per hoc sunt deceptoriæ: Prima pars est certa, quia species tunc ostendunt id, quod non est verè à parte rei: Secunda pars etiam, quia, si fiunt aliquando, id est ad significandam aliquam veritatem: Sic communiter alii Theologi apud Suar. cum S.Bon. *cit. & Op. Brevil.p.1.c.5. & l.1. d.16.a.1.q.2. ad arg.*

Concl. 4. Omnes istæ apparitiones ut plurimum non sunt veræ quo ad substantiam, sed tantùm quo ad aliqua accidentia: aliquando etiam, licèt rarissimè, sunt veræ quo ad substantiam. Sic communiter Theologi cum Suar. Caspens. & Seraph. Doct. cit. Prima pars patet, quia, ut ait S. Bon. sunt contra statum corporis gloriosi adulti Christi, apparet enim puerulus, vel segmentum carnis, vel simile, & contrectatur, & pungitur, induratur, rubescit, &c. Secunda pars patet etiam, quia ibi intervenit aliqua mutatio, quæ non potest competere corpori Christi glorioso: Tertia pars etiam probatur, quia, cum alicui vero Sancto aliquando apparet, ipsum amplexans, probabile est, ibi Christum replicare suam præsentiam, vel ex præsentia Sacramentali assumendo præsentiam extensam secundùm aliquas specierum partes, remanendo in aliis inextensè: cum enim sit totus in qualibet parte, quid impedit quin accipere possit figura pueri?

173 Q. *An Christi caro, & sanguis maneant sacramentaliter sub speciebus, in quibus sensibiliter apparent, v.g. parvuli, crucifixi, carnis?* Resp. Durand. negativè: sed probabiliùs cum D. Thoma, Suarez *d.55. sect.3.* respondet distinguendo: Si fiat tanta immutatio in qualitatibus harum specierum, ut sub eis non possit conservari substantia panis, & vini, tunc non manet sub eis Christus, sive maneat eadem quantitas, sive non: & hæc est sententia communis Theologorum; ratio clara est, quia si fiat talis alteratio, quæ sit sufficiens ad corrumpendum compositum substantiale panis, & vini, tunc destruitur etiam quantitas, quæ est subjectum aliorum accidentium, sed cum sit talis alteratio supra tradita, etiam tollitur ratio Sacramenti, ergo. Tum quia si ibi maneret Christus, maneret sub signo ab ipso non instituto. Addimus cum Card. Lugo, Suarez, & aliis prudenter circa istas apparitiones incedendum, & considerandum quibus personis fiant, scilicet an justis ad confirmationem fidei: an reprobis ad pœnam, ut si in duritiem lapidis conserventur species; primo modo judicandum est adesse Christum: Secundo modo disparuisse: Vide eundem Lugum, & Suarez, &c.

Et si rursus quæratur: quid agendum, quando apparent tales mutationes? Resp. 1. quo ad adorationem: istam præstandam esse illis speciebus, quando fit immutatio parvi temporis, sicuti præstatur Sacramento: Si verò est diuturna, & secundo modo, tunc exhibenda est veneratio, non quidem debita corpori Christi, sed ejus signo, seu vestigio. Resp. 2. in casu, quo perduret figura apparens, conservari debet in loco decente, & sacro, quandiu durat sub tali forma: Sic D.Thom. ex Suar *sect.4.* Resp. quòd in tali casu Sacerdos debet consumare illas species, si in aliqua parte remanserint; si verò nihil ex eis remanserit, tunc secundùm probabilem opinionem debet consecrari alia materia: Alii verò id negant: Vide Suar. ibid.

QUÆSTIO XI.

Quid sit transubstantiatio in hoc Sacramento, & quales ipsius conditiones.

Supponend. 1: tanquam dogma de fide definitum in pluribus Conciliis, & novissimè à Trid. 174
hoc sacrum mysterium perfici conversione totius substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi Jesu, ideoque meritò appellatur transubstantiatio contra Lutherum, qui admittit quidem præsentiam Christi in hoc Sacramento, sed simul etiam existentiam panis, & vini, ob idque ipsam appellat impanationem; item contra Calvinum negantem realem præsentiam corporis Christi sub speciebus, sine qua non potest esse hujusmodi conversio.

Secundò supponend. conversionem esse veluti genus ad accidentalem, & substantialem: Prima versatur inter terminos accidentales, ut cum de frigido aliquid fit calidum; Secunda inter terminos substantiales: & hæc alia est partialis, seu formalis tantùm, ut cum forma ligni convertitur in formam ignis; & dicitur propriè transformatio, quia versatur inter formas, remanente intacta materia: Alia est totalis, in qua tota substantia secundùm omnes suas partes in aliam substantiam convertitur, & hæc dicitur propriè conversio; conversio enim de sua ratione formali dicit solam terminorum habitudinem abstrahendo à subjecto: & hæc Eucharistica sola, & singularis est in rerum natura, ait S. Bon. quia nullum agens creatum potest agere nisi dependenter à materia, quæ est pars subjecti, seu compositi: unde hæc Eucharistica propriè appellatur transubstantiatio, scilicet conversio totius unius substantiæ in totam aliam substantiam, quæ sola intervenit in Sacramento Eucharistiæ: de qua hic quæritur quid, & qualis sit, ejusque conditiones quales: sed quia conversio dividitur in productivam, in conservativam, & in adductivam: productiva est, qua tota substantia una desinit esse, & convertitur in aliam totam secundùm novum esse simpliciter: conservativa est, qua convertitur in alia non secundùm novum esse, sed secundùm esse præhabitum, sed conservatur ex vi desitionis alterius: adductiva, seu translativa est secundùm quam una substantia tota desinit esse, & convertitur totaliter in aliam totam non secundùm novum esse, sed tantùm secundùm novam præsentiam: Sicque terminus in his tribus generibus transubstantiationis, ut sic, est substantia absolutè, & secundùm se considerata, quatenus abstrahit ab inceptione, conservatione, & accessu: Hinc controvertitur inter Theologos qualis sit ista transubstantiatio, an productiva, an conservativa, an solùm adductiva.

Prima opinio plurium Thomistarum sustinet 175
hanc conversionem esse productivam, qui tamen in asserenda hac sententia sunt inter se divisi; alii enim sustinent in ea intervenire necessariò novam aliquam actionem substantialem ad ipsam substantiam corporis Christi terminatam; licèt enim corpus Christi in Cœlo verè existat, tamen, ut rursus sub speciebus existat, necessaria est nova substantialis

substantialis productio, cum non possit idem corpus in pluribus locis constitui, nisi per plures, & iteratas sui ipsius reproductiones substantiales in illis, alioquin non esset conversio substantialis: ita Coninch. Murisan. Pasqual. Aniaga, aliique recentiores: sed quia hæc positio est contra communem Philosophorum, ac Theologorum, ut probavimus in Phisica, alii Thomistæ temperant hoc dictum asserendo, quod dicitur transubstantiatio non quia producatur corpus Christi sub speciebus, sed quatenus producitur unio phisica ad species Sacramentales, quam unionem appellant modum substantialem in corpore Christi, quo supplet vicem substantiæ panis sibstentando ejus accidentia: unde terminus formalis hujus transubstantiationis non est corpus Christi præcisè sumptum, sed prout habet modum quemdam substantialem scilicet sustinendi species Sacramentales gerendo officium panis, &c. sic Valentia, Caspens. Lugus, aliique, quæ positio patitur gravissimas difficultates, ut probavimus supra rejiciendo hanc unionem inter corpus Christi, & species. Hinc alii sectatores hujus sententiæ moderatiùs loquuntur, dicentes quod verè nihil producitur de novo substantiale, sed quia verè produceretur corpus Christi per conversionem, si alibi non existeret, & hoc satis esse aiunt ad hoc ut dicatur transubstantiatio productiva: Sic Soto, aliique recentiores. 2. opinio parum distat à positione ultimò allata, asserit enim hanc conversionem non dici substantialem, seu transubstantiationem, quasi per ipsam producatur Christi corpus, cum verè præexistat, ideo solùm terminat ad conservationem ipsius sub speciebus, & tali pacto haberet vim productivam, si alibi non existeret corpus Christi, sic Aretinus, Faber, aliique pauci Scotistæ. 3. Sententia communior, & vera admittit tantùm transubstantiationem adductivam, qua scilicet corpus Christi in cœlo existens fit præsens speciebus Sacramentalibus loco panis, non per motum localem, sed per quandam simplicem mutationem singularem, per quam fit illis præsens: Sic Seraph. Doct. infrà cit. Scotus, plurimique Theologi.

176 Not. 1. quod, cum hæc transubstantiatio fiat per conversionem, & actionem conversivam, plures conditiones ad perfectam conversionem requiruntur. Prima est ut sit inter duos terminos, scilicet à quo, & ad quem: per quam secernitur à creatione, & ab annihilatione: in illa enim terminus à quo est nihil: in ista terminus ad quem: Nota autem quod hic disquirunt Theologi an desitio panis sit annihilatio. Seraph. Doct. *l.4. d.11. part. 1. quæst. 3.* negat ex hoc, quod in hac conversione panis, non in nihilum omninò cedit, sed transit in aliquod melius; creatio enim, & annihilatio sunt oppositæ mutationes ambæ importantes ex parte unius extremi omnimodam negationem extra genus, & per se primò, quod non contingit in proposito; nam negatio panis est hic per se terminus desitionis, ut includitur in termino positivo succedente, ideo desitio panis non potest propriè dici annihilatio, de cujus ratione est, quod ad negationem extra genus terminetur, nempe ad negationem, quæ in nullo positivo salvatur, sed ex ordinatione Christi talis ordo inest inter hæc duo extrema, ut dictum est: Sic S. Bon. loco cit. 2. conditio est, ut terminus à quo secundùm eam rationem desinat, qua in aliud convertitur: Ratio est, quia verti in aliud ex suo conceptu importat desinere vi causalitatis alterius, & transire in aliud, alioquin si non desineret, non verè diceretur converti; sed potius coexistere, & permanere cum alio. 3. conditio est ex parte termini ad quem, qui debet succedere loco termini à quo, & hoc sive per productionem, sive per conservationem, sive per adductionem secundùm varia principia Doctorum. 4. conditio, ut adsit connexio aliqua inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem, ita ut eorum ordo adsit, ut una substantia sequatur ad alteram, sic enim importat hoc nomen conversionis, & transitus; sive postea ista successio sit phisica, sive moralis; phisicam esse contendunt plures Thomistæ recentiores; moralem S. Bon. & Scotus cum pluribus Theologis aliarum Scholarum: Sic enim instituit Christus; & licèt substantia panis phisicè non pugnet cum substantia corporis Christi, potuisset enim Deus compossibilia illa facere, pugnat tamen ex ordinatione divina, ut ait S. Bon. quo pacto etiam pugnat gratia, & peccatum. 5. conditio secundùm plures Theologos est, quod detur aliquod commune utrique termino à quo, & ad quem, quod idem perseveret cum utroque, & in ordine ad quod uterque terminus repugnet: Sic in conversione ligni in ignem adest materia communis: sic & panis, & corpus Christi versantur circa eadem accidentia: & ratio est, quia unum supplere vices alterius dicitur in ordine ad tertium, cui deest terminus à quo, & cui advenit terminus ad quem in aliquo munere, quod prior terminus exercebat, &c. Seraph. Doct. autem *d. 11. q. 2.* & Scot. *quol.* 10. cum Mastrio *n.* 288. oppositum docet, nempe in hac transmutatione nihil commune tertium concurrere: non enim datur in universo similis mutatio: quod patet, quia potuisset Deus facere ut etiam accidentia transmutarentur in substantiam corporis Christi, unde ut conversio est præcisè ex vi ipsius non ponuntur accidentia communia, licèt ut Sacramentalis est ponantur accidentia ob aliam mutationem præsentialitatis concomitantis: ut autem ista clariùs intelligantur.

Not. 2. ex Seraph. *d. 11. cit.* quod ista transubstantiatio est mutatio singularis, quæ in mundo 177 nullum simile habet plenè, licèt in aliquibus assimiletur aliis mutationibus in aliqua parte: quia enim in hac mutatione nihil commune habet, assimilatur creationi, sed quia principium initiale est aliquid, idest panis, ideo dissimilis creationi est; sed similis generationi: sed quia terminum finalem non habet, nempe aliquid de novo factum, sed prius existens, ideo dissimilis est generationi, & similis augmento: sed quia corpus Christi ex hoc non crescit, sed in pluribus locis existit, ideo dissimilis est augmento, & similis loci mutationi: sed quia in alio loco existit, & à proprio non recedit, sed aliquid in ipsum transit, ideo omni motui, & mutationi dissimilis est, & est prorsus mutatio singularis: Corruptioni verò, & diminutioni nullo modo assimilatur, quia operationes sunt imperfectæ, quæ non decent divinam virtutem hæc operantem: rursus quia in alteratione variantur accidentia sensibilia, & hoc non contingit in hoc Sacramento propter fidem, nec illi assimilatur. Ex quibus patent conditiones hujus transmutationis.

N. 3. ex Mastrio *n.* 300. quod conversio, & tran- 178 substantiatio differunt ab actione conversiva, sicut transmutatio ab actione transmutativa: nam actio præcisè sumpta respicit agens, transmutatio vero respicit subjectum, formam, & privationem: sic &

& transsubstantiatio, conversioque intrinsecè solùm respicit substantiam desinentem ut terminum à quo, & succedentem ex vi desitionis illius, ut terminum ad quem, non autem agens, ob idque de se præcisè non est actio productiva alicujus termini, vel adductiva, sed est relatio quædam & ordo mutationis, vel potius versionis unius totius substantiæ in aliam totam, ut est in Sacramento Eucharistiæ; quod patet ex hoc, quod istæ actiones possunt stare sine ulla conversione, ut si adduceretur corpus Christi sub speciebus simpliciter manente substantia panis, vel si aliquod aliud produceretur absolutè in esse,& non per conversionem alterius in ipsum, non haberetur transsubstantiatio, aut aliquid ejus, sed quia transsubstantiatio potest sumi non solùm secundùm id, quod formaliter includit in esse conversionis totalis, sed etiam pro ut habet aliquid concomitans nempe relationem præsentialitatis, sic tali pacto differunt inter se transsubstantiatio productiva ab adductiva, differentia tamen accidentali, & tali pacto duplex successio potest considerari inter terminos conversionis: Alia est in essendo simpliciter, & hæc spectat ad conversionem productivam, vel conservativam; alia est successio in præsentia, ubi fuit terminus à quo, & hæc pertinet ad adductivam: primo modo potest salvari conversio substantiæ panis in corpus Christi absque tali præsentia concomitante, quia non necessariò ponitur terminus ad quem, ubi erat terminus à quo, ob idque præcisè non ponitur sub accidentibus, & in esse Sacramenti pro ut est institutum, sed tamen ex vi conversionis adductivæ ponitur præsentia ad finem conversionis sub istis accidentibus, quod explicat S. Doct. *d.*11.*q.*6. in regula secunda dicens, quod non potest dici corpus Christi fit, sed benè corpus Christi fit hîc per esse hîc, connotando successionem in præsenti, seu relationem præsentialitatis: unde in hac transsubstantiatione terminus proprius est ipsum corpus Christi ut præsens his accidentibus loco panis.

179 Not. 4. quod est maxima concertatio inter Doctores unde transsubstantiatio desumat suam rationem formalem nempè à termino à quo principaliter, an à termino ad quem: Certum autem est, quod uterque terminus substantialis requiritur, sed differenti modo: nam terminus à quo est ille, qui denominatur conversus, & per consequens desinens in aliud, atque ideo ex parte illius requiritur desitio simpliciter; at verò terminus ad quem solùm denominatur per conversionem succedens termino à quo: cum autem ad hoc non sit necesse, ut incipiat habere esse de novo, sed solùm quod succedat termino à quo ex vi desitionis illius quomodocunque succedat, hinc sequitur, quod ratio formalis transsubstantiationis desumitur principaliter, & formaliter à termino à quo: quod non evenit in transmutatione substantiali naturali, quæ desumitur, & denominatur à termino ad quem? Ratio hujus differentiæ est, quia transmutatio substantialis, ut ex aere fit ignis, verè importat productionem novæ substantiæ pro termino: at ista transsubstantiatio importat desitionem substantiæ panis, sed non productionem substantiæ corporis Christi jam præexistentis, sed tantùm præsentialitatem novam adjunctam cum conversione panis in corpus Christi: unde licet conversio unius substantiæ in aliam sit semper substantialis inter duas substantias, non tamen semper conversiva actio, nisi quando sit productiva substantiæ novæ, vel conservativa: ista autem propriè dicitur accidentalis, quia terminat, ut dictum est, ad relationem præsentialitatis resultantem ex conversione, quod magis patebit infra.

Concl. 1. Conversio Sacramentalis Eucharist. 180
non est formaliter reproductio corporis Christi sub accidentibus absolutè: est contra Thomistas supra cit. Est tamen S. D. & Scoti, & plurium aliorum: licèt S. D. à Bauduno, & Gaud. pertrahatur ad opinionem Thomist. quod est contra mentem ipsius S.D. qui *d.* 11.*q.*2.*in corp.* dicit, quod ista conversio similis est generationi substantiali ratione termini à quo, qui non est nihil, sed substantia panis, dissimilis tamen postea est generationi ratione termini ad quem, qui non est aliquid de novo factum, sed est prius existens: Mastrius probat *n.*295. hanc conclusionem ex eo, quod supponit ab ipso probatum in Philosophia non posse eundem effectum simul produci à pluribus causis totalibus, nec ab ipso Deo, quæ doctrina apud nos nihil probat, cum probaverimus in Philos. *l.*2. *q.*5. de causa efficiente oppositum: Ideo probatur nostra conclusio ex falsa suppositione adversariorum putantium non posse idem corpus in pluribus locis adæquatis absque nova replicatione productiva substantiali poni, idque falsum probavimus in Phis. *l.*4. *de loco q.* 6. ad hoc enim sufficit simplex adductio producendo plura ubi in eodem corpore, & ipsa replicando tantùm accidentaliter in pluribus locis; nulla enim implicantia ad hoc potest adferri: tum quia sequeretur quod Christi corpus toties destrueretur, vel annihilaretur, si corruptis speciebus desineret esse; tum quia sequeretur quod quotidie renovaretur Christi incarnatio, & novo modo ab eo, quo olim facta fuit in utero B. Virg. tum quia sequeretur, quod Christus, pro ut reproducitur in Sacramento, non esset filius Virginis, cum ad talem productionem non concurrat; tum etiam quia talis productio esset creatio, ad quam creatura nec instrumentaliter potest pertingere.

Objic. cum Advers. desitio panis, & positio cor- 181
poris Christi in Sacramento sunt correlativæ, debentque currere pari passu: sed desitio termini à quo simpliciter requiritur, ergo consequens est, ut requiratur inceptio termini ad quem secundum substantiam suam: Prob. conseq. quia à termino ad quem conversio substantialis specificatur, & talis denominatur. Confirm. quia conversio substantialis debet esse actio substantialis, ergo pro termino ad quem debet habere substantiam, quæ per ipsam efficiatur. R. ex traditis in fundamentis neg. paritatem assignatam inter desitionem & inceptionem terminorum: ratioque est ibidem adducta, quia terminus à quo est ille, qui denominatur conversus, & per consequens desinens in aliud, atque ideo ex parte illius requiritur desitio simpliciter: sed terminus ad quem solùm per conversionem denominatur ut succedens termino à quo ex vi desitionis illius, quomodocumque succedat, ad quod non est necesse ut incipiat de novo: Ad consequentiam respondetur negando transsubstantiationem istam desumere suam specificationem à termino ad quem, sicut evenit in transmutatione, ut dictum est ex Seraph. *d.*11. *quæst.*2. ista enim Eucharistica specificatur à termino à quo, non præcisè à termino ad quem: Ratio est, quia de termino à quo dicitur in recto converti in aliud, non autem de termino ad quem, unde major mutatio intelligitur requiri in termino à quo, quam in termino ad quem; nam in termino à quo

verificatur

verificatur conversio, & desitio simpliciter, in termino ad quem nova præsentialitas tantùm (ut ait S.Bon.) ideoque magis ex parte termini à quo ratio conversionis attendi debet: Ad confirmationem resp. quod in hac transubstantiatione concurrit & ipsa conversio, & actio conversiva, & ipsa adductio: ut est conversio intrinsecè respicit solùm substantiam desinentem ut terminum à quo, & succedentem ex vi desitionis illius ut terminum ad quem, non autem agens: quæ conversio tamen ratione terminorum substantialis verè dicitur, non verò actio, quæ ibi intervenit, semper est substantialis, nisi quando fit productio novæ substantiæ; & cum in nostro casu habeatur de novo solùm præsentialitas termini ad quem jam præexistentis, hinc actio dicitur accidentalis propriè, lato autem modo potest dici substantialis saltem æquivalenter, licèt non formaliter, ut dictum est, & infrà magis explicabitur.

182 Concl. 2. Conversionis terminus formalis non est ipsa unio inter corpus Christi, & accidentia, quo suppleat vices substantiæ panis ea sustentando: Est contra Valentiam, Caspensem, aliosque supra cit. Est tamen D. Bon. Scoti, & communis: Hæc conclusio supra satis probata fuit, ubi ostendimus nullam unionem, sive phisicam, sive efficientem, sed tantùm moralem intercedere inter corpus Christi, & species: falsum enim est accidentia sustentari, vel conservari immediatè à corpore Christi, sive materialiter, sive effectivè, sed tantùm immediatè à Deo in genere causæ efficientis absque ulla unione vera: corpus autem Christi pro ut est in Sacramento nullam actionem phisicam habet in eo, cum sit indivisibili modo.

183 Concl. 3. Corpus Christi non est terminus formalis conversionis conservativæ: Est contra secundam opinionem supra allatam: Est tamen S. Bon. Scoti, & communior. Prob. quia eadem actione, qua Christus conservatur à Deo in Cœlo, conservatur etiam in Eucharistia, ergo pro ut est in Eucharistia non est terminus formalis talis actionis conservativæ: Prob. antecedens, simulque consequentia: quia idem est corpus in cœlo, & in hostia substantialiter immutatum, & mutatum tantùm accidentaliter ratione loci, & quo ad modum essendi divisibiliter, & indivisibiliter, ergo conservatio talis non potest esse terminus formalis conversionis substantialis, sed tantùm accidentalitas adducta.

Respondent Adversarii variari actionem, quia in cœlo conservatur naturaliter, & divisibiliter, & in Eucharistia supernaturaliter, & indivisibiliter. Contra: aliud est loqui præcisè de substantia corporis, aliud de modo extenso, vel inextenso: Actio conservativa respicit substantiam: Actio conservativa talium modorum est diversa: sed per hoc fit transitus à modo existendi in loco ad ipsam substantiam corporis: ergo nulla responsio.

184 Concl. 4. Conversio panis in corpus Christi est transubstantiatio adductiva tantùm modo jam explicato. Est Seraph. Doct. *d.* 11. *quæst.* 2. qui cum Scoto semper firmus in hoc stat, quod in hac conversione substantiali panis in corpus Christi non producitur aliquid substantiale, sed tantùm adducitur nova præsentialitas ad species Sacramenti loco panis jam conversi, & ratio est (ait Seraph. Doctor) quia, cum sit conversio substantialis, sequitur, quod sit transubstantiatio unius substantiæ in aliam, & quia nihil de novo acquiritur in corpore Christi præter præsentiam ad species, sequitur quod sit solùm adductiva, scilicet cum transubstantiatione: Not. tamen quod P. Gaudent. noster conatur probare, Seraphicum Doctorem negare hanc præsentiam adductivam, in quo ipse sibi parum constat, & in vanum laborat, malè citans plura loca Seraph. Doct. *à n.*345. ut conversionem adductivam è medio tollat; postea *n.*348. ipsam ex Seraph. Doct. probabiliter admittit: & meritò quidem, nam ut & ipse advertit *in d.*11.*quæst.*6.*p.*1. S.Bon. docet hanc propositionem (corpus Christi fit) esse impropriam, & non admittendam: benè autem istam corpus Christi fit hic: ecce transubstantiatio adductiva, de qua loquimur, & quam semper immutabiliter S. Doctor admittit: verum quidem est, quod negat intervenire in hac transubstantiatione mutationem localem, sed non absolutè, sed tantùm illam, per quam quis in alium locum se transfert recedendo à priori loco; in ista autem Christus fit præsens pluribus locis, sed tamen non recedendo à priori loco, ideo (*ait d.*11.*q.*2.) est similis ex parte mutationi locali, & ex parte dissimilis, cum sit singularis inter omnes: idem & repetit infinities: & idem loquitur Scotus, ex quo patet hallucinatio dicti Authoris; & maximè in hoc, quòd admissa adductione probabiliter ad mentem Seraph. Doct. postea *num.* 350. *seq.* intendit probare productionem corporis Christi quam firmissimè semper negat S. Doctor, & tandem hic auctor ipsam reducit ad actionem conservativam substantiæ corporis Christi sub speciebus: Contra quam tamen est hæc ratio ineluctabilis; Conservatio rei est continuatio ipsius rei, ergo ipsam præsupponit in esse, ergo & conservatio corporis Christi sub speciebus præsupponit ipsum antecedenter sub illis, ergo aliud pro termino formali conversionis debet præsupponi ante conservationem, sed non est ipsum corpus ut productum, cum præexistat; ergo erit positio ejusdem sub speciebus loco panis: ergo est per adductionem.

Concl. 5. Terminus formalis transubstantiationis est substantia corporis Christi secundùm suum esse substantiale antiquum, & præexistens; relatio verò præsentialitatis in corpore Christi, & ad species terminata est terminus concomitans, quatenus transubstantiatio adductiva includit mutationem quamdam ad simplicem præsentiam circa terminum ad quem ratione cujus potest esse, ubi non præfuit, & ubi præfuit terminus à quo: Sic Seraph. Doctor supra cit. Scotus *quol.* 10. *& l.* 4. *d.*11. *quæst.* 3. & plurimi Theologi ex Mastrio *n.*302. Pro intelligentia clara, & probatione hujus concl: 185

Not. quòd transubstantiatio potest sumi dupliciter: Primò pro ipsa conversione formaliter totius unius substantiæ in aliam sibi succedentem: & in hoc sensu nihil aliud præcisè includit nisi duos terminos à quo, & ad quem cum ordine successionis unius ad aliud in esse substantiali sive de novo accepto, sive præexistente, ut supra dictum est; non enim magis requiritur novitas in termino conversionis, quàm in termino transmutationis naturalis, sed in transmutatione naturali non necessariò requiritur novitas aliqua in termino ad quem, ergo nec in transubstantiatione: Major est evidens, & ab omnibus admissa; minor

nor probatur: Si Deus produceret albedinem solitariè existentem, & postea eam poneret in subjecto, tunc fieret transmutatio sine novitate in termino ad quem; ergo simili modo potest dari transubstantiatio sine novitate termini ad quem, & eò magis, & à fortiori, quia, ut dictum est, & infra probabitur, transmutatio specificatur penes terminum ad quem, transubstantiatio verò penes terminum à quo: Secundò transubstantiatio potest sumi pro actione conversiva, qua nimirum panis convertitur effectivè à causa transubstantiante, & habet pro termino corpus Christi sub speciebus, & hæc involuit adductionem præsentiæ concomitantem ipsi formali transubstantiationi: Hæc autem transubstantiatio effectiva potest etiam subire denominationem actionis substantialis, esto per eam corpus Christi non accipiat esse substantiale de novo, sed terminet ad præsentiam, & hoc duplici ratione: Primò quia per eam destruitur substantia panis: Secundò quia ea posita, necessariò per eam produceretur substantia corporis Christi, nisi esset antea producta: unde optima ratione vocatur transubstantiatio, quia est conversio substantiæ desinentis in substantiam ipsi succedentem, & quidem talis etiam, ut concomitantem haberet actionem productivam unius substantiæ, nisi antea esset producta: qua doctrina sufficienter remanet probata conclusio, estque diligenter advertenda, quia per eam solvuntur omnes objectiones contrariæ.

186 Objic. 1. Terminus formalis actionis est id, quod de novo fit in effectu, sed in corpore Christi nihil de novo fit, nisi præsentia realis sub speciebus; ergo ista erit formalis terminus conversionis: sicque impropriè potest dici transubstantiatio. Resp. ex traditis conversionem formaliter sumptam non consistere in actione, sed in ordine, & transitu substantiæ desinentis totaliter in aliam sibi succedentem, estque corpus Christi secundùm suum esse substantiale: Si verò conversio sumitur pro actione conversiva, & tali pacto terminus talis actionis adductivæ cum conversione est præsentia ejus realis sub speciebus: sicque talis terminus est corpus Christi secundùm esse substantiale simul cum præsentia reali concomitante: quare patet solutio argumenti, &c.

Contra instat contra nos Caspensis: Terminus à quo est ille, cui repugnat terminus ad quem: sed præsentia corporis Christi solùm repugnat præsentiæ panis, non verò existentiæ substantiali ejus: & talis est actio adductiva, quæ terminat ad solam præsentiam, ergo terminus ejus est accidentalis tantùm; ergo desitio panis concomitans erit accidens, & accidentalis terminus. Resp. advers. laborare in æquivoco ex falsa intelligentia nostræ sententiæ: omnia enim argumenta ipsorum diriguntur contra præsentiam adductivam, quasi in ipsa per nos stet transubstantiatio, quod est falsum, in quo etiam peccat Gaudent. parùm sibi constans, isti enim confundunt actionem conversivam cum ipsa conversione, & consequenter terminum conversionis cum termino actionis, sive sit productiva, sive adductiva, estque error in Philosophia, ut supra probatum est: Dicimus igitur hanc conversionem formaliter habere pro termino à quo panis desitionem, & pro termino ad quem corpus Christi; ideo dicitur transubstantiatio, sed quia per hanc actionem nihil substantiæ de novo producitur, sed tantùm adquiritur nova præsentialitas, ideo ratione termini ad quem dicitur adductiva concomitanter: Hinc ad argumentum resp. negand. quòd solùm termini à quo, & ad quem sint oppositi præsentiæ utriusque substantiæ simul: sunt quidem oppositæ ex institutione Christi duæ substantiæ panis, & corpus Christi, hinc & per actionem conversivam fit versio panis in corpus Christi jam præexistens, & per actionem adductivam concomitantem fit præsens speciebus: unde duplex actio concurrit, alia transubstantiva, alia adductiva; prima dicitur talis ratione termini à quo; secunda ratione termini ad quem præcisè loquendo: Notet diligenter Lector hanc distinctionem, per quam tollitur omnis æquivocatio.

Dices: Nihil substantiale de novo advenit, si non producitur substantia corporis Christi per actionem conversivam, ergo formaliter terminus est quid accidentale. Resp disting. anteced. nihil substantiale de novo advenit respectu substantiæ corporis Christi, concedo: respectu panis in cujus loco succedit corpus Christi de novo ratione conversionis, nego: Sed quia concomitatur ipsam præsentia nova ratione adductionis: hinc datur hæc actio adductiva.

Objic. 2. Plures SS. Patres, & Concilia, dum 187 explicant hoc mysterium, utuntur verbis significantibus productionem novam, ut puta efficere, conficere, fieri, creari, & alia similia, ergo consecratio est productiva actio corporis Christi. Resp. negand. quod SS. Patres utantur his verbis absolutè, sed dicunt panem fieri corpus Christi, unde non sequitur, quod intelligant novam productionem: Seraph. Doct. *l.4.d.11.p.1.quæst.6.* explicat cum communi SS. Patrum istos terminos: facere, fieri, creari, produci, &c. ubi probat, quòd cum ista conversio sit singularis, nec ulla similis in mundo, in qua totum in totum transit, & hoc virtute supra naturam, ideo panis ad corpus Christi non est identitas, ideo falsa est ista locutio, panis erit corpus Christi, vel, quod fuit panis, erit corpus Christi, quia enim totum transit in totum, nulla est identitas: desinit enim panis, & succedit corpus Christi: Item nulla est innovatio in Christi corpore, ut supra dictum est: Item nulla est causalitas, sed tantùm ordinatio secundùm institutionem divinam, &c. Vide ibidem Seraph. P. Gaudent. cit. *n.375. & seq.* eadem suppositione falsa multa objicit tanquam asserta à Seraph. v. g. quòd ex hac conversione adductiva sequitur, conversionem hanc non esse transubstantiationem, sed translocationem; ad quæ respondemus eadem doctrina supra allata Seraph. neg. seq. supponimus enim transubstantiationem modo supra allato, simulque adductionem localem, vel quasi localem: nec aliud Seraph. dicit, sed totum ut ad mentem ipsius gratis exhibetur absq. fund.

Dices: ex nostra positione sequitur, quod nihil substantiale ponitur in hac conversione: prob. quia non ponitur de novo corpus Christi per productionem, sed tantùm præsentia ipsius, ergo non potest dici propriè transubstantiatio. Hoc est arg. Casp. sed R. neg. seq. ad pr. nihil substantiale de novo ponitur respectu substantiæ corporis Christi, concedo, jam enim præexistebat; respectu substantiæ panis, nego, nam corpus Christi succedit de novo loco panis per conversionem, ob idque propriè per ordinem ad desitionem panis dicitur transubstantiatio, respectu verò termini ad quem potest etiam dici transubstantiatio non formaliter, sed æquivalenter, quia si non præexisteret per istam conversionem posset produci, cui cum comitetur præsentia, ob id dicitur conversio adductiva, seu translativa.

Dices

Dices Seraph. D. coincidere cum opinione D. Thomæ, & Thomistarum, nam isti dicunt corpus Christi fieri præsens pluribus hostiis, eò quòd plura convertuntur in ipsum: Idem & repetit S. Bon. pluries; quia talis replicatio in pluribus locis est per actionem productivam. Resp. neg. sequellam: licèt malè ob istam rationem à Baudunio, & P. Gaud. pertrahatur ad partem Thomistarum, isti enim dicunt plura converti in corpus Christi, quia per actionem productivam loco panis producitur substantia corporis Christi: Seraph. D. verò admittit quidem transubstantiationem factam per actionem conversiam termini à quo scilicet panis, & vini, à quibus principaliter denominatur; ideò ratio præcisa, & formalis desumitur à termino, à quo, & ob id dicitur, quia plura convertuntur in corpus Christi: sed vide quæ à nobis tradita sunt in Phisica *de loco q. 6.* ubi ista fusè declarantur.

QVÆSTIO XII.

An Transubstantiatio sit mutatio instantanea.

188 Titulus iste unum supponit, & aliud quærit: supponit transubstantiationem esse veram, & realem mutationem, & disquirit an hæc sit instantanea, an successiva: In quæstionis tamen solutione utrumque examinabimus: Hinc not. 1. quòd cum certum sit, & de fide in hac transubstantiatione intervenire mutationem, disquirunt Theologi, qualis sit ista mutatio, & an versetur circa panem solum, an etiam circa corpus Christi: In qua Seraph. *d. 12. p. 1. q. 2.* ut alias dictum est, docet hanc mutationem similem & dissimilem ex parte creationi, generationi, augmento, & motui locali, ideóque dicenda est mutatio singularis, sed quia hîc non fit de novo corpus Christi, sed tantùm fit præsens, ideò mutatio propriè solùm cadit in pane per transubstantiationem, non verò circa corpus Christi, nisi ratione præsentialitatis adductæ, nam ut rectè advertit *l. 1. d. 44. q. ult.* facere id, quod jam est, est nihil facere: unde remanet semper verum, quod suprà probatum est, transubstantiationem hanc specificari penes terminum à quo. Not. 2. quòd mutatio successivè fit, vel quia forma inducenda suscipit magis, & minus, vel quia est in subjecto, quod debet paulatim disponi, vel quia est à virtute finita indigua temporis: quæ conditiones cum non concurrant in hac mutatione, hinc est, quòd est instantanea.

189 Not. 3. quòd præcipua difficultas in hac materia est, quomodo in uno instanti desinat panis, & in alio adveniat corpus Christi, cum secundùm rectam Philosophiam non admittantur duo instantia immediata, nec potest dici id fieri in unico instanti, quia simul essent panis, & corpus Christi: quæ difficultas etiam currit in Philosophia in corruptione, & generatione formarum substantialium: Ad quam evitandam communiter Philosophi, & Theologi assignant duo instantia, unum intrinsecum, in quo fit introductio novæ formæ, in quo verum est dicere, nunc est forma ignis, corpus Christi, & immediatè antè non fuit, & aliud extrinsecum, in quo verum est dicere, nunc non est forma ligni, vel panis, & immediatè ante fuit, scilicet in tempore antecedenti: notat autem S. Bon. talem doctrinam non posse subsistere, & esse contra rationem, & naturam formæ substantialis, quæ cum sit indivisibilis, ideo debet quælibet incipere, & desinere in mora sibi proportionata; sed per adversarios forma, v. gr. ignis incipit intrinsecè, quia indivisibilis est, ergo & eadem ratione debet desinere: ut autem pateat doctrina verè subtilissima Seraph.

Not. 4. ex Seraph. Doct. *l. 4. d. 11. p. 1. q. 5. ad arg.* quòd successivum non est simul cum instantaneo nec secundùm totum, nec secundùm partem, sed tamen secundùm aliquid sui, ut puta factum, vel dictum esse, quod est vel in ratione medii, vel principii, vel finis, unde certum est, quòd quando tota forma dicta est, totum factum est sed quia in mutatione instantanea est simul fieri, & factum esse, & simul desinere, & desiisse, hinc est quòd, cum in instanti desinat esse panis, non est panis, & cum incipiat in instanti esse corpus Christi, vel convertitur in corpus Christi, est corpus Christi; sed quia difficultas est circa duo instantia immediata.

Not. 5. ex eodem Seraph. *loco cit. ad ult.* quòd 190 licèt in eodem continuo impossibile sit dari duo instantia immediata, nam inter unum, & alterum mediat quantitas, vel tempus, in contiguis mutationibus tamen habentibus propriam mensuram intrinsecam dantur duo instantia immediatè se habentia, licèt in mensura communi temporis continui non possint signari: quæ duo instantia tamen simul respiciunt unicum instans temporis communis: unde rectè stat, quòd desitio panis fit in proprio instanti: & positio corporis Christi in suo, & alio instanti proprio, cum sint mutationes contiguæ, non continuæ: quam doctrinam repetit Seraph. Doct. *l. 4. d. 17. p. 1. art. 1. q. 1. ad 4.* quam & nos in philosophia explicavimus fusè agentes de desitione, & incæptione rerum, & de privatione formæ, &c.

Concl. 1. Transubstantiatio Eucharistiæ est vera, & realis mutatio: Est communis omnium Theologorum, estque de fide, & prob. quia si desinit panis, ergo in eo fit mutatio, & si corpus Christi fiat loco panis, ergo intervenit mutatio saltem præsentialiter, ergo. 191

Concl. 2. Desitio panis fit in instanti proprio intrinseco; & positio corporis Christi fit in alio immediato instanti intrinseco proprio: Est S. Bon. Gaud. Galitii Chabæi, aliquorumque aliorum, quos adduximus in Philos. *loco cit.* & prob. 1. quia desitio formæ substantialis, quia est indivisibilis, non potest successivè tolli, sed tantùm in instanti, alioquin duratio ei non erit proportionata: tum quia si ei assignatur instans tantùm extrinsecum, id est contra rationem formæ indivisibilis, quæ in instanti habet esse, ergo & in instanti proprio debet desinere: prob. conseq. quia in instantaneis idem est fieri, & factum esse, desinere, & desiisse Quod vero in durationibus disparatis possint assignari plura indivisibilia disparata, ostendo: fiat in hoc instanti Romæ generatio: fiat immediatè post Bononiæ alia generatio, certum est quòd utraque fit in proprio instanti; ergo in contiguis, & disparatis mutationibus dantur duo instantia immediata disparata: & ratio est, quia quælibet res, & actio habet propriam mensuram intrinsecam distinctam à mensura communis temporis, & ob id ab alia independentem; ergo & in desitione panis in Eucharistia, & in positione corporis Christi idem evenit: Prob. conseq. quia panis destrui debet in ulti-

mo instanti prolationis verborum, quæ est causa per adversarios phisica conversionis: sed in eodem instanti non potest esse corpus Christi, quia alioquin esset impanatio: ergo in sequenti. Prob. conseq. quia omnis forma substantialis per adversarios, & secundùm veritatem incipit in instanti intrinseco, quia est indivisibilis, ergo & corpus Christi: sed non potest incipere intrinsecè in instanti, in quo intrinsecè est panis, ne sequatur impanatio: panis verò desinit in instanti desitionis verborum consecrationis, ergo corpus Christi advenit in sequenti, non quidem mediato post aliquam morulam temporis, alioquin daretur tempus in quo non esset panis, nec corpus Christi, & accidentia essent sine subjecto, ergo ponitur corpus Christi in instanti sequenti immediatè contiguo, & suæ durationi proprio. Addimus quod licèt in mutationibus naturalibus adversarii subterfugiant istas rationes, licèt sint ineluctabiles, eò quòd dicunt formam veterem corrumpi ad corruptionem accidentium; ob idque cum eis corrumpi extrinsecè in tempore: hoc subterfugium non potest in desitione panis in Eucharistia applicari, cum non interveniat corruptio accidentium, nec successiva dispositio: unde patet quam subtilis, & firma sit Seraphica Doctrina: sed vide quæ à nobis tradita fuere in Phisica *in lib.3.tract.1. de motu q.7. & lib.1.tract 3.q.5.*

192 Objic. Istæ duæ mutationes scilicet desitio panis, & positio corporis Christi mensurantur necessariò tempore continuo, sed in continuo non possunt dari duo instantia immediata, ut visum est in Philosophia, ergo corruit doctrina. S.Bon. de duobus instantibus supra dictis. Resp. conced. majorem, & minorem, & neg. conseq. Vel disting. majorem *ex lib.4. d.17. cit.* quòd si comparentur duæ mutationes contiguæ ad tempus extrinsecum, potest dici, quod forma vetus, & panis desinat extrinsecè: si verò comparentur ad propriam mensuram, quælibet sit suo instanti intrinseco. Et si quæras, quomodo possunt ista subsistere, quod dentur duo indivisibilia immediata in mensura intrinseca, & in extrinseca respondeat ipsis unum indivisibile tantum? Resp. Ista optimè cohærere, & patet ad sensum; si enim sumas duas lineas contiguas, certum est terminari quamlibet per proprium indivisibile; & si ipsas unias, tunc illa duo uniuntur in unum: & illa duo indivisibilia coexistunt unico indivisibili in continuo: sic & ista duo instantia comparata tempori extrinseco coexistunt unico illius continui; nec id est absurdum, ait S. Doctor *l.4. d.29.p.2. art.6. q.1. in corp. & l.1. d.19. part.1. art.1. q.4. ad 2.* nam duo puncta sunt simul contactu phisico: & simplicia, si simul ponuntur, confunduntur in unum, idest non ampliùs faciunt duo, vel tria, vel centum, quàm unum, quia distinguuntur penes illud, in quo sunt.

QUÆSTIO XIII.

De Accidentibus Sacramentalibus. An in transubstantiatione remaneant accidentia panis, & vini sine subjecto.

193 Antequam ad solutionem quæstionis deveniamus. Notandum quod paucis ab hinc annis suscitatæ fuerunt duæ opiniones extremæ contra sensum omnium SS. PP. & Theologorum: Altera in Sicilia à quodam Josepho Ballo, quam secuti sunt aliqui Theologi Siculi, & novissimè Emanuel Maynan Gallus ordinis S. Francisci de Paula in sua Philosophia naturali *c.2. prop.3 .an.12. & in Appendice præfixa in 2.* tomo ex professo docentes, species Sacramentales non esse accidentia vera phisica, & realia, sed potius spectra nuda, & causaliter meræ imagines intentionales, hoc est specierum intentionalium objecta falsa sensum deludentia: Altera suscitata in Gallia statuens species Sacramentales esse veram substantiam, quæ cum priùs delitescunt in poris substantiarum farinæ, panis, & vini; his veluti substantiis primariis per consecrationem, & transubstantiationem evanescentibus salvæ manent, & commassatæ, ac grandifactæ divinitùs incurrunt in sensus continentium pari cum pane, & vino, quando supererant, more, & apparatu qualitatum: Ecce in medium duæ novitates extremæ & pugnantes ad invicem contra sensum omnium SS. PP. & Theologorum, unde meritò Raynaudus in tomo secundo suorum doctissimorum operum eas appellat duo somnia effecta, & è cerebro istorum somniatorum fabefiacta: contra quos infra differemus: Quoad accidentia verò, quæ à Theologis recognoscuntur in Eucharistia insurgunt plura dubia, & quæstiones infra solvendæ: In præsenti verò tantùm discutiemus veritatem, & existentiam istorum accidentium sine subjecto; quomodo ibi sint.

Opinio 1. sustinet, Deum privari accidentia actuali inhærentia, conferreque illis & maximè quantitati modum positivum ipsi existentiæ superadditum, substantialem, vel similem substantiali, quem appellant modum perseitatis: ità Cajet. Suarez *d.57. sect.2.* Vasq. aliique. Opinio 2. docet nihil de novo ipsi quantitati superaddi; sed Deum ipsa sustentare se solo per influxum causalem conservativum ipsarum specierum: ita D.Thomas, D. Bon. aliique plures apud Mastrium, Gaud. &c. Et quia controvertitur, an soli quantitati adveniat talis modus vel perseitatis, vel conservationis absque inhærentia, an verò etiam cæteris accidentibus: Hinc 1. opinio docet supervenire omnibus accidentibus talem modum. 2. admittit in sola quantitate, cætera verò inhærere naturaliter, sicut priùs in ipsa quantitate: Sic S. Bon. *dist.12 p.1. art.2.q.2.*

Not.1. & suppon. tamquam ab omnibus ferè 194 receptum, accidentia habere proprium esse, seu existere, nec existere per existentiam subjecti, ratio est, quia, cum dent novum esse distinctum, & separabile ipsi substantiæ, sequitur quòd habeant proprium esse, nemo enim dat quod non habet: tum quia differrent realiter à substantia, ut satis probatum est in logica in tract. de prædicamentis. 2. Suppon. quòd esse in se, & esse in alio sunt differentiæ oppositæ, quæ dividunt prædicamenta substantiæ, & accidentium: sed tamen esse in alio potest sumi dupliciter vel actu, vel aptitudine: esse actu in alio non est de essentia accidentis, sed tantùm aptitudine: unde inhærentia actualis potest tolli ab accidente, non verò aptitudinalis: hinc sequitur quòd modus perseitatis accidentibus est contra naturam ipsius: sic S. Bon. *d. 12. p.1. art.1.q.1.*

Concl.1. In Eucharistia post transubstantiatio- 195 nem remanent omnia accidentia sensibilia tam in se, ut color, sapor, odor, quantitas, quàm in effectibus, ut virtus calefaciendi, nutriendi, inebriandi & hoc sine subjecto substantiali; non verò remanent

manent modi substantiæ, ut unio materiæ ad quantitatem, relationes hinc inde resultantes, & similia: Est Seraph. D. *d.* 12. *q.* 1. *& seq.* & communis omnium Theologorum, & secundùm multos est de fide prima pars definita in Concilio Constant. in quo electus fuit Martinus V. qui approbavit damnationem quadragesimi quinti articuli Vviclephi, & trigesimi Joannis Hus, inter quos erat, quòd accidentia in hoc Sacramento non manerent sine subjecto, quod & notat etiam Caspensis.

Prob. prima pars: primò quia accidentia absoluta habent & essentiam, & existentiam propriam distinctam à substantia, ergo possunt separari à Deo à substantia, sed de facto substantia panis transubstantiatur in corpus Christi, & sensibiliter remanent eadem accidentia, ut definit Concil. Trident. ergo. Hîc autem omittimus responsiones Nominalium sustinentium quantitatem non distingui realiter à substantia, contra ipsos enim satis dictum est in Logica, & Philosophia. 2. pars concl. patet, quia modi substantiæ, & unio, relatio, &c. sequuntur ipsam substantiam, unde hac destructa, destruuntur & tales modi.

195 Concl. 2. Accidentia, quæ post transubstantiationem remanent, sunt vera, & realia, & eadem, quæ inerant in pane, & vino, non verò spectra, vel species intentionales, ut malè asserunt Maynan, & Bellus: Est communis omnium Scholasticorum, & SS. Patrum Prosperi, Joannis Chrisost. S. Aug. Anselmi, Algeri, aliorumque, quos magno agmine citat Raynaudus supra relatus.

Prob. autem 1. ex generali ratione Sacramenti novæ legis, nempè quia essentialiter est signum sensibile, vel visibile: & ratio est (ait Chrisost. *Hom.* 83. *in Matth.* & D. Aug.) quia Sacramenta sunt tesseræ colligandis fidelibus in unum cœtum sensibilem, & conjunctionis eorum coagula; ideo debuerunt institui corporea, & sensibilia: ergo cum Eucharistia (addit S. Bon *cit. q.* 1.) sit verum sacrificium novæ legis, debuit in ea esse aliquid verè sensibile: sed secundùm opinionem adversariorum non esset sensibile, nec integraretur ex speciebus, & corpore Christi: in quo corpus Christi se habet ad modum Spiritus; ergo secundùm hanc sententiam nihil esset sensibile, sed totum esset præstigiosum, deludens sensus imagine falsa: In quo casu nec posset corrigi sensus ab alio sensu, ut contingit in visione umbræ arboris in aqua, cum æquè omnes sensus deluderentur. Confirm. quia sicut nemo admitteret baptismum factum per aquam apparentem, sic nec Eucharistia consistere potest in signo ficto, & apparente, sicut notat Magister *l.* 4. *d.* 12. ex D. Ambros. qui observat in hoc sacrificio, vel Sacramento nihil admitti fictum, sicut evenit in præstigiis magorum.

Prob. 2. ex ratione speciali hujus Sacramenti, ob quam est cibus juxta illud Joan. *cap.* 6. Caro mea verè est cibus: sed talis est, & quia præstat cibum spiritualem animæ, quomodo cibus corporalis præstat corpori, & etiam quia hoc Sacramentum conficitur sub externa specie reali cibi, & potus ad expressiùs significandum effectum invisibilem, & internum ipsius, ut rectè adnotavit Toletus *in cit. loco Ioan.* & priùs Seraph. *d.* 12. *p.* 1. *a.* 1. *q.* 2. ergo in illo verè cibo, & verè potu consignificantur species accidentariæ residuæ, sub quibus caro, & sanguis Christi percipiuntur: Prob conseq. quia, quod specialiter constituit hoc Sacramentum, habetque rationem cibi, & potus, non est sola caro, & sanguis Christi, sed utraque illa substantia cum suis operimentis externis, alioquin redderetur institutio Christi vana, & phantastica asserentis Eucharistiam esse cibum, & potum verè, ob idque etiam ex parte accidentium externorum verorum, & non apparentium.

Prob. 3. ex natura transmutationis substantificæ, quæ exigit aliquid commune, nec aliud potest assignari nisi accidentia realia, nempè quatenus est Sacramentum.

Prob. 4. ex ratione manducationis (ait enim Christus, qui manducat hunc panem) nam exclusis realibus accidentibus, sub quibus latet Christus, nulla potest fieri sensibilis manducatio, & transmissio Sacramenti in stomachum, ergo. Prob. 5. ex variis accidentibus, quæ passivè huic Sacramento possunt contingere. v. g. conculcatio, combustio, projectio in cloacam, expositio canibus, calefactio, corruptio, divisio hostiæ, sed isti sunt effectus reales, nec possunt contingere corpori Christi, ergo accidentibus realibus. Tandem B. Algerus, cum suo tempore suscitata esset hæresis negans in transubstantiatione nihil sensibile panis, scilicet accidentia, remanere in hostia, contra istos scribens, infert ex tali falsa assertione, si, pane mutato, nihil visibile remanet, minuitur etiam fidei meritum, non enim superesset in hoc Sacramento aliquid visibile, circa quod mystica passionis Christi signa, & crucifixionis Christi in missa possent celebrari, nec unde in perceptione ejus, incorporationis suæ, & nostræ mysteria compleri, vel infirmis viaticum dari, nec cætera, quæ visibiliter, & salubriter per ipsum in Eucharistia fiunt, valerent administrari: Vide S. Bon. *d.* 12. *art.* 1. *q.* 2. ubi tradit mysteria relucentia in separatione substantiæ panis, & accidentium existentium sine subjecto. His omnibus rationibus respondet fusè Maynan ipsum non negare accidentia realia, sed tamen non ea recognoscere eo modo, quo à nobis recognoscuntur, nempè accidentia realia ut quod, sed tantùm ut quo, scilicet intentionalia: de qua materia potest videri Raynaudus cit. qui novissimè contra hanc novitatem agit.

Maynan cum hujus novitatis assertoribus in sua 197
Philosophia sacra, & præcipuè in appendice primi, & secundi tomi affert varia fundamenta contra communem sententiam nostram suæ novitatis. Et primò, quia si non transmutetur substantia panis, & vini cum suis accidentibus sensibilibus (quæ negat distingui realiter à substantia, eaque appellat affectiones, & proprietates substantiæ, solúmque sensibiles mediatè sicuti est ipsa substantia) non potest verificari forma consecrationis: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus:* Ratio est, quia, ly, hoc, & hic, demonstrant Sacerdoti quicquid est in substantia panis; ergo transmutatio est etiam in accidentibus. Cui objectioni satis responsum est in superioribus, ubi explicavimus sensum utriusque formæ secundùm sententiam communem Theologorum; tum etiam quia falsum est, etiam ipsa experientia teste, accidentia non distingui realiter à substantia, licèt ab aliquibus Novatoribus invecta sit in scholis identitas istorum accidentium contra communem sensum omnium Philosophorum, exceptis Nominalibus, quorum hallucinatio patet ex hoc, quòd coguntur recurrere ad species intentionales, quæ optimo jure possunt dici præstigia, & spectra phantastica.

Objic. 2. SS. Patres agentes de accidentibus 198
Eucharisticis nunquam appellant accidentia, sed

solùm species, ergo signum est se loqui de speciebus intentionalibus, quæ absolutè dicuntur species in recta Philosophia, ob idque immediatè de se sensibiles, quales non sunt alia accidentia, sive affectiones substantiæ, sicuti ipse Maynan fusè probare conatur in cap.22. de Christo in Eucharistia. Addit *num.*15. *&* 16. quòd licèt istæ species intentionales, destructa substantia cum suis effectionibus, quantitate, & qualitatibus, non ampliùs immediatè proveniant ab eadem substantia, tamen aliæ ex divina, & miraculosa virtute superveniunt similes, æquivalentes prioribus jam destructis; cum igitur salvetur sensibilitas immediata per istas species, sequitur quod conveniențiùs recognoscantur in Eucharistia, quàm illa accidentia realia communiter tradita: & talem esse sensum omnium SS. PP. conatur probare, solùmque nostram sententiam oppositam communem ab Alcuino ab anno 791 invectam fuisse tamquam Aristotelicam, & à sequentibus Scholasticis postea explanatam. Explicat autem *in tomo* 2. *append.* 5. *p.*1. *num.*56. modum, quo fit species in corpore naturali, & deindè in Eucharistia *num.*61. *& seq.* In corpore à substantia v. g. panis ipsa oritur species, & imago panis, quæ in fundo oculi mediante luce reflexa formatur: idemque evenit in cæteris speciebus odoris, saporis, &c. absque tamen concursu lucis necessariæ ad exprimendum colorem, &c. In Eucharistia verò docet non à substantia panis, cum ibi non sit, sed à Deo generari, vel creari talem speciem: idem & docet *in tomo* 1. *cit. c.*22. *num.*16. *&c.* Hæcque sunt quæ fusissimè intendit probare dictus Maynan, quæ ferunt secum magnas, & inextricabiles novitates contra communem sensum Theologorum, ac Philosophorum. Unde, R. neg. primò omnes Patres uti nomine specierum, quia etiam aliquando uti sunt nomine accidentium, sicut factum est etiam in Concil. Constant. R. 2. dato etiam hoc, negatur sequi ipsos locutos fuisse de speciebus intentionalibus, nam nomine speciei volitariè usurpatæ non semper veniunt intentionales, sed adaptatur cum omni proprietate etiam aliis rebus, & præcipuè ad rem nostram, accidentibus realibus. Ratio autem quare communiter SS. Patres, & Concilia utuntur hoc nomine specierum est, ut observat Raynaudus, quia dubium est, an omnia panis, & vini accidentia permaneant post consecrationem, cum verisimiliùs sit dumtaxat remanere, quæ ad externam panis, & vini formam sensibilem pertinent, non verò invisibilia (si dentur ut multi affirmant) quia ista nihil conferunt ad obtegendum hoc mysterium, & exercendam fidem nostram, quæ fuit unica ratio conservandi panis, & vini accidentia illis destructis: Ne ergo cui in mentem veniret, præter sensibilia panis, & vini accidentia, alia quoque, si quæ sunt, permanere, idque certum æque esse, ac certum est manere accidentia pertinentia ad externam speciem panis, & vini, meritò visum est consultiùs usurpare frequentiùs vocem specierum, & parciùs vocem accidentium: præterquam quòd vox accidentis propriè, & in rigore accepta significat id, quod actu accidit, & actu inhæret alteri, ut notavit Scotus *lib* 4. *d.*12. *q.*1. Unde apud plerosque notio illius vocis ægiè auvellitur à conjunctione actuali cum subjecto substantiali, quæ in hoc mysterio locum non habet, & apud multos dubium est, an habeat locum quoad subjectum accidentale, cum velint non solùm quantitatem per se stanti, sed etiam qualitates panis, & vini remanere per se post consecrationem, sicque ut subtraheretur improvidis occasio impingendi, & existimandi accidentia panis, & vini vel Christo, vel aeri, vel alicui alteri subjectò actualiter accidere, & inhærere, (contra quos S Bon. *d.*12. *art.*1. *q.*3.) consultiùs videri potuit parciùs adhibere vocem accidentium, licèt non prorsus prætermissa sit ea vox in Conciliis: Et ideo certum est apud rectè intelligentes, cur ea vox devitetur in hoc mysterio: Unde absurdè omninò, ex eo quòd accidentia remanentia dicuntur species, detorquetur ejus vocis notio ad spectra speciebus intentionalibus repræsentata absque reali fundamento ex parte objecti: quod & docuit Innoc. II *cap. cum Marthæ.* S. Aug. *in lib. sent.* S. Prosper, S. Ambros. S. Anselm. cum aliis Patribus, qui omnes unanimiter conveniunt remanere post consecrationem easdem species, quæ priùs ibi fuerunt, nec ab ullo unquam vel somniatum fuerit, novas à Deo miraculosè produci. Et si quæras qualem censuram mereatur ista novitas, & noviter inventum Maynan, Raynaudus cum pluribus Theologis ei infert censuram hæresis; quod tamen ego non audeo asserere, cum pendeat à fundamentis Philosophiæ naturalis, sed tamen non potest rectè eximi à censura temeritatis magnæ, cum sit contra consensum SS. PP. (quod & negat Maynan) vel saltem omnium Scholasticorum, & Theologorum, inter quos columnæ doctrinæ Theologicæ adnumerantur, Magister sententiarum, Seraph. Doct. D. Thomas, Scotus, aliique classici Doctores cum suis sequacibus. Ex quo patet quam labilis sit ista opinio: Prædictus Maynan conatur se eximere in appendice supra cit. ab hac nota, sed certè in vanum laborat, dum profitetur novam Theologiam ingerere in scholis repudiatam à dictis Magistris.

Concl. 3. In Eucharistia post consecrationem non remanent species Sacramentales substantiales, ut asserunt Theologi Siculi citati in principio quæstionis: Est communis omnium Theologorum Catholicorum. 199

Not. quòd isti Novatores dicunt, species Sacramentales non esse accidentia de genere eorum, quæ definivit Aristoteles *cap.*1. *de prædicam.* accidens est, quod est in aliquo, & sine eo impossibile est esse: sed esse accidentia, qualia definivit Porphir. *c.* 6. *de Accid.* Accidens est quod adest, & abest præter subjecti corruptionem: dicunt autem quòd ista accidentia non sunt de genere quantitatis & qualitatis, sed esse corpuscula quædam in poris substantiæ farinæ, panis, & vini inclusa, quæ appellantur spiritus, & species ob exilitatem ipsarum, quæ extenduntur ad movendum sensum visus, olfactus, &c. Destructo igitur pane, & vino per consecrationem remanent ista corpuscula substantialia, & grandescunt miraculosè, & retento eodem situ, & ordine, quo erant antea in pane, &c. diffunduntur ad totum spatium, quod soliditas panis occupabat, ut mysterium lateret, & ut esset locus exercitio fidei: Dicuntur autem accidentia panis, & vini, quatenus non spectant ad ipsorum essentiam: & tali pacto intendunt isti Authores salvare dogmata fidei: fundamentum istorum est idem Maynan, & sequacium, scilicet supponunt quantitatem, & qualitates identificari cum substantia panis, & cum ipsa transire in corpus Christi, quid igitur remanet post consecrationem præter corpus Christi? species intentionales dicit Maynan; corpuscula ista, respondent isti opinantes novi, grandia facta virtute divina miraculosa repræsentantia

panem

panem, & vinum: & hinc est, quòd dicuntur species Sacramentales, idest formæ objectivæ externæ à Conciliis, & SS. PP. etsi non sint aliquid inhæsivum, & accidentale, sed substantiale: quòd, quia citra rei interitum adsunt, & absunt, denominantur accidens naturale, scilicet vel verbale, vel metaphysicum, sicut accidens naturale dicitur physicum ens: Videat igitur hîc Lector, quo fundamento aereo recedunt isti auctores à communi sententia Patrum, Conciliorum, & Theologorum. Contra quos primò adducitur veritas catholica docens, totum panem, & vinum converti in corpus Christi, ergo & ista corpuscula, si dantur, quæ sint partes ejusdem rationis cum pane, & vino: Prob. consequentia: quia etiam dato quod talia corpuscula sint quid diversum de se à pane, & vino, tamen, pro ut sunt cum ipsis permixta, spectant ad panem usualem, sicut etiam, etsi cum pane tritico sit mixta aliqua particula hordei, totum enim transit in corpus Christi. 2. quia ly, hoc, in forma, & hic, significat totam illam substantiam, quam in manibus tenet Sacerdos: Est enim particula demonstrativa indicans illud totum. 3. quia hæc opinio coincidit cum impanatoribus hæreticis: tum quia multiplicantur sine necessitate miracula: Est enim maximum miraculum, quòd illa corpuscula congregentur in unam solidam massam continuam à virtute corporis Christi: tum quia augmentum, quod fit ex his corpusculis, fit post consecrationem, nec fit per rarefactionem ob eamdem materiæ quantitatem, nec per novæ substantiæ productionem, ergo erit verus panis, unde sequitur, quòd talia corpuscula congregata reddent hostiam minus gravem, quòd patet esse falsum ex experientia continua. Afferunt pro sua sent. Ocham, sed malè, nam iste Doctor recognoscit substantiam identificatam cum quantitate, sed tamen admittit cætera accidentia realiter distincta. Et hinc concludunt Theologi cum citato Raynaudo, hanc sententiam esse, si non hæreticam, saltem proximam hæresi Lutheranorum, & absque dubio temerariam, quia est contra omnes Theologos.

200 Concl. 4. Accidentia realia, quæ remanent in Eucharistia per se, non acquirunt modum novum perseitatis positivum secundùm se, & per modum permanentis, sed tantùm dependentiam continuam à virtute Dei per modum efficientis conservantè illa sine subjecti actuali influentia, & dependentia; unde iste modus dicitur negativuus, quatenus scilicet Deus prosequitur conservationem accidenti secundùm suam entitatem absque concursu subjecti, & inhærentia actuali.

Prima pars est contra Cajet. Suarez, aliosque Thomistas. 2. pars est Seraph. Doct. qui *dist.* 12. *quæst.* 1. solam virtutem Dei affert pro causa hujus existentiæ, sine subjecto: Est Scoti, plurimorumque Theologorum apud Gaud. *quæst.* 1. *dist.* 6. *num.* 5. & Mastrium *in Phil. d.* 3. *art.* 2.

Prob. prima pars: quia, ut notat Seraph. Doct. *quæst.* 1. *cit. argum.* 5. *cum responso*, eadem est differentia specierum, ac differentiarum, ut patet: quæ enim oppositio est hominis ad asinum, eadem est rationalis ad irrationale, ergo utraque eodem modo repugnant: ergo & eadem repugnantia accidentis ad esse substantiam, & eadem est inter differentias utriusque, sed differentia substantiæ est perseitatis, & accidentis esse in alio, ergo perseitas repugnat accidenti: secundo, quia ille modus vel est substantia, vel accidens, non primum, ut per se patet, ergo secundum, sed implicat accidenti, ergo. Resp. Suarez esse modum novum similem substantiæ, ejusque modo essendi, licèt materialiter sit accidens. Sed contra: quia talis modus repugnat accidenti: tum quia esset imperfectior accidente cum sit modus, ob idque nec poterit tribuere modum substantiæ: tum quia talis modus potius poneret accidens in statu violento, & contra ipsius naturam: tum quia talis modus superadditus distinctus est realiter ab accidente; ad quodnam igitur prædicamentum reducitur? nam semper erit accidens, ergo non potest tribuere accidenti perseitatem: tum etiam si talis modus esset possibilis, non est necessarius, cum salvari possit accidens sine subjecto per actionem extrinsecam Dei, nec ulla potest adferri repugnantia, & hinc probata remanet 2. pars.

Objic. 1. Si accidentia starent per se absque 201 modo positivo addito, starent violenter; hoc autem est falsum, ergo. Resp. à S. Bon. *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 2. *ad* 3. neg. sequelam majoris, creaturæ enim, quæ sustentantur à causa prima supplente causam secundam, non stant violenter, sed supernaturaliter per potentiam obedientialem, & hoc est conveniens naturæ cujuscunque creaturæ obedire creatori, ita quòd id, quod priùs non erat conveniens naturæ ejus, fiat conveniens: tum etiam, quia majorem violentiam affert ille modus perseitatis oppositus naturæ accidentis, non verò concursus extrinsecus Dei non conferens vim passo ob potentiam obedientialem: tum quia ille modus non est satis ad conservanda accidentia naturaliter.

Objic. 2. Necessarius est iste modus, ad hoc ut accidentia valeant producere substantiam, & varias mutationes contingentes in Eucharistia, ad has enim requiritur, vel materia, vel aliquid supplens eam. Resp. neg. accidentia producere substantiam, sed Deus est agens. Dic s: S. Bonav. asserere istum modum perseitatis in accidentibus; ait enim *dist.* 12. *art.* 1. *quæst.* 1. *corp.* quòd accidentia accipiunt in hoc Sacramento nobilissimum modum essendi, scilicet esse per se. Resp. totum verum esse, sed tamen id evenit eis per virtutem divinam efficienter conservantem, non per aliquem modum positivum, ut dictum est.

Concl. 5. Qualitates panis, & vini post con- 202 secrationem quantitati naturaliter inhærent: possunt tamen conservari à Deo sine tali inhærentia: Est S. Bonav. *cit. art.* 1. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæst.* 3. *in corp.* Scoti, & communis aliorum Theologorum.

Prima pars prob. 1. à Seraph. Doct. *dist.* 12. *art.* 2. *quæst.* 3. *fund.* 5. secundùm rectam Philosophiam: quantitas substat accidentibus, & accidentia subjectantur immediatè in quantitate; ergo & in Sacramento Eucharistiæ: Prob. consequentia, quia sicut si navis per miraculum sublevaretur in aere, talis existentia esset miraculosa, & tamen existentia nautæ in navi, & aliarum rerum esset naturalis; ergo & in pro-

positο, licèt quantitas per se sine subjecto existat, tamen qualitates subjectantur naturaliter in quantitate. Prob. 2. à Seraph. species patiuntur immutationes; ergo debet assignari aliquod subjectum, in quo alterationes recipiantur, & contrariæ qualitates, sed hoc non est substantia, cum ibi non adsit, ergo erit aliquid stans ex parte materiæ, sed ibi nihil aliud est præter quantitatem, ergo. Prob 2. pars: quia nulla implicantia adest, quin possit suppleri à Deo accidentium dependentia à subjecto per concursum: Prob. antecod. quia si suppletur à Deo dependentia quantitatis, ergo multò fortiùs potest suppleri dependentia aliorum accidentium.

Objic. Qualitas abstracta ab omni subjecto non esset individua, quia numeratur penes subjectum, ut notat S. Bonav. *lib. 2. dist. 26. quæst. 5. ad 3. & dist. 42. quæst. 1. ad 3.* ergo esset quid abstractum à quocumque subjecto: sed hoc implicat, cum necessariò, si existit, debeat existere in aliquo subjecto. Resp. neg. sequellam antecod. sic enim abstracta quantitas habet propriam existentiam cùm dependentia aptitudinali ad subjectum: & hoc sufficit ad suam individualitatem, licèt non completam.

203 Quæres: *An, & quomodo fuit congruum ponere in Eucharistia accidentia sine subjecto?* Resp. S. Bon. *dist. 1. quæst. 2.* congruum maximè fuisse accidentia remanere in hoc Sacramento sine subjecto in solarium sensus, & in fidei meritum; dum enim velatur verum corpus carnis, & fides magis meretur credendo quod non videt, & sensus libentiùs recipit; congruum igitur id fuit, tum propter efficaciorem significationem, quia efficaciùs, & perfectiùs ducunt illa accidentia sine subjecto in signatum, cum non habeatur ibi stabiliens per naturam propter convenientem cibationem spiritualem, ad quam anima à carnalitate sensus per fidem, & à carnali dilectione per charitatem abstrahitur: secundò propter divinorum operum perfectionem, quæ debet in hoc Sacramento reperiri, per quam accidentia recipiunt modum nobilissimum essendi, & substantia panis convertitur in corpus Christi.

Dices 1. Positio accidentium sine subjecto ducit intellectum ad credendum ibi esse substantiam panis, sed hoc est falsum, ergo est medium ad falsitatem percipiendam. Resp. S. Bon. conced. totum in carente luce fidei, sed negatur in habente fidem, per quam sublevatur intellectus ad intelligendum quod est supra naturam.

Dices 2. Miracula non debent fieri in præjudicium naturæ, ordinisque rerum, sed in isto miraculo fit præjudicium ordini rerum, qui exigit, ut accidentia subjectentur, & inhæreant in substantia. Resp. S. Bon. quòd miracula non prævertunt ordinem rerum, quia omnes res secundùm propriam naturam sunt in potentia obedientiali ad Creatorem.

QUÆSTIO XIV.

Utrum accidentia in Eucharistia possint operari quidquid poterant antea sub pane, & vino: ubi resolvuntur plura dubia circa operationes accidentium.

Supra diximus in Eucharistia post consecrationem panis, & vini remanere omnia accidentia sensibilia non solùm secundùm se, ut sunt quantitas, figura, color, sapor, odor, &c. sed etiam sensibilia tantùm in suis effectibus, ut virtus calefaciendi, inebriandi, &c. Hinc meritò movetur quæstio de istis effectibus provenientibus, tum in agendo, tum in patiendo ab ipsis accidentibus. Et 1. loco quæritur quid agere possint ista accidentia, 2. quid pati, & hoc, an naturaliter, an supernaturaliter. 204

Suppon. 1. ex Seraph. D. *dist. 12. art. 2. q. 3. corp.* quòd aliquando datur alicui potestas conformis suæ naturæ, ut actus egrediens à sua potentia naturali, ut cum cæco redditur potentia videndi: aliquando datur potestas partim conformis suæ naturæ, partim supra naturam, tuncque actus egrediens à sua potentia partim est naturalis, partim miraculosus, sicut cæco videre noct: aliquando datur potestas omninò supra naturam, & tunc actus egrediens à sua potentia est omninò miraculosus, ut virgini datur parere: Ad rem nostram potentia quantitatis sustentandi alia accidentia est omninò naturalis, & in aliis accidentibus subjectari in quantitate: In quantitate autem perseitas est supra naturam ipsius modo supra allato, sed sustentatio aliorum accidentium est naturalis, sicut & operationes in ipsis consequentes.

Sup. 2. ex traditis à nobis in Phisica *l. 2. tract. 3. q. 8. n. 427.* ex Seraph. ibidem pluries adducto, accidentia nec virtute propria, nec virtute substantiæ posse producere substantiam quicquid in contrarium asserant P. Galitius, Gaud. aliique Bonaventuristæ, trahentes Seraphicum ad partem Thomistarum, & ratio est, quia non possunt agere nec ut agentia æquivoca, cum sint ignobiliora ipsa substantia, nec ut univoca ob eamdem rationem: Seraph. autem *l. 1. d. 3. p. 2. a. 1. q. 3. ad 5.* dicit, quod accidentia agunt in virtute substantiæ, nempè dependenter à substantia, in qua subjectantur, non tamen ut instrumenta substantiæ, sed virtute propria: addit *l. 4. d. 12 loco cit.* si sunt separata à subjecto, ut in Eucharistia, tunc habent suas operationes naturales proprias independenter à subjecto. *Vide ibid. in Phisica.*

Concl. 1. Omnes effectus, quos accidentia possunt causare, dum subjecto inhærent, eos etiam separata possunt efficere: Est S. Bon. *d. 12. cit.* Scoti, & communis Theologorum. Prob. à S. Bon. *loco cit.* quia accidentia Eucharistica retinent eamdem naturam, entitatem, & virtutem, quam priùs habebant conjuncta: ergo possunt & idem agere, patet consequentia, quia forma eadem manens eamdem habet virtutem, & consequenter est principium ejusdem actionis. 205

Dices: Accidentibus deficit inhærentia actualis in subjecto, ergo & virtus per se agendi. Prob. consequentia; tum quia accidens agit virtute substantiæ, ut ait S. Bon. *supra cit.* tum quia suppositi est per se agere ex Arist. 1. *Metaph.* ergo non potest id

contingere

contingere accidentibus. Sed contra: quia inhærentia actualis est solùm accidentibus necessaria ad existendum in rerum natura, sed accidentia Eucharistica jam existunt, ergo idem possunt ac antea: & ob eamdem rationem existentiæ dicuntur agere virtute substantiæ, nec alio modo potest dici ipsa non habere propriam virtutem activam: Et ad id de supposito: Resp. id denominativè tantùm dici, non verò formaliter, cum autem in casu nostro se habeant ut supposita per se, hinc eis tribuitur etiam denominatio agendi per se.

206 Concl. 2. Accidentia Eucharistica habent virtutem producendi easdem actiones, tum reales, tum intentionales, quas conjuncta cum substantia antea habebant: Est S. Bon. *d.* 12. *a.* 2. *q.* 3. & Scoti, communisque omnium Theologorum. Prob. à Seraph. 1. quia, quod per se inest alicui, non solùm inest illi conjuncto materiæ, sed etiam separato, sed movere sensus, & alterare subjectum externum inest per se accidentibus ex propria virtute; ergo in quocunque statu id eis competit: major est certa, quia totali principio posito, & sub ratione, qua natum est esse principium, producere potest illud, cujus ponitur principium; quod enim formaliter est tale, semper est tale: min. prob. quia accidentia, non verò substantia sunt principium immutationis sensuum, & alterationum realium, ergo & separata; habent enim eamdem existentiam, extensionem, & virtutem, v. g. frigefactivam, calefactivam, &c. ergo. Confirm. quia si eadem species remaneret in speculo, ablato corpore objecto, adhuc posset movere sensum; ergo à simili & ista accidentia.

Dices: Accidentia habent ingerere cognitionem substantiæ, ergo in Eucharistia decipiunt intellectum. Resp. S. Bon. conced. antecced. neg. conseq. quia licèt naturaliter talis manuductio eis competat, tamen corrigitur per fidem existentem in anima: sicque non sequitur deceptio.

207 Concl. 3. Accidentia Eucharistiæ non possunt producere substantiam, v. g. vinum è stilis aquæ infusis in calicem, nec ut causæ principales, nec ut instrumentales, neque virtute propria, neque substantiæ, sed tantùm dispositivè: Est Scoti, & Scotistarum apud Mastrium *in Phis. d.* 7. *q* 6 *art* 2. *concl.* 2. *& in l.* 3. *d.* 3. *n.* 365. quibus præivit Seraph. ut latè probavimus in Phis. loco supra cit. estque contra Thomistas admittentes posse producere substantiam, ut instrumenta ipsius substantiæ, & in Sacramento ex virtute eadem conservata à Deo in ipsis: Est & contra P. Gaud. Gallitium, aliosque Bonaventuristas, trahentes Seraph. ad partes Thomistarum. Quod verò concl. sit ad mentem Seraph. Doct. patet ex hoc, quòd *in d.* 12. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 2. *quæsitum*, dicit accidentia si habent potestatem convertendi in substantiam, cum desinerent esse, & cum corpus Christi ibi desinit esse, talis potentia est supra naturam, & ob id est virtus divina talem productionem faciens; & *l.* 2. *dist.* 7. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 1. *in corp.* dicit, quòd tantùm sunt causa dispositiva introductionis substantiæ, & *l.* 2. *d.* 13. *art.* 2. *q.* 2. *in fund.* 4 dicit, quòd nullum accidens est causa substantiæ: sed vide in cit. loco Philosophiæ, &c.

Prob. autem Conclusio hac ineluctabili ratione: Accidentia conjuncta nec virtute propria, nec ut instrumenta substantiæ possunt attingere productionem substantiæ; ergo tantò minùs id possunt separata; ergo tantùm virtute divina id operante: tum quia causa ignobilior non potest in effectum nobiliorem; ergo.

Objic. Accidentia separata possunt substantiam corrumpere, ergo & generare, quia non datur corruptio sine generatione: Prob. conseq. tum quia possunt corrumpere illum gradum, ad cujus corruptionem necessariò sequitur corruptio formæ: tum quia possunt nutrire, ergo tunc fit aggeneratio. Resp. neg. antec. cum ejus probatione: dicimus enim accidens posse per alterationem introducere gradûs contrarios aliquos, sed non omnes ad corruptionem formæ, cum ipsa forma resistat: & si sequitur corruptio, id evenit virtute formæ, non virtute accidentium, quæ solùm habent vim dispositivam, ut diximus in Phisica de accidentibus conjunctis: nunc verò dicimus cum Seraph. & Scoto corruptionem accidentium separatorum disponere quidem, sed Deum ipsum sua virtute introducere per creationem novam substantiam.

Concl. 4. In corruptione specierum Sacramentalium solus Deus potest introducere, & de facto introducit novam substantiam per creationem. v. g. Panis, vermis, carnis, &c. vel eamdem priorem, vel æquivalentem; ratio est, quia nec accidentia, nec aliqua virtus creata potest id efficere absque materia, & subjecto in quod agat, sed ibi nulla est materia, & substantia talis, ergo solùm per creationem potest id fieri: sic Seraph. *q.* 3. *cit.* Quare concludit Seraph. ibidem accidentium transmutationes, alterationes, rarefactionem, condensationem, corruptionem, aliasque variationes esse partim naturales, scilicet quatenus talia eis accidunt, sicut contingerent si essent conjuncta substantiæ: & partim supernaturales ratione perseitatis supra jam explicatæ existentis in quantitate, quæ est subjectum proximum talium transmutationum. 208

Q. *Quomodo Christus desinat esse sub speciebus? nempe an per motum, vel mutationem localem, vel substantialem, vel alio modo?* R. Seraph. cit. supra in princ. *q.* 2. quòd, cum certum sit Christum, dum fit præsens speciebus acquirere præsentiam veram, & denominationem intrinsecam novam, quam priùs non habebat, ita etiam desinere per deperditionem ejusdem præsentiæ: quodque fit absque mutatione locali, hæc enim fit per transitum à termino à quo ad alium terminum ad quem, Christus autem non transit hoc modo: nec item per mutationem substantialem, cum nihil substantiale aquirat; ergo solùm per simplicem desitionem præsentiæ, absque eo quòd aliquid de novo aquirat.

Q. *An per mixtionem alicujus liquoris cum speciebus Sacramentalibus desinat ibi esse corpus Christi, vel sanguis?* R. S. Bon. *d.* 12. *p.* 2. *art.* 2. *q.* 2. primò non posse species consecratas vinum sibi admixtum convertere in sanguinem Christi, quia transubstantiatio solùm potest fieri virtute verborum. R. 2. si mixtio talis fiat, ut redundet tertia substantia, tunc desinit ibi corpus, & sanguis Christi ratione corruptionis specierum; si verò in tali mixtione, quantacunque illa sit, non sequitur corruptio specierum, tunc non desinit ibi præsentia Christi, cum remaneant eædem species secundùm propriam entitatem.

QVÆSTIO XV.

De effectibus Eucharistiæ. Quinam effectus per se producat in anima? certum est de fide, Sacramentum Eucharistiæ, sicut cætera Sacramenta, suum conferre effectum ex opere operato, huncque multiplicem esse docet cum communi Theologorum Seraph. D. in op. Comp. Theol. l. 6. c. 15, aliisque locis infra cit. Hinc de ipsis effectibus Eucharistiæ nunc differendum est in particulari; igitur.

209 Sup. 1. tamquam certum de fide, hoc Sacramentum conferre gratiam sanctificantem, sicut & cætera Sacramenta, sed quia, ut notat Seraph. D. *in comp. cit.* per hunc cibum vita redditur in reparationem vitæ ablatæ per cibum vetitum, non tamen per se vitam reddit, sed eam supponit, ideò propriè confert augmentum ipsius gratiæ, & eò uberiùs, quia per Eucharistiam nobis Christus inviseeratur, nosque vicissim in Christum transmutamur: qua veritate supposita: quæritur à Theologis, an collatio augmenti gratiæ sit ita proprius hujus Sacramenti, ut non possit conferri prima gratia, nec se extendere ad remissionem peccati mortalis, & hac occasione disquirunt, an propriè se extendat ad remissionem venialium tantùm: Quoad peccatum mortale.

1. Opin. docet, Eucharistiam nec per se, nec per accidens remittere peccata mortalia: sic Gabr. *in can. lect.* 8. *& in* 4. *d. q.* 1. Major: Lugo *d.* 11. *sect.* 1. Hurtad. Merat. Citatur etiam Seraph. D. à Suarez *d.* 12. *art.* 4. *q.* 2. Caspens. *d.* 13. *p.* 2. *q.* 2. & Alensis, sed malè. 2. opin. communissima est opposita D. Thom. D. Bon. Alens. Scoti, & omnium ferè Eucharistiam posse delere peccatum mortale per accidens: Quoad venialia prima opinio est Vasq. negantis remitti venialia per se per hoc Sacramentum: sic docet *in expos. q.* 79. *art.* 4. *D. Thomæ.* 2. Opin. communis. Est affirmativa: Pro solutione quæstionis, & explicatione effectuum particularium hujus Sacramenti notandum est, quòd Eucharistia habet rationem Sacramenti communem cum cæteris, & habet rationem propriam, quatenus confertur per modum cibi spiritualis: unde sicut cibus supponit in sumente vitam, sic & hoc Sacramentum, ob idque per se non est institutum ad conferendam per se vitam spiritualem, & primam gratiam: Ut Sacramentum verò ordinatum est per se ad conferendam gratiam sanctificantem, sive sit prima, sive secunda: Hinc est quòd in aliquo casu, ut Sacramentum est, piè dicendum est posse conferre primam gratiam, quòd & supra *d.* 1. *q.* 7. à nobis dictum est.

210 Concl. 1. Primarius, & per se effectus hujus Sacramenti, non est prima gratia, sed augmentum gratiæ: Est communis inter Theologos, ratio 1. partis est superaddūcta ex Seraph. quia cum essentialiter sit cibus supponit vitam in cibante, tum quia est Sacramentum vivorum, dicente Christo *Ioan. c.* 6. Qui manducat me, vivet propter me: ratio 2. partis est, quia sicut cibus, & potus vitam sumentis augent, ita hoc Sacramentum vitam spiritualem augebit, quam supponit: ergo.

Objic. In forma Sacramenti addi illis verbis: *Hic est sanguis meus*, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum, ergo per se videtur institutum ad remissionem peccati mortalis: & in Concil. Trident. *sess.* 13. *can.* 5. determinatur: Si quis dixerit præcipuum fructum hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus produci, anathema sit; ergo supponit habere hunc effectum, & tali pacto loquuntur SS. Patres. Resp. neg. ex illis verbis formæ inferri directè hoc Sacramentum institutum fuisse ad remissionem peccatorum, sed tantùm explicari virtutem sanguinis Christi effusi in Cruce, &c. Nec item ex Concilio potest inferri, nisi quòd interdum in aliquo casu potest causare remissionem peccati mortalis, ut infra dicemus, & propriè remissionem venialium.

Concl. 2. Remissio peccati mortalis est effectus per accidens: Remissio verò peccati venialis est effectus proprius, & per se hujus Sacramenti: Est Seraph. Doct. *dist.* 12. *p.* 2. *q.* 2. *corp.* & communis ferè omnium Theologorum. 1. pars explicatur, & prob. quia potest dari casus, quòd quis accedat ad Eucharistiam putans se esse in gratia, & tamen sit in peccato mortali, vel non habeat copiam Confessarii, eliciatque actum attritionis putans se esse sufficienter contritum: in quo casu Eucharistia conferret primam gratiam sicut docuimus *in cit. q. disp.* 1. hoc enim spectat ad dignitatem Sacramenti, cum ex Trid. omnia Sacramenta habeant ex opere operato vim conferendi gratiam non habentibus obicem: sed in casu allato tollitur per attritionem obex: ergo. Et hic est sensus verborum Concilii Trident. supra allatus: tum ex illis verbis Ecclesiæ etiam elicitur: Sit nobis ablutio scelerum, & remissio omnium peccatorum. 211

Dices: si non competit hic effectus Eucharistiæ per se, ergo per accidens, ergo præter intentionem Christi. Resp. competere per accidens, sed neg. competere præter intentionem Christi, dicitur autem competere per accidens, idest non ex primaria, sed secundaria intentione Christi.

Dices: Hoc Sacramentum datur per modum cibi, ergo supponit essentialiter vitam: sicut cibus corporalis non datur ad causandum generationem, vel resurrectionem viventis; sed ad conservationem vitæ, & augmentum; ergo. Et confirm. quia hoc Sacramentum est tantum vivorum, ergo. Resp. non currere omnimodam paritatem inter cibum corporalem, & Eucharisticum: nam cibus corporalis non habet vitam in semetipso, ob idque illam causare non potest, sed Eucharisticus habet in se vitam, & virtutem eam causandi, & convertendi in se manducantem, non è contra. Ad confirm. Resp. esse Sacramentum vivorum ex primaria institutione, sed non hinc sequi esse etiam mortuorum ex secundaria intentione, sicut diximus de Sacramentis mortuorum posse etiam esse vivorum; & ratio est, quia quæcunque gratia sive prima, sive secunda habet oppositionem cum peccato mortali.

2. Pars est communissima inter Theologos, & Seraph. D. & traditur etiam à Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 2. & à Cathechis. Pii V. Discrepant tamen Theologi, an talis remissio venialium per Eucharistiam fiat mediatè, an immediatè; mediatè scilicet conferendo gratiam, & alia auxilia supernaturalia, per quæ eliciuntur actus boni repugnantes cum peccato veniali; & hæc est opinio Vasq.

Vaſquez, aliquorumque aliorum: immediatè verò virtute Sacramenti abſque ulla alia diſpoſitione poſitiva, dummodo tamen non adſit complacentia in peccato; & hæc eſt verior, & communiſſima: unde dicimus utroque modo remitti peccata venialia per Euchariſtiam ſuſceptam: ſic Seraph. *d.* 12. *a.* 2. *q.* 3. *in corp.* Prob. autem à S. Doct. cit. primò ex Innoc. III. *l.* 4. *de Miſterio Altaris c.* 44. ubi hoc expreſsè docet. 2. Quia hoc Sacramentum eſt expulſivum teporis ſpiritus, cum ſit carbo ignitus, ergo & venialium, & ideo quotidie offertur ad hoc, ut provideamur his, quibus quotidie indigemus, ob idque & liberari à peccatis venialibus, quæ frequenter committuntur. 3. Quia hoc Sacramentum eſt unionis, & quia de novo unit, & magis, & perfectè unit: Sed huic arctiori vinculo repugnat peccatum veniale, quia ut ait S. Auguſt. *l.* 10. *Conf. c.* 29. Minus, ô Deus, te amat, qui tecum aliquid amat, & hoc dicitur de veniali, ergo. Ex quibus concludit Suarez *d.* 12. *sect.* 4. cum aliis Theologis remitti veniale præcisè ex virtute Sacramenti etiam nullo prævio dolore, dummodo non adſit complacentia in peccato veniali, ergo. Ex quibus concludit Suarez *d.* 12. *sect.* 4. cum aliis Theologis remitti veniale præcisè ex virtute Sacramenti etiam nullo prævio dolore, dummodo non adſit complacentia in peccato veniali.

Objic. 1. Quia unius Sacramenti unius eſt effectus, ergo tantùm augmentum gratiæ. Reſp. S. Bon. conced. de primario effectu, negand. de ſecundariis, & conſequentibus, qui ſunt plures, & præcipuus eſt remiſſio venialium. Dices cum Caſpenſi *d.* 8. *ſ.* 3. quia ſequeretur omnes communicantes emundari ab omnibus peccatis venialibus. Reſp. P. Gaud. quod hæc objectio eſt frivola, quia pauciſſimi ſunt, qui habeant animum averſum totaliter à venialibus, & utinam à mortalibus, data autem averſione totaliter, conceditur ſequela. Dices ergo per veniale irritatur hujus Sacramenti effectus. Reſp. irritari quoad remiſſionem ipſius, quando adeſt complacentia, non verò primarius effectus.

212 Concl. 3. Plures alii effectus mirabiles conſequuntur ſecundariò ad perceptionem hujus Sacramenti ex opere operato: Eſt S. Bon. cit. & præcipuè *in Comp. Theol. & l.* 4. *d.* 12. *p.* 2. *quæſt.* 1. *& ſeq. & d.* 11. *p.* 1. *quæſt.* 1. ubi ait, quòd congruè inſtitutum eſt hoc Sacramentum non ut cibus qualiſcumque, ſed ut cibus conveniens, efficax, ſanans, & omnibus communis. Vide S. Bon. *l.* 6. *Comp. Theol. l.* 6. *cap.* 15. ubi explicat hos mirabiles effectus. De quibus fuſiſſimè Suarez.

Q. 1. *Quo tempore Euchariſtia conferat hos effectus?* Duplicem partem habet hic titulus: Prima eſt, cum manducationi ſit promiſſa vita, Joan. c. 6. Qui manducaverit, &c. An hæc manducatio intelligatur, dum in ore ſumitur, an verò tantùm, quando fit trajectio in ſtomacho: Secunda eſt, an talis collatio gratiæ, & vitæ fiat ſucceſſivè ſcilicet toto tempore, quo durant ſpecies in ſtomacho, an verò in ultimo inſtanti manducationis, & ultra hoc, an quandiu durant ſpecies addatur aliqua gratia nova ex opere operato. Primæ dubitationi reſp. Vaſq. Becanus, aliquique alii conferri gratiam in manducatione pro ut dicit ſumptionem in ore tantùm: Communis aliorum Theologorum tenet conferri gratiam in ultimo inſtanti trajectionis, & deglutionis ſpecierum in ſtomacho: & hæc eſt Seraph. *l.* 4. *d.* 9. *a.* 1. *q.* 2. *in corp.* ubi notat, quòd manducatio corporalis importat de ſua integritate duplicem actum, ſuntque maſticatio, & incorporatio, ſeu trajectio in ſtomacho: quod poſtea transfert ad ſpiritualem, & fructuoſam perceptionem Sacramenti, dicens quòd ſpiritualis maſticatio eſt recognitio cibi ſcilicet carnis Chriſti pro nobis expoſitæ in pretium ad redimendum, & in cibum ad reficiendum, & hoc per fidem operantem per dilectionem: Incorporatio verò eſt in unione cum eo per amorem, & charitatem; ex quo ſequitur refectio. Idem expreſſiùs docet *d.* 12. *p.* 1. *a* 3. *quæſt.* 1. *ad* 3. *& l.* 3. *d.* 9. *dub.* 4. Ratio verò propria eſt, quam innuit idem Seraph. Doct. quia manducatio eſſentialiter integratur pluribus actibus, ſcilicet ſumptione cibi in ore, quæ dicitur manducatio inchoativè à mando: trajectione, & incorporatione, ſed verba debent intelligi, ſecundùm ſenſum completum, qui manducaverit, &c. ergo. Et confirmatur, quia quis poteſt ſumere in ore cibum, & potum, poſteaque ipſum expuere foras, ergo hæc non eſt vera manducatio. Vide *d.* 13. *a.* 2. *q.* 2. 2. dubitationi reſp. produci gratiam in ultimo inſtanti trajectionis Euchariſtiæ in ſtomachum, tunc enim eſt perfecta manducatio; ergo. 3. dubitationi reſp. communiter Theologos negare collationem ſucceſſivam gratiæ, quandiù durant ſpecies, ratio eſt, quia vita gratiæ promiſſa eſt manducationi propriæ, ergo ſolùm quando intelligitur completa. Nota tamen quòd aliqui Theologi piè ſentiunt ultra gratiæ augmentum proprium Sacramenti aliquam aliam gratiam conferri, quamdiu durant ſpecies ex præſentia Chriſti, & ratio eſt, quia ſumitur per modum cibi, ſed cibus corporalis, dum manet in ſtomacho, ultra nutritionem etiam alios effectus producit, nempe adjuvando calorem naturalem, confortando, &c. ergo multò magis id facit cibus iſte ſpiritualis, quòd etiam infertur ex Seraph. loc. cit. an verò in talium gratiarum collatione requiratur nova diſpoſitio ex parte recipientis: Aliqui negant cum Caiet. Alii communiter affirmant, & hæc eſt ſecurior magis remota ab aliqua cenſura, &c. ex eo, quòd videretur augmentari gratiam ex pluriſicatione particularum, & vini conſecrati, quod eſt contra communem omnium Theologorum. De quo vide Suarez *d.* 63. *sect.* 5. 6. *&* 7. Valent. *quæſt.* 7. *p.* 1. Vaſquez *d.* 203. *cap.* 3. quibus etiam conſonat S. Bon. *d.* 13. *a.* 2. *q.* 2. Addimus ex Suarez, quòd ſupradicti effectus Euchariſtiæ ultra augmentum gratiæ Sacramentalis non ſemper ſtatim à Deo dentur, ſed reſervantur pro loco, & tempore à Deo conferendi ſecundùm majorem ſuſcipientium utilitatem, & neceſſitatem.

Q. 2. *An corpus Chriſti trajiciatur in ventrem muris?* 213 Reſp. S. Bon. *d.* 13. *a.* 2. *q.* 1. negativè: quodque explicat præcipuè ad primum: nempe licèt ſit Sacramentum quamdiu durant ſpecies, tamen dum roduntur à mure, & conſumuntur, ibi deſinit corpus Chriſti.

Q. 3. *An recipientes Sacramentum indignè, & ſacrilegè, vel fictè, recedente fictione, & remoto obice recipiant gratiam?* Aliqui Theologi apud Gaudent. *d.* 8. *q.* 3. reſp quòd recedente obice inculpato, dum durant ſpecies in ſtomacho recipitur gratia; alii etiam poſt conſumptionem ſpecierum id admittunt. Vide de hoc Tanner. & Henriquez. Quo ad ſacrilegam, & culpatam ſumptionem Seraph. *l.* 4. *d.* 4. *a.* 2. *q.* 2. *ad penult.* cum communi negat ablata culpa recipi gratiam ex eo, quia licèt admittatur in Baptiſmo, non tamen in Euchariſtia,

quia ille est itteiterabilis : ista est iterabilis : tum quia solum potest aufetti obex, dum effectus potest produci, non verò quando Sacramentum illum non potest producere : sic S. Bon. *d. 9. a. 2. quæst. 2.*

Q. 4. *An majorem gratiam, qui in utraque specie recipit, recipiat, quàm ille, qui in unica specie?* Quæstio hæc solùm habet locum pro laicis : nam quo ad Sacerdotes certum est sacrificium consistere essentialiter in utraque specie : In qua communis opinio Theologorum S. Bon. *l. 4. d. 11. p. 2. a. 1. q. 1.* D. Thomæ, & aliorum contra aliquos paucos negat majorem gratiam in sumptione utriusque speciei, & hoc definitum est in pluribus Conciliis : Ratio est, quia gratia datur ratione signari, & contenti, non ratione specierum, sed totus Christus in utraque per se sumitur, ergo. Tum quia in sumptione utriusque speciei fit perceptio per modum unius, multiplexque est signatio, non efficientia, ergo. Addimus tamen oppositam sententiam non carere sua probabilitate, quam novissimè, & doctè mordicùs defendit Mastr. *d. 3. q. 17. art. 2.*

Quæres ultimò. *An hoc Sacramentum conferat aliquod bonum, vel donum corpori?* Resp. 1. certum esse nullam unionem phisicam adquiri inter recipientem Sacramentum, & ipsum Christum, vel Sacramentum : & in hoc omnes conveniunt, solùm admittentes unionem moralem per gratiam, sed cum in hac morali unione concurrat etiam corpus cùm anima recipiendo carnem, & sanguinem Christi, dubium est, an redundet ex ipsa Eucharistia aliquid gratuitum in carne : cui dubio. R. 2. etiam aliquem effectum spiritualem in corpore produci ex hoc Sacramento in re suscepto ; v. g. moderationem concupiscentiæ, & fomitis carnis, aliaque similia, de quibus fusè, & doctè agit Suárez *d. 69. s. 1.* sic & resurrectionem gloriosam corporis cum aliqua speciali prærogativa debita receptioni hujus Sacramenti, de qua idem Suarez *sect. 3.* Resp. 3. etiam hinc nasci quandam misticam unionem moralem inter corpus Christi, & recipientis, de qua videatur Suarez *sect. 3.* qui affert plures SS. Patres, & Doctores, &c. De perceptione digna, vel indigna hujus Sacramenti, Vide S. Bon. *d. 9. per tot.* ubi habebis multa, & & valde apta ad mores.

QVÆSTIO XVI.

An Missa sit Sacrificium, & quale.

214 EUcharistia est Sacramentum, simulque Sacrificium, ut aliàs notavimus : hucusque de ipsa pro ut est Sacramentum actum est, nunc superest, ut ipsam expendamus pro ut sacrificium est.

Explicandum est 1. quid sit sacrificium, & quid Missa, quo ad nomen, & postea quo ad rem. Unde not. & suppon. tanquam certum apud omnes Theologos, quod sacrificium in communi sic definitur : Oblatio rei sensibilis, à legitimo Ministro, soli Deo facta per realem immutationem hostiæ ad testandum illius summum dominium : Dicitur oblatio loco generis ; quia plures oblationes fiunt, quæ non sunt propriè sacrificia : dicitur rei sensibilis, ut discernatur ab oblatione interna, quia exigit cultum externum etiam : dicitur à legitimo Ministro, idest à Sacerdote, qui solus offerre potest : licèt Agnus Paschalis in veteri lege fuerit immolatus à quolibet patre familias, erat enim institutum ante legem Mosaycam, & sic servabatur ordo legis naturæ, ubi Patres familias erant Sacerdotes, licèt alii speciali Dei instinctu sacrificaverint, ut Abel, Abraham, & Melchisedech : dicitur soli Deo facta, quia sacrificium pertinet ad cultum latriæ, qui soli Deo debetur : additur per realem immutationem hostiæ, occidebantur enim animalia, carnes eorum cremabantur, & aliæ hostiæ immolabantur, ut oleum sanguis, quæ fundebantur super altare, sic etiam, & de cæteris : Christus autem, licèt non se occiderit, tradidit tamen se voluntariè immolationi : ideo dicitus Sacerdos, & victima. Sacrificium dividitur tripliciter. 1. ratione materiæ primò in victimam, qua offerebantur animalia. 2. in immolationem, qua offerebantur res inanimatæ solidæ, ut panis, similia, thus, &c. tertiò in libamen, quo offerebantur res inanimatæ liquidæ, ut oleum : aqua, &c. 2. divitur ratione formæ in holocaustum, in quo tota res consumebatur in hostiam pro peccato externo, in qua una pars erat in alimentum Sacerdotum, & aliæ erant consumptæ : & in hostiam pacificam, quæ dividebatur in tres partes, quarum una consumebatur, altera erat pro Sacerdote, & tertia pro offerentibus : 3. dividitur ratione finis in lavoreticum, seu honorarium ad Deum colendum, in Eucharisticum pro gratiarum actione, & in impetratorium ad obtinendam relaxationem pro pœnis debitis culpis : de quibus sparsim agit Seraph. *in l. 4. d. 4. q. 3. in Psal. & alibi.*

Suppon. 2. Quòd hoc nomen Missa pro sacrificio Eucharistico usurpatum est à pluribus sacris Conciliis, à SS. PP. & à tota Ecclesia, etiam primitiva (quicquid oblacterant hæretici) & dicitur à verbo mitto, nam in hoc sacrificio mittitur filius à patre ad se immolandum in Altari & ab Ecclesia mittitur ipse filius ad patrem : de qua expositione multiplici pluriès agit Seraph. *Op. de expositione Missæ cap. 2. & l. 4. d. 13. dub. 3.* Alii alias expositiones afferunt super hoc nomen, quæ possunt videri apud Suarez, Raynaud. *tom. 6.* & alios, & P. Gaud. *d. 1. q. 1.* fusè defendit dignitatem hujus nominis contra hæreticos. 215

Concl. 1. Missa est Sacrificium perfectissimum à Christo Domino institutum : Est omnium Theologorum, & Catholicorum de fide cum S. Bon. *l. 4. d. 13. cit. op. Brevil. p. 6. cap. 9.* & plurimis aliis locis. Prob. 1. pars, quia in ea concurrunt omnia, quæ requiruntur ad sacrificium ; ergo. Prob. anteced. concurrit primò Sacerdos, qui offert, nempe Christus, qui est principalis offerens : 2. hostia, seu Christus sub specie panis, & vini : 3. Deus cui offertur : 4. Ecclesia pro qua offertur : 5. Altare in quo offertur : 6. actio sacrificantis : 7. immutatio hostiæ, non quidem per mactationem realem, sed tantùm mysticam. In quantùm vi verborum corpus à sanguine separatur : ergo Eucharistia, cum sit Sacramentum quatenus est sub signo sensibili scilicet speciebus, continet duplicem rem, nempe corpus, & sanguinem Christi, & simul gratiam, quam confert, etiam est sacrificium, quatenus Christus in illo Deo offertur. 216

Prob. 2. pars : Hoc sacrificium fuit institutum à Christo in ultima Cœna, quando consecravit corpus, & sanguinem suum, & ut duraret in perpetuum dixit Apostolis : Hoc facite in meam commemorationem ; ergo : Hic autem notant SS. PP. quod ly, facite, idem est, ac sacrificate, ut etiam in

in Levit. *cap.* 15. ponitur, facite, pro sacrificate; & hic est sensus totius Ecclesiæ à principio, & determinat. in pluribus Conciliis, & ultimo in Trident.

Objic. Prima Missa fuit à Christo celebrata in Cruce pro redemptione totius mundi; ergo ista sufficit: ergo aliæ superfluæ: Hoc est argum. Calvini, & aliorum hæreticorum, hostium apertorum, & immanium Missæ. Resp. Seraph. *l.* 4. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 4. quòd Sacrificium Crucis, & Missæ essentialiter est idem ratione ejusdem hostiæ, & Sacerdotis, qui est Christus, non tamen quo ad efficaciam uniformiter cooperatur; nam in Cruce effusum est pretium in omnimoda plenitudine, sed in altari habet effectum determinatum, & limitatum; ideoque illud iteratur, non autem sacrificium Crucis; hoc enim oblatum est pro omnibus, sacrificium altaris offertur specialiter pro aliquibus.

Contra dices ex D. Hieron. *de consecr. d.* 5. *cap. non medio*: Cum pro centum defunctorum animabus Psalmus, vel Missa dicitur: nihil minùs, quàm si pro quolibet diceretur, accipitur, ergo pro omnibus eodem modo ac in Cruce potest offerri. R. S. Bon. ibid. sensum S. Hieronymi esse quantùm ad meritum facientis, non quantum ad utilitatem ejus, pro quo offertur, idque patet ex contextu verborum; sed quia disputant Theologi quid sit propriè id quo, & quod sacrificatur: an panis, & vinum, an Christus, an species.

217 Concl. 2. Ista tria concurrunt ad rationem sacrificii, diverso tamen modo. Prob. & explic. concl. 1. Panis, & vinum sunt aliquo modo materia sacrificii, non tamen principaliter, & propriè: idque patet ex oblatione, quæ in offertorio fit panis, & vini, ubi Ecclesia dicit: Suscipe Sancte Pater, hanc immaculatam hostiam, &c. & offerimus tibi Domine calicem, &c. ergo panis, & vinum spectant ad materiam tanquam terminum à quo, & transeuntem, & quæ destrui debet in protestationem divinæ potentiæ, non tamen primariò, sed secundariò ad verificanda verba consecrationis & introductionis corporis Christi per se. 2. Christus est res, quæ propriè offertur in hoc Sacrificio: sic Concil. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. & SS. Patres omnes cum Seraph. & hoc fit eodem modo quo oblatus est in Cruce, nempe ratione humanitatis; nam suppositum divinum solùm dicitur oblatum per communicationem idiomatum, non propriè 3. species Sacramentales, nempe Christus offertur, quatenus continetur sub speciebus, non quatenus est in Cœlo, ob idque quatenus Christus, & species faciunt unum compositum sacramentale.

Objicit hic Vasquez cum aliquibus recentioribus species non pertinere ad rationem sacrificii, sed tantùm Christum, quia sunt id tantùm, sub quo. Resp. & nos, & cæteros Theologos admittere species non esse rem, quæ offertur principaliter, sed secundariò, quatenus continent corpus Christi, & sanguinem: unde quæstio est de solo nomine, sunt enim oblatæ ut quod, & ut sub quo. Et quia plures sunt actiones, quibus hoc sacrificium conficitur, suntque primò oblatio panis, & vini, consecratio, oblatio post consecrationem, fractio hostiæ, & sumptio, quæritur quænam sit ex his principalior, in quo consistit primariò ratio sacrificii: Aliqui ipsam recognoscunt in oblatione panis, &c. & hostiæ consecratæ. alii in sumptione.

218 Concl. 3. Sola consecratio est, in qua consistit tota essentia sacrificii: cæteræ verò actiones spectant tantùm ad integritatem: Est S. Bon. *l.* 4. *d.* 13. *dub.* 2. *& p.* 2. *a.* 1. *q.* 4. *corp.* D. Thomæ, Vasquez, Tanneri, Caspensi, plurimorumque aliorum apud Gaud. *d.* 1. *q.* 2. contra alios admiscentes cum consecratione vel oblationem, vel sumptionem, fractionem, &c. ut est videre apud cit. Gaudent. & Mastrium, qui hanc secundam sententiam mordicùs sustinet, nempe consistere in consecratione, & sumptione, quod & nos asserimus cum limitatione infra ponenda.

Prob. 1. hac ratione ineluctabili; De fide est Christum sacrificasse in ultima cœna, sed non est de fide ipsum sumpsisse Eucharistiam, probabilisque est opinio id negantium, ergo signum est consistere essentiam sacrificii in consecratione sola. Et confirm. quia Christus nec fecit oblationem, nec alias actiones, quas postea Sancta Ecclesia instituit: ergo.

Prob. 2. ex Concil. Tolet. 12. *c.* 5. *ut refertur can. relatum de con sec. d.* 2. ubi immolationem distingui à sumptione, illamque peractam asserit in consecratione, & eodem modo distinguit Concil. Trident *sess.* 22. *c.* 4. & idem infert S. Bon. in expositione canonis ad illa verba post consecrationem (unde & memores, offerimus hostiam sanctam) ubi verbalis oblatio declarat realem oblationem jam ante per consecrationem factam, & peractam, atque Christum jam esse Hostiam puram electos suos purificantem: Hostiam sanctam, & dilectos suos sanctificantem; hostiam immaculatam maculas nostras purgantem.

Prob. 3. ex S. Bon. *in cit. quæst. in corp.* substantia sacrificii in eo essentialiter est posita, quod exercetur independenter à bonitate propria, sed in persona Christi; at hæc est sola consecratio; ergo. Major probatur ex Concil. Trident. cit. ubi ait, quòd in Sacrificio Missæ non solùm est eadem hostia, & res oblata cum hostia Crucis, sed etiam idem effectus Sacerdotum ministerio, ita ut sola offerendi ratione distinguatur hoc sacrificium incruentum ab illo cruento: Minor probat, quia dato quòd etiam Sacerdos sumat Corpus Christi in peccato mortali, tamen est verum sacrificium ex opere operato, ergo id est quatenus id facit in persona Christi per consecrationem: Idem & S. Amb. *l.* 4. *de Sacram. cap.* 4. & habetur fer. 4. infra Oct. Corpus Christi in Breviario. Cum igitur solùm in consecratione repræsentetur persona Christi offerens, non verò in sumptione, sequitur veritas conclusionis: Et confirm. quia in consecratione fit immutatio, & destructio hostiæ per mysticam separationem: ergo.

Prob. 4. ex S. Bon. *in exposit. canonis*; quia peracta consecratione statim elevatur hostia sancta, & calix, atque ostenditur nobis ipsum Christum Deo Patri offerri pro nobis, ut est hostia jam peracta, & immaculata, non enim ampliùs fit mutatio in re oblata. Et ad hujus rei confirmationem observat S. Bon. ibidem, quod Apostoli veram Missam, verumque sacrificium celebrarunt, ut dixit S. Andreas, ego quotidie omnipotenti Deo immolo in Altari Agnum immaculatum: sed Apostoli ex Missa solùm dicebant primis annis: Qui pridie quàm pateretur, & consecrabant, & postea dicto Pater noster perfecta erat Missa; processu tamen temporis postea Apostoli addiderunt Canonem. Vide S. Gregor. *l.* 7. *regist. Ep.* 63. Bellarm. *l.* 2. *de Missa cap.* 9. Et hinc observat S. Bon. cum communi in die Veneris Sancti non fieri sacrificium, quia

quia non consecratur, licèt sumatur. Addimus huic concl. cum Seraph. *d.13.dub.2.* sumptionem pertinere ad aliquam perfectionem integralem, accidentalem tamen: Est enim de jure divino consecratio; & sumptio: sic communiter Doctores apud Suarez contra Authores primæ sententiæ: Unde si contingat Sacerdotem post consecrationem mori, tunc ei subrogandus est alius, qui Sacramentum sumat. Et hinc infert Seraph. graviùs peccare Sacerdotem, qui consecrat, & non sumit Sacramentum, quàm ille, qui consecrat, & sumit in peccato mortali, quia & irreverentiam, simulque contumeliam infert Sacramento.

219 Objic. 1. Est de jure divino in sacrificio consecrare, & sumere, ergo utrumque spectat ad essentiam sacrificii. Resp. negand. conseq. & paritatem: Est de jure divino, quòd sacrificium compleatur, sed non est necesse, quòd id quod complet sit essentiale, sufficit autem ut sit de integritate, ut dictum est: Ratio est, quia Sacerdos conficit ut Sacerdos: sed communicat ut fidelis, communis cum cæteris: unde duplex est finis hujus sacrificii; unus est intrinsecus scilicet gloria Dei, ad quam Missa destinatur per consecrationem: alius est extrinsecus, nempe utilitas sacrificantis, & ob hunc finem extrinsecum ordinatur sumptio, scilicet ad sanctificationem sumentium.

Objic. 2. ex 1. ad Cor. *c.* 11. dicitur: Hoc est corpus, quod pro vobis frangitur: Hic est calix, qui pro vobis effunditur, sed ista fiunt in sumptione; ergo etiam sumptio est de essentia sacrificii. Resp. quòd corpus frangitur, & sanguis effunditur non realiter, sed misticè, nam per consecrationem misticè dividitur corpus à sanguine, nec tamen hinc sequitur, quòd hoc sacrificium non sit sensibile, simulque reale: nam est sensibile per verba consecrationis, & species: est & reale, quia continet verum Corpus Christi, & sanguinem, quæ Deo offeruntur.

Objic. 3. Si sacrificium consistit in sola consecratione, ergo Sacerdos debet applicare suam intentionem pro vivis, & defunctis ante ipsam, & tamen Ecclesia post consecrationem applicat sacrificium pro defunctis. Resp. conced. debere fieri applicationem ante consecrationem, vel ante Missam, ut ex opere operato habeat sacrificium suam vim: commemoratio verò, quæ fit pro defunctis post consecrationem habet valorem tantùm ex opere operantis: Probabile tamen est, ut etiam prosit ex opere operato, veluti quid spectans ad perfectam oblationem, non ad sumptionem: quare notandum, quòd cum opposita opinio sit valdè probabilis, erit valida applicatio ex opere operato etiam post consecrationem: Nec desunt Theologi, qui extendunt hanc applicationem ad totum tempus durationis Missæ, quia omnes actiones ab Ecclesia ordinatæ in Missa spectant ad integritatem saltem accidentalem sacrificii, quod dicitur durare usque ad totale complementum; nostra autem sententia est securior.

220 Concl. 4. Consecratio utriusque speciei est de essentia hujus sacrificii: Est S. Bon. *d.* 13. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 4. D. Thomæ, Scoti, & communissima Theologorum. Ratio est, quia cum Christus instituerit hoc sacrificium in utraque specie, subjunxit Luc. *c.* 22. Hoc facite in meam commemorationem: & Apostolus 1. *Cor. c.* 11. Mortem Domini annuntiabitis: ut observat ad hunc locum Seraph ergo cum ibi instituisse Apostolos Sacerdotes, ipsis etiam ordinavit oblationem in utraque specie Vide S. D. *d.* 13. *cit.*

Q. qualiter differat oblatio, quæ nunc fit in Ecclesia hujus sacrificii ab oblatione Christi in Cruce? & ab oblatione facta in ultima Cœna ab ipso Christo? Resp. 1. Hoc nostrum sacrificium solo numero differre ab incruento sacrificio Christi in Cœna: Ratio est (ait S. Bon. *ad c.* 22. *Lucæ*) quia Christus dicens: Hoc facite in meam commemorationem, demonstravit suum sacrificium, & ipsum ordinavit ad nostrum, & meritò, quia conveniunt in oblata materia, in re principaliter oblata, & in actione, quæ est forma oblationis, & in offerente principali, qui est Christus, ergo essentialiter conveniunt. Resp. 2. differre in quibusdam accidentalibus: 1. quod Christus se mortalem obtulit, hîc verò se immortalem offert. 2. in proximo offerente, quia ibi per semetipsum obtulit, nunc autem per nos. 3. quia tunc fuit meritorium, & satisfactorium: nunc verò Christus nec mereretur, nec satisfacit. 4. quia sacrificium Christi signabat mortem futuram, nunc verò præteritam. 5. loco & tempore. Resp. 3. Sacrificium nostrum convenit cum sacrificio cruento Christi in re oblata, sed differt in actione, & ritu sacrificandi: Sic Concil. Trident. *sess.* 22. *c.* 2. & de se patet: differt etiam in effectu; nam cruentum operatum est in salutem omnium hominum, nam ut advertit Seraph. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 2. *ad* 4 non ubiobique uniformiter cooperatur, nam in Cruce effusum est pretium in omnimoda plenitudine, in altari verò habet effectum determinatum, applicatque merita Christi limitato modo. Vide S. Bon. *in Op. præpar. ad Miss. cap.* 6. *& in Canonem.* Resp. 4. Omnia alia sacrificia superantur à nostro, erant enim figuræ, & umbræ tantum istius.

QUÆSTIO XVII.

Quis sit valor hujus Eucharistici sacrificii, & quails: & an infinitus, an finitus.

Suppono 1. valorem hujus sacrificii esse quandam dignitatem, seu efficaciam, quam in ipsius institutione Christus collocavit, fundatam in meritis Christi, applicatis ipsi sacrificio. Et quia iste valor potest excogitari ut multiplex, nempe propitiatorius, impetratorius, meritorius, & satisfactorius: Hinc meritò disquiritur an insit, & qualis in ipso Et quia certum est de fide esse propitiatorium, impetratorium, meritorium, & satisfactorium, ulteriùs disquirunt Theologi, an hoc sacrificium habeat aliquam causalitatem propriam & proximam ad omnes effectus gratiæ, v. g. ad remissionem peccatorum, ad conferendam gratiam primam, vel secundam, aliosque effectus: Pro quorum solutione. 221

Concl. 1. Sacrificium Altaris est impetratorium, & expiatorium: Est de fide contra Sectarios nostri temporis. Prob. quia si in lege veteri erant sacrificia propitiatoria, & expiatoria, multò magis in lege Evangelica, quæ omnia umbræ fuerunt istius sacrificii, ergo valet ad Deum placandum.

Concl. 2. Sacrificium Altaris est impetratorium: idque patet ex Liturgiis D. D. Jacobi, Clementis, &c. qui illud offerebant pro impetranda remissione

sione, peccatorum pœnitentiæ dono, pace, & aliis bonis temporalibus, ergo.

Concl. 3. Sacrificium Missæ non confert gratiam habitualem in se, nec in augmento immediatè; potest tamen utrumque facere mediatè: Est communis omnium Theologorum. Prob. 1. pars, quia supponit gratiam jam infusam in anima tum in sacrificante, tum in illis, pro quibus offertur. Prob. 2. pars, quia potest impetrare auxilia actualia peccatori, quibus mediantibus potest resurgere à peccatis: potest & eadem impetrare viro justo, quibus mediantibus potest elicere actus charitatis, & sic mediantibus ipsis crescere in gratia.

Concl. 4. Hoc sacrificium est expiatorium ex opere operato pœnarum, quæ debentur culpis jam remissis: est enim opus satisfactorium, &c. & hoc est certissimum apud omnes: requiritur tamen status gratiæ.

Concl. 5. Hoc sacrificium de se ex opere operato remittit peccata venialia: & hæc est communis omnium Theologorum; quæ supra *in quæst.* 15. probata est.

An verò sacrificium Missæ habeat valorem infinitum, vel finitum.

222 Not. 1. Quòd quæstio procedit de valore ex opere operato, non verò ex opere operantis: & quem habet sacrificium peculiariter annexum ex institutione Christi ultra meritum ex opere operantis, & quæstio est de valore satisfactorio, & impetratorio.

Sup. 2. Hunc valorem posse comparari vel in ordine ad offerentes, vel in ordine ad eos, pro quibus offertur: offerentes sunt plures, scilicet Christus ut principalis, deinde Sacerdos quo utitur Christus ad talem oblationem, deinde Ecclesia utens ministerio ipsius Sacerdotis, deinde ministrans sacrificio, & ille, qui stipem ipsi confert, ut celebret, deinde circumstantes sacrificio assistentes, qui omnes dicuntur offerentes, ob idque & sacrificium accipere valorem juxta eorum dignitatem: & quia horum supradictorum nempe Sacerdotis, Ecclesiæ, Ministrorum, & circumstantium valor est ex opere operantis, certum est esse finitum; unde quæstio reducitur ad valorem, quatenus à Christo offertur, & ab eodem applicatum est meritum suæ passionis jam præteritæ.

Suppon. 3. Quæstionem non esse circa infinitatem cathegorematicam intensivam, vel extensivam, quia non datur tale infinitum neque in entitate, neque in duratione æterna: sed de infinitate syncathegorematica, & extensiva: & sensus est, an Missa oblata, v. g. pro quatuor hominibus simul valeat pro singulis tantùm, ac si oblata esset pro uno; an verò valor minuatur quò ad plures se extendit: ex qua quæstione solvitur illa quæstio; an Sacerdos possit sumere pro una Missa tot stipendia; quot sunt illi, pro quibus offertur, circa quam.

Prima sent. tribuit infinitatem extensivam sacrificio: ideoque ad plurificationem eorum, quibus prodest, non minuitur, sed integer singulis applicatur: sic Caietan. Sylvester, Canus, Corduba, Vasquez, Pontius, & alii, qui fundant talem infinitatem tum in re oblata infinita, tum in principali offerente, qui est Christus, tum in ritu Ecclesiæ, quo possunt Sacerdotes multiplicare personas in commemoratione defunctorum.

2. Sent. asserit hoc sacrificium habere virtutem ita limitatam, & determinatam etiam extensivè, ut si una Missa dicatur pro pluribus, ille solus effectus, qui datus esset uni, distribuitur per illos plures, & fundatur in praxi Ecclesiæ, quæ prohibet sumi tot stipendia, quot sunt personæ pro quibus offertur; & hanc limitationem deducit ex conditione ipsius actionis sacrificandi, quæ in se, & pro ut procedit à tali ministro immediatè est finita, & limitata: tum etiam quatenus offertur in nomine Ecclesiæ: ob eandem rationem: Citantur à Mastrio S. Bon. Scotus, Richard. Durand. plurimique alii. Addunt alii pro 3. sent. effectum satisfactionis, scilicet remissionem, & relaxationem pœnæ, esse limitatum, statimque dari infallibiliter, & totaliter ex opere operato, esseque limitatum, pro ut Christus disposuit: unde effectum impetratorium esse infinitum extensivè, nec multitudinem eorum, pro quibus offertur præjudicare, nec causare diminutionem effectus; & hæc est sententia Aversæ *quæst.* 11. *sess.* 7. Caspensis *tr.* 23. *d.* 2. *sect.* 4. & aliorum auctorum secundæ sententiæ, estque probabilior, & verior cum limitatatione tamen infra apponenda.

Not. 1. Quòd ad hoc sacrificium offerendum 223
concurrit principaliter Christus, & in nomine Christi Minister, & Ecclesia: pro ut verò hæc oblatio est à Christo neque est meritoria, nec satisfactoria, quia Christus nunc nec meretur, neque satisfacit: sed tantùm applicatur valor sacrificii Crucis, in cujus memoriam fit, sed tamen limitatè, cum in Cruce facta fuerit applicatio cum tota plenitudine, & una fuerit sufficiens pro toto mundo, imò pro infinitis mundis, ideo ista non iteratur, applicatio autem perfectionis causæ principalis, non in eodem gradu participat ipsam, ergo est major, & ob id limitata; ob idque habet tollere debitum pœnæ, quatenus ex Christi institutione habet annexas satisfactiones præteritas ipsius Christi, sed cum limitatione ab ipso præfixa, ut sæpiùs istud sacrificium frequentaretur, & offerretur: sic S. Bon. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 3. *ad ult.*

Not. 2. Quòd, ut benè docent Theologi *in* 4. 224
d. 4 effectus, qui prodeunt ex opere operato quantùm est ex parte Sacramenti, sunt quidem limitati, & æquales, attamen ex parte ministrorum, & adstantium potest dari major dispositio, secundùm quam crescit effectus: unde secundùm hanc rationem non habet limitatum effectum, quo perfectiorem causare non possit, sed eò majorem in unoquoque ex opere operato causabit, quò majorem, & meliorem dispositionem invenit in subjecto, cui applicatur; & hoc fundatur in Concil. Trident. *sess.* 6. *c.* 7. ubi assignans causas intensionis, & majoritatis gratiæ, quæ per Sacramenta confertur, duas assignat, alteram ex voluntate Spiritus S. quæ partitur mensuram singulis pro ut vult, & pro ut instituit Christus, alteram secundùm propriam cujusque dispositionem, idque facit ad majorem Sacramentorum venerationem, nam sic fideles devotiùs, & ferventiùs ad ea suscipienda præparantur.

Concl. 1. Valor hujus sacrificii ad satisfacien- 225
dum pro debito pœnæ debitæ culpæ jam remissæ, qui est primus, & principalis effectus ex opere operato, certò & infallibiliter ex ipso proveniens, est finitus, & limitatus juxta dispositionem divinam, & meram Christi voluntatem, & institutionem: Est S. Bon cit. & communior aliorum supra cit. in 2. & 3. sententia: Ratio à priori, quam affert S. Bon. cum cæteris, est, quia oblatio hujus sacrificii, ut est à Christo, nec est meritoria, nec satisfactoria, cum Christus nunc non mereatur,

nec satisfaciat: ergo solùm habet vim tollendi debitum pœnæ, quatenus habet annexas satisfactiones præteritas ipsius Christi; & hoc convenientissimum fuit, ut hoc sacrificium frequentaretur in Ecclesia: alioquin frustra in Ecclesia frequentarentur, & multiplicarentur sacrificia, & orationes: tum etiam quia per unam Missam evacuaretur totum Purgatorium: tum quia per unicum sacrificium posset satisfieri pluribus stipendiis; quod est condemnatum ab Ecclesia Catholica.

Objicies ex D.Hieron. relato *in cap. mediocriter, 24. de consecrat. d. 5.* dicente, dum per centum animabus Psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro uno quolibet ipsorum diceretur, accipitur, sed hoc non esset verum, si non esset valor infinitus. Resp. Vasquez hæc verba non inveniri in operibus D.Hieron. addit S.Bon. cit.quòd, hoc dato, intelligi debent de valore ex opere operantis, non ex opere operato in ordine ad utilitatem orantis, non verò eorum, pro quibus fit oratio: quæ expositio infertur ex adjunctis ibidem, ut supra notatum est.

226 Objic. 2. Hoc sacrificium ex parte rei oblatæ, & offerentis principalis est idem cum sacrificio Crucis, ergo est infiniti valoris ex hac parte, & eò magis, quia Sacerdos in persona Christi illud offert; ergo. Resp. S. Bon. loco cit negand. conseq. Ratio est, quia Christus quidem est principalis offerens, sed quatenus potestatem dedit Sacerdotibus, ut vice ipsius hoc sacrificium offerrent: actio verò Sacerdotis est limitatæ virtutis, ideoque & limitatum effectum producit, & ratio est, quam adducit S. Bon. *d.45. a. 2. q. 2. in corp.* quia opus formam recipit à proximo, & immediato agente, sicut aqua recipit formam à vase continente, non à fonte; ergo & quando etiam Christus immediatè offerret, non tamen in hoc sacrificio in actu satisfacit, sed applicat satisfactiones suas præteritas, sed cum limitatione, cum ista actio sit inferioris valoris quàm prima facta in Cruce, ut dictum est: Et licèt Sacerdos operetur in nomine Christi, cum talis actio procedat propriè à Sacerdote, hinc & habet limitatam virtutem, unde ista applicatio ex institutione Christi est applicatio meritorum ejus tantùm partialis, ideo enim jussit, ut sæpè repeteretur, ut patet ex 1. Cor. 11. Quotiescumque, &c.

Objic. 3. Sacerdos unica actione plures baptizare potest cum productione æqualis gratiæ in omnibus, ergo pariter offerens Missam pro pluribus: cum utrumque Sacramentum producat effectum ex opere operato. Confirm. quia per applicationem meritorum Christi pluribus non minuerentur; tum etiam quia Ecclesia admittit in sacrificio oblato pro uno fieri commemorationem pro aliis, quod utique non liceret, si ob id in fructu ejus, qui dedit eleemosynam, detrimentum aliquod pateretur. Resp. neg. sequelam, & paritatem: Ratio est, quia Sacramentum Baptismi est ablutio passiva, ideo tot sunt baptismi, quod homines abluti, ideo quot Sacramenta sunt, tot sunt effectus. Sacrificium verò applicatum pluribus est unum, ideoque unum sortitur effectum: Ad confirmationem resp. verum esse merita Christi applicari per sacrificium, sed non ad æqualitatem, & ut ait S. Bon. cum omnimoda plenitudine, sed tantùm determinatè: Ad aliud de commemoratione facta in Missa pro pluribus resp. id fieri tantùm per modum impetrationis ex opere operantis, & merito personali, & ex propria devotione, per quod nihil detrahitur fructui primario.

Concl. 2. Etiam in hoc sacrificio quædam ratio valoris infinita syncathegorematicè posset assignari respectu ejusdem effectus satisfactionis, quatenus potest augeri ex meliori dispositione vel offerentis, vel illius, pro quo offertur. Explicatur & probatur conclusio. Si hoc sacrificium consideretur per ordinem ad eos, pro quibus offertur, nulla habita ratione dispositionis ipsorum, certum habet effectum, quem in illis causat, qui effectus pluribus applicatus semper fit minor proportionaliter: Si verò consideretur cum ordine ad dispositionem, quam singuli habent ad hoc sacrificium, in tali casu non habet limitationem ad aliquem determinatum effectum, quo perfectiorem causare non possit, sed secundùm majorem, & majorem dispositionem etiam majorem effectum causabit: Sic explicata conclusio probatur: quia talis positio non derogat finitati valoris sacrificii, & & maximè conducit ad devotionem, & venerationem ipsius; ergo piè credendum est, Christum tali pacto instituisse ipsum, &c. 227

Concl. 3. Quò ad vim impetratoriam probabilis est opinio utraque, nempe asserendo valorem hunc esse finitum, & limitatum, & minui quò ad plures se extendit: & è contra esse infinitum extensivè absque diminutione ex participatione plurium: Ratio primæ partis est, quia sequeretur per unum sacrificium posse tam facilè impetrari primam gratiam, & donum pœnitentiæ pluribus, sicut uni, quod videtur absonum. Ratio secundæ partis est, quia talis impetratio fundatur in dispositione divinæ providentiæ, cujus non est abbreviata manus Domini. Vide Caspensem *tract. 23. sect. 4.* 228

QUÆSTIO XVIII.

Pro quibus applicari possit hoc sacrificium.

Suppon. 1. cum communi Theologorum triplicem applicationem dari: aliam generalem Ecclesiæ applicantis generaliter sacrificia pro vivis, & defunctis, & singulariter pro summo Pontifice, Rege, Episcopo, & aliis, quorum memoria habetur in Canone: aliam specialem, pro quibus offertur; & tertiam specialissimam, & hæc est ipsius Sacerdotis: quæstio est de secunda applicatione: & potest esse in ordine ad vivos, & mortuos, ad existentes in peccato mortali, & in gratia, ad excommunicatos, ad beatos, damnatos, & in Purgatorio degentes, &c. Et hac occasione quæritur, an requiratur actualis applicatio, an sufficiat etiam virtualis, vel habitualis, & an applicatio pro defunctis sit infallibilis. 229

Concl. 1. Sacrificium Missæ potest offerri pro tota Ecclesia militante, & pro omnibus viventibus, qui sunt intra Ecclesiam sive sint justi, sive peccatores: Est communis omnium Catholicorum cum Seraph. *in expos. Canonis.* Prima pars, de Ecclesia patet, quia expressè in Canone offertur pro Ecclesia Catholica: 2. pars, quia omnes viventes sunt capaces hujus fructus, dum sunt in hac vita: nec Sacerdos potest tuta conscientia excludere aliquem nec publicè, nec privatim.

Quæres

Quæres, *An excommunicati majori excommunicatione possint includi in hac participatione?* Resp. publicam orationem non posse pro ipsis offerri, id enim est prohibitum Jure Canonico. Pro excommunicatis vero toleratis multi Theologi censent posse offerri hoc sacrificium. Vide Casp. *d.* 1. *in fin.* & Lugum *d.* 19. *f.* 10. *n.* 187.

Q. *An pro Cathecumenis possit offerri?* Resp. non posse offerri pro iis, qui mortui sunt sine baptismo, sed tantùm pro vivis, quia cum fide communicant in Ecclesia; sic legitur in Liturgia Chrisostomi, & apud D. August. *ep.* 109. *& in librò de Ecclesiasticis dogm. c.* 30. & communiter id docent DD.

230 Concl. 2. Hoc sacrificium non potest offerri pro damnatis in æternum: Est communis omnium Catholicorum cum S.Bon. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 1. & 2. quia in inferno nulla est redemptio: nec in hoc ulla est discrepantia.

Dices, quod Trajanus liberatus est ab infernò præcibus D. Gregorii. Resp. S. Bon. *l.* 4. *d.* 20. *p.* 1. *dub.* 3. ipsum non fuisse damnatum per sententiam finalem. Alii respondent hoc esse fabulosum.

Concl. 3. Hoc sacrificium non potest offerri prò ut est leutiticum, sive honorarium, quia sic soli Deo offerendum est: nec beatis pro ut est satisfactorium, quia beati non habent ullam pœnam luendam: nec ut impetratorium, quia nullo bono carent, cum summo bono fruantur, sed tantùm ut est Eucharisticum, scilicet agendo Deo gratias pro beneficiis, quæ Deus illis contulit: hoc enim cedit in eorum gaudium accidentale, videndo quòd in sui memoriam offeratur Deo sacrificium: & hæc doctrina est communissima.

231 Concl. 4. Hoc sacrificium prodest fidelibus defunctis existentibus in Purgatorio quo ad remissionem pœnarum. In hac concl. conveniunt omnes Catholici, licèt discrepent in hoc, quòd plures tenent hoc sacrificium prodesse defunctis, non infallibiliter, & certa lege, sed tantùm per modum suffragii, istest per modum liberalis impetrationis, sic Sotus, Cano, aliique pauci: alii è contra communiter tenent prodesse ex justitia, & certa lege infallibiliterque ex opere operatò, dummodo iis applicetur: & hæc est communis antiquorum, & recentiorum, Suarez, Vasquez, Caspens. & est Seraph. *d.* 45. *a.* 2. *q.* 1. estque favorabilior tum animabus purgantibus, tum efficaciæ hujus sacrosancti Sacrificii.

Prob. autem à S.Bon. *d.* 45. *cit.* quia in omni opere Domini est misericordia, & veritas, ideo duo sunt, quæ faciunt suffragia Ecclesiæ valere; scilicet dignitas, & necessitas: Justitia enim considerat dignitatem, & digni sunt, qui in charitate decesserunt, & ab aliis membris Ecclesiæ adjuvari meruerunt, maximè si ipsi alios adjuverunt; misericordia vero considerat necessitatem, & hæc quidem est magna in his, qui sunt in Purgatorio, quia graviter puniuntur, & se juvare non possunt: Cum autem inter omnia suffragia maximum sit sacrificium Missæ, & ex opere operato, operetur, sequitur, quòd certè, & infallibiliter eis prosit. Confirm. quia patribus verbis apud Patres, & Concilia dicitur hoc sacrificium prodesse vivis, & defunctis: sic Concil. Trid. *sess.* 22. *c.* 1. *& sess.* 25. tum quia in forma ordinis Sacerdotalis æquè hæc potestas tribuitur Sacerdori (accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis, & defunctis,) sed pro vivis infallibiliter operatur, ergo & pro defunctis.

Objices 1. Præcipua conditio ad percipiendum 232 fructum hujus sacrificii ex opere operato, & infallibiliter est status viatoris: sed animæ purgantes non sunt ampliùs in via, & sunt extra potestatem Ecclesiæ militantis, ergo non possunt juvari infallibiliter, & ex certa lege bona Ecclesiæ participare, sed tantùm per modum liberalis impetrationis, nempe pro libito Dei: Et confirm. quia indulgentiæ concessæ vivis pro defunctis conceduntur per modum suffragii, ut nimirum dignetur Deus eas prò iis acceptare ex sua peculiari pietate, & misericordia; & hoc quia Ecclesia super ipsos non habet jurisdictionem; ergo idem dicendum est dè sacrificio, cum nomine Ecclesiæ offeratur. Resp. dist. de statu viatoris: alii enim sunt in toto rigore viatores in hac vita mortali, quibus solis competit posse mereri: alii sunt viatores, qui non adhuc ad ultimum terminum pervenerunt; ideoque (ait S.Bon. *d.* 45. *cit.*) si non sunt in statu merendi, sunt benè in statu solvendi; possuntque per applicationem sacrificiorum adjuvari in solutione, idq. prius meruerunt, dum erant in via: quare neg. major, & ad id de Indulgentiis negatur paritas, nam alia ratio est de potestate concedendi Indulgentias, & offerendi sacrificium pro defunctis, hoc enim fuit institutum peculiariter à Christo pro vivis, & defunctis absque distinctione: Addimus, quod multi Theologi etiam asserunt Indulgentias habere infallibilem applicationem, & effectum: de quo vide Fabrum, Dianam, &c.

Dices: Ecclesia non habet potestatem applicandi fructum aliorum Sacramentorum defunctis, ergo nec sacrificium. Resp. S.Bon. *d.* 45. *dub.* 3. neg. paritatem de cæteris Sacramentis; quia istorum dispensatio respicit actum in persona, vel circa personam, sicut patet in Baptismo, ideo non potest baptizari nisi qui præsto est in aquam mergi, sed sacrificium est actus pro persona; & quia actus in personam respicit actu existentem, sed pro persona non, sicut Christus obtulit se etiam pro illis, qui antea fuerunt, & qui futuri erant, hinc, &c.

Et si quæras: *An eodem modo sacrificium prosit* 233 *vivis, ac mortuis?* Resp. idem ibid. quod aliter prodest: vivis enim prodest sub ratione sacrificii, ut supra dictum est, & sub ratione Sacramenti, & cibi, & dat gratiam, & perfectionem manducanti, & mortuis prodest sub ratione sacrificii, quia tali pacto Deum placat: & quia etiam Deus iratus est non affectione inflictionis, ideo Deum placando non sedat ipsius affectionem, sed remitti facit pœnæ acerbitatem; ideoque cum cætera Sacramenta sint actus in persona, & applicentur corpori mediante aliqua sensibili mutatione; Missæ vero sacrificium indifferenter tam pro vivis, quam prò defunctis institutum sit, ideo istud potest immediatè effectum animæ conferre absque aliqua mutatione sensibili in persona, sed sola voluntate offerentis.

Dices: Animæ purgantes non sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi; ergo nulla satisfactio eis prodesse potest saltem ex certa lege, & promissione. Resp. S. Bon. neg. antecedens: non sunt quidem in statu satisfaciendi per se, sed solvendi per alios, & præcipuè satisfactionibus Christi Jesu ipsis applicatis: sic neg. conseq.

Quæres. *An defuncti salvi sine Baptismo possint* 234 *suffragari per Sacrificium Missa eodem modo ac defuncti baptizati?* Resp. posse suffragari, non tamen eodem modo non baptizati, ac baptizati: nam illis prosunt suffragia per modum liberalitatis, & impetrationis: baptizatis verò prodest

sacrificium ex ex opere operato, quia præcesserunt cum signo fidei idest charactere baptismali, qui in hoc sunt collocati in eodem ordine ac viventes.

235 Concl. 5. Quo ad intentionem: Ad hoc ut sacrificium prosit viventibus, & mortuis sufficit intentio ultra actualem etiam virtualis, vel etiam habitualis, dummodo præcesserit volitio actualis non retractata. Pro explicatione, & probatione hujus conclusionis notandum, quod, ut diximus supra de Sacramentis in genere, & de intentione necessaria ad conficiendum Sacramentum, non sufficit ad talem confectionem intentio habitualis propria, eo quia intentio debet influere in actum sacramentalem, quod non facit habitualis: sed in applicatione sacrificii est quædam donatio, seu translatio fructus in alium ex tali actu ad quod sufficit habitualis in sensu quo diximus in loco cit. de habituali minus propria: unde in Sacerdote duplex intentio consideratur: Altera conficiendi sacrificium, & hæc debet esse vel actualis, vel virtualis, ut influat in actum: Altera applicandi sacrificium tali, vel tali, & hæc dummodo præcesserit sacrificium, & non fuerit retractata, v. g. hoc anno applico tres Missas Natalis Domini pro tali, vel tali, etiamsi hæc applicatio fiat in mense Januarii, hæc sufficit, quia est donatio spontanea, quæ semper valet: Adverte tamen; quod ista applicatio debet esse actualiter facta, & non propositum, vel intentio applicandi tempore debito: ita Diana, Lugus, & Mastr.

Prob. autem conclusio: quia ad hoc ut aliqua forma habitualiter permanere dicatur, vel phisicè, vel moraliter, opus est, quod in subjecto relinquat aliquem habitum, vel aliquam obligationem sequentem ad illam formam, sed per intentionem habitualem non retractatam relinquitur obligatio moralis dandi, & communicandi talem fructum, &c. ergo hæc sufficit: non sic autem in confectione Sacramenti quia ista intentio debet influere in actum: sic etiam Vasq. *d.38.c.6.n.74.*

Dices cum Adversariis: hæc intentio habitualis non sufficit ad oblationem sacrificii, quæ Deum immediatè respicit, ergo nec ad applicationem, quia etiam ista applicatio est ejusdem sacrificii oblatio, ergo intentio virtualis saltem ad utramque requiritur. Prob. consequentia, quia utramque oblationem facit Sacerdos ut minister immediatus Christi, ergo est necessaria intentio influens in utramque. Resp. neg. parit. & conseq. prima enim est propriè oblatio sacrifica, qua sacrificium Deo offertur, & Deum immediatè respicit, ad quem Sacerdos ut Christi Minister debet concurrere, ut causa efficiens sacrificium, ob idque ad talis actionis influentiam requiritur intentio proxima: & applicatio fructus sacrificii non est talis oblatio, sed solùm dispensatio ad talem, vel talem personam directa, non vero est actio sacrifica, sed donatio ipsius, ideoque sufficit habitualis.

236 Concl. 6. Applicatio sacrificii, ut valida sit, debet fieri à Sacerdote secundùm intentionem propriam, non verò secundùm intentionem debitam, vel præceptam: nempe Deus attendit in applicatione sacrificii ad intentionem, quam de facto Sacerdos habet, non verò ad eam, quam debuit habere, v. g. ex præcepto superioris, vel ex promissione alteri facta, vel obligatione, quam habet. Est Suarez, Vasquez, Lugo, Caspensis,& aliorum plurium: pro qua citatur etiam Scotus à Mastrio, & ratio Scoti est, quia Sacerdos ratione ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi convenit offerre sacrificium, & simul oblationis virtutem determinare ad certas personas, & in hoc non est præcisè organum, sed minister, & dispensator: ut minister offert sacrificium Deo, ut dispensator applicat fructum sacrificii, non verò ejus Prælatus: & patet ex forma ordinationis: Accipe potestatem offerendi sacrificium pro vivis, & defunctis, per quam ei datur utraque potestas: quod etiam patet in aliis Sacramentis: in hoc enim subditus non pendet à voluntate superioris, &c. excipe tamen Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod requiritur jurisdictio pendens à Prælato, sed in cæteris dependet omnino à potestate Sacerdoti collata à Christo.

Nota tamen quod etiam opposita opinio est probabilis, estque Cordubæ, Barbosæ, Dianæ, pluriumque aliorum Summistarum, ad quam etiam Scotus propendet: Vide Mastrium *tract. de ordine num.* 141. *&c.*

QUÆSTIO XIX.

An, & quo tempore teneatur Sacerdos celebrare Missam.

Resp. 1. Cum Seraph. *l. 4. d.* 12 *p. 2. a. 2. q.* 1. nullum præceptum extare Sacerdoti privato celebrare, sed benè se communicare tempore Paschatis: Parochum vero teneri celebrare diebus Festis, & etiam ut plurimum cæteris diebus: Prima pars patet, quia nullum extat præceptum Sacerdotibus privatis, dummodo non habeant obligationem aliquam celebrandi per se, vel alios in aliqua Capella, &c. verum tamen est quod Sacerdos privatus omittens celebrare per totum annum, id non potest facere sine gravi scandalo: unde ait S.Bon. de æquo, & bono debet aliquando celebrare: Altera pars de Parochis patet etiam: quia tenentur pascere gregem suum: Vide D.Bon. cit. Suarez, aliosque Summistas. Resp. 2. in Feria sexta Parasceve non licèt Missam celebrare consecrando absque culpa mortali; id enim ab Ecclesia est vetitum; quia eo die celebrata est veritas, ideo debet figura cessare, ob idque & Missa cujuscumque alterius. R. 3. Potest omnis Sacerdos celebrare in Feria 5. Cœnæ Domini: ita communiter DD. Soto, Henriq. Tanner. Sà, aliique recentiores: Ratio est, quia nullibi adest præceptum non celebrandi: sicut nec in Sabbato S. sic Suar. Casp. Tan. aliique. Et licèt *in cap. Sabbato, de consecr. dist.* 3. dicatur non debere celebrari in Sabbato S. tamen hæc consuetudo abrogata est: Communiter tamen non celebratur. R. 4. non licere celebrare ante auroram, & post meridiem secundum Rubricas Missalis Romani. Per auroram autem communiter sumitur hora & media ante ortum Solis: Doctores tamen extendunt etiam hoc tempus ad duas horas. Quo ad celebrationem verò plurium Missarum eadem die quandonam liceat multiplicari ab eodem Sacerdote, vide eosdem Summistas.

237

QUÆSTIO

QUÆSTIO XX.

De loco Missæ celebrandæ.

238 SUppon 1. fuisse convenientissimum destinari in Ecclesia Catholica templa ad sacras res obeundas, tum ad sacrificia Deo offerenda: tum ad fideles erudiendos: tum ut sit locus specialis orationis diversus à domibus, in quibus indifferenter exercentur quæcunque opera etiam prophana: de quo Vide Suarez d.81.& S. Bon. in sermonibus de dedicatione,qui multa ad mores tradit egregia: Hæc autem templa ex decreto plurium Conciliorum, & Sum.Pontificum debent esse consecrata,vel saltem benedicta speciali benedictione, quod munus scilicet consecrationis tantùm spectat ad Episcopum, vel ad habentem specialem facultatem à Summo Pontifice: licèt enim sint inanima, capacia tamen sunt sanctificationis,sicut & aliæ res materiales,uti est praxis in Ecclesia.Et hinc dicunt DD.non posse celebrari absque reatu peccati mortalis in Ecclesia non benedicta, vel polluta: quæ cum certa sint, quæstio reducitur ad loca extra Ecclesiam, ut in oratorio privato,vel in plateis,vel in cameris Regularium, vel sæcularium, an liceat ibidem celebrare vel sine licentia,vel cum licentia Episcopi. Et præcipuè utrum liceat fratribus minoribus,& cum ipsis participantibus Regularibus eorumdem privilegia post Concil.Trid.celebrare in quocunque Altari portatili,& in quocunque oratorio,vel in cameris.

Prima opinio est negativa,existimatque ista privilegia fuisse sublata per S.Concilii Trident.decretum: sic Suarez d.81.sect.3. Barbosa,& novissimè Fagnanus ipsam mordicùs sustinet cum Barbosa in Concil. Trid. 2. op. sustinet, non esse abrogatam facultatem concessam Fratribus Minoribus,& Prædicatoribus ab Honorio III.quod refert Fagnanus in cap.In his de privil.& innovatam à Sixto IV.& ab Alex.VI. & ab his applicatam ad quemcunque locum etiam ad cameras sæcularium, dummodò locus sit decenter ornatus:& hæc opinio sustinetur tamquam probabilior à P. Quarto in Rubr. part.3. tit.10.sess.3.dub.8. aliisque SS.DD. infra cit.

239 Not.1. quod Canones, & Privilegia inserta juri communi(quale est supradictum)nunquam debent existimari revocata nisi sufficienter, & expressè pateat de eorum revocatione:ratio est, quia tunc non amplius habent rationem privilegii, sed juris communis,& cum sint favorabilia,eorumque revocatio sit odiosa,nunquam dicuntur revocata nisi per expressam declarationem: sic & docent Glossa in cap. Alma Mater,& plures Doctores in simili privilegio concesso Episcopis clam celebrandi tempore interdicti in cap. Quod nonnulli de privileg. & habetur in cap.Alma Mater,quod ante erat privilegium,postquam verò insertum est in jure communi,mutatum est in tale; & ratio affertur in textu,& in cap.In his, scilicet,quia in Privilegio altaris viatici favore cultus divini benigna est interpretatio facienda: Super quod Glossa ad hanc rationem adest,quod Privilegium Principis latè est interpretandum: Item quando Indulgentia, seu Privilegium est sine alterius injuria concedi debet. Videatur Bassæus in Summa tom.1.Verbo Missa 3.n.1.qui alios citat,& potissimè Rodrig. quæst.regul.tom.1. q.3.art.5 Caspens. de Euchar.tr.23. d.3.sect.3.n.68. qui advertunt hanc opinionem esse communem Doctorum,de quo Bassæus Verbo privilegium 1.n.5.citans Dianam,Portel. Mirand.& Verbo Privil.3.n.3. quod verò non constet de revocatione talis concessionis factæ fratribus Minoribus mox patebit.

Not.2. quod valde differunt prohibitio formalis,& concessio prohibendi: nam prima tollit actu concessionem factam; secunda tollit eam tantùm de possibili: Decretum verò Concilii Trid. non est prohibitivum actu celebrandi Missam in Altari quocumque nisi remotè,& mediatè:sed tantùm est concessivum facultatis prohibendi directum ad Episcopos, quo conceditur ipsis, ut possint prohibere regularibus, ne celebrent in dictis oratoriis, vel Altaribus portatilibus, non obstantibus Privilegiis eorumdem: cum igitur revocatio sit materia pœnalis,& odiosa, & cum agatur de tollendo jure communi, requiritur expressa, & positiva prohibitio Ordinarii: Ex quibus infert Rodrig.cit.non est cur Religiosi scrupulis agitentur in celebratione Missæ in dictis Altaribus.Et in hoc sensu sumenda sunt verba Gregor.III. in Bulla,vel litteris directis Generali,& Presbyteris Societ. Jesu; ubi hæc habentur: Usum Altaris Viatici Societati vestræ à fæl. record. Paulo III. concessum,deindè à Concil. Trid. universis sublatum: vobis catenus restituimus. In quibus Fagnanus cit. n.7. facit maximam vim ad probandam prohibitionem factam universaliter omnibus Religiosis circa talem usum: quæ tamen vel nil amplius continent,nisi revocationem supradictam,scilicet mediatè,& remotè, quatenus Episcopis data est facultas impediendi talem celebrationem, sic ex Bassæo Roderic.& aliis supra cit. quos infra referemus. 240 241

Not.3. quod post Concilium Trident. Gregor. XIII. concessit Societati Jesu, quod non obstante Concil. Trid. ejus Presbyteri possint celebrare in quocunque loco decenter ornato in missionibus, quæ à suis superioribus,& ipsis Presbyteris fiunt: quæ concessio licèt sit facta Societati cum restrictione missionum, tamen absque tali restrictione communicatur Religionibus participantibus, ut latè, & fusè docet Porrellius Verbo Privilegium commune n.23. Rodrig. tom.1.q.55. art.17.§.2.dub. Bassæus tom.1. Verbo Privilegium commune num.11. Diana p.5. resol.46.tract.13. aliique plures,& circa hoc adest concessio facta Ordini S. Hieron. infra cit. Et Suarez tom. de legib. l.8.c.17.n.6. licèt idem afferat cum aliqua limitatione;addit tamen ad rem nostram, quod talis communicatio privilegii fit absque tali restrictione,quia privilegium celebrandi Missam in quocumque loco ornato, & honesto fuit priùs absolutè concessum Societati,deinde addita fuit illa restrictio (in missionibus) per specialem declarationem, quæ non restringit modum utendi privilegium, nisi quo ad Societatem ipsam, & hoc ob speciale institutum ipsius non commune aliis Religionibus, unde communicatio facta est de solis privilegiis, & gratiis, non de hujusmodi declarationibus, ac restrictionibus, quod & declaravit, & concessit Pius IV. ordini S.Hieron.nempè communicationem privilegiorum fieri de uno Conventu, vel Religione ad aliam, licèt non adsit ratio, ob quam tale privilegium concessum est primo Conventui, vel religioni: sic Tamburinus de sacrificio Missæ lib.1. c.6. §.4. n.11. Cardin.Lugus de Euchar. d.20.sect.1.num.27. Immo ego, qui hæc scribo testis oculatus vidi Patres Societatis piissimos,& doctissimos uti hoc privilegio extra missionum occasionem,absque tali restrictione celebrandi Missam in oratorio privato cujusdam Marchionis,qui nullo privilegio Pontificio gaudebat, tale- 242

que oratorium erat veluti desertum, & celebratione Missæ per plures annos privatum.

243 Concl. 1. De licentia Episcopi licèt in privatæ domus sacello celebrare non sacrato, nec benedicto. Sic *ex cap. Missar. de consecr. d. 6.* Ubi hæc lex intelligi exponitur in locis vel ab Episcopo consecratis, vel ubi Episcopus permiserit: & *cap. Hic ergo.* In locis ubi Episcopus jusserit: quare poterit Episcopus extra necessitatem concedere hanc facultatem, cum non sit dispensatio, sed usus suæ potestatis: Ita Sylvester, Soto, Navar. quos sequitur Suarez *d. 81. sect. 3. apud P. Gaud. d. 7. q. 1. n. 9.* Et multò plus à fortiori, ubi necessitas id exigit. Ita habetur de consecr. *d. 1. c. 1. & cap. Concedimus*, & ita notat D. Thom. *q. 83. art. 3. ad 1.* Alensis *4. p. q. 36. membr. 1* Paludanus, Soto & alii *in 4. d. 13.* & hoc intelligitur pro omnibus Sacerdotibus.

244 Concl. 2. Dummodò non adsit expressa prohibitio Episcopi possunt fratres minores, aliique participantes absque scrupulo, & licitè celebrare in quocunque Altari, & oratorio etiam privato decenter ornato quocunque die, etiam in illis diebus, in quibus excipitur facultas ordinaria Pontificia: id patet ex supradictis; tum quia, ut dictum est, facultas prohibendi non est prohibitio nisi impropria, remora, & mediata, & in actu primo: sed Concil. Trident. concedit tantùm facultatem Episcopis prohibendi, ergo Concilium non prohibet, sed se remittit judicio, & dispositioni ordinariorum locorum: major patet per se, & maximè quando agitur de materia odiosa, & pœnali: minor patet ex verbis Concilii, & etiam ex modo, quo solet uti in aliis prohibitionibus, in quibus adhibet verba clarè sonantia prohibitionem, quando vetat aliquorum privilegiorum usum, quæ sunt inserta in corpore juris communis, ut patet *in sess. 5. c. 2. & sess. 23. c. 15. & sess. 4. c. 8. & sess. 29. c. 9.* aliisque pluribus locis ab ipso Fagnano expensis *loco cit. num. 12.* In quibus manifestis verbis prohibet usum aliquorum talium privilegiorum: Unde patet quam exilis sit probatio, seu fundamentum. Fagnani, dum ex horum privilegiorum revocatione manifesta vult inferre revocationem privilegii, de quo est quæstio, non expressam, vel directè, vel per expressa verba factam: Est enim dispar ratio de hac, & de illis ab ipso allatis. Ex quibus infertur urgens ratio probans nostram conclusionem, quia privilegia inserta in corpore juris non intelliguntur revocata, nisi expresè per verba expressa revocentur, ut patet ex textibus allatis Concilii Trid. & aliis ab eodem Fagnano citatis ibidem, sed Concilium expresè non prohibet, vel revocat, sed tantum concedit Episcopis, ut possint prohibere, ergo.

Prob. 2. & magis urgetur ratio allata: quia post Concilium Trident. privilegium celebrandi in Altari viatico fuit concessum Societati JESU; ergo illo possunt frui Regulares participantes: Quare licet Suarez *in 3. p. loco cit.* asserat privilegia minorum revocata, addit quod ipsis uti non possunt, nisi superveniat nova concessio post Concil. Trid. sed hæc supervenit concessa Societati, & consequenter participantibus Religionibus, ergo ex ejus fundamento, & doctrina sequitur, Regulares posse absolutè ipsa uti.

245 Sequitur quoque quòd, cum tale privilegium concessum Regularibus sit personale, non præcisè locale, vel locale quia est præcisè personale, etiam ipso uti poterunt in quocunque loco, & Altari decenter ornato, & in quocunque die festo, etiamsi aliàs adesset aliqua restrictio, uti solet Summus Pontifex apponere, quando viris nobilibus concedit privilegium celebrationis Missæ unius in oratorio privato, exceptis quibusdam diebus solemnioribus: cum ergo talis restrictio sit solùm localis, non impedit, quin Regulares privilegiati possint in tali Altari, vel oratorio celebrare dictis diebus etiam plures Missas: Privilegium enim personale sequitur personam in quocunque loco, nec tollitur per locale, ac disparatum peculiare alicujus personæ; hoc enim restringit locum ad personas non privilegiatas, non autem ad privilegiatas, quorum privilegium (ait Suarez apud Dianam infra cit.) est mixtum, scilicet personale, & ratione personæ etiam locale, & consequenter stat pro omnibus privilegiatis in quocunque loco: quæ distinctio, & doctrina diligenter est advertenda ad tollendas æquivocationes, quæ facilè possunt occurrere, ut infra dicetur. 3. Sequitur, quod non obstante tali restrictione privilegii concessi viro nobili, vel Principi, audientes Missam celebratam à Regularibus in his diebus exceptis satisfaciunt præcepto ecclesiastico: idque patet in fundam. 3. supra notato: ratio est, quia hoc est privilegium personale concessum Religiosis, ut quicumque fideles audientes eorum Missas satisfaciant præcepto: Ita Azor. Suar. Tolet. Barbosa, aliique apud Dianam *p. 6 tract. 8. resol. ult.* Immo addit Castro Pall. de sacrif. Eucharistiæ *tr. 2. d. un. pag. 16.* Peliziar. *in man. regul. t. 2. tract. 8. c. 2. s. 2. subs. 2. q. 14.* Homob. de exam. Eccles. *q. 14. tract. 8. c. 5. p. 2.* quod licèt in Brevi Pontifex apponat illam particulam (volumus autem, ut ab obligatione audiendi Missam minimè liberi censeantur) tamen ponitur hæc particula, ex stylo curiæ. 4. Sequitur, quòd, cum hæc opinio nostra validissimis rationibus, & DD. gravissimorum auctoritatibus fulciatur, & quam Quartus, & Diana cit. probabiliorem appellant, potest licitè ad praxim reduci: Doctores autem ipsam sustinentes sunt Rodrig. uterque, scilicet Eman. & Hieron. Diana, Bassæus, Præpositus, Portel. Pasqual. Caspens. Bussemb. Ledesma, aliique plurimi citati à P. Quarto, & à Diana supra cit.

Objic. 1. contra hanc nostram Conclusionem. 246 Privilegium concessum privatæ personæ posterius est contrarium privilegio concesso Regularibus, ergo priori derogatur à posteriori: Anteced. prob. quia singulare opponitur plurali: sed Bulla secunda concedit unam Missam tantùm in privato oratorio, Privilegium Regularibus concessum admittit plures Missas: ergo istæ Bullæ sunt contrariæ, ergo per secundam derogatur primæ. Confirmatur, quia Pontifex expresè revocat in secunda Privilegium Regularium, dum dicit, quod ibi unica Missa possit celebrari, vel per Regularem, vel per Sæcularem; at frustra poneretur illa particula (per Regularem) si Regulares non restringerentur in suis privilegiis ad unicam Missam. Hoc est fundamentum potissimum adversariorum, in quo tamen valde hallucinantur, ut mox patebit. R. ergo neg. anteced. ad probat. Resp. 1. singulare opponitur plurali respectu ejusdem, vel quando singulare & plurale sumuntur secundùm eamdem rationem, sic [illegible]: negatur verò quando sunt ad diversa: ut est in nostro casu, & patet primò, quia privilegia concessa Ordinibus Religiosis quo ad prædicationes, confessiones, approbationes, celebrationes Missæ, ac similia sunt concessa sub titulo oneroso, nempè in remunerationem laborum, & ærumnarum, quas passi sunt, & jugiter patiuntur pro Ecclesia Dei: sic declararunt plures Summi Pontifices Pius V., Sixtus IV. Urbanus VIII. aliique apud Bassæum tom. 1. Verbo

Privilegium

Privilegium *6. n.2.* & Rodrig. *q.9. a.6.* Unde infertur, quod ista privilegia non amplius sunt privilegia pura, sed jus quæsitum, ob idque de numero irrevocabilium, & firmiter constantium, saltem jure ordinario, ut docet in simili Fagnanus *part. 1. fol.* 159. *n.19.* cum communi Doctorum; unde nunquam revocatur nisi immineat magnum incommodum, vel præjudicium Ecclesiæ; sic DD. apud Fagnanum: spectant enim propriè, & in toto rigore ad jus commune.

Hinc est, quod, cum privilegium sit lex privata contra jus commune, etiam differt à lege communi, sicut species à genere, sic Sacri Canones apud Fagnanum *p.1. in cap.* quæ in Ecclesiam de constit. *n.35.* Et quia privilegium frustra non datur, hinc solùm afficit non privilegiatos: nam ad privilegiatos vel simili, vel majori gratia nullam habet relationem: sicque respondendo directè, singulare respicit non privilegiatos, plurale privilegiatos in eadem materia cum majori amplitudine, sic negatur ista contrarietas, ut si quis donaret alicui decem aureos, & alteri centum, quænam oppositio potest reperiri inter ista duo munera? unde ista oppositio est tantù subalterna, ut si dicatur omnis homo est animal, aliquis homo est animal: sic conceduntur plures Missæ, & conceditur una Missa; hæc non est contradictio, vel contrarietas, ut habetur in Philosophia. Resp 2. singularitatem non semper excludere pluralitatem etiam respectu ejusdem personæ *l. in usu § de verb. signif.* multò minùs quando est respectu diversorum, ut in nostro casu, ratio, quæ adducitur à DD. apud Fagnanum *p. 1. lib. 5. de vit. fol. 46. n.15.* est, quia lex prodita in favorem alicujus non debet inducere gravamen ipsi: & si in alio privilegio adest signum taxativum ut tantum, unum, hæc ordinatur ad non privilegiatos, non autem ad privilegiatos aliunde privilegio ampliori *l. in usu de verb. signif. l. 1. §. hoc est edictum*, per quod corruit objectio adducta contra Regularem volentem celebrare unam Missam. Addimus ex cap. ut privilegia in fine de privil. & ibi ex Abbate *n.5.* Fagnan. *p. 1. fol.* 60 *n 41* quod pluralitas resolvitur in singularem, quando sermo pluralis non potest remanere in propria significatione, ob incommoda, quæ inde sequantur, & maximè quando plurale, & singulare sunt respectu ejusdem, non verò quando sunt ad diversa: derogatio enim non fit nisi ad contraria *cap.9. de constit. l.6. & cap.* ex parte de capellis monach. & Clem. Dudum §. nos etenim. Cum igitur hæc secunda privilegia non sint contraria, cum sint ad diversa, sed tantùm contrariantur juri communi secundùm magis, & minus, ob idque inter se sint disparata, hinc posterius non derogat priori. Et ad confirmationem respondetur per Missam celebrandam per Regularem, vel sæcularem ibi intelligi non privilegiatos, qui soli possunt affici hoc privilegio, non verò privilegiatos, qui si ibi celebrent poterunt uti suo privilegio, cum sit personale, & locale; rationque est supra adducta.

Objic. 2. Legislator in legem dando, nunquam intendit facere actum nullum, sed hæc nullitas sequeretur data concessione unius Missæ, si adhuc regulares possent ibi celebrare plures Missas: ergo. R. conced. major neg. sequelam minoris, nam privilegium illud sortiri potest effectum semper per personas, quas afficit, & quas intendit afficere, nempè non privilegiatas, quibus tantùm dirigitur, ut dictum est: Et dato etiam, non concesso, quod essent ista duo privilegia contraria, debet fieri derogatio potius huic privato, quàm priori posito in corpore juris, & ampliatum, & confirmatum à pluribus Summis Pontificibus.

Objic. 3. Fagnanus: hoc privilegium fuit concessum ab Honorio III. quando tunc ut plurimum fratres minores non habebant proprias Ecclesias: ergo nunc deberet cessare. Hæc objectio Fagnani verè est inanis, & sine fundamento, nam est falsum quod hoc privilegium concessum fuerit ab Honorio ob paucitatem Ecclesiarum Ordini fratrum minorum: cum Summus Pontifex se declaret id concedere ex benignitate, & affectione in talem Ordinem: cum autem fuerit confirmatum, & ampliatum ab aliis Summis Pontificibus à Sixto IV. & Alex VI. in tempore, quo ferè ubique fratres minores habebant monasteria, & Ecclesias, & post Concil. Trid. id concessum fuerit Societati, & participantibus, patet halucinatio Fagnani: Immò huic objectioni Fagnani oppono ipsum Fagnanum: Dum enim agit de hoc privilegio concesso fratribus minoribus à Summo Pontifice absque ulla limitatione: ipse Fagnanus proprio marte, & merè gratis ipsum restringit ad solum usum ob paucitatem Ecclesiarum. Cum autem postea tractat de privilegio quodam concesso Episcopis in c. ne pro dilatione n.49. in quo conceditur ipsis Episcopis Privilegium Altaris Viatici ex causa ibi expressa, nempe ob absentiam, & distantiam, quam aliquando habent à suis Ecclesiis, notat Fagnanus hanc causam fuisse tantùm impulsivam, non verò finalem, & ob id Episcopi possunt tali privilegio uti etiam in propria domo Ecclesiæ propinqua: ratio, quam affert, est primò, quia in privilegio causa in dubio præsumitur impulsiva tantùm ex Imola cons. 3. secundò, quia privilegium Principis latissime interpretandum est, ut ipse Fagnanus replicat loquendo de Altaribus Viaticis *in cap. quod nonnullis tom. 5. n. 18. fol. 82. & in cap. olim fol. 211. n.25. & seq. & in cap.* qu a in tantum de præbendis *tom. 3. n.30* quare ex his duabus interpretationibus tam diversis, & mutuò pugnantibus clarè pa[tet] ejus scrupulositas, quando agitur de privilegiis Regularium, quæ ipse strictissimè interpretatur. Unde dato & non concesso, quod dictum privilegium fratrum minorum esset concessum ob meram necessitatem, & paucitatem Ecclesiarum, hæc causa debet existimari impulsiva tantùm, & non finalis ex doctrina supra tradita ab ipso Fagnano.

Objicit tandem Fagnanus: quod hoc privilegium, licèt sit insertum in corpore juris communis, non tamen cessat esse privilegium, &c. sed hoc jam supra rejectum fuit. Deinde addit: quod dato quod non sit privilegium, tamen existimandum est revocatum à Concilio Trident. sicut & plura alia revocata fuerunt: In quo tamen ipse affert pro ratione id, quod est in quæstione: & supra satis dictum est: Ex quibus patet, quod hæc opinio est incomparabiliter probabilior negativa, & potest tuta conscientia ad praxim reduci: sed videatur Diana *p. 1. tract. 1. resol. 5. & 14 & miscel. resol. 75.* ubi in simili resolvit hanc difficultatem.

DISPVTATIO IV.

De Pœnitentia, Virtute.

248 THeologi cum Concil. Trident. sess. 14. quarto loco tractant de Sacramento Pœnitentiæ, & hic ordo fundatur non in dignitate hujus Sacramenti, sed in usu, nam primo loco ponitur baptismus, qui est janua omnium Sacramentorum, deinde Confirmatio, & Eucharistia, quæ sunt Sacramenta vivorum, & per se peccata non supponentia: sed quia vita spiritualis in hominibus vel frequenter amittitur, vel levioribus peccatis maculatur, ideo post prædicta Sacramenta statim sequitur usus hujus Sacramenti Pœnitentiæ. Et quia in lege gratiæ pœnitentia virtus, & pœnitentia Sacramentum sunt adeo conjunctæ ut nec virtus valeat prodesse sine Sacramento pœnitentiæ, vel ordine ad ipsum, nec Sacramentum sine virtute valet consistere; ideo sub utraque ratione Theologi de pœnitentia disserunt: quod & nos sequentes vestigia Seraphici Doct. de utraque sublimissimè agentis faciemus: sed tamen ut distinctiùs procedamus primò de pœnitentia virtute in hac disputatione agemus, & in sequenti de pœnitentia Sacramento.

QUÆSTIO I.

Quid sit Pœnitentia in communi, & qualiter conveniant & disconveniant pœnitentia virtus, & Sacramentum: & an sit habitus infusus supernaturalis, an aquisitus.

249 TItulus hujus quæstionis continet plura dubia, & primò an pœnitentia virtus sit habitus distinctus à cæteris virtutibus: In quo aliqui DD. negativam sequuntur. Communior tamen Seraph. Doct. D. Thom. & aliorum est affirmativa: Secundò an sit habitus infusus, an aquisitus: Tertiò quodnam sit ipsius objectum. Pro solutione istarum difficultatum. Suppon. 1. cum omnibus DD. Catholicis, & Seraph. *l.4. d.14. sparsim:* quod pœnitentia secundùm ethimologiam nominis nihil aliud est quàm pœnæ tenentia: dicitur autem pœnæ tenentia in ordine ad peccatum commissum, pro quo expiando peccator in se assumit pœnam, seu dolorem: Hæretici autem nostri temporis non admittunt hanc descriptionem, sed volunt pœnitentiam propriè non includere dolorem de præteritis culpis, sed tantùm novam vitam, seu resipiscentiam, & mutationem vitæ: quæ expositio est contra omnes scriptores tum sacros, tum prophanos; ut videre est apud Suarez *disp. 1. sect. 1.* cum pœnitentia essentialiter respiciat actuum præteritorum dolorem, & pœnitentiam. Quatenus verò est virtus supernaturalis, & secundùm rationem completam respicit & futuros actus, scilicet emundationem: Sic Seraph. Doct. *d. 14. part. 2. dub. 4.* Unde pœnitentia propriè involuit actus internos animæ, & externos.

Suppon. 2. Habitum virtutis ideo superaddi in anima, adhoc ut tollatur aliqua difficultas in se exercendo circa aliquod objectum, unde semper superaddit ad potentiam aliquod accidens: Cum autem in voluntate adsit difficultas & quidem maxima in detestatione actuum præteritorum, & in emendationem vitæ, hinc sequitur, quòd necessariò ad hos actus debet superaddi aliquis habitus novus.

Not. 3. quod pœnitentia alia est naturalis, alia supernaturalis: prima detestatur peccatum, quatenus est læsivum naturæ: secunda quatenus est offensivum Dei, vultque emendam, & satisfactionem: prima potest esse sine gratia, & cum voluntate peccandi, ut est in damnatis, hæcque non est vera pœnitentia, sed tantùm abusivè: secunda est à gratia necessariò; sic S. Bon. *l. 4. d. 14. p. 2. art. 1. q. 3.* Advertendum tamen quod secundùm omnes Theologos & Seraph. Doct. potest dari pœnitentia naturalis procedens à lumine naturæ, quod dictat Deum Authorem naturæ non esse offendendum; de quo lumine vide S. Bon *l. 2. d. 39.* sed hæc pœnitentia tamen non conducit ad gloriam.

Concl. 1. Pœnitentia supernaturalis est virtus inclinans hominem ad detestationem peccati cum emendationis proposito, in quantùm peccatum est offensa Dei, & cum voluntate satisfaciendi Deo. Est communis cum Seraph. *l. 4 d. 14 in dubiis lateralibus precip. dub 4. & Confi ior. p. 3. sect. 51.* Prob. simulque explicatur: Dicitur virtus, quia detestari malum est actus honestus, & laudabilis à pœnitentia procedens tamquam ab habitu laudabili, & honesto, maximè quando habetur propter offensum Deum: ideo dicitur etiam supernaturalis, quia est dispositivus ad gratiam: Dicitur inclinans ad detestationem peccati, ut denotetur ejus objectum materiale: Dicitur, ut est offensa Dei, ut denotetur objectum formale, de quibus infra: & ut discernatur ab aliis virtutibus; nam aliæ virtutes detestantur vitium sibi oppositum, ut tale: pœnitentia verò detestatur peccatum, ut est Dei offensa; sicque patet, quod pœnitentia est specialis virtus ab aliis distincta, quæ est pars potentialis justitiæ, non subjectiva, quales sunt species justitiæ, ut distributiva, & commutativa, sed potentialis tantùm, id est habet ordinari ad alium, sed deficit à vera justitia cum deficiat à ratione æqualitatis in ratione compensandi Deum: de quo vide D. Thom. 2. 2. q. 80. quoniam per pœnitentiam aliquo modo compensamus Deum pro peccato commisso: Additur cum voluntate 250

luntate satisfaciendi Deo, quia talis voluntas requiritur ad remissionem peccati, ob idque involuit propositum de futuro emendandi vitam.

Dices: habitus cognoscuntur per actus, sed actus pænitentiæ est detestari omne malum in communi, quod est proprium aliarum virtutum etiam, ergo est virtus generalis, non specialis. R. quòd detestatur malum, sed tamen ut offensivum Dei, cui vult reconciliari, & per hoc differt à cæteris virtutibus, quod infra patebit.

251 Concl. 2. Pænitentia est virtus in aliquibus conveniens cum Sacramento, & in aliquibus disconveniens: Est etiam communis Theologorum. Probatur, & explicatur. Primò conveniunt in hoc, quod utraque est utilis medicina ad diluendum peccatum actuale, & si est mortale utraque est necessaria. 2. utraque versatur circa peccatum actuale. 3. utraque habet pro subjecto hominem adultum, sed tamen cum hoc discrimine, quod ut Sacramentum solùm spectat ad baptizatum, ut virtus se extendit etiam ad non baptizatum. 4. utraque potest iterari etiam circa idem peccatum: Disconveniunt postea: primò, quia pænitentia virtus est sub genere habitus, vel actus, Sacramentum verò sub genere signi. 2. pænitentia virtus est actus internus, licèt aliquando transeat ad externum, potest enim salvari in solo actu interno: ut Sacramentum verò addit etiam actum externum, scilicet confessionem, & absolutionem. 3. pænitentia virtus est quædam pars essentialis Pænitentiæ Sacramenti, quæ confunditur cum contritione: pænitentia verò ut Sacramentum est ipsum totum Sacramentum, quod involvit confessionem, dolorem, satisfactionem, & absolutionem. 4. pænitentia virtus est de jure naturali divino: dictat enim ratio naturalis detestandum esse peccatum commissum contra Deum: ut verò est Sacramentum est de jure positivo divino, scilicet de institutione Christi, antequam enim instituisset Christus hoc Sacramentum cum cæteris novæ legis, pænitentia erat tantùm virtus, non Sacramentum: sic Suarez cum cæteris Theologis.

252 Concl. 3. Pænitentia propriè sumpta est virtus Cardinalis ad justitiam spectans, & est habitus supernaturalis aquisitus auxilio supernaturali; per quod potest dici infusus. Est Seraph. Doct. *dist.* 14. *art.* 1. *q.* 3. Scoti, & sequacium, pluriumque Recentiorum: & quo ad primam partem est contra aliquos ipsam excludentes à ratione justitiæ: & quo ad secundam est contra Thomistas ipsam collocantes inter habitus infusos per se, & cum charitate: contra quos est S. Bon. *d.* 17. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 3. *ad ult.* Scotus, & sequaces. Prob. 1. pars primò, quia virtus Theologica immediatè respicit Deum, sed pænitentia respicit offensam Dei, & emendam faciendam: tum quia virtus inclinans ad puniendam transgressionem legis est justitia, ergo & pænitentia. Prob. 2. pars, quia pænitentia est dispositiva præcedenter ad justificationem, ergo non supponit charitatis infusionem, alioquin esset simul actus disponens ad charitatem, & simul effectus charitatis, quæ est quid posterius: tum quia si dicitur infusus simul cum charitate, id est, quia est habitus supernaturalis, sic Thomistæ: sed hæc ratio est nulla, ergo. Prob. minor, quia adhoc ut sit supernaturalis, non est necesse quod sit elicitus ab habitu infuso, sed sufficit ut virtute auxilii actualis supernaturalis producatur; ergo. Unde potest esse supernaturalis, simulque acquisitus virtute supernaturalis auxilii.

253 Objic. contra primam partem: Justitia est ad alterum: Pænitentia est ad se, quia pænitens punit in se peccata commissa; ergo non pertinet ad justitiam: Et confirmatur, quia potest satisfacere Deo per actum temperantiæ, & fortitudinis, ergo. Resp. S. Bon. *dist.* 14. *p.* 2. *dub.* 6. quod duplex actus est in pænitente; alter est ut est reus, & quatenus offendit Deum: & hac ratione debet judicari, & puniri; alter est ut pænitens, & justus, & secundùm hanc rationem debet peccatum adesse, & pænitens punit in se, & tunc accipit auctoritatem à Deo, & Deus est qui punit. Unde secundùm diversas rationes est ad se, & ad alterum: Ad confirmationem respondet S. Bon. *q.* 3. *cit. in corp.* quod tales actus aliarum virtutum sunt quidem elicitivè à propriis virtutibus, sed imperativè à pænitentia, & tali pacto commiscet sibi actus aliarum virtutum.

Objic. 2. proprium est justitiæ ponere æqualitatem inter excessum, & defectum, sed implicat creaturam ponere æqualitatem inter excessum peccati, & defectum offensæ cum Deo, ergo. Resp. per hoc solùm probari pænitentiam non esse justitiam in toto rigore, ut diximus in tract. de actibus humanis, sed esse talem tantùm analogicè.

Objic. contra secundam partem conclusionis 254 primò, quia ex Concil. Trident. *sess.* 6. *can.* 3. dantur aliqui actus pænitentiæ, quos sine speciali auxilio gratiæ elicere non possumus, ergo datur aliquis habitus pænitentiæ per se infusus. Prob. conseq. quia dantur habitus infusi adhoc ut sint principia actuum supernaturalium, ad quos viribus naturæ non possumus pertingere, ut sunt actus credendi, sperandi, &c. ergo si datur actus pænitentiæ, ad quos natura non potest pertingere, sequitur debere admitti habitum infusum pænitentiæ. Confirmatur, quia omnis virtus, quæ ordinat ad finem supernaturalem est per se infusa, cum vis naturæ non possit ad id pertingere; ergo & pænitentia. R. conced. antecedens, & neg. consequentiam. Ad probationem respondetur argumentum procedere à non distributo ad distributum. Dantur quidem actus supernaturales ad quos eliciendos requiritur habitus per se infusus, ut fides, &c. sed tamen non ad omnes actus supernaturales, ad id enim sufficit, ut concurrat potentia naturalis, & principium supernaturale, quale est auxilium actuale supernaturale, quod sufficit ad supernaturalitatem actus: & hæc doctrina deducitur ex Seraph. *d.* 17. *cit.* ratio autem hujus responsionis est per se clara, nam habitus per se infusus dicitur ille, qui totaliter à Deo creatur, & infunditur; & cum ab istis habitibus per se infusis exeant actus supernaturales, qui producuntur & à potentia naturali, simulque à principio supernaturali, hinc dicuntur supernaturales, ut sunt actus fidei, &c. igitur falsa, & incongrua illa Thomistarum consequentia, ut dictum est.

Instant: Omnis virtus, quæ per se ordinat ad finem supernaturalem est per se infusa: sed pænitentia est talis, ergo: minor est clara: major probatur, quia talis virtus vires naturæ excedit, ergo debet esse per se infusa. Confirmatur, quia ad finem supernaturalem requiruntur virtutes per se infusæ, ergo & ordinantes ad media proportionata, qualis est pænitentia. Resp. neg. majorem universaliter, sufficit enim quod virtus moralis etiam aquisita ordinet in finem supernaturalem, mediante Dei auxilio supernaturali, vel etiam imperio charitatis, & hoc sufficit ad talem ordinationem in finem supernaturalem: Et ad Confirmationem negatur paritas de habitibus per se ordinantibus in finem; isti enim

sunt per se infusi, & de habitibus ordinantibus media ad finem, ut est pœnitentia, quæ potest dici ordinare hominem in finem supernaturalem, quatenus ordinat media ad finem.

Dices: talis habitus pœnitentiæ aquisitus ex frequentatis actibus supernaturalibus virtutis pœnitentiæ erit naturalis; ergo naturaliter inclinabit ad pœnitendum sine auxilio supernaturali, quod est Pelagianum: Huic objectioni varii varias assignant responsiones: Amicus cum aliis Theologis admittit posse generari habitum ex actibus cujuscumque virtutibus etiam per se infusæ; sed tamen inducere rationem supernaturalitatis ex sua origine, quod & nos ex Seraph. D. rejecimus *in disput. de fide*: Mastrius *num.* 64. admittit talem habitum naturalem naturaliter inclinantem in actus naturales, non tamen ordinatos in Deum, & disponentes ad gratiam, nisi ex auxilio supernaturali, quod est probabilius, & conformius doctrinæ S. Bon. *supra cit. & d.*14 *p.*2. *q.*3. Ex quibus patet, quod actus pœnitentiæ sunt secundùm substantiam naturales, secundùm modum supernaturales, quatenus producuntur per auxilium Dei supernaturale in ordine ad justificationem, & ad Deum offensum.

QVÆSTIO II.

Quodnam sit objectum Pœnitentiæ, tum materiale, tum formale.

255 Primò suppon. cum communi ex Seraph. D. *l.*4. *d.*14. *p.*1. *in dubiis litteralibus & q.*1. *& seq.* Peccatum, ut sic, esse objectum materiale, in quod pœnitentia virtus tendit: nam pœnitentiæ munus est peccata perpetrata plangere, & plangenda non committere, unde duplex materia (ait S. Bon. *q.* 1. *ad* 3.) potest considerari in hac pœnitentia: altera ut vitanda quale est peccatum, altera ut amplectenda, & amanda, estque emendatio vitæ: Et hinc infertur, quod non solùm peccatum mortale, sed etiam veniale est materia pœnitentiæ, cum utrumque sit offensa Dei: sic sanctus Doctor *locis cit. & dist.*16. *q. ult.* Immo & aliquo modo originale, quatenus est offensivum Dei, & dignum pœna. Tota igitur difficultas est circa objectum formale, sub cujus ratione pœnitentia virtus differt à cæteris.

Prima opinio est Vasquez cum aliis pluribus, objectum formale esse compensationem Deo faciendam ob læsionem ejus. 2. Opin. esse jus divinum resarcire, & ponere æqualitatem cum Deo quoad sua bona, cum habeat jus in omnes actiones nostras: Sic Suar. *dist* 2. *sect.*3. cum aliis. 3. Opin. esse honestatem, quæ reperitur in ipsa reconciliatione, qua Deum offensum placamus, & nobis reconciliamus: Sic Lugus *dist.*2. *sect.*4. *seq.* 4. Opin. est Scoti asserentis esse peccatum ut vindicabile, & in pœnam commutabile per aliquam satisfactionem, vel satispassionem, nam peccatum ut est offensa Dei respicitur à charitate, ut est punibile à justitia, & pœnitentia: sic Mastrius *quæst.*2.

Seraphici Doctoris sententia est rationem formalem objecti pœnitentiæ esse ipsum peccatum prout destruendum, vel compensibile pro ut est injuria, vel offensa Divinæ majestatis, ejusque justitiæ: *Sic d.*14. *p.*1. *dub.*10. *& q.*3. *& q* 2. *ibid. ad* 3. ubi dicit quod pœnitentia detestatur peccatum, sed sub ratione speciali objectiva, & propria nempe in quantùm est à se perpetratum, & Dei offensivum, cui vult reconciliari, & emendam facere: huncque includit in ratione formali detestationem, &, dolorem de peccato, & voluntatem resarciendi divinum jus, & injuriam, & vindicare illam: per hoc conciliantur diversæ sententiæ Thomistarum, & Scotistarum, qui parum, vel nihil nisi verbis ab hac sententia discrepant.

Not. 1. quod certum est apud omnes Theologos, omnem virtutem respicere malum, & peccatum sicut & pœnitentia, unde in hoc omnes generalitates conveniunt: sed postea discrepant per hoc quod quælibet virtus per se respicit malum sibi oppositum, eo quia impedit bonum sibi proprium: sic fides dictat respuendam esse infidelitatem, spes desperationem, charitas aversionem ab amicitia Dei, & sic de singulis virtutibus moralibus dicendum proportionaliter, quæ non detestantur peccatum præcisè sub hac ratione formali quatenus est offensa læsiva juris, finis ultimi, & divinæ justitiæ; ob idque insurgit per actum elicitum à se compensationis, & consequenter per vindicationem, & satisfactionem: hoc enim est proprium solùm pœnitentiæ, sicut declarat Concil. Trident *sess.*6. *c.*6. ubi ait: Dum peccatores se esse intelligentes moventur adversus peccatum per odium aliquod, & detestationem; unde ut ait S. Doctor *q.*3. *cit.* pœnitentia, qua quis pœnitet propter Dei offensam, paratus ei facere emendam, & satisfactionem, est ex gratiæ dono vel gratum facientis, vel gratis datæ, hæcque disponit ad gratiam: unde in hac ratione formali objecti includitur & compensatio Deo facienda, & dolor de peccato commisso. 256

Not. 2. ex eodem Seraph. D. *d.*14. *dub.*4. quòd in pœnitentia potest considerari actus principalis, item & actus ei annexus, item & effectus: & secundùm hos tres respectus potest tripliciter definiri: primo modo sic: Pœnitentia est virtus perimens hominem veterem: Sic Glossa: vel: est dolor, vel amaritudo animæ pro peccatis, quæ quisque commisit: Sic S. Ambros. vel: est quædam vindicta dolentis puniens in se, quod dolet commisisse; sic August. quæ diffinitiones differunt solùm voce: Unde infert S. Doctor, quod actus principalis pœnitentiæ est dolere de commissis in Deum, vel detestare culpam præteritam: Actus autem annexus est nolle aliam perpetrare, & emendam vehere: addit postea definitionem triplicem de pœnitentia in ordine ad effectus suos, qui consistunt in reparatione animæ ad perfectum statum. 257

Not. 3. quòd, cum supra dictum sit actum principalem esse detestationem offensæ commissæ in Deum, ob idque & involvere dolorem, hinc diligenter advertendum, quod alius est dolor peccati quatenus vel elicitur, vel imperatur à charitate, habet enim pro objecto amicitiam perditam, & recuperandam; alius est dolor proprius pœnitentiæ, quo pœnitens dolet de peccato commisso contra Deum, quatenus est læsivum juris divini, & ipsi pœnitenti malum.

Not. 4. quod, cum in ratione formali objecti virtutis pœnitentiæ debeat contineri triplicitas actus, non enim potest consistere in multiplici actu, quia sic se haberent consequenter, vel causaliter, non enim possunt simul produci, hinc oritur dubitatio, quomodo pœnitentia virtus habeat pro objecto formali dolorem, & detestationem peccati, simulque voluntatem compensandi Deum per satisfactionem

tisfactionem: hinc advertendum ex eodem Seraph. *in dub.4. cit.* quod, cum actus principalis pænitentiæ sit detestatio, seu dolor de peccato commisso pro ut est injuria, & læsio Dei, & ipsi peccatori læsiva consequenter, hinc actui reflexo voluntatis consequitur necessariò actus annexus, qui est velle compensare Deum, & emendare id, quod commissum est: unde iste actus se habet veluti complementum formalitatis objecti pænitentiæ.

258 Concl. 1. Objectum formale pænitentiæ virtutis est detestatio peccati, quatenus est contra jus divinum læsum, cum actu annexo emendationis, & satisfactionis: Est S. Bon. *locis cit.* nec dissentiunt Suarez *d. 2. sect. 3.* aliique plurimi Recentiores, contra Scotum aliosque. Prob. 1. ex Concil. Trident. *sess. 6. c. 6.* ubi dicit, dum peccatores se esse intelligentes, moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem: & *sess. 14. c. 4.* Contritio est dolor animi, ac detestatio de peccato commisso. Prob. 2. à S. Doct. *d. 14. p. 2. dub. 6.* Pænitentia virtus est ad destructionem veteris hominis ordinata, & nemo potest vitam novam inchoare, nisi repudiet veterem; & nemo potest Dei amicus effici, nisi odiat, quod Deus odit: sed Deus odit peccatum odio vindictæ, & ipsum peccatorem, ergo pænitens etiam ipsum debet odisse, & inde de se rationem, & vindictam sumere, ergo prius est odium, & detestatio peccati pro ut injuriosum Deo, & postea satisfactio. Prob. 3. quia per formalitatem detestationis peccati pro ut est Deo injuriosum, & læsivum juris divini discernitur pænitentia ab omnibus aliis virtutibus, ergo. Prob. antecedens, quia sic est actus justitiæ: tum quia charitas detestatur peccatum sub ratione inimicitiæ divinæ: fides infidelitatem sub ratione credulitatis debitæ Deo, & sic de singulis: nulla autem alia detestatur peccatum sub dicta ratione præter pænitentiam, ergo. Prob. 4. quia si formalitas pænitentiæ est ratio vindictæ peccati, ut dicunt Scotistæ, ergo detestatio, & odium peccati erit quid consequens ad ipsam justitiam vindicativam, vel se habebit tamquam quid materiale, sed utrumque est impossibile, ergo. Prob. sequella, quia in opinione Scotistarum debent ista reduci ad talem ordinem causalitatis: Ideo pænitentia imperat odium peccati, ut in se vindicet ipsum peccatum, sicque odium est remedium ad volendam vindictam tamquam quid principalius: sed hoc est impossibile: ergo. Prob. minor; non potest quis in se assumere vindictam, nisi præcedat motivum talis vindictæ, si est rationabiliter factum: sed tale motivum non potest esse nisi peccatum ut læsivum juris divini, ob idque dignum omni detestatione, & odio; ergo iste actus erit prior & principalior, & veluti causa vindictæ, & satisfactionis.

259 Objic. 1. quia odium, & detestatio peccati est propria cujuscunque virtutis, ergo non est propria pænitentiæ: antecedens patet, quia fides detestatur peccatum, charitas omne peccatum: ergo. R. ut supra dictum est odium uniuscujusque virtutis esse proprium in ordine ad vitium sibi oppositum, & odium quod exercet charitas in ordine ad inimicitiam divinam: sed odium pænitentis est in ordine ad quodcunque peccatum, ut læsivum juris divini: sic neg. consequentia.

Objic. 2. cum Mastrio *n. 31.* Objectum formale pænitentiæ non potest esse peccatum sub ratione alicujus mali, seu privationis boni alicujus virtutis, ut de se patet, & supra dictum est, nec sub ratione offensæ Dei, quia hoc spectat ad charitatem, quæ vult in Deo omne bonum: nec sub ratione injuriæ, quia sic respicitur à justitia commutativa, quæ dicit compensationem pro offensa, & præscindit à pænali, & non pænali actione: nec sub alia ratione, nisi sub ratione vindicabilis, & per pœnam expiabilis: sic enim ad aliam virtutem non potest spectare nisi ad pænitentiam. R. hanc enumerationem Mastrii, esse mutilam: nam scilet de detestatione peccati quatenus est læsivum juris divini, & contra justitiam, ut resarciendam per pænitentiam, & frustrà hanc rationem restringit ad justitiam commutativam propriam; nam spectat quidem ad justitiam, sed lato modo ut supra dictum est, nam inter Deũ, & hominem non potest cadere justitia rigorosè sumpta; tali autem pacto justitia hæc respicit pro fine, Qui, & pro objecto, Quod, ipsum jus divinum, ut resarciendum per detestationem, odium, & dolorem: sic enim salvatur rectè justitia, quæ tribuit vindictam, & pœnam ob aliquod jus violatum.

Concl. 2. Pænitentia habet duos actus, unum principalem, alium annexum, & minus principalem: Primus est respicientia mali, & peccati ut læsivi juris divini: Secundus est respicientia boni, scilicet emendatio vitæ, & satisfactio: Est S. Bon. *supra cit.* & sequitur ex traditis, nam primò detestatur, & odit malum, deindè vult bonum, scilicet emendam, & satisfactionem. Ex quibus sequitur primò, quod pænitentia virtus habet suos actus in proprium suum bonum, quotquot habet voluntas in bonum: nam potest amare honestatem justitiæ ad Deum, desiderare operari circa talem justitiam, gaudere de tali justitia, vel etiam de dolore, & satisfactione: unde ait S. Bon. *d. 14. p. 2. dub. 7. & d. 16. q. 1.* sunt simul dolor, & gaudium: item & potest desiderare de futuro, & proponere bonum operari. Sequitur 2. pænitentiam habere omnes actus fugæ circa peccatum, quod odio habet, & detestatur ut præsens. 260

Q. 1. *An actus detestationis peccati jam commissi sit efficax, & absolutus, an conditionatus?* Resp. S. Bon. *d. 16. q. 1. ad 4. & in corp.* quod respectu actus præteriti, non est actus absolutus, sed conditionatus, qui explicatur per velleitatem, nollem peccasse, in ordine verò ad futurum, scilicet ad emendationem, est efficax, & absolutus, qui explicatur per (*Volo:*) Explicat hoc optimè Mastrius *n. 10.* dicens certum esse efficacem ad destruendum peccatum habituale, non ut jam præteritum, sed ut veluti præsens moraliter per modum habitûs jam non retractati: In peccatum præteritum ut tale non potest ferri actu absoluto, quo velit homo non esse commissum, cum jam id sit impossibile: sed solum actu conditionato, & affectu simplicis desiderii, quo vellet peccatum non fuisse commissum. Ex quibus solvitur alium dubium. 261

Q. 2. *An scilicet in Christo, & B. Virgine, & etiam in Beatis possit esse actus similis conditionatus pænitentiæ, v. g. si peccassem, vel peccarem, vellem satisfacere?* Multi negant, quia per talem modum non significatur actus præsens, sed futurum, & suspensum conditione: Probabiliùs verò dicitur posse actum voluntatis elicitum, qui sit præsens, & adhuc sit conditionatus circa objectum etiam impossibile, dummodò sit simplex, & displicentia vera de peccato; in quo casu conditio se tenet penès objectum, non penès actum: de qua re tractatur à Philosophis *in disp. de anima, &c.*

QVÆSTIO III.

Solvuntur plura dubia de pœnitentia.

262 Q. 1. *In quo subjecto sit pœnitentia?* Resp. S. Bon. *dist.* 14. *part.* 1.ª *art.* 2. *q.* 1. Pœnitentiam propriè non esse in omnibus potentiis, ut voluerunt aliqui, cum sit unus habitus, ob idque & in uno subjecto; secundò nec propriè in libero arbitrio, cum involvat intellectum, & voluntatem: sed esse in voluntate irascibili, licèt supponat actus alios justitiæ, nempè jus reddere quod est rationalis reconciliari Deo, quod est concupiscibilis, sed tamen ejus actus formalis est detestari culpam, & in ipsam fortiter insurgere, ob idque & odium involuit, quod est actus concupiscibilis.

Q. 2. *An pœnitentia sit prima virtus, & an ex timore oriatur?* Resp. S. Bon. *dist.* 14. *p.* 1. *q. ult.* & *penult.* quòd priùs est fides in intellectu: & consequenter postea pœnitentia, ob quam infunditur gratia, quæ pœnitentia oritur ex timore non servili, sed filiali cum desiderio reconciliationis divinæ.

263 Q. 3. *An pœnitentia sit valida ad tollenda omnia mortalia?* Resp. S. Bon. *dist.* 14. *part.* 2. *q.* 2. & 3. contra hæreticos, quod est valida ad tollenda quæcunque peccata etiam atrocissima, & quocunque tempore hujus vitæ mortalis: idque habetur ex pluribus textibus S. Scripturæ præcipuè Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor ampliùs: & id definitum est in Concil. Trid. *sess.* 6. *c.* 14. & *can.* 19. Vide P. Gaudent. qui affert ex Seraph. Doctore plurimos textos S. Scripturæ, & SS. Patres: qui etiam expendit aliqua dicta Sacræ Scripturæ, & SS. Patrum, quæ videntur recognoscere impossibilitatem remissionis alicui peccato, & probat nullum peccatum esse irremissibile, nisi illud, quod opponitur, & destruit pœnitentiam directè, ut est impœnitentia finalis, quæ involvitur etiam in peccatis contra Spiritum Sanctum.

Q. 4. *An necessaria sit pœnitentia actualis ad deletionem peccati mortalis, an sufficiat virtualis?* Resp. quæstionem solvendam esse in tractatu de contritione: certum autem est esse necessariam contritionem: an verò contritio, seu detestatio debeat esse actualis, quod communiter admittitur à Theologis, an sufficiat virtualis in aliquo casu, verbi gratia, in subeundo martyrium: probabilis est opinio affirmativa, licèt opposita non careat sua probabilitate, &c. sed plura de hac materia, & de remissione venialium per contritionem, & attritionem infrà tradentur.

Q. 5. *An per pœnitentiam resurgat homo in minori, vel majori charitate, quam habebat ante:* Resp. S. Bon. *d.* 14. *part.* 2. *art.* 2. *quæst.* 1. resurgere in majori, vel æquali, vel in minori secundùm quod magis anima, vel minus se disponit: exigit enim Deus dispositionem nostram.

Q. 6. *An pœnitentia restituat opera mortificata?* Resp. S. Bon. *ibid. quæst. ult.* affirmativè, cum enim essent opera tantùm mortificata, non mortua, ideo manent in memoria Dei, & post pœnitentiam remuneranda sunt. Sed quid si nunquam ampliùs resurgat? Respondent S. Bon. secundùm opinionem plurium Theologorum remanere in corpore mystico Ecclesiæ, & in utilitatem ipsius.

DISPVTATIO V.

De Pœnitentiæ Sacramento.

SUpra egimus de pœnitentia virtute, relictis variis quæstionibus, quæ ad ipsam spectant communibus cum pœnitentiæ Sacramento, ob idque infra solvendis. Hîc superest agere de hoc Sacramento Pœnitentiæ à Christo instituto.

QUÆSTIO I.

De essentia, & existentia, & necessitate hujus Sacramenti, & partibus ejus.

264 TItulus iste quæstionis supponit tamquam de fide dari Sacramentum pœnitentiæ institutum à Christo in signo sensibili tamquam medio necessario ad remissionem peccatorum, & tamquam tabulam exhibitam omnibus baptizatis, ad salutem: quod & fusè Controversistæ cum Gaud. *tract.* 5. *dist.* 2. probant contra hæreticos, maximéque modernos ablegantes ab ipsorum Sinagoga Satanæ hoc Sacramentum: In titulo autem ipso quæstionis involuuntur plura dubia, & præcipuè in quonam consistat hoc Sacramentum: & ratio dubitandi est, quia cum ad hoc Sacramentum concurrat pœnitens, & Sacerdos: & ex parte pœnitentis contritio, confessio, & satisfactio, & ex parte Sacerdotis absolutio, quæritur in quibusnam ex ipsis consistat essentia Sacramenti, & an necessarii sint dicti actus in pœnitente. His notatis.

Concl. 1. Pœnitentia est novæ legis Sacramentum consistens in actibus pœnitentis, & absolutione data à Sacerdote, quod institutum fuit à Christo per modum judicij emendativi ad remissionem peccatorum. Est communis cum Seraph. *l.* 4. *d.* 16. contra hæreticos: Dicitur Sacramentum novæ legis, quia ante Christum pœnitentia non erat Sacramentum: Dicitur institutum à Christo, quia solus Christus fuit institutor ipsius: Dicitur per modum judicii emendativi, quia per ipsum non condemnatur peccator, sed emendatur, & absolvitur, ideo additur ad remissionem peccatorum: Hæc omnia infrà clariùs explicabuntur.

Concl. 2. Hoc Sacramentum immediatè à Christo institutum est, & mediantibus Apostolis publicatum, tamquam necessaria tabula post baptismum? Est communis omnium Theologorum, & de fide cum Seraph. *l.* 4. *d.* 17. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 3. Hic memoria recolendum est, id quod à nobis de Sacramentis in genere, eorumque institutione facta à Christo 265

Christo dictum est ad explicandum sensum Seraphici Doctoris, q admittit insinuationem factam à Christo Apostolis, scilicet ordinationem, & institutionem, & ab ipsis publicationem, ad quem locum remitto Lectorem, ne actum agam: certum enim est apud Seraph. *hic, & in breuil. & in Centil. & in Comp. Theol.* hoc Sacramentum fuisse à Christo institutum, esseque ob id de jure divino: unde male ab aliquibus citatur in contrarium, sic autem Suarez *d. 17. s. 1. n. 9. citat.* S Bon. quasi asseruerit Christum immediatè non instituisse hoc Sacramentum, sed tantùm tradidisse potestatem absolvendi, qui etiam alios Theologos Catholicos citat Alensem, Ugonem, Victor. Jansen. quasi reliquerit in potestate Apostolorum modum liberum in particulari utendi hoc Sacramento: Faber verò citat eundem, quasi negantem talem institutionem; qui omnes à vero sensu S. Doct. aberrant, ut patet legenti textum Seraphicum, tam suprà citatum, tum *d. 18. a. 2. q. 1* præcipuè in argum. tum *d. 19. a. 3. q. 1.* tum *in Brevil.* tum *in Centil.* tum *in Comp. Theol.* in quibus, & aliis locis comparat institutionem Sacramenti Baptismi cum institutione Pœnitentiæ factam à Christo, & necessitatem utriusque; solumque differentiam assignat inter utrumque, quod baptismus, ejusque virtus tota est à Christo, & in Pœnitentia exigit actus pœnitentis, & jurisdictionem absolventis provenientem à Christo: Vide quæ fusè tradit P. Gaudent. *d. 2. q. 15.*

Prob. autem à S. Bon. cum cæteris Theologis primò; quia Sacramentum est sensibile signum invisibilis gratiæ, sed in Pœnitentia ex institutione Christi est sensibile signum, scilicet absolutio supponens peccatorum sensibilem expositionem, & remissio invisibilis per gratiam: ergo. Probat Seraph. Doct. *d. 17. cit. q. 3. arg. 1.* minorem: Sacerdotium fuit institutum à Christo ad remissionem, & absolutionem peccatorum, sed Sacerdotes non possunt, nec debent absolvere, nisi sciant à quo absolvant, sed posito posteriori ponitur prius, ergo si Christus instituit absolutionem, multò fortiùs confessionem. Prob. 2. quia hoc Sacramentum post baptismum est pernecessarium ad salutem, est enim secunda tabula: sed Christus per se immediatè instituit Baptismum, ergo & hoc Sacramentum: consequentia patet, quia institutio talis necessitatis solùm fit ab habente potestatem super hominem, ejusque opera.

Objic. 1. Sacramentis, quæ Christus instituit, ipse etiam usus est, sed non legitur ipsum unquam confessionem peccatorum excepisse; ergo ipsum non instituit. Resp. S. Bon. neg. majorem: aliquibus enim usus est, aliis nequaquam, sed reliquit ea exercenda à successoribus, & maximè hoc Sacramentum, & hoc cum instituisset baptismum pro remissione peccatorum omnium, ne daretur suo tempore ansa denuo recidendi in peccata, unde si absolvebat aliquando, id faciebat sine vocali confessione, quia sciebat omnia.

266 Concl. 3. Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuit à Christo post resurrectionem: Hoc habetur in Joan. *c. 20.* ubi dixit Christus Apostolis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c. & fuit determinatum in Concil. Trident. *sess. 6. c. 16. & sess. 14. c. 1.*

Dices: Christum dixisse Matth. 18. Quæcumque alligaveritis, ergo tunc eis dedit potestatem absolvendi. Resp. quòd ibi solùm facta fuit eis promissio de tali potestate: sicut quando dixit Petro Matth. c. 16. Tibi dabo claves, &c & talis potestatis usum habuit Petrus post resurrectionem, cum dixit ei Pasce oves meas, Joan. *cap. ult.* Tunc enim solùm instituit summum Pastorem cum suprema potestate Nec etiam ipsum instituit Christus cum dixit: Pœnitentiam agite, tunc enim locutus non est de pœnitentiæ Sacramento, quia nondum erat institutum: nec etiam cum Christus remisit Magdalenæ, & aliis peccata, hoc enim non fuit exercitium Sacramenti, sed propriæ auctoritatis.

Dices 2. Christus cum Apostolos consecravit in Sacerdotes in ultima Cœna eis contulit omnem potestatem, ergo tunc institutum fuit hoc Sacramentum. Resp. eis contulisse potestatem consecrandi, & ordinis: sed ipsam post resurrectionem complevisse per potestatem collatam absolvendi: sic etiam in ordinatione Episcopi primò confertur potestas consecrationis per illa verba: Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia, postea vero dicit Episcopus, Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c In quo facto tamen, cum primò conferatur potestas ordinis, ob idque & character, sequitur quod per subsequentia verba augeatur, & compleatur.

Concl. 4. Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter 267 constat materia, & forma, sicut cætera Sacramenta: materia autem remota sunt peccata: proxima sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio saltem in voto: forma est absolutio juridica ministri. Hæc conclusio est communis omnium Theologorum, & de fide cum Seraph. *l. 4. d. 22. a. 2. q. 2.* licèt inter ipsos sit aliqua discrepantia in modo explicandi; estque solùm de nomine, ut notant Caspensis, Mastrius, Gaudent. aliique, nempe quò ad significationem partium vel in recto, vel in obliquo, quæ diversitates nihil officiunt, ut mox dicetur. Prob. quia primarius, & adæquatus conceptus hujus Sacramenti est esse signum efficax gratiæ reconciliativæ peccatoris cum Deo per modum judicii absolutorii: sed hic conceptus non salvatur sine omnibus supra in conclusione exaratis; ergo. Prob. minor: nam judic alis absolutio essentialiter importat accusationem delicti cum proposito exequendi pœnam à judice infligendam, & ipsam judicis sententiam, & quatenus est signum gratiæ reconciliativæ cum Deo importat necessariò, vel supponit contritionem ex parte personæ reconciliandæ, sine qua perfecta reconciliatio intelligi nequit: ergo sine contritione, confessione, satisfactione, & absolutione non potest haberi perfectus conceptus hujus Sacramenti.

Prob. 2. Singillatim secundùm partes: & primò quo ad absolutionem, quia positis omnibus aliis sola absolutione deficiente non fit Sacramentum: ergo. Probatur quo ad actus pœnitentis, nam Concil. Trident. eos appellat veluti vel quasi materiam, & meritò, nam per formam absolutionis se habent ut materia determinata ab ipsa ad esse partes Sacramenti. Addit Seraphicus *d. 22. cit.* Pœnitentia pro ut est Sacramentum legis novæ habet rem, & signum, habet enim rationem causæ, & signi, sicut alia Sacramenta: Ratio causalitatis residet penes id quod est formale, ratio vero signi penes id quod est materiale: hoc materiale autem est humiliatio pœnitentis, sive quantùm ad actum contritionis, sive quantùm ad verbum accusationis, vel confessionis, sive quantùm ad pœnam satisfactionis: formale verò est verbum absolutionis sacerdotalis: quæ duo juncta significant pœnitentiam

nitentiam interiorem, secundùm quod per ipsam est remissio culpæ perfecta quantùm ad culpam, & ad pœnam: quo ad remissionem culpæ habet rationem signi exterius sacramentum, quantùm ad pœnam habet quodammodo rationem causæ: sicque patet quòd in hoc Sacramento res est remissio peccati perfecta, & signum est exterior pœnitentia, in qua est humiliatio, & confessio: res vero, & signum est interior pœnitudo: Vult S. Doctor dicere, quod contritio ut conjuncta confessioni significat gratiam interiorem, & quia per ipsam confessionem significatur, dicitur res, & Sacramentum simul; ad hoc enim ut aliquid sit res, & Sacramentum simul, non est necesse quod fiat à Sacramento tantùm, sed satis est ut significetur: sic etiam vinculum matrimonii non efficit gratiam, sed significat, & tamen est res, & Sacramentum, significans & significatum: sic & corpus Christi ut conjunctum cum speciebus significat Christum, & significatur per ipsas species; idque sufficit, ut contritio dicatur res, & Sacramentum, etiamsi præscindatur efficientia; sicque sumitur contritio non secundùm se, sed ut conjuncta cum confessione: sic S. Bon. *ibidem & ad argum.*

268 Objic. 1. Interior pœnitentia est virtus, vel actus virtutis Pœnitentiæ; sed gratiæ virtutum, & Sacramentorum sunt differentes, ergo interior pœnitentia non est res alicujus Sacramenti. Resp. S. Bon. transeat major: sed distinguitur minor: gratia virtutis, & gratia Sacramenti sunt differentes quantùm ad effectum, non quantum ad essentiam: quia utraque concurrit ad unum Sacramentum, nempe pœnitentia interior est res exterioris, quatenus scilicet ultra rectitudinem virtutis addit ulteriorem effectum, scilicet remissionem perfectam quo ad culpam, & pœnam, quando exterior est perfecta.

Objic. 2. Pœnitentia exterior est signum in hoc Sacramento, sed non est tale, quia non est causa interioris, nec interior est effectus exterioris, imò è converso; ergo. Resp. S. Bon. quòd pœnitentia exterior est simul causa, & effectus secundùm diversas rationes: nam præsentia, quatenus est dictaminis naturalis, qualis erat in lege naturæ, & scripta, est causata ab interiori, & humiliatione coram Deo, de quo vide S. Bon. *d.* 17. *p.* 2. *q.* 1. sed quatenus sacramentaliter absolvit à culpa, & pœna causatur à signo, & pœnitentia exteriori, scilicet à confessione pro ut includit gemitum contritionis; sicque per contritionem, confessionem, & satisfactionem tanquam per rationem materialem adveniente forma fit Sacramentum.

Dices ex Vgone: ex elemento, & verbo fieri Sacramentum, sed in hoc Sacramento nullum extat elementum corporale; ergo. Resp. S. Bon. in majori sumi elementum latissimè, scilicet pro aliquo sensibili, quale est in hoc Sacramento, nempe confessio, & absolutio.

269 Concl. 5. Hoc Sacramentum Pœnitentiæ est medium de jure divino saluti necessarium, & necessitate medii, & præcepti: Est communis Theologorum. Hic tamen notandum, quod Suarez. & Faber citant S. Bonaventuram quasi negaverit esse medium necessarium de jure divino, citatur & Scotus à Suar. & aliquibus aliis, sed malè, quia non satis legerunt Scotum, nec Seraphicum, qui *l.* 4. *d.* 12. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1. 2. & 3. docet, quod ab Apostolis datum, & vulgatum fuit præceptum omnibus peccantibus moraliter confitendi vocaliter peccata homini: cui à Christo data fuit hæc potestas judicandi, & arbitrandi inter Deum, & peccatorem, ut fusè probat *ibid. p.* 1. *a.* 1. *quæst.* 1. & 2.

Prob. autem conclusio à D. Bon. *loco cit. p.* 2. *q.* 3. Omnes mortali peccato lapsi tenentur pœnitentiam agere, & reconciliationem cum Deo quærere, sed modus, & medium necessarium ad id est pœnitentia à Christo instituta cum absolutione, & hoc est Sacramentum Pœnitentiæ, ergo est necessarium necessitate medii, & præcepti. Major est certa, & patet ex verbis Christi Matth. 9. Pœnitentiam agite, & ex Luc. *c.* 13. Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: Minor verò, quæ negatur ab hæreticis, probatur pluribus testimoniis allatis à Magistro *d.* 17. *in princip.* à S. Joan. Chrisost. allato in Sacris Canon. *cap. de pœnitentia; & in lib.* 3. *de Sacerd.* quia ad hoc instituit Christus Sacerdotes aptos ad solvendum homines à peccatis; ergo per hoc etiam ordinavit peccantibus confessionem faciendam ipsis Ministris: ergo necessarium est hoc Sacramentum necessitate medii, & præcepti, tum quia ex quo in peccato mortali necessaria est gratia necessitate medii, sed hæc non potest haberi nisi per contritionem, & in hac involuitur præceptum confessionis vel in re, vel in voto; ergo à primo ad ultimum necessitas adest utroque modo in Pœnitentia Sacramento: sic S. Bon. *d.* 17. *p.* 2. *quæst. a.* 1. tum quia hæc potestas data Sacerdotibus est judiciaria, & absoluta in ordine ad remittendum peccata, ergo & confessio consequenter necessaria est ad usum talis potestatis: Nec hinc valet inferri hanc potestatem esse quidem sufficientem ad absolvendum à peccatis, non verò necessariam: Non valet, inquam, quia ut notat S. Bon. *d.* 18. *q.* 1. & 2. quem sequitur Suar. certum est potestatem datam Sacerdoti esse per clavem datam Sacerdoti aperiendi, & claudiendi Cœlum, nempe esse potestatem positivam ad remittenda mortalia, & negativam, nempe ut non sint remissa, quæ ab arbitrio sunt retenta. Vide S. Bonav. *d.* 17. *part.* 2. *quæst.* 2.

Objic. 1. Qui habet justitiam, habet omne quod est ad salutem necessarium, sed sæpe ante confessionem homo per contritionem est justificatus, ergo habet omne necessarium ad salutem, ergo non est necessaria confessio. Et si dicas cum Seraph. Doct. *d.* 17. *proximè cit.* includi ad contritionem etiam præceptum confessionis, sine qua non potest conservari justificatio habita. Contra, quia, vel est necessaria confessio ad deletionem culpæ, vel pœnæ, sed neutro modo: ergo. Prob. minor: non quidem pœnæ, quia jam est deleta: nec pœnæ, quia potest esse tanta contritio, quod deleat etiam pœnam, vel potest deleri per pœnitentiam satisfactoriam exteriorem: ergo. R. S. Bon. admissa responsione data ad primam objectionem, quòd necessitas non est præcisè propter deletionem culpæ, vel pœnæ, etiamsi hæc ratio etiam involuatur in ipso præcepto, sed principaliter ratione institutionis factæ sub præcepto tanquam medio necessario ad salutem. 270

Objic. 2. Duplex est forum, scilicet Dei, & Ecclesiæ quo ad punitionem peccati: primum est in Purgatorio, secundum in Ecclesia, sed potest quis eligere forum Dei, ergo forum Ecclesiæ tunc non est necessarium. Resp. S. Bon. pœnitentem, quamdiu est in hac vita subjectum esse foro Ecclesiæ, à quo non potest appellare sine contemptu, &

& injuria ipsius Ecclesiæ tunc non potest admitti in foro Dei.

Dices: Potest quis conteri absque eo quod aliquid cogitet de confessione: ergo in hoc casu est justificatus, nec ullum contemptum habet fori Ecclesiæ; ergo quandiu non cogitat, si tunc moriatur, salvabitur sine confessione. Resp. S. Bon. quòd defectus cogitationis de confessione potest esse ex duplici causa: primò propter intensionem maximam doloris: & tunc involuitur virtualis voluntas confitendi: secundò propter alias occupationes externas, tunc si negligens notabiliter est, tunc virtualis contemptus intervenit, nec excusatur.

271 Concl. 6. Ex traditis Pœnitentia Sacramentum potest sic definiri: Absolutio hominis peccatoris pœnitentis à Sacerdote, clave non errante, pœnam æternam in temporalem divina auctoritate commutante: Sic Seraph. Doct. in Op. declar. termin. Clariùs Scotus sic definit. Est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote jurisdictionem habente ex institutione divina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato: quæ duæ definitiones in idem recidunt: In quibus quatuor causæ explicantur, nempe causa formalis per ly, Absolutio: verba enim sunt absolutoria: per ly hominis pœnitentis causa materialis: Actus enim pœnitentis sunt materia proxima: per ly à Sacerdote, &c. causa efficiens: & per ly absolutionem animæ causa finalis proxima: tum etiam quia in hac definitione est genus, scilicet absolutio, & reliqua habent rationem differentiæ comprehendentis omnes rationes essentiales hujus Sacramenti.

Q. *An hoc Sacramentum sit unum per se?* Resp. quòd si partes sumuntur secundùm se, constituunt unum per accidens, si verò sumuntur in ordine ad signum, & ad rem significatam per materiale, & formale est unum per se specie specialissima, ut per se patet, quia omnia ad unum per se ordinantur, nec potest dividi in plura Sacramenta.

QUÆSTIO II.

De materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

272 Supra aliqua tradita sunt de materia, & forma Sacramenti Pœnitentiæ, sed non ex professo, cum sint scitu necessaria, ideo in hac quæstione exactius discutienda sunt. In qua quæst. quæritur quænam sit materia remota, & proxima, item & forma Sacramenti hujus, & hac occasione plura dubia solvenda sunt.

Concl. 1. Materia remota hujus Sacramenti sunt peccata: quæ, si sunt mortalia, sunt materia necessaria; si sunt venialia, vel etiam mortalia aliàs rectè confessa, sunt materia sufficiens. Est communis omnium Theologorum cum Seraph. *l. 4. d. 17. p. 1. a. 2. q. 1.* Prob. 1. pars: Confessio est unum ex Sacramentis novæ legis, & à Christo institutum pro secunda tabula, & pro naufragis, qui post baptismum perdiderunt gratiam per peccatum: ergo pro peccato mortali præcipuè institutum est: ergo peccatum mortale est materia necessaria, quia sine pœnitentia vel in re, vel in voto, quando adest impedimentum, non potest quis salvari: ergo. Prob. 2. pars, quia pro venialibus adsunt etiam alia remedia: ergo venialia non sunt materia necessaria, sed tantùm sufficiens absolutè, & præcisè loquendo. Prob. 3. pars; de mortalibus confessis cum communi Theologorum, & Seraph. *d. 18. a. 2. q. 2. ad ult.* Qui unanimiter in in hoc conveniunt exceptis Nominalibus, formam absolutionis posse cadere super peccata mortalia aliàs confessa, & etiam remissa: Probatur vero primo ex Benedicto XI. in Decretali de privil. & in cap. quem pœnitet de pœnitentia; & ex Leone X. in Bulla contra Lutherum, qui hanc conclusionem docent, & determinant: tum quia hæc est pia praxis Ecclesiæ admittentis confessiones generales: tum quia posita materia, forma, & non posito obice recta intentione accedens recipit Sacramentum, sed totum concurrit in nostro casu; ergo. Tum quia etiamsi in absolutione non obtineatur primus effectus, scilicet absolutio à peccato, obtinetur tamen secundus effectus, scilicet receptio, vel augmentum gratiæ; quo pacto admittitur in B. Virgine & Apostolis receptio Baptismi: Addimus cum Lugo etiam in hoc casu absolutionem cadere super idem peccatum posse pluries absolvi. *Vide Mastr. n. 380.*

Hîc tamen diligenter advertendum, quòd communiter docent Theologi materiam proximam non posse subjici novæ formæ, v. g. eidem ablutioni baptismi, eidem confessioni, contritioni, &c. sed benè eidem materiæ remotæ, ut patet de aqua baptismali, quæ pluries potest adhiberi: sic & in proposito iisdem peccatis competere potest nova absolutio, dummodo nova contritio, & confessio concurrat: licèt non desint sustinentes non requiri novum dolorem, sed sufficere novam confessionem tantùm: sic Diana *p. 2. tract. 4. resol. 116.* Habet ex Scoto.

Q. *An materia mortalis dubia sit materia necessaria confessionis?* Resp. S. Bon. *cit. ad ult.* cum communi affirmativè: tenetur enim homo in tuto ponere suam salutem. Addunt hic Suarez, & alii, primò quòd si est dubium, an sit peccatum, vel mortale, vel veniale tenetur præbere aliquam materiam certam, minimè autem si non est certus, quod sit saltem veniale: secundò si postea certus fit, quod sit mortale debet iterum ipsum confiteri, aliqui tamen id negant, sic Caramuel, aliique.

Concl. 2. Materia proxima hujus Sacramenti est contritio, confessio, & satisfactio. Est communis omnium Theologorum, excepto Durando, qui vult solam confessionem esse materiam proximam, sed tamen involventem cæteras partes. De confessione patet apud omnes, & id probat Seraph. *d. 17. p. 1. q. 4. & p. 2. q. 1. in corp. ad finem, & q. 2. & 3. in corp.* quia Sacramentum hoc institutum fuit ad modum judicii, sed ante judicis sententiam necesse est, ut præcedat accusatio voluntaria rei, & delicti manifestatio, & hoc fit per confessionem, ergo ista debet præcedere: sic & SS. PP. omnes docent. De contritione patet ex eadem ratione: nam cum ista accusatio rei sit ordinata ad reconciliationem cum Deo obtinendam, sequitur quod ista debet præcedere. De satisfactione autem etiam patet ex eadem ratione, quia ad integritatem judicii pertinet inflictio pœnæ vindicantis culpam: ergo & satisfactio debet concurrere, saltem in voto inclusa in contritione, in qua etiam includitur propositum cessandi à peccatis. 273

Objic. cum Durando: Contritio est actus internus, sed Sacramentum est signum sensibile, ergo.

Et.

Et si dicas contritionem reddi sensibilem per actus humiliationis, & confessionis, non valet, quia illi actus indicant voluntatem confitendi, non verò sunt signa sacramentalia. Resp. admissa responsione data in objectione, cum Seraph. *d.* 21. *a.* 2. *q.* 2. *ad ult.* in quo quærebatur in his tribus actibus ratione cujus ex ipsis dicatur exterior, vel Sacramentum, & ratione cujus dicatur interior: Resp. inquam S. Doctor, quod ratione omnium trium: sumitur enim contritio pro exteriori gemitu: nec tamen tria sunt Sacramenta, sed illa tria ut unum perfectum signum significant pœnitentiam perfectam; & hoc patet, quia si pœnitet verè corde, ergo dolet, & hoc significatur per gemitum contritionis, ergo detestatur culpam, & redarguit, & hoc significatur per verbum confessionis, ergo habet voluntatem emendandi, & hæc significatur per pœnam satisfactionis: sicque patet quomodo sunt signum, & res, & concurrunt in unum Sacramentum. Et si dicas non esse simul. R. S. Bon. esse simul quantùm ad propositum, & voluntatis votum, & per hoc unum manet in alio, ut de se patet. Qua doctrina Seraph. resp. alteri objectioni Durandi talis tenoris contra satisfactionem.

Materia præsupponitur formæ, at satisfactio sequitur formam absolutionis; ergo. Et confirm. in aliis Sacramentis, in quibus forma, si materia est multiplex, ut in Eucharistia, etiam competit pars propria suæ materiæ: sic & in Extrema Unctione: Et hinc Petrus Osma reprehendit usum Ecclesiæ Latinæ dantis absolutionem ante satisfactionem factam, quod non practicat Ecclesia Græca, qui sensus Osmæ à Sixto I V. condemnatus est, tanquam error. Resp. autem ex tradita doctrina Seraphicâ formam informare etiam ipsam satisfactionem, quatenus voto acceptatur, & includitur in contritione: vel etiam ut dicit *d.* 16. *p.* 1. *dub.* 1. quatenus ipsa satisfactio acceptatur per ordinem ad claves, ob idque per quandam moralem conjunctionem cum forma Sacramenti, & tali pacto habet sacramentalem significationem, & efficaciam ex opere operato. Addimus tamen cum Suar. interiorem pœnitentiam ut informem esse Sacramentum, & partem Sacramenti in ratione dispositionis, & maximè si sit attritio; ut formatam verò per gratiam sacramentalem esse rem Sacramenti, quod ex inferioribus magis patebit.

274 Concl. 3. Forma hujus Sacramenti sunt illa verba, Absolvo te à peccatis tuis: prolata verbaliter in sensu judicativo, & non deprecativo. Est communis Theologorum. N. tamen hîc, quod ab aliquibus Doctoribus, qui non legerunt scripta Seraph. Doct. nec ea expenderunt, citatur idem S. Doctor, quasi asseruerit formam hujus Sacramenti habere tantum sensum deprecatorium, non verò judicativum, quod patet esse falsissimum *in d.* 8. *a.* 2. *q.* 1. *&* 2. ubi patenter dicit formam absolutionis proferri modo judicativo, & absolutorio, licèt addat quod Sacerdos tanquam mediator inter Deum, & peccatorem, ideo præmittit orationem deprecatoriam, Misereatur tui omnipotens Deus, &c. & tunc se habet Sacerdos per modum supplicantis, & veluti trahentis peccatorem ad Deum, facientisque Deum descendere ad peccatorem: deinde se habet per modum superioris, & judicis dicendo, ego te absolvo, & tunc habet potestatem reconciliandi peccatorem cum Deo, & Ecclesia; hincque. Pr. à S. Doct. ibid. primò, quia Sacerdos se habet per modum arbitri, & judicis à Deo constitui, sed ut talis profert sententiam, ego te absolvo, &c. ergo modo judicativo, & absolutorio; sed de hac materia fusè in sequenti quæst. agitur.

Q. *An absolutio data sub conditione sit valida?* R. 1. communiter DD. quòd si conditio sit de futuro, invalida est absolutio, non enim potest remanere suspensa: conditio vero de præsenti, vel præterito v. g. si es dispositus, te absolvo, vel si hoc est peccatum, vel si commisisti hoc peccatum, te absolvo, valida erit: de quo possunt videri Summistæ: sed quia major difficultas est circa sensum hujus formæ, ideo sit.

QUÆSTIO III.

Quid significent, & efficiant verba formæ.

Prima opinio affertur communiter asserens formam absolutionis non ferri super culpam, atque adeo non significare, ego te absolvo, sed solùm absolutum te declaro: citatur communiter Magister, Alensis, Medina, & Seraph. D. sed malè. 2. op. communis Theolog. est hæc verba significare, & efficere absolutionem à culpa sacramentaliter: quæ sententia est verè Catholica, & conformis sacris Conciliis: Contra quam citatur falsissimè Seraph. Doct. unde meritò P. Gaud *d.* 2. *q.* 14. conqueritur quod à tot proceribus viris de S. Theologia aliàs benemeritis communiter more gregario in frusta tam concisus, & falsis citationibus, & sensibus adulteratus sit vir totus Seraph. & piissima doctrina, simulque subtilissima, & fundatissima super omnes imbutus: quare hic breviter expendendus, & afferendus sensus S. Doct. à nobis, qui *d* 18. *a.* 2. *q. cit.* primò asserit, Sacerdotem non remittere peccata ut agens principale, ita ut sensus sit, ego te absolvo, idest ego deleo peccata tua, & confero tibi gratiam sanctificantem, quæ assertio est de fide, solus enim Deus, ut agens principale dimittere potest peccata, & creare, conferreque gratiam, quodque patet ex pluribus textibus S. Script.: ut Isai. Ego deleo peccata, & Marci 2. &c. 275

Si autem quæras: *Quomodo apud Seraph. Doct. concurrat Sacerdos?* R. S. Doct. *d.* 18. *in dub.* 1. explicans sententiam D. Ambros. quod triplex est modus dimittendi peccata: primus est secundùm clavem auctoritatis: & hæc est solius Dei, nam Deus est agens principale: secundus est secundùm clavem excellentiæ, & hæc est solius Verbi incarnati: nam extra Sacramentum dimittebat peccata: tertius est secundùm clavem ministerii, & hæc est Sacerdotis, qui ministerialiter, & instrumentaliter concurrit effectivè ad deletionem peccati in foro præsenti, quod est misericordiæ divinæ: idem & & tradit *in Brevil. p.* 6. *c.* 10. sed quia *in a.* 2. *q.* 1. *in fine corp.* videtur S. Doct. negare Sacerdotis potestatem se extendere ad delendam culpam, nisi per modum precantis, & impetrantis, hinc sine alia consideratione à rigidis Censoribus citatur S. Doct. pro opposita; in quo valde hallucinantur: nam S. Doct. in eadem quæst. & præcipuè in fundamentis clarè se explicat se loqui de auctoritate principalis agentis ordinata ad creationem gratiæ & ad deletionem culpæ, & eodem modo loquitur de baptismo; & circa hanc, ait, Sacerdotem se habere per modum precantis, & impetrantis per orationem, quam absolutioni præmittit, ut loquitur in corp. & postea in secunda quæst. ibid. ad ultimum docet, quod Sacerdos, cui fit confessio, totum remittit: &

& si eadem peccata denuò alteri confiteantur ipse non remittit: bonum autem est denuò confiteri (ait ipse) cum propter instructionem, tum propter majorem certitudinem, tum propter intercessionem, scilicet precationem, & impetrationem supra traditam, tum propter verecundiæ meritum, & auctam satisfactionem, & humiliationem; unde patet S. Doct. clarè distinguere illam vim precatoriam ab absolutione; sed videatur cit. Gaud. qui doctissimè eximit Seraph. Doct. ab omni mala censura nimis præcipitanter inusta à dictis Doctoribus nimis rigidis.

276 Prob. ergo primò ex S. Doct. *d.* 22. *a.* 1 *q.* 1 *&* 2. Absolutio sacramentalis est reconciliatio peccatoris cum Deo, & cum Ecclesia virtute clavium à Christo collatarum Sacerdoti, tanquam judici arbitranti: sed hæc habetur à Sacerdote per modum ministerii, & ministerialiter per verba: *Ego te absolvo*, &c. ergo Sacerdos concurrit ut Minister Christi, & efficienter: id fusè probat Seraph. *l.* 4. *d.* 18. *cit. a.* 1. *q.* 1. *&* 2. *a.* 2. *&* *d.* 22. *cit.* Confirm. quia id fit à Sacerdote virtute clavium, quas Apostolis, & successorib. tradidit Joan. 20. & Matth. 18 *quorum remiseritis, & solveritis*, quæ in proprio, & rigoroso sensu significant remissionem peccatorum quo ad culpam, quæ solum claudit regnum Cœlorum, ergo si per potestatem Sacerdoti collatam solvit, solvit primariò culpam. Tum quia ut arguit Seraph. D. & postea Concil. Trid. *se.* 14. *c.* 6 Absolutio Sacerdotis licèt sit alieni beneficii dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium annunciandi Evangelium, vel declarandi peccata esse remissa, sed ad instar actus judicialis, quo ab ipso velut à judice sententia pronuntiatur dicens: Ego te absolvo, à peccatis; ergo ad id concurrit effectivè ministerialiter Sacerdos: Prob. conseq. quia vis horum verborum, *Ego te absolvo*, est reconciliandi peccatorem cum Deo absolvendo à culpa, ergo. Tum etiam, ut arguit Seraph. *d.* 22. *cit.* si non deleretur culpa per absolutionem, esset necesse ut prius deleretur per contritionem, sed multi accedunt ad confessionem cum sola attritione, ergo dicendum est deleri per confessionem, & absolutionem ipsa culpa, & non pœna tantùm.

Dices: neminem posse remittere peccata, nisi solum Deum, ergo falsa conclusio: hinc est quod S. D. sæpè clamat Sacerdotem non posse in culpam. R. ex Seraph & communi verum esse loquendo auctoritativè, sed neg ministerialiter: hanc potestatem enim habet Sacerdos virtute clavium collatarum. Ex quibus patet citari malè S. D. pro 1. sent. nam semper in hoc stat firmus, quod auctoritativè absolutio à culpa est à Deo, ministerialiter à Sacerdote.

Concl. 2. Verba essentialia formæ hujus Sacramenti sunt, *Ego te absolvo*. Est communis Theolog. ratio est, quia Sacerdos absolvit ut judex, & arbiter à Deo constitutus, ergo debet ut judex per verba proferre sent. sic etiam Concil Trid. decernit: unde sequitur non sufficere, ut aliquo alio signo externo proferatur sent. v. g. per scripturam, quicquid dicant aliqui: ideo forma debet voce humana proferri. An verò verba sequentia, scil. *à peccatis tuis, in nomine Patris, &c.* sint essentialia formæ, utraque opinio affirmans, & negans est probabilis; attamen quia in administratione valida Sacramentorum ex decreto Innoc. XI. in propositione primâ non est licitum sequi opinionem probabilem, relicta tutiore, hinc est, quòd nunc non potest quis uti hac sententia admittente posse omitti dicta verba conseq. 277

DISPVTATIO VI.

De Contritione, & Attritione.

CUm supra dictum sit, partes hujus Sacramenti esse contritionem, confessionem, & satisfactionem, & cum satis explicata fuerint ea, quæ ad ipsum Sacramentum in communi spectant, hinc ad istas tres partes singillatim explicandas transeundum est; & primo loco contritio, & deinde attritio occurrit.

QUÆSTIO I.

Quid sit contritio, & quomodo ab attritione differat.

278 SUp. 1. ad remissionem peccatorum requiri internam pœnitentiam, quæ est dolor de peccatis commissis cum proposito satisfaciendi Deo, & ampliùs non peccandi: sed quia iste dolor est duplex scil. imperfectus, & perfectus, ideo primus dicitur attritio, secundus contritio. Sup 2. ex S. Bon. *l.* 4. *d.* 16. *p.* 1. *dub.* 3. *&* *q.* 1. *ad ult.* quòd contritio est nomen metaphoricum sumptum à rebus naturalibus, sicut enim dicitur aliquid conteri, quod, cum antea durum est, in minutissimas partes postea comminuitur, ut destruatur, sic voluntas hominis dicitur conteri, quia cum antea fuerit indurata in peccato postea emollitur per gratiam, & abolentur in eâ tum peccatum, tum effectus peccati: vel quia in ea conteruntur per dolorem, & gratiam peccata: unde dicitur contritio quasi cordis tritio, vel contritio, idest tritio cordis simul & peccati: attritio verò non est tam minuta tritio; cum sit imperfectus dolor: atterere enim propriè significat rem frangere: conterere verò in pulverem redigere. vel etiam in nihilum reducere.

Suppon 3. Quòd contritio est dolor de peccato, ut ait August & Concil. Trident. Hinc autem dolor potest sumi duobus modis: primo pro ipsô dissensu voluntatis, actusque ipsius: secundo modo pro ut est passio resultans ex illo dissensu in sentientem, vel sensualitatem; primus est essentialis contritioni, non secundus.

Concl. 1. Contritio rectè definitur: Contritio est dolor, seu detestatio de peccato, ut est offensa Dei super omnia detestabilia propter Deum summè dilectum cum spe veniæ, & proposito non peccandi de cætero, & servandi præcepta Dei, & 279

& præsertim illud quod est de contritione sacramentali, & de satisfactione suo tempore facienda. Sic cum communi Seraph. *l.4.d.16 per totam p.1.& Centil. & Op. Comp. Theol.* Explicatur, & probatur. Dicitur, dolor, non quidem sensitivus, ut dictum est, sed dissensus, vel detestatio, vel displicentia voluntatis sibi displicentis, & tristitiam habentis de peccato commisso: dicitur, peccati, ut est offensa Dei, & objectum contritionis: unde detestari peccatum ut est malum, & noxium naturæ, vel ob pœnam, non est contritio: dicitur, super omnia detestabilia, scilicet super omnia mala pœnæ in communi, & non in particulari apprehensa: dicitur, propter Deum summè dilectum, ut excludatur à ratione contritionis dolor peccati, quatenus adducit reatum pœnæ æternæ: dicitur, cum spe veniæ, quia includit spem de remissione, & excludit desperationem de misericordia: dicitur, cum proposito non peccandi de cætero, quod propositum involuitur implicitè in dilectione Dei super omnia, sicut & propositum servandi præcepta Dei, & maximè in ordine ad confessionem, & satisfactionem.

Hinc patet quare iste dolor dicitur contritio: nam, ut dictum est supra, & tradit fusè S.Bon. *d.16. q.1.* cor, quod priùs est vas fictile plenum veneno, conteritur, & inter molam superiorem, scil. spem veniæ, & inferiorem scilicet timorem pœnæ in minutissimas partes, ad hoc ut emollescat, & totaliter effundatur, & fiat novum vas per gratiam, & humorem lachrymarum, sicque partium tritarum fit nova unio, ob idque dicitur contritio, idest partium tritarum unio nova, in quo non remanet nec odor, nec sapor veneni: Non sic in attritione, in qua fit fractio in majores partes, in quibus remanet sapor aliquo modo.

Objic. 1. Si contritio est dolor, ergo debet esse ex conjunctione disconvenientis objecti: sed non est talis, ergo. Major patet ex definitione doloris apud Arist. minor prob. quia potiùs ex dissensu disconvenientis, scilicet peccati commissi generabitur gaudium. R. S.Bon. *d.16.q.1.& a.2 q.2.ad 5.* quòd in contritione est dolor, & gaudium; dolor ex dissensu cum conjunctione cum peccato commisso detestato jam præterito, & quod non potest fieri, quod non sit commissum, sic enim nollet pœnitens peccasse: inde postea sequitur gaudium ob dissensum, & fugam à re disconveniente: unde dolor sine gaudio est desperatorum, ait S. Doct. *ibid. q.2. ad 1.*

Objic. 2. Dolor est de peccato commisso, sed quod transiit in præteritum est necessarium, nec potest, quod non fuerit factum, ergo est de re impossibili: sed contritio est actus virtutis pœnitentiæ, ob idque absolutus, & cum pleno consensu, non velleitas, ergo non est dolor. R. contritionem esse dolorem de re, quæ jam transiit in præteritum, ob idque simul velleitate, & voluntate absoluta illud detestatur: ex parte enim objecti velleitate non vult illud peccatum, quia impossibile est non fuisse, & ob id nollet fuisse: ex parte verò voluntatis detestantis, illud detestatur voluntate absoluta, quatenus objectum detestatum est præsens aspectui.

280 Q. *An contritio sit actus virtutis pœnitentiæ, an verò alterius, vel etiam omnium virtutum.* R. Seraph. *d.16. q.1.* esse actum formalem pœnitentiæ virtutis: ratio est, quia ut supra traditum est, pœnitentia est virtus specialis, ergo specialiter gignit dolorem de peccatis, ob idq. est dissensum voluntatis, sed in seq. quæst. discutietur magis præcisè hæc difficultas.

Dices proprium est omnium virtutum detestari oppositum peccatum, ergo contritio pertinet ad omnes virtutes. R. S. Bon. quamlibet virtutem detestari peccatum, pro ut sibi opponitur, at contritio detestatur omne peccatum, pro ut est Dei offensivum, quæ ratio est propria contritionis.

Q. 2. *Qualis dolor sit in contritione, scilicet an debeat esse maximus super omnes alios?* R. S.Bon. *d.16. p.1.a.2.q.1.& a.4.q.1. & Comp. Theol. l.6.p.14.* quòd dolor si est sermo de dolore passione, de qua supra dictum est, non est necesse quòd dolor sit major, quàm alius dolor quicumque sensitivus, nam talis dolor non est in potestate nostra; est enim dolor Dei donum speciale secundùm suam divinam dispositionem collatum: loquendo postea de dolore essentiali, seu de detestatione peccati, hæc debet mensurari per charitatem, quæ importat amorem in Deum super alios amores, & vocatur amor excellentiæ: sic & dolor contritionis debet excedere omnia alia mala sive temporalia, sive æterna: & ratio est, quia culpa aufert summum bonum, per consequens debet esse dolor excedens omnem amissionem cujuscumque alterius boni. Advertit tamen S.Doct. sicut & D.Thom. cum aliis Theolog. nos non teneri comparare singillatim istum dolorem cum cæteris malis, imò hoc in imperfectis est valde periculosum, & ab hac comparatione debet abstinere se Sacerdos cum pœnitentibus, cum sufficiat in communi detestari peccatum super omnia quæcumque mala: *Vide ibid. Seraph.* qui plura affert valde moralia, & notabilia. 281

Q. 3. *An contritio sit motus successivus, an instantaneus?* R. S.Bon. *d.16.a.3.q.1.* quòd, si consideratur contritio quantùm ad durationem, est successiva, cum duret longo tempore: si quantùm ad esse, quia est actus fixus in detestatione peccati, & actus ut quies, sic est in instanti: si quantùm ad fieri, sic ratione præparationis est successiva, quia multa oportet considerare: sed tamen ipse dissensus est in ultimo instanti: *Vide ibid. S. Doct.*

QUÆSTIO II.

An contritio sit actus charitatis, vel pœnitentiæ.

Sensus hujus tituli est, an contritio sit actus à charitate elicitus, an tantùm imperatus, vel an solùm involuatur dilectio Dei super omnia vel implicitè, vel explicitè: secundò an contritio necessariò sit ex motivo charitatis, ad hoc ut sit dispositio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum, an verò possit esse etiam ex solo motivo justitiæ. 282

In hac quæstione prima opinio docet, perfectissimam contritionem elici à charitate, à qua in esse, & in fieri dependet, eò quòd contritionis objectum est detestatio peccati, quatenus est contra Deum summè dilectum, ob idque debet esse actus perfectæ amicitiæ: Doctores tamen hujus sententiæ assertores divisi sunt, nam aliqui volunt, contritionem esse actum imperatum à charitate, alii elicitum; sic Soto, Lorca, aliique recentiores; additq. Vasq. oppositam sententiam non esse tutam admittentem contritionem esse perfectam elicitam ex solo actu pœnitentiæ, & intuitu justitiæ, sed iste Doctor nimis rigidus, & de more nimis præceps censor fallitur, cum 2. sent. sit communior, & probabilior. 2. op. S. Bon. D.Th. Scoti, & communis admittit perfectam esse contritionem elicitam solo intuitu justitiæ, includentem tamen virtualiter dilectionem Dei

Dei super omnia: Quod sit hæc sententia S. Bon. patet primò ex *l. 4. d. 14. p. 1. a. 2. q. 3. ad 4.* ubi ait non esse necesse, ut charitas præcedat contritionem, sed sufficere, ut comitetur ipsam; sic *& a. 1. q. 3.* idem clarissimè Seraph. & *d. 16. a. 1. q. 1. ad 7.*

Not. 1. quod, ut supra dictum est, contritio est virtus specialis pertinens ad virtutem pœnitentiæ, tanquam ipsius pars potestativa: & quia involuitur Deus dilectus super omnia, hinc etiam potest imperari à charitate, vel etiam charitas à contritione, mutuò enim virtutes se circumincedunt; his tamen non obstantibus contritio elicita etiam ex motivo charitatis, & dilectionis in Deum non erit finis pœnitentiæ, cum sit actus ab ipsa semper elicitus. N. 2. quòd est quæstio etiam, an adhoc ut contritio sit proxima dispositio ad gratiam, necessariò debeat esse ex motivo charitatis, in qua Thomistæ affirmant; Scotus è contra cum Nominalibus, aliisque Theologis docent, quod licèt regulariter, & ut plurimum sit ex tali motivo, non est tamen absolutè necessarium, sed sufficit ut sit ex motivo justitiæ, ita quod, ut objectum (quod) sit actus fugæ, quatenus est detestatio peccati, pro ut est læsivum juris Dei, licèt postea concurrat dilectio ut ratio (quo) scilicet ut ratio proxima detestandi peccatum.

283 Concl. 1. Perfecta contritio, ad hoc ut distinguatur ab attritione, & sit proxima dispositio ad gratiam debet procedere ex supernaturali dilectione Dei super omnia. Est communis omnium Theolog. & elicitur ex Concil. Trid. *sess. 6. c. 6. & sess. 14. c. 4.* ubi docet ad justificationem per pœnitentiam debere esse ex charitate, & dilectione Dei super omnia, esseque charitate perfectam; & ratio est, quia ad hoc ut contritio sit per se sufficiens ad justificationem, & remissionem peccati mortalis, debet includere aversionem à peccato, quod fit per odium peccati, & per conversionem ad Deum, quæ fit per dilectionem Dei super omnia, ergo. Quæ omnia tradit Seraph. *l. 4. d. 16. p. 1. a. 2. q. 1. in corp.*

Concl. 2. Perfecta contritio dispositiva ad justificationem, licèt ut plurimum involuat formalem dilectionem Dei super omnia, potest tamen dari absq. tali actu formali, nempe facta ex motivo justitiæ secundùm se, ut talis, dummodo tantùm virtualiter in ea includatur. Est S. Bon. *l. 4. d. 16. 1. q. 1. & 2. maximè ad ult. & a. 2. q. 1. & d. 14. p. 1. a. 1. q. 3.* Pr. 1. ex definitione contritionis, quæ est detestatio peccati pro ut est offensa Dei cum proposito satisfaciendi Deo, & de cætero non peccandi; ergo formaliter est actus justitiæ. Pr. 2 quia si homo habet detestationem formalem perfectam peccati ante formalem dilectionem Dei justificabitur, ergo illa erit vera contritio: quia secluso formali amore Dei extra Sacramentum non potest quis justificari, nisi per contritionem: sed homo potest habere hanc detestationem peccati ante formalem dilectionem Dei, ergo hæc non est necessaria: Assumptum patet ex pluribus Text. S. Script. *ut in Ezech. 33. Ps. 32. & 2. reg. c. 1.* Peccavi Domino, in quibus non fit mentio de dilectione Dei explicita: sic & Concil. Trid. *sess. 14. c. 4.* Minor verò sub illata probatur, quia tales actus non habent necessariam connexionem, & unus potest produci sine alio, & unus ante alterum: & prob. quia potest præcedere actus intentionis, seu voluntas detestandi peccatum, qui non est amor Dei formalis, sed actus pœnitentiæ virtutis, & potest immediatè ex illo actus detestationis oriri tanquam medium accommodatum ad talem intentionem exequendam, ergo. Addimus, quod in tali casu includitur virtualiter amor Dei, nam ut benè discurrit Lugo *d. 5. de Pœnit. s. 7. n. 92.* idem in re est detestari peccatum, quia malum est Dei, ac velle Deo carentiam peccati, licèt quo ad modum tendendi sint diversa primum est ex motivo dilectionis, & actus prosecutionis, secundùs est ex motivo pœnitentiæ, & actus per modum fugæ; sic & S. Bon. *d. 16. a. 2. q. 1.*

Objic. 1. S. Script. & SS. PP. exigere in pœnitenti amorem Dei, ut Luc. 7. Remittunt ei, &c. quia dilexit multum R. SS. PP. & S. Script. loqui de contritione eo modo, quo ut plurimum fit, sed non absolutè hanc dilectionem explicitam semper exigunt, ut patet ex locis supra cit. 284

Objic. 2. Prius est volitio finis, quàm mediorum, sed in justificatione prior est conversio ad Deum, quæ per dilectionem, quàm nolitio conversionis, quæ est medium ad habendam dilectionem, ergo hæc necessariò præcedit formaliter. R. aliqui Scotistæ, & detestationem, & dilectionem Dei esse media ad justificationem, unde argumentum nihil concludit. R. Mastr. quòd detestatio, ut plurimum est medium ad dilectionem Dei expressam, negatur tamen id necessariò evenire, nam potest detestatio ordinari ad finem charitatis absq. formali motivo charitatis: potest enim peccator considerare peccatum ut divinæ charitati summè repugnans, quod est motivum charitatis, & illud repræsentari voluntati ut tale; quamvis non apprehendat Deum ut summè diligendum, in quo casu detestatio erit perfecta absq. actu formali dilectionis Dei, sed tantùm virtuali: adhoc enim ut sit amor formalis in Deum non sufficit, ut eliciatur à charitate, sed requiritur, ut habeat pro objecto (quod) ipsum Deum, qui est objectum proximum; sed habens alia objecta secundaria, ut actus fugæ peccati, tunc tantùm involuitur virtualiter amor Dei, talisque actus erit amor Dei virtualis tantùm. Addimus quod non semper est necesse, ut eliciatur purè ex motivo charitatis, sed sufficit, ut sit ex motivo pœnitentiæ, ut dictum est, & modò dicetur.

Objic. 3. Ad hoc ut contritio sit perfectè justificativa requiritur ut adsit perfecta peccatoris conversio ad Deum, sed hæc non potest esse sine actu formalis dilectionis in Deum super omnia: omnis enim conversio inferior v. g. justitiæ, religionis, &c. non est perfecta conversio in Deum, ergo R. neg. conversionem in Deum semper esse ex formali actu dilectionis Dei: quia, ut dictum est pœnitentia, & contritio, quæ assumitur in ordine ad resarciendum jus læsum Dei, sive ex motivo charitatis, sive justitiæ satis convertit in Deum, quantum averterat se à Deo per peccatum: avertit enim talis contritio à creatura, & convertit perfectè in Deum, dum peccatum detestatur ex motivo justitiæ, scil. ut est malum, & offensivum Dei: In quo casu pœnitentia præcellit actum spei, quia vult bonum, & fugit malum Deo.

Concl. 3. Odium, detestatio, & displicentia; quam importat contritio, sive imperentur à charitate, & eliciantur à pœnitentia, sive è contra eliciantur à charitate, & imperentur à pœnitentia; semper actus pœnitentiæ dicuntur, & à pœnitentia denominantur; ratio est, quia omnes ordinantur ad punitionem peccati, & rationem pœnæ tenent: Est communis Theolog. & S. Bon. *d. 16. q. 2. & d. 14. p. 1. a. 1. q. 2. & 3.* qui addit idem dicendum esse de actibus pœnitentiæ imperatis ab aliis virtutibus, ob eandem rationem objectivam pœnitentiæ.

QUÆSTIO III.

An contritio semper sit formata gratia, & hoc dato: An ipsa à gratia prodeat, & producatur.

285 Quo ad primam partem tituli communis sententia Theologorum omnium est contritionem esse semper charitate, & gratia formatam; Scotus tamen cum Seraph. D. admittit duo instantia naturæ in ejus formatione; in primo præintelligitur informis, in secundo formata. Quo ad secundam partem; prima opinio est Thomistarum communis asserentium contritionem perfectam, quæ est ultima dispositio ad gratiam habitualem, procedere ab habitu charitatis, & consequenter à gratia immediatè: sic Caiet. Medina, Valent. Vasq. aliique Thomistæ, citantque D Thomam pro se, eo quod *q.*113. *a.*8. asserit infusionem gratiæ esse primam in justificatione, & post illam sequi motum liberi arbitrii in Deum, & in peccatum, ex quo sequi videtur actum contritionis efficienter à gratia habituali procedere, & consequenter, ut sit talis, debere esse conjunctam cum gratia, & charitate. Pro hac opinione Suar. *d.*4. *sect.*7. citat S. D. *l.*4. *d.*17. *q.*2. sed statim *n.*8. eum locat in opposita sententia, quòd sæpè apud Modernos non legentes textum S.D. accidit. 2. sent. communissima in cæteris omnibus Scholis, & in Societate Jesu: Contritionem à gratia non produci: quam quæstionem in tract. de justificat. solvimus, & in superioribus de Pœnitentia plura diximus ad eandem spectantia.

Not. 1. ex S. Bon. *l.*4. *d.*17. *p.*1. *a.*2. *q.*2. *ad ult.* quod hîc non est sermo de contritione producta à jam justificato, in quo certum est contritionem vel elici, vel imperari à charitate; & gratia: sed de contritione, quæ est ultima dispositio in existente in peccato mortali ad justificationem, an scilicet producatur solùm auxilio actuali, an verò à gratia adveniente, & ipsam formante: Nec item est quæstio de dispositione remota consistente in actibus tempore præcedentibus ipsam justificationem, ut sunt actus fidei, & sed de proxima, quæ in eodem Instanti temporis est cum gratię infusione.

Not. 2. Quod licèt contritio perfecta sit semper cum infusione gratiæ habitualis, adhuc tamen datur aliquis ordo in ipsa justificatione: sic S. Bon. *l.*4. *d.*17. *p.*1. *a.*2. *q.*1. *&* 2. *& a.*1. *q.*1. *ad* 4. nam in primo signo intelligitur contritio informis producta virtute gratiæ gratis datæ, & actualis, in quo est de congruo disponens ad justificationem: in secundo signo intelligitur gratiæ infusio, vel creatio, & in tertio signo contritio formata charitate, & tunc est justificatio perfecta: ut autem id rectiùs intelligatur.

286 Not. 3. ex eodem Seraph. D. *loc. cit.* quod gratia, qua homo liberatur à peccato, & justificatur, habet triplicem comparationem: prima ad principium à quo exit, scilicet à Deo: secunda ad peccatum, quod expellit: tertia ad subjectum, quod informat, scil. ad animam: & licèt omnia hæc sint simul tempore tamen naturaliter habent dictum ordinem inter se: prius enim intelligitur gratiam produci à Deo, in quo sensu prius intelligitur gratiæ infusio: secundatiò antequam perficiat subjectum, debet præintelligi culpæ expulsio, & ultimò gratificatio, & sanctificatio animæ, quæ est effectus proveniens ab ipsa gratia producta, & infusa, & mundante: sic etiam forma, quæ inducitur in materiam, prius est ibi, ut potentia, seu agens, quàm sit ut perficiens, & ut actus: qua doctrina certa, & clara supposita, adhuc declarandum est, quomodo in hoc ordine se habeat contritio disponens ad justificationem.

Not. 4. ex eodem Seraph. D. *d.*17. *a.*1. *q.*1. *& a.*1. *q.*2. *&* 3. quod contritio, cum sit necessaria ad gratiæ infusionem, hæc concurrit hoc ordine: primò enim anima excitata per fidem detestatur auxilio gratiæ actualis culpam, per quam detestationem consentit, & conformatur huic gratiæ actuali, sicq. tali pacto se disponit ad gratiam dispositione quanta potest, scil. congrua: vult enim Deus introducere gratiam justificationis in materiam tantùm dispositam, scil. in voluntatem se disponentem cum proprio motu libero adjuto per fidem, & gratiam actualem: secundò data hac dispositione media à Deo advenit gratia habitualis, quæ per naturam immediatè respicit illam detestationem voluntariam, & per illam culpam delendam: sicque ex comparatione, vel respectu gratiæ ad illam detestationem est contritio, & ex respectu ad culpam est remissio, ideoque contritio præcedit remissionem per naturam: affert S. Doct. *ibid. a.*1. *q.* 2. exemplum sequens: Intelligamus aerem obtenebratum per præsentiam nubium, & tenebrarum, & quod nubes illæ non possint expelli eatenus, quatenus obtenebrant nisi per motum aeris, & irradiationem luminis: tunc ad hoc ut aer recipiat primam illuminationem, oportet simul cum irradiatione solis concurrere ventum, & post ad perfectam restitutionis luminis oporteret adhuc ventum sequi, qui nebulas expelleret: sic & in contritione, & gratiæ infusione: nam contritio est dispositio necessaria constans ex motu liberi arbitrii, & adjutorio solius gratiæ actualis, mox verò lumen gratiæ habitualis, formaliter disjiciens tenebras, inducitur: sicque causalitas activa attribuitur ipsi irradiationi gratiæ habitualis, quæ informat simul & actum contritionis, & potentiam existentem in actu: ex quibus patet contritionem præcedere expulsionem peccati, & infusionem gratiæ habitualis Et hoc pacto intelligitur quomodo contritio simul dicatur informis, & formata: prius natura informis, & simul in secundo instanti naturæ, tempore formata.

Concl. 1. Contritio in existente in peccato mortali in primo instanti naturæ intelligitur informis, & in secundo formata. Est S. Bon. cit. Scoti *l.* 4. *d.*14 *q.*2. *& d.*16. *q.*2. apud Mastrium *n.* 99. Pr. ex Seraph. cit. quia si contritio est dispositio ad gratiam sanctificantem, ergo in illo priori intelligitur sine tali gratia, sed cum sit dispositio immediata & in unico instanti temporis, immediatè etiam intelligitur gratia habitualis concomitans: tum quia contritio est motus liberi arbitrii productus cum adjutorio gratiæ gratis datæ, ergo est tantùm congrua, ergo intelligitur informis in primo instanti. 287

Concl. 2. Contritio non producitur à gratia habituali in existente in peccato mortali. Est Seraph. Doct. loc. cit. præcipuéque *d.*17. *a.*2. *q.*1. *&* 2. Scoti, & communiter. 288

Prob. 1. ex eodem Seraph. Doct. Id quod est dispositio ad formam est prius natura ipsa forma, ad quam disponit, sed contritio est dispositio ad gratiam justificantem, ergo est prior: ergo non potest esse à gratia habituali: Major est evidens in Philosophia, alioquin esset superflua dispositio, si consequeretur formam: nam ut ait Seraph. Doctor in fundam. primo data gratia sanctificante, & remissa culpa homo esset justus; ergo talis etiam esset

esset, si non consequeretur contritio: Minor probatur ex phrasi scripturæ, quæ hortatur nos ad contritionem, ut per eam consequamur gratiam, & veniam: sic Ezech. 33. Si impius egerit pænitentiam, iniquitatum ejus non recordabor. Et Concil. Trident. *sess.* 14. *cap* 4. vocat contritionem dispositionem ad gratiam, ergo præcedit gratiam. Resp. Thomistæ, gratiam in ordine efficientis esse priorem actu contritionis: in ordine vero subjecti, seu passi, esse posteriorem: dicunt enim Deum infundere gratiam in anima, quia est contrita: at in genere efficientis, scilicet reddentis contritionem formatam, gratiam præcedere.

Contra hanc responsionem satis dictum est à nobis in disput. de Justificat. Hæc responsio enim involuit contradictoria: gratia enim non agit in abstracto, sed quatenus est in subjecto; ergo in quocunque genere etiam materiali præcedit, quod est impossibile, quia datur dependenter à contritione, quæ est motus necessarius liberi arbitrii disponens ad gratiam: ut docet Concil. Trident. *sess.* 14. *cit.* & *sess.* 6. *cap* 7. ex quibus patet sequella contradictionis, quia sequeretur gratiam habitualem existere, & non existere; quia efficit contritionem, quod enim non existit, non potest agere, nec potest agere, nisi in subjecto: non existere, quia secundùm adversarios ante dispositionem præparantem non intelligitur inesse in subjecto.

Prob. 2. *ibid. fund. ult.* Deus in adulto exigit dispositionem ad infusionem gratiæ, quæ est contritio, dispositioque de congruo: sed si ageret per gratiam habitualem, non posset agere nisi jam sanata, & sanctificata anima, sicque non esset via ad justificationem. Prob. 3. quia sequeretur idem omninò esse causam sui: scilicet in fieri, esse causam sui ipsius in facto esse: sed hoc implicat, ergo. Prob. sequella majoris: gratia enim habitualis in fieri, esset à contritione, in facto esse, est causa contritionis formatæ; minor probatur, quia gratia in fieri, & in facto esse est eadem.

289 Objic. 1. Causa naturaliter est prior suo effectu: sed gratia est causa motus liberi arbitrii in dilectionem Dei, & detestationem peccati; ergo est prior contritione: major est certa: minor probatur primò, quia in justificatione sunt quatuor: primum gratiæ infusio: secundum liberi arbitrii motus in Deum per dilectionem: tertium est liberi arbitrii motus in peccatum: quartum est expulsio peccati: Sic S. Bon. *dist.* 17. *art.* 1. *q.* 3. *in corp.* ergo gratia est prior ut causa. Prob. 2. minor, quia agens prius inducit formam in subjectum, per quam expellatur contrarium, & postea passum operatur, sed forma, qua liberum arbitrium detestatur peccatum, est gratia, ergo. Resp. in his objectionibus, quæ ex Seraph. Doct. sunt desumptæ, latere maximam æquivocationem ex variis dictis ejusdem: sed tamen attentè legenti scripta ipsius patebit veritas; nam ipse admittit contritionem procedere ex gratia vel gratum faciente, vel gratis data: *sic d.* 14. *part.* 2. *quæst.* 3. & *dist.* 17. *part.* 1. *art.* 2. *q.* 2. *ad arg.* sed cum discrimine, quod in existente jam in gratia; gratia hæc habitualis concurrit ad motum liberi arbitrii: non sic in existente in peccato mortali, in quo ad motum liberi arbitrii concurrit gratia gratis data, scilicet fides, & gratia actualis, & de hac semper loquitur, ut patet legenti: Hinc negatur minor, si est sermo de gratia habituali, conceditur, si de gratia actuali, quæ cum libero arbitrio potest dici causa prior contritionis, pro ut est dispositiva de congruo ad justificationem, ut notat locis cit. & *dub.* 4. *dist.* 17. circa verò expulsionem peccati infra dicetur.

Objic. 2. Motus contritionis est actus formatus, sed gratia naturaliter prius format subjectum, quàm actus, & opus: ergo prius naturaliter prius est homo gratus; tum etiam quia contritio est motus meritorius; ergo à radice mundata, & justificata antecedenter, & ab habitu bono, & gratificante. Resp. S. Bon. *dist.* 17. *art.* 2. *q.* 2. quòd actus contritionis formari potest dupliciter: uno modo à gratia eliciente, & imperante, ut evenit in jam justificato, ut supra dictum est: secundo modo à à gratia non eliciente, nec imperante, sed adveniente, ut in existente in peccato mortali: idque evenit, quando liberum arbitrium est in actu consono gratiæ actuali, & præcedenti: tunc gratia habitualis adveniens, & inveniens liberum arbitrium in actu, utrumque simul format, scilicet potentiam, & actum, sed prius natura actum, quàm potentiam, cum actus sit dispositio intermedia: unde respondetur, transeat major, negatur minor, prius enim formatur actus, quàm subjectum, nempè prius natura: unde fit meritorius de condigno per gratiam advenientem, cum prius esset tantùm meritorius de congruo, quia erat à gratia actuali tantùm.

Dices: si ille motus contritionis informatur à gratia post ipsum adveniente, ergo erat opus mortuum, quod postea fit vivum, quod est impossibile. Resp. ex doctrina Seraph. neg. conseq. non enim datur ullum instans temporis, in quo non sit tale opus vivum, licèt præintelligatur informe in primo instanti naturæ, in quo propriè non potest dici mortuum, cum sit via ad vitam: Immò ex hoc patet hallucinatio adversariorum; dum enim asserunt, contritionem sequi culpæ remissionem, debent necessariò dicere produci novam contritionem, aliasque virtutes elicere novos actus: nos verò dicimus totum fieri in unico instanti, & cum gratia adveniens inveniat liberum arbitrium in actuali motu fidei, & detestationis peccati, tunc gratia in eodem instanti & potentiam, & actum format.

Dices: nulli displicet offensa alicujus, nisi quia diligit illum, si enim odisset, placeret & ejus offensa: ergo dilectio Dei est prior detestatione. Resp. S. Bon. *dist.* 14. *p* 1. *art.* 2. *q.* 3. concedendo totum, si sumitur dilectio virtualis, nec est necessaria actualis, sed sufficit habitualis, & quod comitetur ipsam pænitentiam.

Dices: prior est intentio ad terminum ad quem, quàm separatio à termino à quo: sed charitas dirigit ad terminum ad quem: ergo est prior termino à quo, scilicet à peccato. Resp. S Bon. ibid. conced. majorem, ubi eodem modo receditur à termino à quo, & fertur ad terminum ad quem, ut in motu corporali: non verò in spiritualibus, ubi alio motu receditur à termino à quo, & alio fertur ad terminum ad quem: tunc enim est necesse ut prius resiliat, si vult accedere: unde prius oportet exire de domo, quam ire ad Ecclesiam.

QUÆSTIO IV.

An Gratiæ infusio, & contritio naturaliter præcedant expulsionem culpæ.

290 PRima opinio est Thomistarum asserentium gratiam in genere efficientis præcedere & contritionem, & expulsionem peccati. 2. Opin. est Seraph. D. *l.4. d.14. p.1. art.2.q.3. & d.17.art.2.q.1.* asserentis contritionem præcedere gratiæ infusionem, & expulsionem peccati, consequi tamen ad contritionem, & expulsionem quoad sanctificationem, & informationem animæ: *Sic lib.4.dist.14. p.1.art.2. q.3. & dist.17 p.1.art.2. q.1.& 2.*

Not. 1. ex eodem S. Doct. *l.4. d.17. cit.* ut supra dictum est *num.* 286. quod qualitas aliqua, quæ agit in aliud, habet triplicem comparationem, scilicet ad principium originale, à quo exit: & ad contrarium oppositum, quod expellit: & ad subjectum quod perficit; quæ comparationes sunt ordinatæ primò enim intelligitur principium à quo: secundò oppositum, quod expellit, ut loco oppositi intret: & tertiò subjectum, quod per ipsum perficitur: ratio est, quia subjectum informatum aliqua qualitate, vel deformatum aliquo vitio, non potest intelligi informatum aliqua bona qualitate, nisi prius intelligatur expulsio contrariæ; alioquin possent esse simul: nec potest intelligi aliquod expulsum à subjecto, quin prius intelligatur illud, scilicet expellens egredi à suo principio: quoniam igitur gratiæ infusio, seu creatio non dicit perfectionem subjecti, præcisè loquendo, nisi per concomitantiam, seu consequenter, sed potiùs dicit gratiæ productionem ab agente, & in illo signo dicit ordinem præcisè tantùm ad agens à quo exit; hinc est quod gratiæ creatio est prior, quàm expulsio, velut causa suo effectu.

291 Not. 2. ex eodem Seraph. Doct. *lib.4. dist.14. part.1.art.2.q.3.* quod in justificatione primò præcedere debet fides: secundò detestatio culpæ, quæ est motus liberi arbitrii productus cum adjutorio fidei, & gratiæ actualis, ad quem consequitur gratia habitualis, quæ semper præsto est: sicut enim gratia prius expellit culpam, quàm habilitet ad bonum, & informet, sic necesse est, ut homo ex parte sua in justificatione aspernetur, & detestet culpam, quàm dirigatur in bonum: hinc pænitentia in regressu à peccato, & reparatione animæ dicitur prima virtus disponens animam ad talem reparationem, quod & supra ostensum est.

292 Not. 3. ex eodem Seraph. Doct. *d.17. cit. ad 4.* quod, licèt in mutationibus continuis non possint dari duo instantia immediata; in contiguis tamen dantur verè, ita quod forma desinens desinat in instanti extrinseco, & adveniens in intrinseco: & ratio est, quia in mutatione subita simul est fieri & factum esse, sicque in culpa simul est expulsio, & expulsum esse: unde expellitur quando primò non est, si enim est simul fieri, & factum esse, sic & expulsio, & expulsum esse.

293 Concl. 1. Gratiæ infusio necessariò præcedit culpæ expulsionem: Est S. Bon. *loco cit.* Prob. ex S. Ambros. qui ait perfectam virtutem, quæ est gratia, præcedere in auferendo iniquitatem. Et ratio est, quia gratiæ infusio nihil aliud est, nisi ipsius creatio, ergo cum gratia expellat culpam, præintelligitur gratiæ creatio; impossibile est enim quod aliquid intelligatur expulsum, quin potius intelligatur expellens: ergo.

Objic. 1. In omni mutatione est prius terminus à quo, quàm terminus ad quem, sed in omni justificatione est recessus à malo per accessum ad bonum: ergo prior est expulsio peccati, quàm gratia. Confirmatur, quia prius natura est à quo non convertitur consequentia secundùm necessitatem, sed necessario ad esse gratum sequitur esse mundum, & non è converso, ut patet in primo homine, & Angelo, in quibus non fuit mundatio, sed gratificatio, ergo naturaliter prius est esse mundum, quàm gratum; sed esse mundum est per culpæ expulsionem, esse gratum per gratiæ infusionem, ergo culpæ expulsio est prior ipsa gratia. Resp. S. Bon. *ibid. ad 1. & 2*, quòd terminus ad quem non est gratiæ infusio, sed tantùm gratiæ informatio: ratio est, quia ad hoc ut sit mundatio à culpa, prærequiritur gratia mundans, & agens, & hæc in justificatione est gratia creata, ideò prærequiritur ipsa infusio, seu gratiæ creatio, ad quam naturaliter consequitur expulsio culpæ, postea perfectio, & informatio animæ: quod in omni expulsione formæ intervenit: prius enim est forma agens in contrariam, quam perficiens, & informans: Sic in proposito prius est mundificatio ab agente, postea esse mundum, & gratum; & per hoc corruit tota argumentatio ad oppositum.

Objic. 2. Culpa expellitur vel quando est, vel 294 quando non est: non quando non est, quia semper expelleretur, ergo quando est: sed quando est culpa, non est ibi infusa gratia, alioquin essent simul duo opposita, ergo ante expellitur culpa, quàm infundatur gratia. Resp. S. Bon. quod, & culpa, & gratia sunt in suo termino intrinseco, in quo casu sunt duo instantia immediata in duabus mutationibus contiguis, ut aliàs dictum est supra, agendo de consecratione hostiæ, sed tamen hinc non sequitur, quod culpa expellatur quando est intrinsecè, expulsio enim est terminus extrinsecus, unde expellitur, quando primò non est, & sic dicitur expelli, quia ibi prius fuit, & adhuc esset, nisi contrarium repugnaret, scilicet gratia, quæ est in sui initio, dum infunditur, & creatur: sicque verum est, quod gratia, cum infunditur, tunc incipit, & ibi est, peccatum desinit, cum ibi non est, cum prius esset: Hanc doctrinam ex Seraph. Doct. fusè tradidimus in Phisica agentes de privatione, & de desitione, & inceptione rerum.

Objic. 3. Si Deus successivè operaretur, prius expelleret culpam, quàm infunderet gratiam, prius inquam, tempore; ergo & in dato nostro casu; nam subita operatio tollit quidem ordinem temporis, sed non naturæ, ergo in subita justificatione prius est, culpam expelli, quàm dari gratiam. Resp. S. Bon. transeat antecedens: nam si Deus successivè operaretur, per aliud mundaret animam, quàm per gratiam: sic negatur consequentia: ratio est, quia cum mundatio sit instantanea per gratiam prius agentem, quàm informantem, impossibile est fieri diverso ordine, ut dictum est.

Objic 4. talem ordinem esse superfluum: nam idem est omninò tollere privationem, & dare habitum, ut patet in illuminatione aeris, alioquin privationis daretur privatio; sed culpa est privatio, ergo simul datur gratia, & tollitur privatio; ergo non antecedenter. Resp. Seraph. Doct. conced. majorem, ubi datur pura privatio, quale non est peccatum,

peccatum, cum concernat aliquid positivum: & dato quod non concerneret talem materiam, quam admittunt Thomistæ; distinguo majorem: Idem omninò est tollere privationem, & dare habitum, quandò præcisè tantùm habitus removet habitum, concedo: quando verò habitus aliquid superaddit positivum, negatur: & cum gratia reparet habitum oppositum culpæ, quæ est innocentia, & ultra hoc ponat novam formam, & sanctitatem, hinc negatur minor, & consequentiâ.

245 Concl. 2. Contritio necessariò præcedit culpæ expulsionem, & gratiæ informationem. Est S. Bon. *dist.*17. *cit. quæst.*2. Scoti, & communior. Prob. quia ad hoc ut introducatur forma, requiritur dispositio antecedens; ergo & contritio: nam per detestationem peccati adjutus homo à divino auxilio actuali se disponit ex parte sua ad introductionem gratiæ, & expulsionem culpæ: sed videantur tradita in prima conclusione hujus quæstionis, quæ hanc eamdem conclusionem probant, & confirmant, & per ea satisfit objectionibus contrariis. Ex quibus patet primò justificationem non fieri sine concursu gratiæ & gratis datæ, & gratum facientis: prima est necessaria ad hoc ut homo se disponat, secunda ad hoc ut justificetur de facto: de quo vide S. Bon. *dist.*17. *art.*1. *quæst.*1. *& seq.* 2. quòd sine motu liberi arbitrii non fit justificatio in adultis: necesse enim est, ut ad hoc ut homo actu justificetur fiat in eo variatio; in Deo enim qui semper paratus est justificare non potest cadere variatio, sed non fit variatio circa sensum, & sensibilia, ergo interius fit circa liberum arbitrium: Unde benè dicit D. August. Qui creavit te sine te, non justificabit te sine te, idest sine motu liberi arbitrii per adjutorium fidei.

Dices: Deus non justificat hominem sine virtute & gratia, sed ista infunditur in nobis sine nobis, ergo sine motu liberi arbitrii: Et confirmatur, quia nemo venit ad Deum, nisi tractus ab ipso Joan.5. ergo sine motu antecedente liberi arbitrii. Resp. S. Bon. conced. major. si est sermo de efficientia: datur enim gratia sine nobis efficientibus, sed non sine nobis disponentibus, vel consentientibus. Ad id de tractione Dei. Resp. hanc non esse per violentiam, sed per inductionem, & sublevationem: sic enim Deus trahit hominem, quia inducit, & sublevat ad illud, ad quod non potest per se pertingere: inducit per fidem, & sublevat per gratiam disponentem gratis. 3. quod ad justificationem est necessaria contritio præcedens: Deus enim infundendo gratiam expellit culpam: sed non infundit nisi ei qui concordat: & necesse est concordare gratiæ advenienti, & peccatum expellenti: gratiæ verò advenienti, scilicet gratum facienti concordat homo per motum liberi arbitrii: gratiæ expellenti peccatum per motum contritionis: contritio verò præsupponit actum fidei, & consensum gratiæ actuali. *Vide S. Bonav. ibid. quæst.* 3.

QUÆSTIO V.

Solvuntur aliqua dubia de Contritione.

Pro majori elucidatione eorum, quæ supra tradita sunt de contritione. Q. 1. *An contritio semper sit formata charitate?* Michael Bajus docuit, contritionem eo instanti, quo producitur, formari à charitate infusa, sed tamen non remitti peccatum, nisi in Sacramento pænitentiæ: quæ opinio est damnata à Pio V. & Gregor. XIII. apud Cardinal. Lugum: sic enim sequeretur primò, quod quis posset damnari cum habitu charitatis; secundò, quod nemo posset justificari extra Sacramentum, quod est patentissimè falsum, & contra S. Scripturam, & Concilia. Thomistæ respondent non dari contritionem nisi formatam à charitate, ut dictum est supra: quia putant procedere effectivè à charitate: P. Gaud. *q.*13. trahit in principio. S. Bon. ad partem Thomistarum, & postea in processu quæstionis ipsum contra D. Thomam affert. 29

Scotus asserit, nullo instanti temporis dari contritionem informem, sed tamen pro ut est dispositio ad justificationem non esse formatam charitate: unde in primo instanti naturæ intelligitur disponens, & informis, in secundo formata: Et hæc est ipsissima sententia Seraph. ut suprà probatum est *in q. præced.* ratio est, quia cum sit dispositio solùm meritoria de congruo, non potest tunc intelligi formata, alioquin esset dispositio de condigno: tum quia cum intelligitur formata gratia, supponit justificationem, & peccati expulsionem, & remissionem; ergo in tali statu non disponit ad illam: patet consequentia: quia nulla forma disponit ad effectum formalem, quem includit, alioquin disponeret ad se ipsam; ergo contritio ut formata charitate nequit disponere ad justificationem, in qua formaliter includitur charitatis infusio, & peccatorum remissio; ergo solùm disponit ad justificationem, & in primo signo naturæ est informis: Sic & patenter docet Concil. Trid. *sess.*6 *c.*6. *& c.*7.

Q. 2. *An contritio exigat determinationem intensionis, vel an sufficiat substantia actus in quocunque gradu etiam minimo?* Aliqui, ut Faber, docent requiri determinatum gradum intensionis. Communis opin. D. Bon. Scoti, & aliorum est opposita: Unde S. Bon. *d.*16 *p.*1. *art.*2. *q.*1. docet, quod hæc displicentia de peccato est actus rationis, & ad hoc sufficit, ut habeat dominium super omnes alios actus, & mala, nempè quod appretiativè, & prælativè sit major quocunque alio malo, & ad hoc sufficit, ut contritio, seu displicentia sit vera in substantia, licèt parva, etiamsi non habeat intentionem majorem: ratio evidens est, quam in corp. ad penult. affert S. Bon. quia minima gratia sufficit ad excludendum peccatum, ergo & minima contritio, quæ est dispositio ad ipsam: currunt enim pari passu sicut & amor Dei super omnia, & detestatio peccati. Et hinc patet quàm falsò pro opposita citetur sanctus Bonaventura à Fabro, & aliis. 297

Dices scripturam, & SS. Patres sæpè inculcare dolorem in contritione debere esse maximum, ergò summè intensum. Resp. *in corp. & fund.* conced. dolorem debere esse maximum appretiativè, & moraliter, non phisicè

Dices cum Fabro talem appretiationem exigere certam intentionem, ergo nulla responsio. Resp. neg. antecedens ratio est, quia æstimatio respicit objectum,

&

& essentiam actus: intensio verò qualitatem: Addimus, quod talis actus necessariò debet habere aliquam intensionem ad hoc, ut sit efficax, sed non est necesse, ut sit in majori gradu possibili, alioquin (ait S. Bon.) & pauci salvarentur, & plures scrupulis agitarentur.

Dices iterum: Contritio est actus à charitate imperatus, sed hæc includit intensionem, quia amat Deum super omnia: ergo exhiberi nequit sine toto conatu: scilicet ex toto corde, anima, & viribus, ergo. Resp. 1. neg. major: quia, ut supra dictum est, datur etiam contritio elicita ex motivo proprio justitiæ. Resp. 2. transeat major; disting. min. ex Seraph. Doct. amor Dei super omnia requiritur appretiativè, & moraliter non phisicè: & hoc est diligere Deum ex toto corde, &c. *Vide S. Bon. l. 3. d. 28. per totam sparsim, &c.* Hinc sequitur, nos posse habere actum amoris Dei valdè remissum, & ex opposito simul amorem creaturarum valdè intensum absque eo, quod lædatur Deus, vel impediatur contritio, dummodò ille amor in Deum sit appretiativè major cæteris: sic enim quis potest magis dolere intensivè de morte filiorum, quam de peccato in Deum, quod & notavit D. Hieronym. scribens ad Paulam.

298 Q. 3. *An iste dolor appretiativus de peccato exigat detestationem peccati super omne malum pænæ appretiativè?* Resp. S. Doct. cit. affirmativè, quia detestatio debet mensurari ex amore in Deum: Advertit tamen Seraph. Doct. (quod & aliàs supra dictum est) non esse necessarium fieri comparationem in particulari cum tali, vel tali malo pænæ: immò in pluribus casibus, & maximè in imperfectis talis comparatio esset periculosa: sed sufficit, ut in communi producatur talis detestatio: Sic S. Bon. *l. 4. d. 17. cit. & d. 16. art. 4. q. 2.* Addimus, quod in actu contritionis non est necesse descendere ad singula peccata singillatim eliciendo actum contritionis pro singulis: sed sufficit in communi detestando omnia simul: ratio est (ait S. Bon. *dist. 16. cit.*) quia ista detestatio est actus rationalis, & fit in instanti, ideò etiam non indiget collatione, vel successione.

Dices; non est major necessitas contritionis, quàm confessionis: utraque enim est de jure divino, sed in confessione requiritur specificatio explicita singulorum peccatorum, ergo & in contritione. Resp. neg. paritatem: nam confessio instituta est per modum judicii, ideo exigit detestationem, & examen de singulis, non sic contritio.

299 Q. 4. *An ad contritionem requiratur propositum cavendi in posterum ab omni peccato, & quale propositum, an formale, an sufficiat virtuale?* 1. Opin. docet, requiri formale propositum: secunda docet sufficere virtuale: ita Theologi apud Mastrium *u. 111. seq.* & hæc ultima est probabilior, & magis conformis Seraph. D. quicquid dicat Gaud. ut patet *in d. 14. part. 2. dub. 4. & quæst. 1.* in quibus locis exigit propositum de cætero non peccandi: sed non explicat, an debeat esse formale? Ratio primæ partis est, quia pænitentia vera respicit emendam, & emendatio non est cum iteratione culpæ: Ratio secundæ partis est, quia potest dari naturalis oblivio, vel invincibilis ignorantia, vel defectus temporis impedientia formale propositum, ergo. Vide Mastrium, Suarez, &c.

QUÆSTIO VI.

Quid sit Attritio, ubi explicantur ea, quæ ad perfectam Attritionem requiruntur?

Suppon. 1. quod nomine attritionis venit dolor imperfectus de peccatis, ut supra dictum est, & ob id differre à contritione principaliter, quod contritio est dolor perfectus, ultimaque, & proxima dispositio ad gratiam: Attritio verò, ut sic, alia est purè naturalis. v.g. ex timore infamiæ, vel alicujus pænæ, vel damni illati, quæ pænitentia est in damnatis: & hæc non meretur nomen attritionis Christianæ, nam talis timor non avertit hominem ab omni peccato, sed ab externo tantùm: Sic Seraph. *l. 2 d. 28 art. 2. q. 1. ad 6.* Alia est supernaturalis procedentis ex fide supernaturali, & habens pænam inferni, vel turpitudinem peccati pro motivo proximo, non excludens tamen finem ultimum, qui est Deus offensus. 300

Not. 2. quod cum contritio, & attritio in hoc conveniant, quod utraque est dolor de peccatis cum proposito emendationis de cætero, & cum spe veniæ diviniùs obtinendæ: differunt tamen in motivo: nam contritio habet pro motivo proximò divinam majestatem læsam, seu peccatum ut læsivum divinæ majestatis: attritio verò habet pro motivo proximo timorem pænæ à Deo comminatæ, vel illatæ pro peccato, vel turpitudinem peccati: hic autem oritur quæstio, quomodo metus gehennæ sit actus honestus, & sufficiens ad disponendam animam, saltem remotè, ad justificationem: quod & in conclusionibus enodabitur.

Concl. 1. Attritio rectè definitur, dolor imperfectus de peccato commisso, quatenus oritur, non ex dilectione Dei super omnia, sed ex aliis motivis infra Deum, absque eo tamen quod excludatur ipse Deus offensus, ut finis ultimus, & ad justificationem cum Sacramento proximè disponens. Est communis Theologorum ex Concil. Trid. *sess. 14. c 4.* & Seraph. D. *l. 4. d. 17. part. 1. a. 2. q 3. & Diat. sal. tit. 6. c. 1.* Explicatur, & prob. dicitur, dolor, seu detestatio, in quo convenit cum contritione: dicitur imperfectus, ut distinguatur à contritione, quia est ex motivo infra Deum: dicitur de peccato commisso, ut explicetur objectum detestationis peccati. detestatur enim præcisè culpam, non pænam, tanquam objectum (quod:) dicitur ex motivis infra Deum, quia detestatur ex motivo (quo) infra Deum: & hoc est vel timor gehennæ, vel etiam malorum temporalium, vel Purgatorii pro ut infliguntur à Deo, vel turpitudo peccati cognita supernaturaliter: addimus etiam motivum consequendi gloriam æternam sufficientem esse ad veram attritionem; reducitur enim ad timorem pænarum, cum ejus virtutis, scilicet spei, sit desiderare beatitudinem, & metuere oppositum: dicitur, quatenus non excludatur ipse Deus offensus ut finis ultimus, quia omnis dolor supernaturalis debet ordinari ad Deum aliquo modo, quod & infra explicabitur: dicitur ad justificationem cum Sacramento proximè disponens: sic enim differt à contritione, quæ de se extra Sacramentum disponit ad justificationem. 301

Concl. 2. Attritionis objectum proximum, scilicet timor, & deformitas peccati est bonum, & honestum, & reddens actum honestum, & sanctum. Est de fide determinatum à Concil. Trid. & communis 302

munis cum Seraph. D. cit. Antequam probetur hæc conclusio, sequentia tamquam fundamentalia necessaria ad hanc materiam de attritione explicandam supponenda ex Seraph. Doct. *l.3. dist 34. part.2 art.1. & 2. per totum, & l.4. dist.17. cit. & op. de septem donis : de dono timoris, cap.1.* quod timor servilis alius est malus, alius bonus, & donum Spiritus sancti, seu gratis datum : primus est, qui adspicit ad pœnam excludens Deum, & involvens affectum ad peccatum : isteque est impiorum, damnatorum, & dæmonum : secundus est, qui proximè respicit pœnam, sed tamen terminat ad Deum tamquam odientem causam pœnæ, scilicet peccatum, & ob id infligentem talem pœnam : & quia hoc non potest fieri sine dono fidei, ideò est donum gratiæ gratis datæ, & supernaturale : & de hoc timore procedit conclusio.

Prob. 1. quia sicut peccatum stat in hoc, quod sit aversio à Deo, & conversio ad creaturam ob aliquam perfectionem cognitam in creatura, ita & conversio è contra fit per conversionem ad Deum, & aversionem vitiosam à creatura, sed conversio omnis ad Deum est honesta, & recta facta ob aliquam perfectionem Dei, nempè vel ob potentiam, quam timemus, vel ob bonitatem quam amamus : prima est attritionis : secunda est contritionis : ergo talis timor est honestus, & sanctus : Idem & dicendum de alio motivo à Concil. Trident. assignato, nempè de turpitudine peccati, se enim ad Deum convertens detestatur peccatum, non præcisè pro ut opponitur regulæ rationis, sed pro ut turpitudinem continet oppositam vel Deo, vel inobedientiæ, vel ingratitudini, vel etiam virtutibus aliis honestis, & à Deo ordinatis; ergo est actus honestus, & rectus : sed ex solutione objectionum magis patebit hæc veritas.

303 Objic. primò. Timor pœnæ procedit ex amore proprio concupiscentiæ, sed talis amor habet servilitatis turpitudinem, ergo non est honestus. Resp. ex doctrina, quam tradit Seraph. Doct. *l.3. dist 34 art.1. quæst.1. & seq.* distinguendo de timore servili procedente ex amore proprio, si talis amor est purè servilis, ita quod sit ob pœnam tantùm excludens offensam Dei, concedo majorem, si est ex amore proprio ordinato per virtutem spei, vel charitatis, scilicet excludente Deum offensum, negatur major, & minor, & consequentia.

Dices : Dolor de peccato ob timorem pœnæ non convertit animum peccatoris ad Deum objectum supernaturale, sed solùm à malo culpæ propter malum pœnæ, quod timetur ; ergo non est sufficiens ad justificationem, quæ exigit conversionem ad Deum : ergo. Resp. negan. anteced. nam includitur virtualiter Deus offensus, ut infligens pœnam, ob idque involvitur in tali objecto Dei potentia, ut dictum est ; ideóque illa attritio, quæ non respicit Deum saltem mediatè, non est vera : Idem & dicendum de turpitudine peccati, quatenus opponitur vel Deo, vel alicui virtuti honestæ supernaturali : sic enim in tali dolore involvitur respectus ad Deum, dummodò procedat ex cognitione supernaturali fidei.

Q. *An attritio possit elici ex motivo charitatis proximo?* Aliqui pauci resp. affirmativè ; sed communis opinio est negativa, nam Concil. Trident. hanc differentiam assignat inter attritionem, & contritionem, quod contritio est ex motivo charitatis, vel explicito, vel implicito, non verò attritio. Vide Mastrium hìc.

Concl. 3. Attritio sufficienter dividitur in duo capita, vel species subalternas : nempè in attritionem habentem pro motivo metum gehennæ, & in aliam habentem pro motivo turpitudinem peccati : Est communis, licèt aliqui plures alias species addant : ratio evidens est, quia cum pœnitentia detestetur peccatum, & in peccato adsit malitia duplex, nempè quia vel est contraria divinæ bonitati, ob idque suprema, sic est contritio : vel quia talis malitia discordat à recta regula rationis, ob idque digna pœna, vel importans fœditatem, sic oritur duplex attritio : Et quia ista motiva fœditatis ad diversa vitia spectant, ideò postea multiplex species attritionis oritur secundùm diversitatem vitiorum. 304

Concl. 4. Attritio multipliciter differt à contritione : Est de fide, & communis omnium Theologorum, licèt isti discrepent etiam in assignatione differentiarum, de quorum discrimine fusè agunt Suarez, Mastrius, Gaudentius : nos verò cum Seraph. Doct. duas solùm differentias assignamus : Prima est in motivo, quia contritio detestatur peccatum propter Deum, attritio propter damnum : in quo tamen peccatum habet rationem ut quod, timor gehennæ, vel turpitudo habet rationem ut quo : secunda contritio sine Sacramento justificat : Attritio verò solùm cum Sacramento : Unde contritio informis non potest dari, sed benè attritio. 305

Advertendum tamen hìc pro recta intelligentia dictorum S. Bon. quod aliquando sumit nomen attritionis in latiori significatione, prout dicit detestationem peccati sive perfectam, sive imperfectam, quæ gratiæ infusionem præcedit, quem actum postea continuatum post gratiæ infusionem contritionem appellat : *Sic lib.4 dist.17. infra cit.* & aliis pluribus locis, quo modo etiam alii antiqui Theologi usi sunt : aliàs verò sumit attritionem in propria significatione, de qua est hic sermo ut *loco cit. & dist.14. part.2. dub.1.* & alibi sæpè, præcipuè *in Compend. Theol.* Hinc patet hallucinatio Mastrii asserentis antiquos Theologos tractasse de attritione primo modo supra dicto sumpta : quia Seraph. Doct. de utraque fusè tractet. Addimus è contra convenire Contritionem, & Attritionem primò ex parte objecti materialis, & proximi, quod est peccatum, circa quod utraque occupatur : secundò ex parte modi respiciendi tale objectum, qui est per modum fugæ, & detestationis : tertiò in efficacitate illud destruendi, quia utraque involuit propositum non ampliùs peccandi : quartò in origine, nempè ex gratiæ dono, & à Spiritu Sancto, scilicet in essentialitate actus, neutra enim exigit determinatum gradum intensionis, quicquid dicant aliqui Theologi.

Q. 1. *In quo sensu dicitur, quod per Sacramentum homo ex attrito fit contritus?* Resp. Seraph. D. *lib 4. dist.17. part.1. art.2. quæst.3. ad ult.* cum communi Theologorum, quod potest sumi attritio in abstracto, & in concreto : in abstracto impossibile est, quod actus attritionis fiat contritio, cum sint actus diversæ speciei, & transeant in instanti; & cum unus sit actus mortuus, alter vivus; dicitur autem hominem ex attritio fieri contritum virtute Sacramenti, vel quod adveniente Sacramento excitatur ad eliciendum actum contritionis, vel quod defectui attritionis suppleat Sacramentum, cujus virtute attritio æquivalenter potest dici contritio. 306

307 Q. 2. *An attritio cognita sufficiat cum Sacramento ad justificationem, an vero homo teneatur elicere contritionem, si potest?* In qua quæst. aliqui Theologi apud Aversam, & Gaud. existimant necessariam esse veram contritionem etiam in Sacramento; quæ communiter tamen rejicitur tamquam parum tuta: Alii existimant hominem debere elicere contritionis actus, tuncque attritio putata contritio sufficiet cum Sacramento, & etiam hæc communiter rejicitur tamquam contraria determinationi Concil. Trident. quod nihil aliud exigit ad justificationem, loquendo de attritione, nisi detestationem habentem pro objecto proximo pœnam inferni, vel turpitudinem peccati, & pro remoto Deum offensum, ergo ut talis cognita sufficit cum Sacramento ad justificationem de mente Concilii, tali enim pacto propriè verificatur, quod Sacramentum hoc est mortuorum, sed si esset necessaria contritio antecedenter esset Sacramentum vivorum, non mortuorum.

308 Q. 3. *An in attritione detestatio, seu dolor debeat esse formalis, an sufficiat virtualis: verbi gratia, quis dolet se non dolere de peccatis, uti deberet?* Affirmant sufficere Navar. aliique; communior tamen docet requiri formalem detestationem, seu dolorem; ratio est, quia cum hoc Sacramentum sit institutum per modum judicii voluntarii reconciliativi, necessariò exigit, ut qui vult reconciliari cum Deo, quem offendit, verè doleat de offensa, quam detestatur, sicut veram, & realem accusationem externus exhibet; ergo non sufficit, ut doleat se non dolere, sicut nec verè dicitur amare, qui vellet amare: Addunt tamen isti Doctores, quod aliquando prima opinio potest subsistere, ut si per actum imperativum imperet intellectui, ut consideret peccatum, ut Dei offensivum, meritoriumque pœnæ æternæ, & affectui imperet detestationem talis peccati, tunc enim sufficienter pœnitet, tenetque pœnam sive in affectu, sive in effectu, & si effectus aliquando non sequatur, vel ob inadvertentiam, vel aliquod aliud impedimentum, in tali casu sufficit virtualis dolor: Hinc addunt DD. quod si quis confiteatur peccata cum attritione putativa non cognita, sed existimat esse veram, tunc redditur Sacramentum informe, absque eo quod novum peccatum committat: reddique potest formatum quando per subsequentem contritionem, vel attritionem cum detestatione omnium peccatorum suorum confitetur: hæcque est communior, & magis pia opinio, & securior.

309 Q. 4. *An sit necessarium ut attritio præcedat confessionem, an sufficiat, ut consequatur, absolutionemque solùm præcedat?* Aliqui dicunt, debere antecedere: Communis autem docet sufficere, ut absolutionem præcedat: ratio est, quia talis est praxis fidelium, & confessariorum; tum quia licèt talis confessio non sit Sacramentalis, ut potè facta sine dolore, tamen nihil officit, quin per subsequentem dolorem informata, & subjecta clavibus fiat accusatrix, & Sacramentalis: tunc enim facta prius explicatione peccatorum de omnibus dolet, & tundit pectus, &c.

QUÆSTIO VII.

De remissione peccatorum venialium aliqua dubia resolvuntur.

IN superioribus diximus per contritionem tamquam dispositionem proximam de congruo meritoriam justificari peccatorem: ob idque & remitti verè peccata mortalia, sicut & per attritionem veram simul cum Sacramento: superest ut aliqua dicamus de remissione venialium, de qua plura etiam diximus in quæstione de Sacramentalibus.

Q. ergo 1. *Utrum ad remissionem venialium requiratur gratia sanctificans?* Durandus de more ad extremitates declinans docet, quod peccatum veniale, cum sit sola deflexio à recto rationis tramite, per actum naturalem detestationis prioris voluntatis deletur, ut mendacium per solam voluntatem non ampliùs mentiendi. Scotus existimat, peccatum veniale transacto actu nihil maculæ relinquere præter reatum pœnæ, ideò posse auferri solùm sufferendo pœnam: unde existimat maculam peccati venialis consistere in illa reitate, qua peccator est dignus pœna: Unde infert quod etiam potest remitti in existente in peccato mortali, & permanente in illo per contritionem venialium, vel etiam per attritionem supernaturalem extra Sacramentum; nec semper requiri gratiam habitualem antecedenter, vel consequenter; Sic apud Mastrium *num.* 158. ipsam tamen licèt S. Bon. appellet probabilem, tamen rejicit tamquam falsam: Unde communior opinio Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 21. *q.* 1. & 2. D. Thomæ, & omnium ferè aliorum sequacium est ad remissionem venialium requiri gratiam habitualem: Hinc Resp. primò contra Durandum remissionem venialium esse opus gratiæ: Sic Seraph. Doct. *loc. cit.* & *in cap.* 13. Joan. ad illud, qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet: ubi sermo est de venialibus, quæ lotionem exigunt, ob idque & relinquunt post se maculam, ergo sine gratia non possunt deleri; tum quia peccans venialiter aliquo modo deflectit à fine supernaturali, licet non omnimodè. Resp. 2. non remitti peccata venialia existenti in peccato mortali, & in ipso perseveranti: Sic S. Bon. *d.* 21. *cit.* ratio est, quia homo peccator cum sit Dei inimicus, est etiam indignus hoc beneficio, etiamsi atteratur extra Sacramentum: Altissimus enim odio habet peccatores, eorumque dona non probat ex *Eccl.* 34. Resp. 3. Venialia remittuntur per infusionem gratiæ habitualis dummodò præcedat vel contritio, vel attritio cum Sacramento: ratio evidens est, quia licèt non opponatur gratiæ habituali, tamen illa detestatio opponitur: unde semper est necessaria gratiæ infusio, vel antecedenter, vel saltem concomitanter. Not. tamen quod P. Gaud. *d.* 1. *q.* 30 deflectit patenter à sensu Seraph. Doct. citat enim quasi asserentem per solam infusionem gratiæ habitualis deleri peccatum veniale, quod non intendit S. Doctor, sed tantùm quod non potest deleri peccatum veniale in existente, & permanente in peccato mortali, ob idque necessario requiri infusionem gratiæ, ad quod addit *loco cit. quæst.* 1. & 2. quod aliquid aliud requiritur ad deletionem venialium. Hinc resp. 4. ad hoc ut remittantur peccata venialia requiritur ultra gratiam habitualem aliquod aliud adjutorium supernaturale superadditum, verbi gratia,

receptio

receptio Sacramenti cum detestatione, vel dolore, vel attritio etiam extra Sacramentum, vel usus devotus Sacramentalium, de quibus in disput. 1. de Sacramentalibus egimus: vel exercitium virtutum debitè, & devotè arreptum: *Vide S. Bon. locis cit.*

311 Q. 2. *An post hanc vitam deleantur peccata venialia in Purgatorio quo ad culpam, & maculam?* De hac controversia multi multa, & quot capita tot sententiæ Seraph. autem Doctor sistens in suo principio pluries allato, maximè in quæst. de Sacramentalibus, quod ad deletionem venialium ultra gratiam habitualem, requiritur aliquis actus superadditus coadjuvans, respondet posse deleri virtute gratiæ, & pœna patienter tolerata, non quod ibi anima mereatur, sed quia in hac vita exercitio virtutum meruit, quod ex pœna tolerata posset deleri veniale peccatum, quia illa tolerantia erit tunc satisfactoria. Vide P. Gaud. *cit. quæst.* 32. & nos infra *in disput. de Purgat.* agemus fusiùs.

Q. 3. *An sicut in confessione mortalium requiritur dolor formalis saltem per modum attritionis, & absolutus, & efficax, & ita etiam requiratur in confessione venialium?* Resp. Mastrius cum Scotistis negativè, loquendo de justis, sed sufficit non complacentia de talibus peccatis, & voluntas assequendi remedium; hæc enim est virtualis detestatio peccati: Sic *num* 416. Communis tamen opinio est opposita, nempè requiri saltem attritionem explicitam: ratio est, quia in receptione Sacramenti debet servari jus illius cum suis conditionibus, inter quas præcipua est attritio, & detestatio peccati, sicut docet Concil. Trident. Non est tamen necesse, ut attritio sit universalis de omnibus, sed sufficit de aliquo, ut exhibeatur materia sufficiens. Vide Lugum, Suarez, aliosque.

DISPUTATIO VII.

De Confessione Sacramentali.

312 Supra satis in disp. 5. egimus, & declaravimus naturam, quidditatem, & necessitatem hujus Sacramenti, sicut & ejus materiam, & formam: Hinc istis omissis, par est, ut de conditionibus confessionis tractemus, de ejusque ministro legitimo, & sigillo.

QUÆSTIO I.

Quænam sint conditiones requisitæ confessionis Sacramentalis.

313 Not. 1. quod plures conditiones assignantur à Theologis, sed istarum aliæ sunt essentiales, aliæ accidentales. Seraph. Doct. *l.* 4. *dist.* 21. *p.* 2. *dub.* 3. *sequentes recenset*: dicens de confessione debito modo facta: sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis. Et frequens, nuda, discreta, libens, verecunda, integra, secreta, lacrymabilis, accelerata. Fortis, & accusans, & sit parere parata: sufficientia autem harum sexdecim conditionum explicatur ab eodem Seraph. Doct. ibid. quæ magis patebunt ex sequentibus quæsitis.

Q. 1. cum dicatur debere confessionem esse libentem, scilicet liberam, & voluntariam, *An sit in libertate hominis confiteri, an non, & quænam libertas sit ista?* Resp. dici liberam, quia est judicium, & accusatio voluntaria, & non coacta, non quod sit supererogationis cum sit de præcepto, & jure divino, sed quia debet imperari à libero arbitrio, ut sit meritoria: Addunt Theologi posse esse determinatam huic confessario, & non alteri, idest dum verè solùm quis huic confiteri vult, & non alteri.

Q. 2. *An debeat esse secreta?* Hæretici his temporibus conclamant dicentes solas pœnitentias publicas fuisse in Ecclesia usitatas: auricularem autem confessionem fuisse inventum Presbyterorum novum, nec à Christo usitatum. Inter Catholicos aliqui sustinent secretum hoc impositum in confessione esse essentiale confessioni, ita ut si aliquis publicè confiteretur, nihil faceret: ita Faber sustinens Scotum fuisse hujus opinionis: Sed communis D. Bon. D. Thom. & aliorum etiam Scoti apud Meldulam sustinet hanc conditionem esse quemdam actum honestum, & sub præcepto, sed non tamen essentialem, ob idque publicè factam esse etiam validam: sic S. Bon. *dist.* 21. *p.* 2. *dub.* 3. exponens hanc conditionem, ait, dici secretam, idest non aliis nocentem, & *dist.* 17. *p.* 2. *dub.* 6. ait posse fieri per interpretem; ergo non est de essentia ejus secretum: quibus tamen non obstantibus.

Resp. omnes Theologi communiter confessionem auricularem esse honestam, & sanctam, & præceptam sub reatu mortalis peccati ab Ecclesia, præcisa justa causa faciendi oppositum; & hoc determinatum fuit contra hæreticos à Concil. Trident. cit. quia hic usus fuit semper talis à principio Ecclesiæ, & elicitur ex institutione Christi dicentis: Quorum remiseritis peccata, &c. ergo ad hoc judicium faciendum à Sacerdote requiritur notitia certa de peccato, quæ sufficienter habetur secretò: tum quia hoc judicium non est contentiosum egens testibus, sed intrinsecum conscientiæ: ergo: tùm quia non tenetur quis se ipsum infamare: tùm quia talis publicatio posset cedere in grave damnum vel confitentis, vel aliorum, de quo vide S. Bon. *dist.* 17. *part.* 3. *art.* 1. *quæst.* 3. Ex quibus inferunt, Ecclesiam non posse præcipere ut confessio fiat publicè: cum non habeat potestatem directivam in actus internos; ergo nec potest obligare modo à lege divina Christi non præscripto, & eò minùs, quò res est ardua.

Dices: antiquitus assignatæ erant pœnitentiæ publicæ peccati: ergo tunc confessio non erat secreta. Resp. conced. anteced. & neg. conseq. nam publicæ pœnitentiæ impositæ erant peccatis quibusdam gravioribus, sed tamen prius subjiciebantur judicio Sacerdotis: & si non subjiciebantur Sacerdoti, subjiciebantur Prælatis imponentibus pœnas secundùm acta, & allegata.

Nn 2 Q. 3.

314 Q. 3. *An confessio debeat esse integra, & quando:* Hoc quæsitum varia dubia involuit circa integritatem, quæ breviter hic resolvuntur. Resp. 1. non esse necessariam integritatem confessionis de venialibus; nam potest quis confiteri unum veniale, aliis omissis: quia non sunt necessariò subjicienda confessioni. Resp. 2. loquendo de mortalibus necessariò exprimenda in confessione integrè, & secundùm species suas, & secundùm numerum: est de fide, & communis omnium Theologorum: ratio est (ait cum aliis S. Bon. *dist.* 17. *part.* 1. *& penult. & dist.* 21. *part.* 2. *in dubiis, & q.* 1. *&* 2.) quia hoc Sacramentum institutum est, ut judicium salutare animarum, ob idque ut feratur sententia Confessarii super peccata, quod non posset fieri, nisi prius sint cognita; ergo: tùm quia institutum est ad acquirendam justificationem per remissionem peccatorum, sed non habetur remissio de uno solo, aliis peccatis relictis in suo vigore, ergo. Resp. 3. ex consequenti omnia peccata confitenda eo modò quo sunt cognita, & commissa, nempè certa certò, dubia dubiè saltem moraliter, nec aliquid est ipsis addendum, vel diminuendum, hoc enim est contra rationem judicii perfecti: *Vide S. Bon. locis cit.* Hìc autem DD. subjiciunt plura dubia practica valdè scitu necessaria, quæ omittimus brevitatis causâ, quia possunt videri facilè apud Summistas, & P. Gaud. hìc.

QUÆSTIO II.

An ad integritatem confessionis sint necessariò explicandæ circumstantiæ actuum.

315 SUpponend. 1. quod circumstantiæ peccatorum aliæ sunt mutantes speciem actus, verbi gratia, de furto simplici, vel sacrilego: aliæ aggravantes actum intra eamdem speciem, verbi gratia furari in majori, vel minori quantitate obligante ad restitutionem sub mortali: Regula autem communiter assignata ad dignoscendam differentiam harum circumstantiarum est, quia aliquæ circumstantiæ vel transferunt peccatum de una specie in aliam, vel quia sunt oppositæ alteri virtuti, vel præcepto, v. gr. furtum accipere est illicitum, & prohibitum, furtum accipere in loco sacro est alio præcepto ad religionem spectante prohibitum: fractio castitatis simplicis est prohibita in decalogo, fractio castitatis ligantis ex voto est contra Religionem, &c. Sic etiam furari ad fornicationem committendam spectat ad aliud vitium, quàm injustitiæ: Circumstantiæ verò, quæ non faciunt ad aliam virtutem vel non faciunt transire ad aliud vitium, sunt tantùm aggravantes intra eamdem speciem: quibus suppositis.

316 Concl. 1. Certum esse, & de fide debere explicari in confessione omnes circumstantias mutantes speciem: hoc enim definitum est in Concil. Trident. quod & cum communi Theologorum docuerat Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 17. *q. ult.* & de hoc non est controversia inter Doctores: currit enim eadem paritas de necessitate confitendi omnia peccata mortalia secundùm suas species, & numerum. Quoad circumstantias tantùm aggravantes, vel diminuentes intra eamdem speciem est maxima controversia inter Theologos: nam prima opinio, quæ est multorum gravissimorum Theologorum tùm antiquorum, tùm recentiorum asserit circumstantias notabiliter aggravantes necessariò esse confitendas, & specificandas. 2. Opin. quæ est Seraph. Doct. *lib.* 4. *dist.* 17. *cit.* & plurimorum Theologorum antiquorum, & recentiorum, & magis communis, negat per se loquendo necessariò esse explicandas in confessione, dixi per se loquendo, quia ut advertit Seraph. Doctor, potest dari casus, in quo sit circumstantia explicanda, ne verbi gratia scandalizetur confessarius, vel occasionem sumat labendi; vel peccatum habeat onus restitutionis, vel aliquam censuram annexam: ob idque utraque est probabilis.

Concl. 2. Circumstantiæ solùm aggravantes intra eamdem speciem non sunt necessariò exprimendæ, nisi ad bene esse: Probabilior est hæc secunda opinio Seraph. Doctoris. Prob. 1. ex doctrina Seraphica, quia non est imponenda obligatio, & quidem tam onerosa, qualis est ista, nisi constet de lege imponente eam: sed in nostro casu non constat, immò magis oppositum, ergo. Major est certa, non enim lex obligat nisi promulgata, imò in dubio legis latæ non obligat, est enim facienda interpretatio contra eum, qui potuit clarum dicere, & non dixit: Minor probatur, quia neque ex Scriptura, neque ex sensu Ecclesiæ, cujus est jus divinum interpretari, colligitur tale præceptum, immò potiùs oppositum, ergo. Et probatur, quia Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. exactè hoc Sacramentum, & institutionem declarat, & docet omnia peccata esse confitenda quo ad numerum, & circumstantias similiter speciem mutantes, nec ullam facit mentionem de illis, quæ intra eamdem speciem solùm aggravant; ergo signum est se noluisse obligare, quia inclusio unius est exclusio alterius, si omittitur; & patet etiam à pari, quia agens de Sacramento Eucharistiæ determinat ejus materiam esse panem triticeum, & tali pacto excludit panem ex quacumque alia materia: & hinc infertur cum Seraph. Doctore istas circumstantias esse extrinsecas, & accidentales actui: Addit autem Concilium nihil aliud exigi ab Ecclesia præter confessionem peccatorum, & circumstantiarum mutantium speciem: sciebat enim id, quod advertit Seraph. Doct. circumstantias actuum esse innumeras, ob idque potuisse reddere confessionem nimis onerosam, ne dicam impossibilem: qua doctrina corruunt responsiones, quæ afferuntur ab Adversariis, nempè voluisse Concilium tantùm determinare ea quæ sunt certa, relinquendo incerta placitis Theologorum; quæ responsio nullius est momenti: ibi enim Concilium exactè tradit notitiam quidditatis Sacramenti, ejusque obligationem, ergo quæcumque alia obligatio addita à nobis est ad placitum, & ex abundanti. Prob. 2. quia hoc Sacramentum institutum est ad remissionem peccatorum obtinendam, ergo ex vi illius solùm est confitendum, quod habet rationem confitendi; sed ratio peccati solùm dicit speciem, & numerum, ergo solùm ista sunt explicanda; major est certa: minor probatur, quia etiam cætera omnia explicantur sufficienter, si afferatur species, in qua habetur genus, & differentia, & quo ad quantitatem si afferatur numerus: & si alia adnectantur (ut ait S. Bonav.) sunt extrinseca, & accidentalia, quia non mutant essentiam, vel numerum, vel individuationem, licèt aliquo 317

quo

quo modo ad illam spectent, ergo. Prob. 3. & magis confirmatur ratio præcedens: quia circumstantiæ solum aggravantes intra eandem speciem non faciunt novum peccatum, nec trahunt peccatum ad aliam speciem, nec multiplicant peccatum, vel secundum speciem, vel secundum numerum, ergo non sunt necessariò confitendæ: patet consequentia, quia solùm actus habens propriam malitiam distinctè est confitendus, & si duo actus habent diversam malitiam sunt confitendi distinctè: Vide Lugum, Caspens. Dianam, aliosque, qui adducunt alias rationes, quas omittimus ob brevitatem.

318 Objic. 1. Ad rectam confessionem ex Conciliis est necesse, ut Confessarius noscat causam adhoc ut possit rectè judicare, & ferre sententiam, imponereque satisfactionem: ergo necesse est ut noscat circumstantias notabiliter aggravantes: alioquin non rectè potest cognoscere qualitatem peccati. Resp. Mastrius, & optimè, quod si argumentum valeret, deberent etiam explicari circumstantiæ diminuentes, quod non est necessarium, imò ut ait Seraph. Doct. nec laudabile, esset enim magis excusatio, quam accusatio: hinc resp. negando consequentiam; sufficit enim ad sufficientem notitiam peccati scire ipsius malitiam specificam, & numerum; & ad hoc sufficit pœnitentia respondens malitiæ specificæ: nec Ecclesia, nec Concilia unquam voluerunt imponere tale onus, quod esset ferè importabile: & licèt antiquitùs aliquando fuit practicatum, tamen id fuit magis de consilio, quàm de præcepto.

Objic. 2. De facto sunt aliqua peccata, quæ non differunt specie, sed solùm secundùm magis & minus, & solùm aggravantes intra eandem speciem, vel minuentes, quæ tamen sunt explicanda; sed non est major ratio de aliis, ergo. Prob. major: primò in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quatenus sunt circumstantiæ incestus, ut copula cum matre, vel sorore, vel alia affine non differunt specie, & tamen debent explicari, non nisi quia est circumstantia aggravans: secundò qui uno actu occidit plures homines, vel plures concupiscit, fœminas, debet explicare hanc circumstantiam pluralitatis, non nisi quia aggravat: sic & infamare aliquem ob peccatum sive verum, sive falsum sunt ejusdem speciei injustitiæ: sic & frangens jejunium comestione carnis, vel piscium, &c. Resp. negand. major. Ad probat. Resp. negando illos incestus non differre specie; est enim probabilior opinio asserentium differre specie, quia illi actus sunt contra plura divina præcepta: Cætera autem exempla adducta nihil probant, nam illa pluralitas non est sola circumstantia, sed nova malitia respiciens numerum peccatorum, qui explicandus est, & talis malitia offendit plura præcepta: quæ doctrina currit quotiescumque ad actum materialem superadditur nova malitia.

QVÆSTIO III.

An possit dari Confessio valida, non integrata, saltem materialiter.

Certum est, confessionem debere esse integram & materialiter, & loquendo de jure communi: sed quia possunt dari casus, in quibus adsit aliquod rationabile impedimentum non confitendi omnia mortalia: quæritur an tunc confessio sit valida, & efficax. Resp 1. si detur aliqua confessio inchoata, & ob aliquod impedimentum superveniens, v. g. in infirmo non valente ampliùs loqui: tunc potest absolvi: secundò si quis alio modo non valens, nutibus, & signis petit absolutionem, vel non potest omnia exprimere, eadem ratio currit. Resp. 2. secundùm communiorem contra aliquos Thomistas posse absolvi pœnitentem confitentem peccata sua in genere non valentem ea specialiter explicare: quæ opinio est valde pia, & probabilior, & magis conformis Rituali Romano, de quo videantur Summistæ. Idem & dicendum de eo, qui absente Confessario dedit signa pœnitentiæ: Communior enim est affirmativa, imò probabilis est etiam opinio de illo, qui nulla dedit signa, supponitur enim ejus voluntas bona, &c. & tunc absolvendus est sub conditione: Summistæ afferunt alios casus practicos, qui possunt videri; eos enim omittimus ad vitandum prolixitatem. 319

QVÆSTIO IV.

De Ministro hujus Sacramenti, ejusque potestate.

Cum certum sit apud totam Ecclesiam solum Sacerdotem esse legitimum Ministrum hujus Sacramenti, eò quod solum in ordine Sacerdotii conferatur potestas absolvendi; quæstio movetur an omnis Sacerdos habeat hanc potestatem, an verò solum habens jurisdictionem actualem, vel ordinariam, vel delegatam: & dato hoc secundo, an potestas ordinis sit diversa à potestate absolvendi. In qua multiplici quæstione quò ad primam partem Durandus, & aliqui pauci voluerunt quemlibet Sacerdotem habere vi ordinis potestatem actualem jurisdictionis: sed communissima Theologorum, & Ecclesiæ est opposita. Quo ad 2. 1. op. tenet, esse duas potestates diversas essentialiter: secunda opinio esse unicam: primam sequuntur Suarez, Conimbric. aliique: secundam D. Antoninus, Caier. Beccan. aliique. 320

Not. 1. Quod licèt adsit maxima varietas inter Doctores in explicatione hujus potestatis: aliqui enim dicunt dari in ordinatione potestatem absolvendi immutabilem in habitu, seu in actu primo, remoto tamen, ob idque non distingui essentialiter à potestate ordinis, sed actualem non dari; seu in actu primo proximo, seu secundo: Ideoque illam potestatem compleri per subjectionem materiæ à Prælatis, & ab Ecclesia traditam: Alii verò docent esse duas potestates diversas, primam haberi in ordine; secundam ab Ecclesia: His tamen non obstantibus verum est, quod notat Mas-

trius *num.* 513. reduci hanc altercationem ad quæstionem de nomine: omnes enim conveniunt, & convenire debent hanc potestatem completam tribui in ordinatione, ut de se patet ex forma, quod supra notatum est, sed cum dependentia ad hoc, ut Ecclesia determinet subditos: & hac ratione aliqui appellant hanc potestatem de se completam, alii remotam, fierique proximam per delegationem, vel assignationem subditorum ordinariam, vel delegatam: sic S. Bon. *l.4.d 19.a.3. quæst.1. & Brevil. p.6. cap.* 10. appellat hanc potestatem proximam usum, seu facultatem clavium in sibi subditos: Idem, *& in Confessionali, cap.4.p.1.*

Not. 2. cum communi hanc potestatem esse duplicem, aliam ordinariam, aliam solùm delegatam, & utraque fit per applicationem materiæ subdendo ipsum pœnitentem Sacerdoti; quæ applicatio non sufficit, quod fiat ab ipso pœnitente, ut docuit Caietanus *tom.* 1. *Opusc. tract.* 7. Sed debet esse ab Ecclesia, & ab habente potestatis jurisdictionem: Hinc est, quod prima scilicet ordinaria traditur, quando quis instituitur Episcopus, vel Parochus, & hoc ex auctoritate Summi Pontificis: divisio enim Episcopatuum, & Parochialium facta est ab Ecclesia ex institutione Apostolorum, quod probat Seraph. Doctor in Opusc. Quare Fratres Minores prædicent, &c. Secunda verò tribuitur à Prælatis valentibus ipsam delegare aliis; & talis est sensus omnium ferè Theologorum, & praxis Ecclesiæ.

321 Concl. 1. Ad validè absolvendum requiritur potestas jurisdictionis ultra potestatem ordinis, & hoc ex jure divino: Est communis omnium ferè Theologorum cum Seraph. Doct. locis supra cit. contra aliquos asserentes talem potestatem jurisdictionis necessariam esse tantùm ex jure positivo, & humano, non verò divino. Prob. prima pars à S. Bon. ex pluribus Conciliis, & ultimò ex Trident. in quibus resolutum est requiri ad validam absolutionem potestatem jurisdictionis, & ideo absolventem sine ea, invalidè operari; de qua auctoritate Conciliorum, & Summorum Pontificum fusè agunt Suarez, Valentia, Gaudent. *tract.* 5. *d.* 2. *quæst.* 2. Seraph. Doct. *l* 4. *d.* 19. probat hanc veritatem etiam hac ratione ineluctabili; quia Christus instituit in sua Ecclesia optimum ordinem gubernationis, qui est monarchicus, quo omnes ad unum reducuntur caput ordinatè: sed exercitium potestatis absolvendi spectat ad talem modum, ergo cum tali, & proportionato ordine: sed ordo monarchicus exigit supremam potestatem in uno, & deinde in alios, & alios subordinatè secundum variam dispositionem, & statum inferiorum, ut patet in ordine causarum naturalium, in ordine, & regimine exercitivum; ergo multo magis in Ecclesia, quæ est sicut castrorum acies ordinata. Confirmatur, quia si non servaretur talis ordo, leges jurisdictionum violarentur, & fieret pessima confusio in Ecclesia, ut patet, si hæc potestas daretur in ordinatione distinctè pro omnibus. Pr. 2. pars, quia cum potestas absolvendi sit à Christo, necessariò debet habere formam judicii ad absolvendum, & ligandum; ergo talis subordinatio est de jure divino.

322 Concl. 2. Potestas à Christo collata Sacerdotibus absolvendi pœnitentes in ordine, datur indeterminatè omnibus Sacerdotibus determinanda tamen ab Ecclesia in ordine ad jurisdictionem: Est Seraphici Doct. & communis Theologorum, & praxis Ecclesiæ: sequitur ex supradictis: & patet, quia si absolutio est actus jurisdictionalis, necessariò exigit subditos, in quos exerceatur, sed ad Ecclesiam spectat assignare tales subditos, ergo.

Objic. 1. Sacerdotes legis veteris erant figura Sacerdotii Evangelici: sed in lege omnes indiscriminatim judicabant inter lepram, & lepram, ergo ad omnes Evangelicos id spectabit. Resp. conced. major. & ad minorem negatur paritas: nam Populus Israel erat unus, & ad unum alligatus templum; ideo non egebat tot divisionibus jurisdictionum: non sic in lege Evangelica, in qua per totum mundum spargitur cœtus fidelium, ideo etiam indigens est multiplicitate ministrorum jurisdictionum, & potestatis, ut dictum est: Sic Seraph. D. cit.

Objic. 2. Christus dedit universalem potestatem omnibus ordinatis, Quæcumque alligaveritis, &c. Matth. 28. ergo omnes sunt æquales in potestate.

Pro solutione hujus objectionis quæstio lateralis, & incidens proponitur: pro qua Notand. quod est controversia inter Theologos, an Christus absolutè, & universaliter dederit potestatem æqualiter omnibus Apostolis, an verò tantùm dependenter à suo Vicario B. Petro: Suarez, Valentia, Bellarminus, aliique dicunt dedisse ipsis Apostolis æqualem potestatem in omnes: sed tamen diverso modo exercendam ab ipsis ratione Apostolatus, ac à cæteris postea succedentibus nempe dependenter à Summo Capite, & Prælatis Ecclesiæ. Seraph. *cit. ad* 2. docet Apostolis traditam fuisse potestatem dependenter à dispositione Vicarii sui B. Petri; & hæc est probabilior, unde objectio tota corruit.

Objic. 3. Potestas hæc moralis instituta est conformis naturali, sed in naturalibus ignis, v. g. habet æqualem potestatem in omne combustibile, ergo & moralis in omnem hominem. Resp. S Bon. neg. paritatem: alius enim ordo requiritur in gubernatione politica, & alius, diversusque in actione causarum naturalium: tum etiam quia nec ignis potest agere, nisi sit applicatus ad combustibile: sic & suo modo potestas absolvendi, nisi deputetur materia subjecta, &c. Idem & dicendùm ad aliam objectionem de clavi apta ad aperiendum, &c. exigit enim manum moventem illam; sic Sacerdos debet moveri, & applicari subditis, &c.

QUÆSTIO V.

An inferior possit absolvere superiorem ipso volente.

Aliqui respondent Pontificem Summum in 323
tali casu non instituere Sacerdotem superiorem sibi ipsi, sed tantùm constituere se ipsum ut materiam illius potestatis: sic Beccanus: Alii asserunt posse constituere alium Sacerdotem sibi judicem in illo foro: & hæc est communior S. Bon.

Conclusio: Sacerdos subditus tanquam judex potest absolvere suum superiorem, ipso volente: sic S. Bon *d.19. a.3. q.2.* Prob. quia Summus Pontifex, vel alius superior potest se subjicere ex potestate

testate, quam habet, alteri etiam inferiori, sed habenti potestatem a Christo absolvendi, ergo. Prob. antecedens, quia cum ipse sit circumdatus infirmitate, & subjiciatur propriis peccatis, & culpis, tenetur quærere medicum, & medicinam à Christo institutam: sed talis medicus est quilibet Sacerdos capax jurisdictionis, ergo ei ipsam potest tribuere Summus Sacerdos super se ipsum in foro interiori: potest enim ipsam communicare alteri pro se, & sua utilitate, &c.

Objic. 1. Relationis non est relatio, nec mediationis mediatio, nec mediatoris mediator, sed Summus Sacerdos est mediator, &c. nec alius est ei superior; ergo ipsi non potest alius esse mediator. Resp. conced. majorem secundùm eandem rationem, negando secundùm diversam; ut est in proposito; Summus enim Sacerdos non se subjicit ut talis, sed ut peccator, &c. Contra: Nemo dat quod non habet: sed Prælatus non habet potestatem absolvendi se, nec supra se: ergo nec ipsam alteri potest supra se tribuere. Resp. S. Bon. conced. major. & minorem, & neg. conseq. ratio est, quia jurisdictio est non ad se, sed ad alterum, ideo licet non sit sibi ipsi subjectus Prælatus, potest tamen se ipsum subjicere alteri, cum sit liberæ potestatis.

Dices: Papa non potest tribuere alteri potestatem se ipsum excommunicandi, ergo nec absolvendi. Resp. S. Bon. neg. paritatem: Ratio est, quia excommunicatio est contra hominem, & ipso invito: absolutio est pro homine sic volente, dicit enim mediationem inter Deum, & hominem, &c. vide ibid. S. Bon. &c.

324 Q. 1. *An quilibet Sacerdos possit absolvere à venialibus, & in aliquo casu à mortalibus, etiamsi non sit deputatus ad confessionem?* Aliqui negant, posse simplicem Sacerdotem absolvere à venialibus, vel etiam à mortalibus, aliàs ritè confessis: sic Faber *d. 25. cap. 3.* aliique pauci. Communior est opinio Seraph. Doct. affirmativa: Ratio est, quia ista sunt materia non necessaria, ideo possunt subjici cuicumque Sacerdoti: Tum quia talis est sensus communis Ecclesiæ habentis, & tribuentis talem potestatem.

325 Q. 2. *An in aliquo casu possit simplex Sacerdos absolvere à mortalibus?* Resp. primò in articulo mortis id posse: est enim ista potestas data cuicumque Sacerdoti in tali articulo. Addunt Theologi, non solùm in articulo mortis, sed & in quovis periculo, ut in pugna, in navi, in muliere proxima partui, &c. vide Seraph. D. *d. 19. a. 3. q. 1. corp.* de qua materia fusè Thomistæ.

Q. 3. *An ratihabitio conferat jurisdictionem Sacerdoti?* Sup. 1. ratihabitionem esse actum factum cum spe approbationis habentis potestatem. 2. sup. Ratihabitionem aliam esse de futuro, aliam de præsenti: prima est cum spe postea recipiendi potestatem à superiore: secunda est cum spe probabili de præsenti approbationis superioris, ut agens aliquid de præsenti probabiliter supponit, quod si superior esset præsens, ei daret potestatem, vel præciperet talem actum.

Resp. 1. cum communi Theologorum absolutionem datam à Sacerdote non habente actu talem potestatem, sed cum spe postea recipiendi à superiore, invalidam esse: Ratio est, quia ut supra dictum est ex Seraph. Doct. *l. 4. d. 17.* non est valida absolutio sine jurisdictione: sed ratihabitio de futuro non includit jurisdictionem præsentem, ergo non est valida: idque patet: nam si postea superior talem actum non approbaret, esset nulla, ergo & à principio fuit nulla: tum quia non potest suspendi effectus Sacramenti; ergo. Resp. 2. Ratihabitionem de præsenti sufficere ad validitatem absolutionis: Ratio est, quia tunc cum necessaria potestate datur absolutio. Resp. 3. Ad talem ratihabitionem habendam sufficit aliquod signum, vel aliqua circumstantia, quæ inducat probabiliter operantem ad credendum firmiter superioris approbationem: Sic communiter Doctores.

QVÆSTIO VI.

De sigillo secreti confessionis solvuntur aliqua dubia.

Apud omnes Theologos, & Ecclesiam certum est Confessarium teneri sigillo secreti de auditis in confessione: quæ obligatio talis, & tanta est, ut ob nullum casum liceat ista ipsa revelare: De hoc sigillo igitur. 326

Q. 1. *Unde oriatur hæc obligatio; an scilicet ex jure naturali, an ex divino, an ex natura ipsius Sacramenti?* Resp. ex Seraph. Doct. *l. 4 d. 21. p. 2. a. 2. per totum*, maximè *in q. 1.* & communi Theologorum hoc præceptum esse juris naturalis, divini, & Ecclesiastici. Prob. 1. de jure naturali: nam revelans violat præceptum charitatis fraternæ: omnia enim quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, ait Christus Matth. c. 7. sed quilibet tenetur famam propriam diligere, ergo & alienam: tum ratione fidelitatis: quilibet enim tenetur fidelitatem proximo suo servare, quam vellet servari sibi: tum ratione veracitatis, & utilitatis Ecclesiæ: de lege enim naturæ est, quod nullus excludat inferiori recursum ad superiorem in necessitatibus, sed revelatio ista hunc recursum excludit, ergo.

Dices: Jus naturale in multis casibus non obligat ad secretum cum tanto rigore, v. g. quando imminet grave periculum in damnum proximi, vel reipublicæ, ergo. Resp. conced. antecedens de jure naturali puro, neg. de jure naturali divino religionis, quale est hoc, quia ut ait S. Bon. per fractionem sigilli irrogaretur gravis injuria Sacramento, & retraherentur homines à confessione.

Prob. 2. De jure divino positivo: quia, ut notat acutè Seraph. Doct. Sacerdos audit peccata pœnitentis non ut homo, sed ut gerens vices Dei; ergo ita audienda est confessio, ut Christus instituit: sed Deus accipit eam confessionem, ut peccata remittens, ampliùs non recordetur, ut dicit Spiritus S. in Psal. 30. & Ezech. 18. & hac confidentia se pœnitens illi Dei Vicario subjicit, ergo Sacerdoti incumbit peccatum obliterare: debent enim Sacramenta foris ostendere, quod Deus verè operatur: tum quia, ut dicit S. Bon. Christus statuit arbitrium pœnitentiæ esse ultimum in terris quantum ad illud crimen confessum: dixit enim: Quæcumque solveritis, &c. ergo si per revelationem deduceretur ad aliud forum, tunc non esset ultimum: tum quia alioquin confessio fieret odiosa, & ei fieret gravissima injuria, ergo, &c. Et hinc inferunt Theologi apud Vasq. *q. 93. a. 4. dub. 1.* additum fuisse à Christo ipsi Sacramento hoc præceptum de secreto servando: vel potius essentialiter inclusum in hoc Sacramento, ut vult Suarez.

Prob.

Prob. 3. De jure Ecclesiastico: quia in multis Conciliis generalibus ita cautum est, & à Summis Pontificibus ordinatum est hoc silentium cum comminatione plurium pœnarum, & censuratum contra transgressores, ut videre est apud S.Bon. *l.* 4. *cit.* Suar. & alios.

327 Objic. 1. Si Sacerdos juridicè interrogatus juret se dicere velle verum: In hoc casu, ne sit perjurus, debet revelare peccatum auditum, ergo. R. S.Bon. in hoc casu Sacerdotem debere jurare se nescire, nec aliquid audisse: tunc enim non interrogatur legitimè: quia peccata audivit non ut homo, sed ut Dei gerens vicem, cum autem supra Deum non sit aliquis homo, hinc pro nullo præcepto, vel juramento, vel periculo debet unquam revelari.

Objic. 2. Si Sacerdos audiat hæreticum, qui nolit pœnitere, sed alios corrumpere, tenetur Sacerdos fidelior esse Christo, quam illi insidiatori gregis Christi; ergo datur casus, in quo secretum non obligat. R. Lugo *n.* 43. Sacerdotem non teneri sigillo, si hæreticus accessit intentione eludendi, non confitendi: & ita Romæ declaratum fuisse testatur Bassæus V. Confessio 7. *n.* 6. de qua re vide Sot. *d.* 18. *q.* 4. *a.* 5. Navar. *c.* 8. *n.* 18. Vasq. *d.* 93. *a.* 3. ex qua declaratione potest descendi ad alios casus consimiles, in quibus confessio aliquando fingitur ad eludendum Confessarium, vel Prælatum: Seraph. verò R. Sacerdotem debere tacere, sed tamen debet vigilare super gregem, & monere Pastorem, ut vigilet, si absque revelatione hominis illius, quamvis impii, id possit. Ex qua doctrina pariter potest descendi ad alios casus particulares, in quibus Confessarius prudenter potest monere Prælatos, ut vigilent, &c. N. hîc etiam, quod alii casus afferuntur à Seraph. Doct. & à Summistis, in quibus prima facie videtur posse revelare peccatum pœnitentis: sed tamen his non obstantibus semper firma stat, ait S.Doct. hæc veritas, quod nunquam in quocumque casu potest revelari peccatum auditum in confessione sive directè, sive indirectè: sed tantum admittitur aliqua prudens diligentia in Confessariis, vel Prælatis ad evitanda alia peccata, dummodo fiat sine præjudicio secreti.

Objic. 3. Posse Confessarium revelare peccatum pœnitentis ipso consentiente, ergo tale sigillum non continetur in ipso Sacramento, vel in eo inclusum essentialiter, vel ut ei superadditum, sicut supra dictum est: sic arguit Suar. contra D. Bon. sed hæc objectio nihil valet: nam in tali casu adest conventio inter Confessarium, & pœnitentem, & pœnitens cedit juri suo; licèt Seraph. D. neget id posse fieri, quia ultra jus pœnitentis adest jus Sacramenti, & Ecclesiæ: & quia opposita est probabilis hinc in praxim non deducatur sine maxima prudentia, & non absque gravissima necessitate: sed de hac re infra agitur ad quæsitum. 3. Addimus tamen cum communi, quod ad revelationem, & fractionem sigilli duo requiruntur, primum est revelatio personæ, secundum est revelatio peccati: & utraque ad id requiruntur: nam revelatio peccati absque revelatione personæ, & viceversa, non frangitur sigillum, de quo vide Summistas.

328 Q. 2. *Quanta sit hæc obligatio sigilli, & de quibus obliget.* R. primæ parti, hanc obligationem coarctare non solùm Confessarium, sed quemcumque alium, qui occasione confessionis audivit peccata confessa, etiamsi quis se fingeret Sacerdotem, & interpretem, confessarium, & quemcumque audientem occasione, & in ordine ad confessionem: Ratio autem hujus conclusionis est superaddita, quia per quamcumque revelationem injuria irrogatur Sacramento: Excipe tamen illos, qui audierunt peccata scienter confessa publice ad sui confusionem etiam occasione confessionis: illi enim non tenentur ad secretum sacramentale: si verò incidenter quis audiret confessionem alterius v. g. occasione tempestatis, tenetur ad secretum: sicut qui inveniret chartam scriptam peccatis ordinatam ad confessionem; sic communiter Doctores, licet aliqui oppositum doceant. R. secundæ parti, sigillum obligare in quacumque re, in qua probabiliter redditur onerosa, vel injuriosa confessio hominibus: ex quo principio infertur mortale esse revelare quodcumque peccatum sive mortale, sive veniale, sive commissum, sive committendum: item & defectus naturales, ut defectus natalium cognitos occasione peccati, quicquid dicat in oppositum Vasquez contra communem. Adduut hîc Doctores, & obtestantur gravissimè Confessarios, ne faciles sint ad loquendum de auditis in confessione, aut ad unum laudandum, quo possit alterius fama lædi, aut in communi, aut in genere, aut in speciali: quia ex similibus revelationibus sæpè oriuntur maxima mala, ut experientia continua docet: similiter cavendum est, ne pandant peccata nominando familiam, vel religionem, vel communitatem, dicendo se in aliquo ex his invenisse peccata gravia, &c. vide Suar. *d.* 33. *sect.* 3. Item caveant à zelo corrigendi complicem per licentiam, vel sine licentia, vel fiat cum maxima cautela, vel prudentia. Vide Bassæum, &c.

Q. 3. *An Sacerdos cum licentia pœnitentis possit revelare peccatum?* Prima op. admittit, estque plurimorum Theologorum, quia potest quis cedere juri suo. Secunda negat, estque Scoti, & aliorum, eò quia hoc præceptum non solùm factum est in favorem pœnitentis, sed etiam in reverentiam Sacramenti, & ex jure totius Ecclesiæ, quod non potest tolli per consensum pœnitentis, & hæc est etiam sententia S.Bon. *d* 21. *p.* 2 *a.* 2. *q.* 3. & hoc ait, quia inde faciiè potest resultare scandalum, dum scitur talia peccata audita fuisse in confessione; tum etiam quia facilè multa absurda, & fallaciæ ex hoc possent oriri: utraque opinio est probabilis, sed hæc secunda est securior, si verò revelatio fieret cum tali licentia, & cautela simul, ita ut non patesceret, hæc audita fuisse in confessione, tunc sine scrupulo potest fieri revelatio. 329

Q. 4. *An quis possit uti scientia habita in confessione in aliis negotiis, v. g. an possit quis denegare suum votum alicui, quem ex confessione scit esse indignum, vel si est superior, removere aliquem ab aliquo periculo, vel loco: vel revelare alicui periculum mortis imminentis?* Prima op. absolutè negat, etiamsi immineret periculum mortis in Confessario: estque plurium recentiorum. 2. op est aliorum id admittentium, dummodo ita cautè procedatur, ut non in palam veniat fractio sigilli: utraque est probabilis: sed prima est certior, & securior, & sequenda: citatur pro 2. sent. Seraph. D. sed malè, ut videre est *d.* 21. *p.* 2. *a.* 2. *q.* 1. *ad ult.*

QUÆSTIO

QVÆSTIO VII.

De satisfactione sacramentali, quid sit, & quotuplex..

330 Supra diximus satisfactionem posse considerari in ordine ad pœnitentiam virtutem, sicque est actus ipsius, & in ordine ad pœnitentiam sacramentalem, sicq. est pars integralis ipsius; quæritur igitur, quid, & quotuplex sit satisfactio?

Sup. 1. satisfactionem esse partem justitiæ, quæ consistit in reddendo æquale pro læsione illata per actionem: unde differt à restitutione, quia hæc est actio, per quam res ablata restituitur, quæ respicit damnum re ipsa illatum: satisfactio verò respicit personam injuria affectam, etiamsi nullum damnum passa sit: & hinc dicitur satisfactio propriè, per quam Deo pro peccatis satisfacimus: Et quia (ait S. Bon. *d.* 15. *p.* 2 *a.* 1. *q.* 2.) in peccato sunt duo, scil. culpa, & reatus pœnæ; hinc etiam duplex satisfactio intelligitur, altera pro culpa, altera à pœna: culpa remittitur per contritionem, & confessionem cum pœnæ æternæ commutatione in temporalem, de qua remissione aliàs fusè actum est; & quia remanet pœna temporalis luenda in hac, vel alia vita, hinc Christus Sacerdotibus tanquam suis ministris commisit judiciariam potestatem imponendi pœnam pro satisfactione Deo debita; & hoc est de fide definitum in pluribus Conciliis.

Sup. 2. quòd licèt Christus pro peccatis satisfecerit sua passione de toto rigore justitiæ, id tamen est intelligendum quoad sufficientiam, non verò quoad efficaciam, ad hanc enim voluit Deus, ut & nos concurramus nostris pœnalitatibus assumptis, vel impositis: Istæ autem pœnalitates possunt assumi extra Sacramentum, sic valent tantùm ex opere operantis, quia sunt actus pœnitentiæ virtutis, easque S. D. *loc. cit. q.* 3. & 4. ad orationem, jejunium, & eleemosynam reducit: vel virtute Sacramenti pœnitentiæ, simulque cum ipso, & sic satisfactio est pars hujus Sacramenti: Hîc tamen advertendum, quod hæc satisfactio potest sumi vel in re, vel in voto: hæc secunda est necessaria ad perfectam confessionem, ad remissionem pœnæ relictæ, prima verò non est absolutè necessaria.

331 Concl. 1. Satisfactio sacramentalis est compensatio pœnæ temporalis debitæ ob injuriam Deo illatam, quæ consistit in operibus pœnalibus à Confessario taxatis: & tali pacto est pars integralis hujus Sacramenti: vel ut dicit S. Aug. apud S. Bon. cit. satisfacere est peccatorum causas excidere, & earum suggestionibus aditum non indulgere: quæ definitiones in idem recidunt: Explicatur, & prob. à S. D. *q.* 2. quia peccator peccans mortaliter se ad pœnam æternam obligat: cum autem justificatur, Deus sic remittit culpam, & reatum pœnæ æternæ, ut etiam cum misericordia concurrit justitia, cui satisfactio debetur in ordine ad pœnam, quæ remanet luenda: & quia Deus remittit judiciariam potestatem super peccatores sacerdotibus, ideo ipsorum munus est taxare pœnam debitam ad satisfaciendum Deo. Idemq. intendit S. Aug in sua definitione: quia enim ad satisfactionem primò requiritur emenda præsens pro culpa præterita, ideo dicitur peccatorum causas excidere: secundò propositum firmum ad vitandum futura, ideo aliæ particulæ adduntur; hinc satisfactiones sunt actiones pœnales pro præteritis: sic S D. *q.* 1. *ad* 2. & *q.* 2.

332 Concl. 2. Satisfactio in voto est Sacramento essentialis: in re est integralis tantùm: sic S. Bon. cum cæteris Theol. 1. pars patet ex traditis de confessione; nam in hac involuitur essentialiter propositum firmum satisfaciendi Deo: 2. pars etiam est evidens, quia satisfactionem in re præcedit expiatio culpæ, & reatus pœnæ æternæ, ergo tantùm consequitur satisfactio realis ad pœnitentiæ integritatem.

Concl. 3. Satisfactio potest sumi dupliciter: 1. 333 generaliter, estque redditio voluntaria æquivalentis aliàs indebiti, nempe qua quis solvit debitum quantùm debuit creditori compensando injuriam, & damnum illatum: quo pacto ait S.D. *l.* 3. *d.* 20. *a.* 1. *per tot. præcipuè q.* 3. Christus de toto rigore vel realiter, vel æquivalenter satisfecit pro nobis: 2. sumitur specialiter, estque actio afflictiva, per quam Deo voluntariè satisfacimus pro pœnis temporalibus ex peccatis jam per pœnitentiam condonatis relictis: sic S. Bon. *cit. l.* 4. *d.* 15 *q.* 3 & 4. Hæc concl. est de fide contra Sectarios negantes, nos posse, vel debere satisfacere per opera pœnalia, cum Christus pro nobis satisfecerit: contra quos fusè agunt Controversistæ, & P. Gaud. ex S. Doct. *d.* 9. *q.* 2. Et confirm. quia si Deus dedit potestatem sacerdotibus ligandi, & solvendi, sequitur etiam obligatio in peccantibus se subjiciendi talibus clavibus, alioquin si posset haberi satisfactio sacramentalis absque Sacerdotis impositione, non posset salvari actus ligandi positivus in foro pœnitentiali, & ad aliquid obligandi, ergo conveniens, & necessaria est talis satisfactio imponenda.

Concl. 4. Cum satisfactio ordinetur ad effectum 334 secundarium, scil. ad remissionem pœnæ, sequitur quod sit pars integralis confessionis, & producat effectum suum ex opere operato. Patet conseq. quia si totum hoc Sacramentum ordinatum est ad remissionem, non solùm culpæ, sed & pœnæ, ergo & satisfactio, quæ est pars ipsius.

Dices: Potest aliquando Confessarius nullam imponere pœnitentiam pœnitenti, ergo non est pars integralis. R. Suar. *d.* 38. *sect.* 3. neg. conseq. potest enim dari casus, in quo ad majorem utilitatem pœnitentis, vel ob aliquam necessitatem non debeat imponi pœnitentia, nec per hoc sequitur, quod non sit pars integralis, tunc enim sufficit satisfactio essentialis, scilicet in voto.

Concl. 5. Ultra remissionem pœnæ satisfactio 335 habet conferre gratiam ex opere operato. Est communior Theol. & S.D. *d.* 15. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 4. *in corp.* ubi postquam probavit remissionem pœnæ esse effectum satisfactionis, addit & habere vim nos reconciliandi Deo, ergo & per gratiam, quæ confertur per ipsam, ratio est, quia est pars Sacramenti, & quidem essentialis in voto, & integralis in re, ergo induit rationem producendi gratiam, sicut & Sacramentum.

Q. 4. *An Pœnitentia sit implenda in statu gratiæ, ut suum effectum consequatur?* R. 1. negativè, sufficit enim, ut adimpleatur opus pœnitenti injunctum! Et si ulteriùs quæras: *An, adimpleta in statu peccati mortalis recedente peccato, reviviscat?* R. S. Bon. *d.* 15. *q.* 4. utramq. sent. negativam, & affirmativam esse valde probabilem, sed securiorem esse negativam: Ratio potissima affirmativæ est, quia cum jam peccatum sit deletum, & pœna imposita spectet ut pars ad Sacramentum, sequitur, quod ablato peccato accipiat rationem ipsius Sacramenti: ratio negativæ est, quia ad hoc ut opus sit meritorium vita æterna requiritur amicitia Dei, ergo ista ablata aufertur meritum. In quo casu pœnitentia erit tantùm satisfactoria: non verò meritoria.

DISPVTATIO VIII.

De Sacramentis Extremæ Vnctionis, Ordinis, & Matrimonii.

DE istis tribus Sacramentis superest examen faciendum; nos tamen breviter per aliqua dubia totam hanc materiam solvemus, remittentes fusiorem considerationem ad Summistas: intendimus enim viam sternere lecturæ Scholasticæ de Sacramentis, solúmque fundamenta essentialia tradere, ut quisque propria industria possit ad Summistas recurrere, &c.

QUÆSTIO I.

De Extrema Vnctione solvuntur aliqua dubia.

336 QUæres 1. *Cur ponitur hoc Sacramentum quinto loco?* Resp. S.Bon. *d.2.dub.1. & d.23.dub.1.* quod primo loco collocantur Sacramenta, quæ respiciunt omnes fideles communiter; suntque Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema Unctio, inter quæ Extrema unctio ordinatur ad consummationem curationis spiritualis animæ: ideo quinto loco ponitur, baptismus enim est ad curationem vulnerum, confirmatio ad conservationem curationis habitæ, Eucharistia ad promotionem curationis conservatæ, pœnitentia ad recuperationem deperditæ: alia verò duo Sacramenta, scilicet ordo, & matrimonium respiciunt personas speciales: ordo quidem perfectas, & respicit regenerationem spiritualem: matrimonium verò imperfectas, & respicit generationem corporalem ad conservandam speciem.

337 Quæres 2. *An Extrema unctio sit Sacramentum institutum immediatè à Christo?* Resp. S.Bon. *d.23. q.2.* Primò esse de fide extremam unctionem esse Sacramentum, quicquid blaterant hæretici; & hoc determinatum habetur in pluribus Conciliis, & novissimè in Trident. *sess.14.* & probatur auctoritate D.Jacobi *cap.5.* Infirmatur quis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiæ, &c. Prob. 2. à S.Bon. *Brevil. p.6. cap.11.* quia Christus unctus ut salvator debuit ungere suos athletas ad certamen salutis in egressu vitæ, sicut & instituit confirmationem in ingressu certaminis, & ordinem ut in progressum homines erudirentur, & adjuvarentur Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: sed talis fortificatio fit per extremam unctionem, tunc enim hostes acrius, & fortius impugnant hominem, ergo, &c. Resp. 2. S. Doct. *cit. & in Brevil. p.4. cap.6. & 11* hoc Sacramentum institutum fuisse à Christo. Hic tamen notand. quod videtur Seraph. Doct. *d.23. cit.* negare hoc Sacramentum institutum fuisse à Christo, sed dedisse Apostolis potestatem hanc: attamen supposita doctrina Seraphica tradita in principio hujus libri de Sacramentorum institutione in communi, ejus sensus patens expressus in Brevil. est Christum per seipsum instituisse, & ab Apostolis postea promulgatum.

338 Quæres 3. *Quænam sit materia hujus Sacramenti?* Resp. S. Bon. *d.23. q.3.* materiam remotam esse oleum olivarum ab Episcopo consecratum: sic habetur ex traditione Ecclesiæ: apta autem est super omnes ista materia ad significandum unctionem, & fortificationem spiritualem, quam recipit anima in extremo vitæ periculo: tunc enim cum actu ungitur, fit Sacramentum, materia autem tunc proxima habetur. Addimus, istas unctiones convenientissimè fieri ad os, oculos, nares, aures, manus, & lumbos, quæ sunt organa animæ: nempe primi quatuor sensus sensitivæ, ultimus generativæ, & hoc ut per tales unctiones deleantur peccata per istos sensus commissa, sed quia in fœminis omittitur unctio pedum, & renum, hinc colligitur dictas unctiones non esse de essentia Sacramenti, sed sufficere unicam tantùm in causa necessitatis, & hæc est communior, quicquid dicant aliqui DD. in oppositum. Vide S.Bon. *d.23.q.1.*

Quæres 4. *Quænam sit forma hujus Sacramenti?* Resp. S Bon. *cit.q.4.* primò, falsam esse sententiam asserentium nullam formam præcisam habere hoc Sacramentum. Resp. 2. formam esse illam, qua utitur Ecclesia, Per istam sanctam unctionem, &c. Addit tamen S. Doctor cum communi, ista verba non esse ita essentialia, ut non possint variari, ut fit in Ecclesia Mediolanensi, & Veneta: quæ tamen idem essentialiter significant: peccaret tamen mortaliter Sacerdos Latinus, si alia forma uteretur ab ea, quam præcipit Ecclesia Latina: dempto aliquo privilegio Pontificio.

Quæres 5. *An hoc Sacramentum sit iterabile?* 339
Resp. S Bon. *d.23. q.ult.* affirmativè: Ratio est quia ejus effectus non est perpetuus, nec imprimit characterem: & quia morbus est iterabilis, ideo & remedium, &c. Addunt Doctores debere morbum esse ad mortem; & iterationem remittendam judicio prudent. viri.

Quæres 6. *Quænam sint effectus hujus Sacramenti?* Resp. S. Bon. *d.23. q.1.* effectum principalem esse remissionem venialium, pro ut ultimò aggravant animam, & reddunt eam torpidam ad bonum, & proclivam ad malum: cum igitur hoc Sacramentum excitet animam in Deum, & ad gloriam viam sternat roborando eam, & porrigendo auxilia, quasi medicinam ad curationem spiritualem, removendo omnia impedimenta ad salutem, & delendo per accidens etiam mortalia, si inveniuntur: hinc ad ipsorum deletionem ordinatur directè, & per se, & ex consequenti. elevare dicitur etiam corpus, pro ut impedit animam ad talem curationem: & in hoc sensu dicitur ordinatum etiam ad sanctitatem corporis: patet hæc veritas ex forma Sacramenti: Per istam sanctam unctionem,

ctionem, &c. formæ enim Sacramentorum id efficiunt, quod significant, &c. Vide S. Bonaventur. q. 1. cit.

Q. 7. *Quis sit minister hujus Sacramenti?* Resp. S. Bon. d. 24. a. 2. q. 1. esse solos Presbyteros, & Sacerdotes, ut patet ex Epist. S. Jacobi, Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c. sic determinatum fuit in Concil. Trid.

Q. 8. *An adsit præceptum sumendi hoc Sacramentum?* Resp. nullum esse præceptum positivum; & ideo non peccare mortaliter illud non recipiens, nisi tamen omissio esset cum contemptu actuali, vel virtuali, de quo vide Suar. Mastr. &c.

Q. ultimò. *Quæ præcepta ad ministrum hujus Sacramenti pertineant?* Resp. Pastorem ex officio teneri ex justitia hoc Sacramentum subditis ministrare; cæteri verò ministri in defectu Pastoris teneri ex charitate in casu necessitatis, sic communiter DD. & Catechismus Romanus.

QUÆSTIO II.

De Sacramento Ordinis solvuntur diversa dubia.

340 An detur Sacramentum Ordinis in lege evangelica, & quid sit? Hæretici, maximè nostri temporis negant Ordinem esse Sacramentum: sed tamen veritas catholica docet esse verum, & unum ex septem Sacramentis à Christo immediatè institutis in lege evangelica: quod probatur à Seraph. Doct. *l. 4. d. 24. per totam, & in Brevil. & Centil. & in Comp. Theol.* cum cæteris Theologis tum ex perpetua Ecclesiæ traditione Apostolica, tum ex pluribus Conciliis, & Decretis Pontificiis, tum ex SS. Patribus, quos fuse citant Bellarmin. Suarez, Gaudent. ad quos remitto Lectorem.

Seraphicus autem id probat hac ratione bimembri: nempe ex rectitudine, & pulchritudine requisitis in omni perfecto regimine, præcipuéque Ecclesiastico, qui est Hierarchicus, & ordinatissimus: Rectitudo autem postulat, ut unus multis præficiatur, nam sine rectore multitudo facilè in confusionem dividitur, ut dicitur 3. Reg. *cap. ult.* Pulchritudo item postulat, ut qui aliis præsunt, his etiam virtutis non vulgari professione præcellant: hæc autem præcellentia si ab hominibus solum penderet, posset subjici deceptionibus, ergo in Ecclesiastica Hierarchia talis præeminentia debet esse ex diversa institutione, & sacra actione gratiæ, & characteris decorem præstante debet procedere ad evitandas deceptiones.

341 Probat. 2. Seraph. Doct. *in Brevil. p. 6. t. 12.* hoc solido discursu: Verbum incarnatum Sacramentorum medicamenta ad salutem instituit, ordinatè, discretè, & potestativè secundum exigentiam suæ bonitatis, sapientiæ, & virtutis: hinc est, quod medicamenta Sacramentorum commisit dispensanda hominibus, non qualitercunque, sed eo modo, quo exigebat ordo, discretio, & potestas, ergo oportuit aliquas personas ad id exequendum distingui, & segregari, quibus ordinario jure potestas talis committeretur. Et quia talis discretio non debuit fieri, nisi per signa sacra, qualia sunt Sacramenta, ut probatum est *in disp. 1. hujus quarti libri q. 4.* hinc est, quod debuit esse aliquod Sacramentum, quod esset sacrum signaculum ordinativum, distinctivum, & potestativum ad Sacramenta cætera dispensanda modo distinctivo, potestativo, & ordinativo: & hinc ordo dicitur signaculum quoddam, in quo potestas spiritualis traditur ordinato: ergo si ordo est signaculum distinctivum, requiritur distinctio quædam in ordinato sequestrativa ab omni populo: & si est ordinativum, & consequenter in seipso est ordinatum, requiritur graduum disparitas, & distinctio completa, secundùm quod exigit septiformis gratia Spiritus Sancti, ad cujus dispensationem Sacramentum Ordinis principaliter ordinatur: hinc & septem ordines sunt gradatim instituti: & si est potestativum non solùm respectu illorum Sacramentorum dispensandorum, sed & respectu sui, ergo exigit potestatem super potestatem excellentem, hinc & requiritur ordo Sacerdotalis, cui annexa etiam superimponitur eminentia potestatis, quæ residet in Episcopo: Et quia hæc dignitas præcipuè manet in ordine, ideo hoc Sacramentum non debet dispensari, nisi cum magna discretione, & solemnitate, ac per hoc non à quolibet, nec cuilibet, nec in quolibet loco, & tempore, sed personis litteratis honestis, & à cunctis irregularitatibus alienis, jejuno stomacho, loco sacro, tempore Missæ, & temporibus ab Ecclesia institutis, & hoc ab Episcopo, is ob eminentiam potestatis.

Prob. 3. à S. Doct. Tria requiruntur ad Sacramentum, nempe ritus externus, promissio gratiæ, & institutio divina: sed hæc reperiuntur in ordine, ergo. Prob. minor: ritus externus est manuum impositio cum exhibitione materiæ, & formæ: promissio gratiæ, & institutio Christi: primum habetur *in Act. c. 6. & 14. & 23. & 1. Tim. c. 4. & 2. Tim. cap. 1.* secundum habetur *1. Tim. cap. 4. & 2. Tim. cap. 2.* tertium verò *in Act. c. 20. & Eph. cap. 4.*

Secundæ parti quæsiti resp. S. Bon. cit. quod aliud est ordinatio, aliud est ordo: ordinatio est 342
actio in fieri, scilicet in collatione ordinis: Ordo verò est spiritualis potestas permanens: & hic sic definitur optimè: Ordo est spirituale signaculum, in quo spiritualis potestas traditur ordinato in ordine ad conficiendum Corpus Christi verum, & mysticum, explicatur, & probatur: Dicitur, *spirituale signaculum*, quia per actionem ordinationis quæ sic mediante signo externo imprimitur character spiritualis in anima: Dicitur, *in quo potestas spiritualis traditur ordinato*, quia per tale signaculum homo potestatem accipit exercendi proprium muneris secundùm diversitatem ordinum per respectum ad Corpus Christi conficiendum verum, & misticum in Sacerdotio in sanctificationem fidelium. Nac autem S. Doct. *Comp. Theol. l. 6. c. 38.* quòd in hoc Sacramento quoddam est Sacramentum tantùm, ut visibile signum, quo potestas traditur: quoddam est res tantùm, nempe gratia sanctificans, & quoddam est res, & Sacramentum, nempe character.

Q. 2. *Quot sunt ordines, & an omnes sint Sacramentum vel plura, vel unum?* Resp. S. Doct. *l. 4 d. 24.* 343
& in Centil. p. 3 sect. 53. & in Comp. Theol. l. 6. c. 36. quod septem sunt Sacramenta veluti partialia integrantia unum Sacramentum in Sacerdotio: & hæc est communissima Theolog. sent. contra aliquos paucos collocantes inter sacramentalia quatuor ordines minores, aliosq. addentes etiam Episcopatum, suntq. Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, &

Sacerdotium: in quibus omnibus homo accipit potestatem specialem spiritualem in ordine ad Corpus Christi verum, ac misticum: Ex istis autem ultimi tres dicuntur sacri, primi quatuor dicuntur minores, non quod omnes non sint sacri in se, sed quia ultimi tres immediatè ordinantur ad Corpus Christi verum conficiendum: nam Subdiaconus præparat materiam pro sacrificio: Diaconus subministrat eam Sacerdoti, & Sacerdos consecrat: alii verò quatuor minores ordinantur ad Corpus Christi misticum; nam munus ostiarii est laicos, dignosq. ad locum sacrum introducere, indignosq. excludere: Lectoris est documenta spiritualia præbere: Exorcistæ est auxilium præstare, ne à diabolo impediantur, & Acolyti est exempla sancta præstare.

344 Et hinc in primis tribus exigit Ecclesia sanctitatem peculiarem, & maximè in ordine ad castitatem, ideoque in ipsis involuitur votum castitatis, & continentiæ, non verò in quatuor minoribus tanquam remotioribus ministerio Altaris. Quòd verò omnes septem isti ordines sint sacramenta prob. 1. quia in collatione cujuslibet intervenit propria materia remota, & proxima, & forma, per quam confertur potestas spiritualis aliqua, quod non intervenit in prima tonsura: 2. ex Concil. Flor. in quo Eugenius Papa declarat, materiam hujus Sacramenti esse rem sensibilem exhibitam, & affert exemplum traditionis materiæ omnium septem ordinum, & eodem modo loquitur de forma idemque facit Concil. Trident. *sess. 23. c. 3. & can. 3.* Prob. 3. quia ex perpetua Ecclesiæ traditione omnes septem sunt irreiterabiles, & irrevocabiles, ergo signum est in quolibet imprimi characterem. Prob. 4. à S. Bonav. omnes simul constituere unum completum Sacramentum in Sacerdotio *ex d. 24. part. 2. art. 2. quæst. 4.* quia ex Ecclesiæ traditione ordo est unum ex septem Sacramentis legis evangelicæ: ergo constituitur ex ipsis septem veluti partialibus, & integrantibus Et confirm. quia ab eodem principio habetur unitas, ac perfectio, & complementum, sed ordo habet complementum unicum scil. sacerdotium, quod complet alios sex, & isti ad ipsum ordinantur, ut ritè conficiatur Corpus Christi, ergo. Addit S. D. hanc veritatem non esse simplicitatis, sed potiùs integritatis ad modum, quo numerus v. g. denarius, vel duodenarius ex pluribus numeris componitur, & singuli sunt numeri, puta singulæ dualitates, & ita quinque, vel sex sunt dualitates: ita & singuli ordines sunt partes non omnino subjectivæ, sed magis potestativæ.

345 Objic. Multiplicato inferiori, multiplicatur superius: sed Sacramentum est superius ad ordines, & isti sunt plures, ergo, & plura Sacramenta specifica. Resp. S. Doctor concedendo majorem de inferiori habente naturam speciei, & partis subjectivæ, sic multiplicatis hominibus multiplicantur animalia, sed negand. majorem, loquendo de inferioribus, quæ sunt partes potestativæ, & integrales, ut patet in numero, & in corpore humano ex pluribus partibus integrato, & tales sunt ordines; unde hæc divisio ordinum est magis analogi in sua analogata, quàm univoci tenens veluti medium inter æquivocum, & univocum, nempe inter totum universale, & integrale; sic enim quilibet ordo habet rationem Sacramenti, sed non completam, sed potius integralem ordinatam ad totalem completionem in sacerdotio, quod est totum completum morale. Sed vide S. Bon. *d. 24. quæst. ult.* ubi ponit rationem diversitatis istorum ordinum, & quare Christus instituit, ut per gradus varios ascenderetur ad dignissimum ministerium sacerdotii: Ibique probat sicut, & *in Comp. Theol. cit.* Christum exercuisse omnes istos ordines.

Q. 3. An corona, seu prima tonsura sit ordo, & Sacramentum? Resp. S. Bon. *d. 24. art. 1. quæst. 1. & 2.* negativè, sed tantùm esse dispositionem ad receptionem ordinum, in prima enim tonsura non datur aliqua potestas spiritualis tonsurato in ordine ad Corpus Christi: Et hic est communi sensus Ecclesiæ, & Theologorum. Convenientia autem istius tonsuræ affertur multiplex à Seraph. Doct. Prima est, quia transeuntibus de uno statu ad alium debet præmitti aliquid præparatorium, quod non ponit in statu, sed disponit: Dispositio enim etiam in naturalibus non ponit formam præcisè. sed viam sternit ad eductionem formæ, & effectionem compositi: Et in moralibus id etiam patet, ut in transitu ab infidelitate ad Ecclesiam, in quo mediat status Cathecumeni: A sæculo item ad Religionem mediat status Novitii: sic in transitu à statu laicali ad ordinem mediat tonsura per quam tonsurati appellantur Clerici; licèt non sint ordinati; eò quod magis participant de statu clericali, quam laicali, sicut Novitius dicitur Religiosus, licèt non sit professus. Secunda est, quia qui recipere debet nobilissimum Sacramentum, etiam conveniens est ut consignetur aliquo signo ostendente distinctionem, & eruditionem, & hoc fit per tonsuram, & coronam in capite, per quam significatur nobilitas status, ad quem destinari debet, per sacerdotium quod est Regale, simulque eruditur homo, quod debet superflua, & terrena resecare: & cum corona fiat in vertice capitis, quod conversationem debet habere in Cœlis; & quia corona est orbicularis debet esse simplex per innocentiam, dilatatus per charitatem, & pulcher per conversionem: Figura enim orbicularis omnes alias in his tribus excedit. Vide S. Bonaventuram loco citato, ubi habet plura pulcherrima ad mores conducentia, *& in Brevil. p. 6. c. 12.* 346

Q. 4. *An Episcopatus sit ordo distinctus à Sacerdotio?* Prima opinio Bellarmin. Vasquez, Mastrii, aliorumque est affirmativa. Secunda opinio D. Thomæ, D. Bon. supra cit. *quæst. 3.* negat, Episcopatum esse ordinem, docetque solùm dici ordinem, quatenus involvitur in sacerdotio essentialiter, & ultra sacerdotium dicit ampliationem dignitatis, & potestatis, idque patet per hoc, quod Episcopatus per saltum collatus ante Sacerdotium est nullus, quod non evenit in aliis ordinibus datis per saltum. Et ratio est, quia Episcopatus non tribuit super sacerdotium novam potestatem in ordine ad Corpus Christi conficiendum, quæ est ratio formalis, & essentialis cujusque ordinis, ergo non est ordo distinctus: Tum quia si seorsim haberet potestatem in ordine ad Sacrificium Missæ, saltem mediatè, ut volunt Adversarii, posset validè dari per saltum, sicut & alii ordines, quod est falsum Hinc concludit Seraph. Doct. quod Episcopatus propriè solùm dicitur ordo pro ut concernit sacerdotii ordinem, unde præcisè est solùm ampliatio dignitatis, & potestatis. 347

Objiciunt

Objiciunt adversarii, Concil. Trident. ex sacra Scriptura discernere Episcopatum à Sacerdotio, & aliis ordinibus *seß. 3. cap. 4* sic & Sancti Patres, & plures Summi Pontifices apud Mastrium, & Gaud. Resp. S.Bon. Episcopatum appellari aliquando ordinem, quatenus lato modo sumitur, scilicet per extensionem ad novum gradum, & dignitatem, solùmque dici propriè ordinem non præcisè, sed quatenus involuit essentialiter in se Sacerdotium.

348 Q. 5. *Quænam sit materia, & forma Sacramenti Ordinis?* Resp S.Bon. & cum communi, materiam remotam esse rem sensibilem, circa quam exibendam versatur: proximam esse ipsam traditionem rei materialis: Formam verò esse verba ab Episcopo prolata in ipsa traditione: de quibus. Vide Seraph. D. *d. 14. & aliis locis cit. & Summistas.*

349 Q. 6. *An sit necessarius contactus Phisicus materiæ quæ traditur in ordinatione?* Resp. duas opiniones circumferri, alteram admittentem solùm contactum moralem, v g. contactum hostiæ absque contactu patenæ, vel extensionem manuum tantùm. Sic docent Lotus, Victoria, Armilla, aliique apud Dianam *part. 1. tract. 2. Miscel. resp. 3. & p. 3. tract. 4 resp.* 185. qui addunt in Sacerdotio sufficere ut tangatur solùm calix, licèt non tangatur hostia: Alia opinio, estque tutior, requiri contactum phisicum materiæ, sic Fernandes, Conninch. Faber, plurimique alii, & hanc sustinet Seraph. *d. 24. p. 2. art 1. q. 4. in corp. & Comp. Theol. l. 6. c. 36.* qui tamen, licèt non expressè doceat, necessarium esse contactum phisicum, tamen implicitè id asserit, docens imprimi characterem in traditione scilicet phisica materiæ ipsi ordinando, per quam traditionem involuitur etiam receptio phisica: Ratio est, quia proportionari debent traditio, & receptio: sed traditio debet esse phisica, ergo & receptio: Unde omnes indiscriminatim concludunt, ut notat Caspens. noster, securiùs agere Episcopum, qui materiam tradit, & ordinando facit tangere phisicè: & cum ista sententia sit immunis à quocumque scrupulo, & sine ulla dubitatione tutior, nunc stante determinatione viventis Pontificis Innoc. XI. quod in administratione Sacramentorum quisque teneatur amplecti tutiorem sententiam, & faventem Sacramento, nec ampliùs quis possit sequi oppositam dubiam, & minus tutam, hinc sequitur abrogatio sententiæ oppositæ.

350 Q. 7. *Quis sit propriùs Minister ordinis?* Resp. S. Bon. cum communi omnium Theologorum *d. 25. q. 1. & aliis locis cit.* esse solùm Episcopum, maximè in ordine ad tres ordines Sacros, contra sectarios asserentes, omnes Homines esse omnium Sacramentorum ministros: ratio est, quia solis Apostolis data fuit potestas impositionis manuum, quæ secundùm omnes DD. est ordinatio, ergo & solis eorum successoribus, qui sunt Episcopi: & hæc veritas definita fuit in pluribus Conciliis, & novissimè à Trident. *seß. 23. canon.* 10 Ratio verò à S. Bon. *Brevil. p. 6. cap. 1* . adducitur talis: quia ordo est signaculum protestativum, & in ordine ad dispensationem aliorum Sacramentorum, & etiam per ordinem, & respectu sui, & potestas super potestatem est potestas excellens, ideò sibi non tantùm competit potestas simplex, ut est in ordine simplici, sed etiam eminentia potestatis, cujusmodi est in his, quorum est ordines dispensare, & quia excellentia quantò magis descendit, tantò magis dilatatur, & quantò magis ascendit, tantò magis unitur, hinc est, quod plures sunt Episcopi, pauciores Archiepiscopi, paucissimi Patriarchæ, & unus Pater Patrum, qui Papa meritò appellatur, tamquam unus primus, & Summus Pater spiritualis omnium Patrum, & fidelium & Hierarcha præcipuus, sponsus, unicus, caput indivisum, Pontifex Summus, Christi Vicarius, fons, & origo, regula cunctorum Principatuum Ecclesiasticorum à quo tamquam à Summo derivatur ordinata potestas usque ad infima Ecclesiæ membra, secundùm quod exigit præcellens dignitas in Ecclesiastica Hierarchia: Hæc conclusio est de fide, de qua vide Behar. *tom. 2. & 3.*

Addimus cum communi Theologorum ex concessione Papæ posse conferri ordines minores ab aliis non Episcopis, ut est Presbyter Cardinalis, Abbas habens jus mitræ, & baculi benedicti ab Episcopo: Vide Bonacinam quæst. unica, sacros verò ordines valdè conferri solùm ab Episcopo. Vide Belarm. Suarez, Bonacin. Ratio est, quam affert S.Bon. *d. 25. q. 1.* quia: Illius est ordines constituere, qui dignitate præcellens habet in se talem gradum, à Deo constitutus in Ecclesiæ regimine, ut Pastor, & Pater, & Sponsus, sed tales sunt Episcopi, & inter ipsos Summus Pontifex. Addit S.Doct. quod quilibet Episcopus ritè consecratus validè confert ordines, sed non licitè, nisi sit proprius Episcopus: Proprius autem Episcopus dicitur, vel originis, vel domicilii, vel beneficii: Episcopus originis est loci, in quo natus est Ordinandus, & ubi Parentes habent domicilium, non in quo per accidens, ut puta in itinere natus est: vel etiam est locus Patris. Domicilii est, in quo Ordinandus habitat permanenter: Beneficii, ubi habet beneficium Ecclesiasticum, etsi non residentiæ, de qua te vide Barbosam de jure Episcop. Bonacinam, &c. 351

Concludit tandem S. Doct. *Comp Theol. l. 6. c. 36.* quòd de substantia hujus Sacramenti sunt ista sex: prima est potestas ordinis, quia oportet, Episcopum esse ipsum ministrum. 2. est materia, scilicet unctio in Sacerdotibus, & tactus illorum, quæ tangenda sunt in aliis. 3. est forma verborum. 4. est sexus virilis, quia Mulier non est capax ordinis, talisque est traditio perpetua Ecclesiæ, & si Homo est Hermaphroditus, in quo prævaleat sexus virilis validè ordinatur, sed non licitè, cum sit irregularis. 5. est intentio recta in Ministro, & ordinando. 6. quod ordinandus sit baptizatus. De qualitatibus autem Ordinandorum. Vide Seraphicum *Comp. Theol. l. 6. c. 37. & op. Phar. l. 1. c. 19. & seq.* 352

QVÆSTIO III.

De Sacramento matrimonii aliqua summariè differuntur.

DE matrimonio fusè agit S. Doctor *l. 4. d. 26. ad 42.* ad quem remitto discipulum Seraphici, vel ad Patrem Gaud. ipsius commentatorem, qui fusiori calamo in tomo septimo doctissimè affert, & explicat omnia, quæ spectant ad hoc Sacramentum: Nos verò brevitati consulentes ea tantùm hîc afferemus, quæ essentialia sunt, & ad dirigendos scholasticos studentes sufficiunt. 353

Q. ergo primò, *Quid sit matrimonium, & an sit Sacramentum à Christo institutum?* Resp. S.Bon. *l. 4. d. 27. dub. 1. & q. 1. & Brevil. p. 6. c. 13. & Centil. p. 2. f. 3. seß 54. & Comp. Theol. l. 6. c. 38.* Quod matrimonium communiter sic definitur: conjunctio Maris, & Fœminæ orta ex mutua traditione inter legitimas

personas, individuam vitæ consuetudinem retinens: Dicitur, *conjunctio*, loco generis, quatenus est communis & spirituali, & corporali: Dicitur, *maris, & fœminæ*, seu *maritalis*, ut explicetur subjectum in legitimis personis, non habentibus impedimentum dirimens: Dicitur, *orta ex mutua traditione*, ut explicetur fundamentum, super quod stabilitur matrimonium, seu ista conjunctio, quæ exigit mutuum consensum, & mutuam traditionem corporis utrique: Dicitur, *individuam vitæ consuetudinem retinens*, ut designetur perpetuitas hujus vinculi: quod solùm solvitur morte corporali: ex quibus infertur quidditatem matrimonii consistere in illo vinculo, quo formaliter conjuges sunt uniti, quod oritur ex mutua traditione, ob idque insurgit relatio realis fundata in actione reali contractus: Cur autem ista conjunctio denominetur matrimonium quasi desumptum à nomine Matris S. Bon. *d.* 27. *q.* 2. fusè explicat, ubi plura ad mores. Resp. 2. S. Doct. Matrimonium primariò institutum fuisse in statu innocentiæ, vel in illis verbis. Crescite, & multiplicamini, ut dicunt aliqui Theologi, vel potiùs in sequentibus prolatis ab Adam. Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. ut vult S. Bon. *d.* 26. *q.* 1. *&* 2. cum communiori: Tunc autem non erat Sacramentum, licèt esset signum sacrum, sed tantùm contractus conformis juri naturæ institutus tantùm in officium, nempè ut procrearentur in mundo homines; post lapsum verò, in remedium etiam concupiscentiæ, & in tempore legis Evangelicæ elevatum fuit à Christo in Sacramentum in illis verbis Matth. 19. Quod Deus conjunxit, homo non separet, propter hoc, &c. Matrimonium verò quatenus contractus est, est ab homine: quatenus indissolubile, est à Deo: Sic S. Doct. & communiter Theol. unde cum matrimonii sint tria bona, scilicet, fides, proles, & Sacramentum: ut Sacramentum est insolubile: ut fides, importat debiti solutionem, proles verò est effectus consequens: quod verò sit modò Sacramentum patet, tum ex Concil. Trid. aliisque Conciliis, tum ex SS. PP. tum ex sacra Scriptura, ut videre est apud Belarm. Gaud. aliosque, obidque & confert vel ipsam gratiam, vel augmentum, ut probant citati Doctores. Addit S Bon. *Brevil. p.* 6. *c.* 13. quòd matrimonium per verba de futuro dicitur initiatum: per verba de præsenti dicitur ratum, & confirmatum: per copulam consummatum, quia tunc sunt una caro, & unum corpus, & per hoc significat unionem, quæ est inter Christum, & nos.

354 Objic. 1. in lege naturæ, & veteri matrimonium erat signum Sacrum, ergo erat Sacramentum. Resp. S. Bon. fuisse quidem signum Sacrum significans conjunctionem Dei cum Ecclesia, & anima, sed tamen non erat Sacramentum, nisi in lege Evangelica, in qua etiam significat conjunctionem Christi cum Ecclesia.

Objic. 2. Omne Sacramentum est signum sensibile, at Matrimonium est relatio non sensibilis consistens in contractu merè interno: Ergo. Resp. S. Bon. quòd sicut cæteræ relationes per se non percipiuntur, nisi ratione extremorum, ut similitudo ratione duarum albedinum, sic, & ista matrimonii ratione scilicet Viri, & Mulieris, & signi per quod conjunguntur. Ex quibus colligit S. Bon. *in Centil. cit.* quòd in matrimonio rato signum est consensus exterior per verba, vel nutus expressa de præsenti: Res est unio Dei, & animæ: res, & simul signum est consensus animorum. In matrimonio verò consummato, signum est consensus exterior, res unio naturarum in Christo inseparabilis: res, & signum, est consensus mutuus animarum.

Q. 2. *Quænam sit materia, & forma, & Minister* 355 *Sacramenti Matrimonii?* Plures Theologorum sententiæ afferuntur à P. Gaud. *d.* 2. *q.* 5. Alii enim volunt, verba contrahentium esse materiam, verba Sacerdotis esse formam. Alii volunt, consensum animorum esse materiam; verba autem ipsum exprimentia esse formam. Alii volunt, verba, quæ à priori consentiente esse materiam, & quæ a posteriori exprimuntur esse formam. Thomistæ volunt, verba seu signa, quibus consensus exprimitur, esse sibi invicem materiam, & formam secundùm diversas rationes; nempè expressionem mutuæ traditionis esse materiam, expressionem mutuæ acceptationis esse formam. Seraph. Doct. *l.* 4. *dist.* 27. *dub.* 1. *& q.* 1. sustinet contrahentes esse materiam, simulque Ministros hujus Sacramenti: Verba autem, seu nutus esse formam: ratio est, quia matrimonium essentialiter est contractus, cui nihil aliud Christus addidit, nisi esse Sacramentum conferens gratiam: sed in omnibus contractibus res, quæ traditur est materia: consensus verò ut expressus per verba, vel nutus est forma, & c. ergo & in matrimonio: *Vide P. Gaud. qui fuse explicat, & tractat hanc materiam ad mentem Seraph. Doct.*

Q. 3. *Quomodo Ecclesia potuerit irritare aliqua* 356 *matrimonia, v. g. clandestina, cum ipsa non habeat potestatem immutandi Sacramenta à Christo instituta?* In hac quæstione valdè torquentur plures Theologi, inter quos aliqui insolutam relinquunt: sed Seraph. Doct. *lib* 4. *d.* 18. *q.* 5. *ad argum. & in Brevil. part.* 6. *cap.* 13. cum communiori parte Theologorum respondet, quòd, cum matrimonium essentialiter sit contractus resultans ex mutua traditione corporum, ex hac parte subjacet potestati Ecclesiæ, qua potest moderare tales contractus, ut obsint fraudes, & concutiant solemnitates debitæ, sicque hoc Sacramentum secundùm rationem materialem subest potestati Ecclesiæ, non verò secundùm rationem formalem, & prout est Sacramentum: *Sed vide Gaud. d.* 3. *q.* 3. *ubi fusè, & doctè tractat hanc controversiam.*

Q. 4. *Quinam sint effectus, & fines Matrimonii?* 357 Resp. S. Bon. plura bona consequi ex hoc Sacramento: & primò augmentum gratiæ sanctificantis, quod est commune cæteris Sacramentis, ratio autem sumitur ex fine matrimonii duplici: institutum enim est primò in officium: secundò in remedium: sed uterque exigit gratiam Dei: ergo. Major est de fide: minor probatur; quia primus finis respicit non solùm filiorum generationem, sed & educationem, & institutionem in fide, & vita Christiana: hæc enim est obligatio in parentibus de jure divino, ut jam probavimus de Baptismo *dist.* 2. *q.* 5. Cum autem hoc sit supernaturale munus, indiget gratia Dei ad ipsius exercitium. Verum quidem est, quod matrimonium in lege naturæ, & scripta ad hoc ut esset signum Sacrum exigebat tantùm auxilium actuale gratuitum in cujus virtute solùm disponebat de congruo ad gratiam habitualem ex opere operantis, sed in lege Evangelica elevatum à Christo ad rationem propriam Sacramenti confert gratiam sanctificantem. Quoad secundùm finem, qui est remedium concupiscentiæ, quia conjugium sine gratia Dei non est sufficiens, vel efficax ad tale remedium; hinc matrimonium portat secum talem gratiam, prout est Sacramentum, & efficaciam. Explicat Seraph. Doctor piissimè hoc assumptum tali pacto: luxuria de se inclinat ad multa, & plures mulieres,

res, sed in Sacramento isto gratia Sacramentalis efficit ut una diligatur. Item concupiscentia inclinat ad delectationes, sed gratia Sacramentalis efficit, ut ad rectum finem prolis habendæ fiat copula. Item concupiscentia generat fastidium, ut patet experientia, nam libidinosus una cognita, alias quærit, sed gratia Sacramentalis efficit, ut Conjux semper velit esse cum sua: & hinc oritur ex copula singulari, bonum fidei; ex copula utili, bonum prolis; & ex copula insolubili, Sacramentum.

Et quia brevitati studemus, remittimus lectorem ad citatum Divum Bon. fusissime tractantem hanc materiam *dist.26. ad 24.* qui postea *Brevil. part.6. cap.13* paucis omnia ferè essentialia de hoc Sacramento tangit.

DISPVTATIO IX.

De Iudicio, Purgatorio, & Inferno.

358 SEraph. Doctor post completam tractationem de Sacramentis, quia ista ordinant de se hominem ad vitam gratiæ in hac vita, & in alia ad vitam gloriæ, hinc consequenter ordinem, & vestigia magistri sequens, tractat de futuris in alia vita, nempè de resurrectione mortuorum, de judicio particulari, & universali, de gloria Beatorum, & de pæna Damnatorum in inferno. Et quia *in l.1. in disp. de visione beata* satis diximus de beatitudine animæ, & corporis justorum, restringemus hanc disputationem ad considerationem de Purgatorio, & suffragiis, de Iudicio, & de inferno.

QUÆSTIO I.

De Purgatorio aliqua dubia solvuntur.

359 Q. 1. *An detur purgatorium, & in quo loco?* Resp. S. Bon. *lib.4. de 20. q.1. & seq. & dist.45. art.1. & Brevil. part.7. cap.1. & Centil. p.2. cap.4. & Comp. Theol. lib.7. cap.2. & 3.* cum cæteris Theologis, & SS. PP. esse de fide, dari Purgatorium, licèt ab antiquis, & modernis hæreticis negetur, & infertur clarissimè ex pluribus locis sacræ Scripturæ, quæ fusè adducuntur à Suarez *tom.3. d.45. à Gand. t.7. tract. de Purgat. d.1.* Probat autem acutissimè Seraph. Doct *in Brevil. cit.* tali pacto. Cum primum principium sit optimum, & perfectissimum eo ipso, quod est optimum, est summè amativum boni, & summè determinativum mali; ideò sicut summa Bonitas non patitur, quòd bonum maneat irremuneratum, sic etiam non debet pati quod malum maneat impunitum: & quia Viri Iusti aliquando decedunt absque completa pænitentia, vel non deleto reatu pænæ, vel etiam reatu culpæ venialis, ne perturbetur pulchritudo ordinis universi, & justitiæ, necesse est, quod ipsi finaliter, & premientur, & etiam puniantur temporaliter secundùm exigentiam, & reatum suarum culparum: & quia culpa fuit offensiva Divinæ Majestatis, & damnificativa Ecclesiæ, & deformativa imaginis Divinæ, menti nostræ impressæ, quod principaliter dicitur de culpa mortali, & dispositivè de veniali: Ideò de offensa requiritur punitio; De damno facienda est satisfactio; & de deformatione requirenda est expurgatio: Hinc est, quod illa pæna est justè punitiva, dignè satisfactoria, & sufficienter expurgativa. Quia pæna ista est justè punitiva, & quia anima contempsit peccando summum bonum, & subjecit se bono infimo, & creato; Hinc est quod ordo Divinæ Justitiæ exigit, ut anima ab igne materiali tanquam magis activo, & proportionato habeat puniri, ut sicut secundùm ordinem naturæ anima unitur corpori, ipsi influens vitam, sic uniatur secundùm ordinem justitiæ igni materiali, ut punibile punienti à quo suscipiat pænam. Et quia Viri justi, qui sunt in gratia, non sunt digni pæna transitoria secundùm proportionem reatuum magnorum, vel minorum: Hinc est quod justè puniuntur proportionaliter pæna temporali, quia ut ait August. necesse est, ut tantùm urat dolor, quantùm hæserat amor.

Rursus quoniam pæna illa debet esse satisfactoria, & satisfactio respicit libertatem voluntatis, & statum viæ, & cum jam ibi non sit status merendi, nec pænæ illæ teneant rationem voluntarii, necesse est quòd id, quod ex parte voluntarii deficit in voluntate sustinente suppleatur in acerbitate ex parte pænæ, & quia gratiam habent, quam non possunt perdere, hinc est quòd nec possunt à tristitia penitus absorberi, nec in desperationem incidere, nec in blasphemiam, ut evenit in Damnatis, ac per hoc licèt graviter puniantur, longè tamen aliter, & mitiùs, quàm in inferno, & statum illum indubitanter sciunt, alium esse, quàm istum, in quo sunt illi, qui in inferno irremediabiliter puniuntur, & cruciantur.

Rursus, quia pæna illa debet esse expurgatoria spiritualiter, necesse est, vel quod ignis ille habeat virtutem sibi divinitus datam, vel (ut magis credo) ipsa virtus gratiæ interius habitantis adjura à pæna extrinseca ipsam animam jam pro offensis punitam, & à reatuum onere alleviatam purget purgatione sufficienti, ut jam nulla remaneat dissimilitudo; & cum Spiritus tales sint in summo dispositi ad deiformitatem gloriæ suscipiendam in se, cum janua sit aperta, & purgatio consummata, necesse est, ut evolet ad cælum: Hæc perbellè Seraph. Doct.

Secundæ parti quæsiti de loco respondet Seraph. Doct. *in loco cit.* præcipuè *in Centil.* quod triplex 360 est status, vel locus post hanc vitam ad peccata hominum punienda, secundùm triplex genus peccatii

cati: Est enim locus Purgatorius, & hic debetur peccato veniali, vel reatui mortalis jam remissi: Est & Limbus, qui debetur originali: & est infernus, qui debetur mortali: quæ loca creduntur esse sub terra gradatim posita: Nota autem quòd licèt locus Purgatorius determinatus secundùm legem communem sit sub terra, tamen secundùm dispositionem divinam specialem aliquando assignantur alia loca in terra, & hoc vel propter animarum earum celeriorem liberationem, ut possint aliis suam indigentiam revelare: vel ob nostram instructionem, vel ob alicujus sancti impetrationem, ut legitur de S. Patritio.

361 Q. 2. *An animæ in Purgatorio puniantur pœna damni, & sensus, & qua acerbitate?* Primò suppon. pœnam damni consistere in carentia visionis divinæ, ad quam illæ animæ ardenter adspirant tanquam sibi debitam: pœnam sensus consistere in pœnalitatibus sensibilibus, quibus subjiciuntur animæ: Addit Seraph. Doct. quod nomine pœnæ sensus veniunt etiam spirituales: sensus enim communiter sumptus adaptatur etiam potentiis spiritualibus animæ. Suppon. 2. quòd pœna potest dici voluntaria multipliciter: Primò vel à voluntate imperante, ut est pœnitentia externa imperata à voluntate, & voluntariè assumpta: Secundò vel à voluntate acceptante, ut est pœna Martirii à Tyranno illata: Tertiò vel à voluntate tollerante, ut est dolor naturalis qui patienter tolleratur, licèt etiam homo cupiat à Deo liberari: & hæc ultima ratio voluntatii est minima, & infima: Hinc.

Respondet 1. S.Bon. quòd animæ purgantes patiuntur pœnam damni, & sensus: detinentur enim ab ingressu patriæ, quàm ardenter desiderant: pœna autem sensus torquentur: sic enim exigit ordo divinæ justitiæ: ut supra dictum est.

362 Resp. 2. Seraph. Doct. pœnam sensus in Purgatorio esse à verò igne materiali: Sic omnes SS. PP. & Concil. Florent. Ratio verò, quare ibi ponitur ignis ad purganda peccata, jam supra tradita est in solutione præcedentis dubii: tum etiam, quia inter elementaria corpora, ignis est maximè activuus, ob idque magis aptus ad puniendum: Nota tamen, id non esse articulum fidei, sicut certum est, esse in inferno ignem. Sic Suar. *d.46. sect.2. num.2* Dicere tamen oppositum, est temerarium, quia talis est concors sensus Theologor. & Ecclesiæ.

363 Resp.3. Seraph. istas pœnas Animabus esse voluntarias voluntate tolerante, cum desiderio tamen se ab illis liberandi: Ratio est (ait S.Bon.) quia istæ pœnæ non sunt à principio intrinseco cognoscente, sed ab extrinseco illatæ, & necessariæ, ideóque ab illis se liberari desiderant, quòd verò etiam sint voluntariæ, patet, quia omnis sapiens vult id, sine quo novit, se non posse assequi summum bonum, ergo, &c. tum quia sunt rectæ, & justæ, ergo volunt Deo pro viribus satisfacere, alioquin essent iniquæ, impatientes, & inobedientes. Ex quibus sequitur, in eis esse tristitiam maximam ex privatione gloriæ, quod est maximum incommodum, ab illisque perfectè apprehensum, & ideò, licèt sint divinæ voluntati conformes, patiuntur tamen, pro ut carent summo bono: Nota tamen quòd istarum animarum tristitia longè diversa est à tristitia damnatorum: Purgantes enim tristantur ob amissionem summi boni super omnia dilecti, & propter Deum, à quo, ob propriam culpam sunt remoti: Damnati verò tristantur, ob amissionem proprii commodi, non propter Deum, quem odio habent, &c. An verò ultra ignem torquentem sint aliæ pœnæ, vel corpora, seu instrumenta Animas lædentia, incertum est, ait Suarez, Beda tamen id asserit: & hinc etiam S. Bon. notat, nomine ignis tanquam instrumenti acerbioris venire alias pœnas, frigoris, famis, &c. Quomodo autem ignis corporeus possit agere in spiritum, jam alias dictum est ex Seraph. *Brevil. cit.* Ignem agere in spiritum per virtutem obedientialiter elevatam à Deo, & infrà latiùs explicabitur in quæst. de pen. Inferni.

Resp. 4. Seraph. *l.4 d.20. q.2.* Pœnam damni purgantium Animarum non esse omnium aliarum hujus vitæ acerbitati præferendam (quidquid in oppositum dicant Thomistæ cum Suar.) Ratio est, quia talis carentia mirabiliter mitigatur à securitate, & spe firma Deum videndi, quæ est veluti inchoatio gloriæ, & maximè, quia est cum ardentissima charitate conjuncta, ob idque & redundans in peculiare gaudium, ergo, &c. tum etiam, quia alioquin sequeretur, Animas, quò sanctiores sunt, eò magis tristari, quia privantur majori bono, quod est absurdum. Et quoad pœnam sensus. Resp. S. Bon. hanc esse graviorem maxima hujus vitæ pœna: non tamen sequi, minimam Purgatorii esse graviorem maxima hujus vitæ pœna, ut vulgò ab aliquibus decantatur; sed maximam tantùm cum maxima comparatam: Et ratio primæ partis est, quia actio ignis corporei in Anima est supernaturalis, & obedientialis, altiorisque ordinis super naturam ignis, ergo ejus gravitas desumenda est ex ordine divinæ justitiæ, & ratione offensionis Deo illatæ, ergo meretur pœnam altiorem secundùm essentiam, licèt secundùm intensionem non sit tanta, & tam excedens. Ratio 2. partis est, quia non est credibile, culpam venialem levissimam exigere pœnam intensiorem quacumque maxima hujus vitæ, nec pœnas à Christo tolleratas fuisse minores quacumque lævissima Purgatorii; idque etiam patet ex revelationibus, quibus refertur, aliquas Animas levibus pœnis destinatas, puta umbrarum, & similium: Et hinc infert Seraph. *u corp.* aliqualiter posse dici, pœnas Purgatorii esse majores omnibus pœnis hujus vitæ, quia altioris sunt ordinis; sic valet hic regula Philos. Si maximum in uno genere est majus maximo alterius generis, & hoc simpliciter est illo majus: quod intellige quoad essentiam, non quoad intensionem semper. 364

Resp. 5. S.Bon. quòd justè tam severè puniuntur illæ animæ, quia, cum satisfactio illa non sit assumpta, sed tantùm inflicta, hinc cum tota severitate puniuntur, secus ac in hac vita, in qua quælibet minima pœna voluntaria assumpta magis Deo placet, & satisfacit, sicut creditor libentiùs accipit aurum, quàm argentum. 365

Q. 3. *An ministerio Dæmonum torqueantur animæ in Purgatorio.* Resp. S. Bon. *dist.20. quæst.5.* negativè, quidquid in oppositum aliqui asserant. Ratio est, quia non est credibile, Dæmones cooperari ad emundationem, & pulchritudinem animarum: Tum quia illæ animæ sunt Filiæ Dei, quæ in terra triumpharunt de Diabolo; ergo impropria videtur talis subjectio. Nec item credendum est, bonos Angelos eas torquere, imò sæpè eas visitant, & consolantur, ut patet ex pluribus revelationibus. 366

Q. 4. *An pœna istarum animarum sit diuturna, idest an usque ad finem semper eadem, &* 367

cum

cum æquali intensione continuetur? Resp. S. Bon. Animas inæqualiter pati secundùm majora, vel minora demerita. Probabile autem est, ipsas paulatim minui, sive quoad durationem, sive quoad intensionem secundùm qualitatem suffragiorum, & maximè quò magis accedunt ad terminum; tunc enim augetur spes, & gaudium, & minuitur tristitia: Addit S. Bonav. *dist.* 45. *quæst.* 1. aliquando Deo ordinante, ipsas exire de Purgatorio, & apparere mortalibus ad suum aliquale solatium.

Q. 5. *An animæ purgantes mereri possint, & an certæ sint de sua salvatione?* Resp. primò esse de fide, ipsas nec posse peccare, nec mereri: Ratio primæ partis est, quia sunt extra viam, & statim ac separatæ sunt à corpore, confirmatæ remanent in gratia, quæ veritas probatur ex pluribus textibus Sacræ Scripturæ à P. Gaud. cit. & ex positis à Seraph. Doct. & SS. PP. & ex consensu Ecclesiæ: Ratio secundæ partis est, ait S. Bonav. *dist.* 20. *quæst.* 4. quia ipsæ habent certitudinem mediam inter beatos, & viatores, illi enim habent certitudinem tentionis evacuantem omnem expectationem, & timorem: In via homo habet certitudinem expectationis immixtam cum timore habendi: In Purgatorio habent certitudinem expectationis gloriæ sine mixtione timoris propter confirmationem liberi arbitrii immunem reddentem à novo lapsu. *Vide Seraph. in quæst. cit.*

QUÆSTIO II.

An in Purgatorio non solùm deleatur pœna debita culpis remissis, sed etiam culpa venialis.

368 IN superioribus hanc eandem quæstionem tetigimus, sed tamen hoc loco suo proprio solvenda est: In qua prima opinio asserit, justum in fine vitæ vel conteri, & tunc remittitur culpa venialium, vel si non vult conteri, tunc spernit salutem, & deperdit gratiam: Adscribitur Alensi, sed malè, item & Majori, aliquibusque aliis, quæ tamen ut nimis acerba communiter rejicitur. 2. Opin. est D. Thomæ *quæst.* 7. *de malo art.* 11. Ric. Pal. Durandi, aliorumque docentium, in fine vitæ justum emittere actum dilectionis super omnia, & contritionem perfectam omnium præcedentium culparum, sicque transire ad aliam vitam cum solo reatu pœnæ: Explicat Seraph. Doctor *lib.* 4. *dist.* 21. *part.* 1. *art.* 2. *quæst.* 1. hanc sententiam tali pacto: Cum detur triplex gratia, scilicet baptismalis, pœnitentialis, & finalis, quælibet istarum gratiarum pro sui initio dominium habet in ipsa anima, sicque habet delere culpam: Baptismalis quidem omnem culpam etiam mortalem: Pœnitentialis ex subjectione, & conformitate liberi arbitrii eidem gratiæ: & Finalis ex perfecta conformitate omnium virium animæ ad ipsam gratiam habet delere omnem culpam: Hanc tamen S. Bonaventura rejicit tamquam minus probabilem. 3. Opin. est Seraph. Doctor. cit. asserentis, culpas remitti in Purgatorio vi pœnarum, non præcisè, sed prout sunt toleratæ patienter, eo modo, ut infrà.

369 Not. 1. Ex Seraph. Doct. *loc. cit. & art.* 1. *q.* 2 quòd peccatum veniale cum habeat aliquid de voluntario, & aliquid de involuntario, ideò medium locum tenet inter originale, & mortale, ob idque & rationem aliquam culpæ, & rationem pœnæ: habet rationem aliquam pœnæ quatenus habemus necessitatem in communi committendi aliquod veniale, quamvis nullum in particulari, hinc est, quod originale, cum sit involuntarium, deletur etiam libero arbitrio nihil omninò agente, sed Sacramento solo exteriùs adjuvante, ut patet in parvulis: Mortale verò quia voluntariè contractum, ideò non deletur nisi libero arbitrio consonante, & adjuvante, ideò requiritur motus liberi arbitrii, per quem consonet gratiæ, & ulteriùs contritio, per quam adjuvatur. Peccatum verò veniale medium locum tenens inter originale, & mortale deleri potest libero arbitrio consonante, & aliquo exteriùs adjuvante: unde liberum arbitrium, si gratiæ non repugnat volendo persistere in culpa, tunc & gratia virtute Sacramenti, vel rei Sacramentalis, vel alterius sacri adjutorii vigoratur, culpamque venialem delet vel universaliter, vel particulariter, quam doctrinam supra explicavimus agentes de virtute Sacramentalium *disp.* 1. *q.* 10. & 11.

Not. 2. Ex eodem Seraphico Doctore *cit. art.* 2. *quæst.* 1. *in corp.* quod potest de facto quis transire de hac vita cum venialibus non deletis, pro eo, quod gratia ejus non fuit adjuta finaliter ad illa delenda, ideò indiget auxilio: quoniam ergo voluntas potest gratiæ esse conformis post hanc vitam, ei tamen deest adjutorium motus liberi arbitrii meritorii, id enim est solius viatoris, undè indiget adjutorio exteriori, & interiori, sicuti de facto evenit in hac vita per usum Sacramentalium, vel Sacramentorum, sed in alia adjutorium interius est ipsum meritum ex gratia adveniens, & præcedens, hujus vitæ, ad quod superveniens pœna exterior præsens sequitur deletio peccati venialis: Hinc animæ purganti, ejusque merito antecedenti superveniens conformitas ad gratiam, & pœna purgatoria adjuvans fit deletio scoriæ, vel ipsius peccati venialis, si cum illo transeat: Et licèt in illo statu anima non possit mereri, meruit tamen per gratiam, & charitatem, cum qua decessit ab hac vita, & quam conservavit, à culpa emundari per tale adjutorium exterius. Hinc est, quod justi ratione boni meriti præteriti possunt à malo eripi, quamvis non possint in malum labi, quia in bono, in quo moriuntur sunt confirmati, quia ad talem deletionem sufficit præsentia gratiæ & pœnæ cum consonantia liberi arbitrii, & adjutorio meriti præteriti. His positis. 370

Concl. 1. Peccata venialia in instanti transitus animæ non semper delentur per gratiam finalem; diceteque absolutè, quod talis deletio semper fiat per gratiam finalem est sine fundamento solido. Est S. Bonav. *dist.* 21. *cit.* Consonant plures Theologi cum Suarez, asserentes animas purgantes esse in statu merendi aliquid accidentale, sive necessarium, ut est deletio venialium. Licèt enim sint extra terminum quoad essentiale meritum, non tamen quoad accidentalia, & hoc merito de congruo, fierique de condigno ex meritis præcedentibus, vel Christi Domini applicatis. Sic S Bonav. Ricard. Adrianus, ab ipso Suar. cit. quibus addimus & Scotum *dist.* 21. *q.* 1. 371

Prob. Concl 1. ex confutatione sententiæ Thomistarum, quia nulla authoritate, vel ratione potest probari, omnes animas justas in eo instanti elicere actum tam fervidum, ut plurima diversa eluat venialia; nec enim aliquis textus Sacræ Scripturæ, id asserit, nec occurrit ratio convincens: Confirmatur, quia si semper eliceretur talis actus fervidus, non solùm haberet vim emundandi à culpa, sed etiam à reatu pœnæ, & à scoria: Tum etiam quia potest dari casus, in quo anima in transitu committat aliquod peccatum veniale: ergo in eodem instanti non potest simul committi, & elui: Cum autem statim, ac separata est, jaciatur in ignem, sequeretur nunquam posse deleri: Tum quia gratia finalis nihil addit de se ad gratiam antecedentem, nisi durationem usque ad finem; ergo si non valuit delere antecedenter peccatum veniale, nec tunc poterit. Vide Suar. *dist.87 sect.4.num.3.*

Respond. Suarez, aliique Thomistæ, animam in eo momento post separationem cognoscere optimè statum suum, esseque expeditam ad operandum, & ex parte Dei habere auxilium efficacissimum juxta mensuram gratiæ, sicque tunc sine mora operatur, & perfectè tendit in Deum, & avertitur ab omnibus venialibus: Sed contra: quia, vel delentur peccata venialia per gratiam finalem præcisè, & hoc non, ut probatum est: vel virtute actus eliciti ab anima, & si hoc, ergo extra viam potest mereri, quod non admittitur ab adversariis.

372 Concl. 2. Peccata venialia quoad reatum culpæ, & pœnæ de facto delentur in Purgatorio. Est Seraph. Doctor *cit. & in Brevil. Centil. & Compend. Theolog.* Richard. *dist.*21. Adrian. *quæst.*4. *de confessione.*

Prob. Concl. à Seraph. Doctor primò ex 1. Cor. *cap.* 3. ubi ait de illis, qui super ædificant lignum, fænum, stipulam, quod ignis ista probabit, & purgabit, ubi per lignum, &c. intellexit Divus Augustinus cum aliis Patribus peccata venialia, ut etiam exponit D. Bonav. *ibidem, & dub.*1. *&* 2. qui citat D. Gregorium idem dicentem, & ex Matth. 12. ubi Christus loquitur de peccatis in Spiritum Sanctum, Non remittetur ei neque in hoc, neque in futuro sæculo; ex quo infert aliqua peccata remitti in alia vita, sed non in Cælo, neque in inferno; ergo in Purgatorio, ubi Christus non loquitur de actu separationis animæ, sed indifferenter de tempore futuri sæculi: Tum quia Purgatorium dicitur, quia ibi fit purgatio, sed propriè purgari dicitur aliquis, & emundari à macula, qualis non est pœna, ergo, &c. Tum etiam quia gratia finalis etiam habebatur ante mortem, & tamen non habuit hunc effectum, cur hoc? Quia defecit actus proprius animæ, & adjutorium exterius ignis, & passionis: nec aliud potest assignari superadditum, ergo, &c.

373 Objic. primò. Glossa super illud 1. Joan.*cap.*5. Est peccatum ad mortem: ait, quod in hac vita non corrigitur, frustra post mortem venia postulatur; ergo nec ulla culpa purgatur. Respond. S. Bonavent. Primò ibi sermonem esse de peccato mortali. Resp. secundò loqui de peccato, quod nullo modo corrigitur in hac vita, scilicet vel in se, vel in merito, quatenus justus, licèt non corrigat peccatum veniale in se, meruit tamen corrigi decedendo, & conservando charitatem, ità quod superaddito adjutorio exteriori, scilicet actu tolerantiæ, & pœnalitatis toleratæ meruit saltem accidentaliter, & de congruo, ut post hanc vitam ei remitteretur in Purgatorio.

Objic. secundò ex D. Damasceno. Quod est hominibus mors, hoc Angelis casus; sed Angeli post casum à nulla culpa possunt liberari; ergo nec homines post mortem: Et D. Gregor. Talis quisque in judicio apparebit, qualis de corpore exivit; ergo qui exit cum veniali, ei non fiet remissio.

Resp. S. Bon. similitudinem currere inter Angelos, & homines post hanc vitam in liberi arbitrii invertibilitate, & quoad peccatum mortale, non quantùm ad omnia: nam Angeli mali, licèt non possint à malo resurgere, possunt tamen in pœnis proficere: per oppositum justi ratione meriti præteriti possunt à malis eripi, licèt non possint in malum labi, quia confirmati sunt in bono: Et S. Gregor. clarè se explicat, se loqui de peccato mortali, excipit enim peccata venialia.

Objic. tertiò. Liberum arbitrium medium est inter liberationem à malo culpæ, & profectum in bono, sed post mortem non potest proficere, in bono, ergo nec liberari à malo.

Resp. S. Bon. Veram esse majorem de statu isto, non de illo, in quo potest disponi ad ingressum in gloriam per impedimenti remotionem, licèt non possit mereri: hæc autem dispositio stat in hoc, quod ad deletionem venialis concurrat præsentia gratiæ, & pœnæ toleratæ cum consonantia liberi arbitrii, & adjutorio meriti præteriti. Et si quæras in quo genere causæ actus illi causent remissionem venialium in Purgatorio. Resp. Seraph. Doct. non in genere meriti de condigno, & quo ad essentialia, sed in genere dispositionis, & meriti de congruo quoad accidentale: quod etiam admittitur in Angelis bonis, nempè mereri gaudium accidentale: id enim non tollit rationem termini viæ: Unde illa satisfactio, licet non sit actus virtutis, est tamen sufficiens ad liberationem à peccato, quia tale tempus est ad sustinendam condignam pœnam ignis.

QUÆSTIO III.

De satisfactione, & suffragiis defunctis exhibendis solvuntur aliqua dubia.

SUppon.1. tamquam de fide dari Communionem Sanctorum, ut patet in symbolo, nempè mutuum adjutorium fidelium per propria merita, & bona opera, per quæ non solùm ad invicem possunt impetrare bona à Deo, sed etiam satisfacere pro proximo pœnis debitis. Sic Seraph. Doct. *dist.* 20. *part.* 2. *quæst.* 1. *&* 2. *& in* 3. *dist.*29. *quæst.* 3. *& in Diæt. sal. tit.* 7. *cap* 3. Hæc autem communicatio potest etiam porrigi à viventibus pro defunctis in gratia decedentibus, est enim hic articulus de fide contra hæreticos: Sic Concil. Trident. & Cathech. Rom. in fine de Sacramento Pœnitentiæ. S. Bonav. verò in Diæt. sal cit. habet hæc verba: Super illa verba symboli Credo Ecclesiam Catholicam, Sanctorum Communionem: 374

nionem : Iste articulus in præsenti pertinet ad Spiritum Sanctum, quia Spiritus Sanctus pertinet ad Sanctorum Communionem, idest unionem membrorum in corpore Ecclesiæ ad caput, scilicet ad Christum, & alia membra in corpore naturali, idest fidelium ad invicem. Sicut Spiritus bonus unit membra in corpore naturali : Sic Spiritus Sanctus unit membra spiritualia, scilicet fideles in corpore mistico : Unde sensus est : Credo Communionem Sanctorum, idest credo, quod Sancti, idest fideles, tamquam unius Corporis Ecclesiæ membra communicant, idest uniuntur sibi, & Capiti suo, & hoc per Spiritum Sanctum : quæ Communio est triplex : Primò Communio unius Corporis, quia omnes fideles faciunt unum Corpus : Secundò Communio Societatis, ex qua venit, quod quilibet, qui est de corpore Ecclesiæ, partem habet in omnibus bonis, quæ fiunt in Ecclesia : Tertiò Communio mutuæ supportationis, quia unus debet supportare onus alterius per patientiam, & bona communicare per eleemosinarum largitionem. *Vide lib. 3. dist. 25. q. 1.*

375 Q. 1. *An unus possit pro alio satisfacere, & quo genere suffragii?* Resp. S. Bonav. *lib. 4. dist. 20 part. 2. quæst. 1.* quod cum pæna satisfactoria habeat in se duplicem virtutem, scilicet quatenus est medicamentum contra sequelas peccati, & est pretium ad solvendum debitum : Secundum quod est medicamentum pæna, quam ego assumo propter alium, non est illi medicamentum, sed benè pretium (medicina enim solum juvat recipientem, non alium) & hoc est ratione Communionis Fidelium. Addit ibidem ad 4. & ad ultimum, quod opus satisfactorium habet etiam annexum meritum proprium, quod non potest alteri applicari, cum sit inseparabile ab opere, & operante : sed tantùm ratio satisfactoria est applicabilis, cum hoc tamen, quod si tale opus invenit in altero debitum jam solutum, talis satisfactio reddit in ipsum satisfacientem, oratio enim in sinu suo convertitur; vel si ipse ea non indiget, convertitur in sinum Ecclesiæ. Resp. 2. S. Bon. *in Compend. Theol. lib. 7. cap. 4. & lib. 4. dist. 15. part. 2. art. 1.* quod cum defuncti possint absolvi duobus modis, primò per viam gratiæ, secundò per viam justitiæ : per viam gratiæ vel per intercessionem publicam capitis per Sacramentum Altaris; vel per privatam, scilicet per orationes fidelium : per viam verò justitiæ, hoc est per modum redemptionis pænæ, scilicet in eleemosinarum largitione; vel per modum solutionis pænæ, scilicet per jejuniorum afflictionem : hinc ad 4. capita reducuntur, scilicet ad Orationem, Eleemosinam, Jejunium, Sacrificium Altaris, cui additur & Indulgentiarum distributio.

376 Q. 2. *An suffragia vivorum prosint mortuis?* Resp. S. Bon. cum communi Theologorum, & determinatione Ecclesiæ de fide; primò quod damnatis non possunt aliquid juvare, nec pro liberatione, nec pro diminutione pænæ, nec pro remissione culpæ. Sic determinatum habetur in pluribus Conciliis : Ratio est, quia damnati sunt Dei inimici, obstinati, & indigni, & merentur puniri pæna æterna, neque eis ampliùs est locus pænitentiæ : Secundò nec beatis juvare suffragia : Nec enim eis remanet ulla pæna delenda : Et si offeruntur sacrificia pro Sanctis, ista sunt ad gratias agendum Deo pro illorum gloria; & oramus, ut gloria Sanctorum crescat non in ipsis essentialis, sed tantùm forsan accidentalis, saltem quoad gloriam resurrectionis corporum, & apud nos, ut eorum meritis, & ad eorum gloriam dentur nobis bona : Sic S. Bonav. *lib. 4. dist. 45. dub. 5* Tertiò. Resp. S. Bonav. quod est de fide, nos posse suffragia facere pro existentibus in Purgatorio : Sic Seraph. Doctor *dist. 45. art. 2. quæst. 1.* In hoc enim relucet justitia, & misericordia Dei : Justitia enim considerat dignitatem eorum, quia digni sunt, qui in charitate decesserunt, & ab aliis membris Ecclesiæ adjuvari meruerunt, maximè si ipsi alios adjuvarunt : Misericordia verò considerat necessitatem, & quidem magna est in his, cum graviter puniantur, & se juvare non possint : Tum quia sicut se habent orationes Sanctorum ad vivos, sic & orationes vivorum ad mortuos : Sed Sancti impetrant viventibus bona, & eos adjuvant, ergo & vivi mortuos : Major fundatur in unitate corporis Ecclesiæ ex 1. *Cor. cap. 12.* Si quid compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, ut supra traditum est ex Seraph. Doct.

Objic. primò suffragia non prosunt beatis, & tamen magis digni sunt; ergo nec minus dignis: 377 Nec item viatoribus, quia ipsi debent pro se satisfacere; ergo multò minus mortuis purgantibus, cum satisfactio sit obligatio personalis. Resp. S. Bonav. negando paritatem de beatis, & purgantibus, illi enim non indigent sicut isti; & ad id de viatoribus. Resp. quod nos mutuò possumus suffragari, cum hoc tamen, quod & quisque debet pro se laborare, quod non possunt animæ purgantes.

Dices : Purgantes sunt extra terminum merendi, ergo nec eis prodest suffragium quodcumque : Et si dicas, quod meruerunt in hac vita adjuvari à nobis : Contra est, quia si meruerunt, necesse est eos meruisse; ergo est necesse eos remunerari : ergo præciso quocumque suffragio remunerabuntur. Resp S. Bon. quod illæ animæ sunt quidem extra statum merendi, sunt tamen in statu solvendi, solvunt enim, quæ debent; ideò licet non possint adjuvari in merito, possunt tamen adjuvari in solvendo : status enim solvendi non est semper cum statu meriti, sed solùm præsupponit : scilicet qui prius meruit, quod in tali statu posset solvere, & juvari : & ad id, quod si meruit, necesse est meruisse, resp. verum esse de merito absoluto, non de conditionali, ut est meritum præcedens animarum purgantium, quod exigit adjutorium exterius, ut supra dictum est.

Objic. 2. Pæna purgatoria mensuratur secundùm rationem culpæ, sed per suffragia non tollitur culpa; ergo nec pæna : Resp. S Bon. negando majorem; pæna enim mensuratur secundum reatum pænæ, qui tollitur solutione pænæ facta ab ipso, vel ab aliis.

Contra, si tot essent suffragia, posset tota pæna transferri in alium, sicque reus nihil satisfaceret. Resp. S. Bon. animam non remanere impunitam, quia solùm suffragia auferunt pænam, dum fiunt, & tunc anima verè punitur, & alii pro illa : conceditur que posse esse tot suffragia superabundantia, quod tota pæna tollatur, licet id rarò accidat.

378 Q. 3. *Quibus animabus prosint suffragia?* Seraph Doctor *dist.45. art.2 quæst.3* affert opinionem Præpositivi asserentem, suffragia Ecclesiæ sive specialiter; sive generaliter facta magis prosunt ei, qui magis meruit adjuvari, quam & ipse rejicit tamquam falsam, & contra communem sensum Sanctorum, & Ecclesiæ: quare respond. ipse distinguendo de suffragiis, alia enim sunt generalia Ecclesiæ, alia sunt specialia oblata in particulari: loquendo ergo de communibus, ista magis prosunt eis, qui in hac vita magis meruerunt: specialia autem magis eis, pro quibus specialiter fiunt.

Prob. 1. pars ex D. August. id asserente in Enchir. *cap.*110. *tom.* 3. Secundò quia suffragiorum effectus sunt secundùm Dei providam justitiam, sed Deus non est acceptator personarum, ergo magis prosunt melioribus, nisi aliter intendatur à suffragante in particulari: alioquin qui magis meruit adjuvari, injustè diutiùs detineretur in pœnis: Et confirmatur ex oblatione Christi in Cruce, quæ omnibus sufficienter prodest, sed magis dispositis magis etiam prodest, ergo & sacrificium Missæ, quod est pars illius.

Et si quæras: *In quonam consistit hoc majus meritum?* Resp. Cajet. *tom.1. opusc.tract.16.quæst.5.* consistere in hoc, quod quis in hac vita habuit majorem devotionem, & sollicitudinem pro clavibus Ecclesiæ, & pro aliis animabus suffragandis, quod probat ex August. de cura pro mortuis *c.*1. & in Enchir. *c.*109. quæ responsio etiam est conformis doctrinæ S. Bon.

Prob. 2. pars primò, quia tota satisfactio Deo offertur pro uno: Deus autem in Oratione se conformat nobis orantibus, quia obedit voci hominis: & quia Deus acceptat opus secundùm intentionem operantis: Tum quia suffragia sunt eleemosynæ; ergo magis juvant eos, quibus dantur, sicut etiam corporales: Tum quia alioquin Ecclesia stultè applicaret suffragia particularibus; sic Missæ dicuntur pro uno defuncto, &c. Et hæc est sententia omnium SS.PP. à Bellarm. *cit.lib.*1. *de Purgat. cap.*10.

Dices: ex D. August. suffragia magis juvant eum, qui magis meruit, ergo falsa hæc secunda pars conclusionis. Resp. conced. antecedens, quantùm est de se, nisi aliud obstet, nempè intentio facientis: Sic resp. cæteris object. Addunt hîc Theologi plures apud Dianam, talem applicationem specialem esse infallibilem, de quo vide Suar. *dist.*48. *art.*6.

379 Q. 4. *Quibus modis possunt præstari suffragia mortuis?* Resp. primò. S. Doct. cum communi Theologorum, quod duobus modis potest præstari suffragium; primò imperando: secundò solvendo: Imperando quia Orationes Sanctorum, & Ecclesiæ impetrant diminutionem, & liberationem, de quo vide S. Bon. *dist.*45. *cit. art.*3. ubi agit de suffragiis Sanctorum. Solvendo per applicationem suffragiorum pœnalium, & operum satisfactionis.

Resp. secundò S. Bonav. quod ad tria genera reducuntur suffragia mortuorum, nempè ad Missæ sacrificium, ad Orationem, & operum pœnalium satisfactionem, ut sunt eleemosynæ, jejunia, peregrinationes, quibus additur relaxatio pœnarum, seu Indulgentia, de qua infra, &c. Sic cum communi Seraph. Doct. *lib.*4. *dist.*20. *part.*2. *per totam* & *dist.*15. *part.*2. & *d.*45. *dub.*1. ubi S. Bon. advertit, quod Missa vivis prodest in ratione sacrificii, & Sacramenti, cibique: mortuis verò in ratione sacrificii tantùm: in quantùm enim Sacramentum est cibus, & dat perfectionem manducanti: in quantùm sacrificium placat Deum: hostiæ enim placant, & quia Deus iratus est, ideò placando remitti facit acerbitatem pœnæ. Nota, quod hîc Seraph. Doctor breviter dat solutionem illius molestæ quæstionis inter plures Theologos agitatæ, & quam integro tractatu P. Raynaudus in tomo 5. in fine doctissimè de more agitat, & solvit: an Communio ex opere operato juvet animabus Purgatorii: ubi pars negativa cum eodem Seraph. D. omninò tuenda est, eò quia Communio non habet rationem sacrificii, sed tantùm Sacramenti, ob idque & valorem tantùm sanctificandi, seu augendi gratiam in recipiente ex opere operato, cui est medicina, (non verò defunctis) cui soli confert gratiam, remissionem venialium, esse cibum, & nutrimentum spirituale, non autem illis animabus: superest, ergo ut solùm fructum ex opere operantis etiam communem aliis actibus satisfactoriis, & impetratoriis, cum & Indulgentiarum perceptionem per modum suffragii possimus applicare: reliqua ad hujus quæstionis solidam solutionem vide apud Raynaudum citatum, & in hoc sensu tantum suadendæ sunt communiones generales pro defunctis; De oratione, jejunio, & eleemosyna quatenus sunt opera pœnalia, & satisfactoria. *Vid. lib.4. dist.*15. Certum autem est de fide omnia ista suffragari animabus Purgatorii.

Q. 5. *Quænam sint conditiones primò ex parte ejus,* 380 *qui suffragatur, secundò ex parte suffragantis?* Quoad 1. partem. Resp. Seraph. Doct. cum communi, quod prima conditio est, ut culpa jam sit remissa, quæ pœnam meretur: ratio est, quia manente culpa manet ejus effectus. 2. conditio est, ut sit in statu gratiæ, qui enim est in peccato mortali, omni bono indignus est: Sic S. Bon. *dist.*45 *dub.*6. 3. conditio est, ut effectu illius satisfactionis indigeat: ei enim qui nihil debet, nihil remittitur. Quoad 2. partem. Resp. ibidem Seraph 1. ex parte suffragium offerentis requiri, ut sit in gratia; quod ut rectè intelligatur, notat S. Bon. *dist.*45. *art.*2. *quæst.*1. quod fuit opinio aliquorum asserentium suffragia Ecclesiæ infallibiliter prodesse Defunctis, sive à bonis, sive à malis fiant, pro eo, quod offerunt ea nomine Ecclesiæ, quæ supplet defectum offerentis: quam opinionem ipse rejicit, eò quod oratio peccatoris nihil meretur apud Deum, nisi dispositivè, quia opus formam recipit à proximo agente. Hinc subdit distinguendo, quod suffragia aut sunt opera spectantia ad Sacramenta, ut est celebratio Missæ, & tunc, quia opera Dei sunt, ratione contenti prosunt, sivè fiant à bonis, sivè à malis: Aut sunt opera non spectantia ad Sacramenta: & hæc vel fiunt à purè malis, vel bonis: si à purè malis, ut si aliquis se affligit, vel jejunat, vel orat; ista non prosunt defunctis: aut fiunt à malis ad imperium alicujus boni, vel ipsius defuncti, vel amici, ut est eleemosyna oblata à bono per ministrum malum, & tunc valet ratione charitatis existentis in principali offerente; effectus enim debet sumi à principali causa.

Quæstio

Quæstio lateralis pro legatariis.

381 ADdunt hîc DD. quod legans relinquens pro anima sua aliqua bona, si non est in gratia, dum legatum facit, ei non potest prodesse, nisi saltem ante mortem existens in gratia ratificet id, quod disposuit: Ratio est, quia tale opus non est satisfactorium, sed mortuum, ideo non potest esse ad satisfactionem post mortem. *Vide Suarez d.48. sect.8. num.15.* An verò aliquis in vita legans opera facienda post mortem, si est in gratia, cum tunc quando legavit, meruerit, & satisfecerit per illam bonam voluntatem, & per ipsum actum præcipiendi, qui est pœnalis, an inquam, quando ab hærede executioni mandantur, superaddatur aliqua satisfactio, dubium est: in quo D. Thomas *l.4.d.45.quæst.2. art.1.* cum aliis affirmat: alii negant cum Suar. *cit.n.16.& seq.*

382 Et si quæras: *An restitutio, quæ post mortem fieri præcipitur aliquid conferat satisfactionis ad remissionem pœnæ, vel ob solam dilationem possit anima diutius in Purgatorio detineri.* In qua quæst (quam Suarez fusè tractat loco citato *sect. 8. num. 19*) primò certum est omnem hominem per se teneri restituere ante mortem, si potest: & ideo dubium locum solùm habet, quando adest aliquod impedimentum rationabile, & verum, legitimumque non restituendi tunc temporis, sed è contra necessarium est differre post mortem: qua veritate supposita, in casu proposito certum est, quod etiamsi restitutio postea non fiat, non propterea fieri perpetuam pœnam defuncti, quia illud non imputatur illi ad novam culpam mortalem: præterita autem culpa jam remissa fuit, & ideo non potest pœna fieri perpetua propter illam solam causam.

Addunt tamen Ricard. Gabriel, aliique *d.45.* multum differri liberationem ob eam causam, & hoc faciunt plures revelationes defunctorum, de quibus S. Birgitta *l.6. revel.cap.66.* & si hæc sunt vera, sequitur, quod ipsamet restitutio actualis aliquid prodest animæ ad solutionem pœnæ; nam si illa non prodesset, nec omissio ejus obesset. Alii tamen tenent oppositum, nempe restitutionem non facere ad solutionem pœnæ, cum restitutio sit de re aliena, non propria: unde si anima decessit absque reatu pœnæ, statim evolabit ad Cœlum: sed quid si decessit cum reatu pœnæ? Alii dicunt differri liberationem vel usque ad restitutionem, vel per multum tempus: Alii negant, vide Suar. *cit. à num.19.* qui tamen cum Seraph. Doct. *d.15. quæst. ult.* docet, restitutionem esse satisfactoriam, sed non tantùm, quantùm est aliud opus indebitum, quia est opus pœnale voluntariè assumptum in statu gratiæ.

QUÆSTIO IV.

De Indulgentiis aliqua dubia solvuntur.

383 AD suffragia defunctorum supra adjecimus Indulgentias; ideo hîc operæ pretium est aliqua essentialiora, & principaliora enodare: Ubi primò supponimus esse in Ecclesia Thesaurum constantem ex meritis Christi, Beatæ Virginis, & Sanctorum, unde eruuntur indulgentiæ pro vivis, & defunctis: Hancque potestatem inesse in Ecclesia dispensandi tales indulgentias primò à Vicario Christi, & secundariò dependenter ab eodem ab aliis delegatis. spectat enim ad potestatem jurisdictionis, ut docet cum communi Suar. *d.49. sect.4. num.3.* Sic & docet S Bon. *d.18. p.1. q.1. & d.20. p.2.q.5. & seq.* de quibus videatur Bellarm. de Indulgentiis, &c.

Q.1. *Quid sit Indulgentia, & an sit solutio solum, an etiam absolutio?* Resp. quod cum nomen Indulgentiæ multiplicem habeat interpretationem, attamen communiter sumitur pro liberali concessione, seu remissione, vel justa legis dispensatione: jure meritò in Ecclesia translatum est hoc nomen ad significandam specialem remissionem pœnæ debitæ pro peccatis jam remissis quo ad culpam: unde sic definitur indulgentia ex Seraph. Doct. Actus clavium, quo mediante liberatur peccator à reatu pœnæ temporalis ex opere operato à Prælatò habente ad hoc potestatem, & hoc sine propria satisfactione ejus, cui remittitur, & sine speciali auxilio aliorum fidelium, & extra Sacramentum, & sacrificium; de quibus fusè agit Seraph. *l.4.d.20.p.1.a. .v q.2. & deinceps.* Resp.2. Concessionem Indulgentiarum respectu vivorum esse absolutionem, & simul solutionem: respectu mortuorum esse tantùm solutionem: absolvendo scilicet debitorem ab obligatione per modum judicii, & solvendo applicando pro homine, vel mortuis aliquam partem Thesauri Ecclesiæ pro debito illius.

Ex quibus sequitur primò indulgentias non se 384
extendere ad culpas mortales, cum solum sint relaxationes pœnarum; nam ad justificationem requiritur Sacramentum Pœnitentiæ, vel contritio. 2. Per indulgentias posse remitti pœnas debitas non solùm in foro pœnitentiæ, sed etiam Dei: unde sumens indulgentias liber manet in conscientia ad implendas pœnitentias impositas per Confessarium; sic communiter Theologi, dummodò tamen non sint impositæ ob alium finem, quàm pro solutione pœnæ v.g. ad medicinam spiritualem, vel ad præservationem à peccatis futuris.

An verò indulgentia per se valeat ad remissionem culpæ venialis est in quæstione, nam plures Theologi apud Suarez *d.5. sect. 1. num.10.* docent indulgentiam valere per se ad remissionem immediatam venialium: Alii communiùs docent oppositum: utraque opinio est probabilis, sed affirmativa est conformior principiis Seraph. Doct. in superioribus traditis de remissione venialium, supposita enim gratia, & superaddito adjutorio exteriori sacramentalium, quibus addimus etiam indulgentiam tanquam opus piissimum, obtinetur per se talis remissio qua propter meliùs salvatur propositio, quæ in aliquibus Bullis apponitur, nempe concessio indulgentiæ à culpa, & à pœna, qualis est illa à Christo concessa Seraph. P. Francisco in Ecclesia Portiunculæ Assisii.

Q.2. *An per Indulgentias, quæ sunt in usu rela-* 385
xentur aliæ pœnæ præter injunctas pœnitentias in Sacramentali foro. Ratio dubitandi est, quia plures indulgentiæ à Summo Pontifice conceduntur expressè pro relaxatione injunctarum pœnitentiarum: modò quæritur, an ultra ipsas etiam aliæ pœnæ relaxentur peccatis debitæ? Et quid de indulgentiis concessis absque tali restrictione de pœnitentiis injunctis, an scilicet de iisdem intelligatur, an etiam de aliis debitis in foro Dei? Quibus dubiis resp. ex Seraph. *l.4.d.20.p.2.a.2. q.1. & 2. & seq.* & communi Theologorum. Primò quòd per indulgentias, quæ de facto sunt in usu Ecclesiæ

remittitur pœna peccatis debita non ſolùm in foro pœnitentiæ, ſed & in foro Dei juxta quantitatem, ſeu largitatem concedentis. Ratio evidens eſt, quia, ut ait S. Bon. *cit. quæst. ult.* Indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant: ergo à nobis non ſunt reſtringendæ pro noſtro libito, & voluntariè: tum quia alioquin nulla eſſet differentia inter indulgentias reſtrictas ad pœnitentias injunctas, & alias generales. Reſp. 2. Quo ad reſtrictas pro injunctis pœnitentiis Indulgentias valere primò pro ipſis injunctis pœnitentiis remittendis: 2. etiam pro aliis, ſi non adſint injunctæ: Sic S. Bon. S. Thomas, & communior Theologorum apud Suar. *cit. d. 5. ſect. 5.* Ratio eſt, quia illa adjectio, de pœnitentiis adjunctis, non eſt reſtrictiva, ſed ampliativa: majus enim eſt remittere pœnas injunctas in Sacramento Pœnitentiæ, quàm cæteras, cum ſit difficiliùs tollere pœnam per ſententiam diffinitivam latam, quàm ante, ſed ſic eſt quod ubi majus conceditur, minus conceſſum eſſe videatur, ut dixit Canon *cap. ex parte 17. de decimis*; quæ maxima venit in his, quæ ſunt ejuſdem ordinis, & per ſe ad idem privilegium, ſeu poteſtatem ſpectant, qualia ſunt iſta, de quibus agimus: tum etiam quia privilegium Principis latiſſimè eſt interpretandum, & maximè quando additur ſpeciale verbum poſitum ad amplificandam conceſſionem ſine aliqua exceptione, ut eſt in caſu noſtro.

Dices: ergo non verificatur illa communis propoſitio, quòd indulgentiæ tantùm valent, quantùm ſonant. Reſp. neg. conſeq. nam in illa particula, de injunctis, cum ſit ampliativa, ut dictum eſt, continentur etiam à fortiori aliæ pœnæ.

Dices: Quid ergo operatur illa additio. Reſp. operari, quod primò indulgentia ordinatur ad illas injunctas pœnitentias, & ad tollendam earum obligationem, & ſecundariò ad alias.

386 Q. 3. *Quid ſit indulgentia partialis, plena, plenior, & pleniſſima, & quid Iubilæum?* Reſp. in aliquibus Bullis apponi iſtas particulas, ut patet in quadam extravag. Bonif. VIII. de quibus variè diſcurrunt Doctores in aſſignatione differentiarum inter ipſas, ſed planior, & rationi conformior eſt dicere, quod S. Bon. notat *d. 20. quæſt. ult.* quod talis quantitas, ſeu diſcrimen debet menſurari juxta mentem ſummi Pontificis ordinatam ad cauſas talis conceſſionis, ideoque ſecundùm quod plus, minuſve ad ipſas accedunt, recipiunt diverſas denominationes, ſic etiam Suarez *cit. ſect. 4. num. 6.* Addunt quod reſpectu indulgentiæ plenariæ omnes ſunt æquales, & ordinantur ad totalem remiſſionem omnium pœnarum. Idem & dicendum de Jubilæo, pro ut dicit Indulgentiæ plenariæ remiſſionem; ſed quia ut plurimum cum tali indulgentia conceduntur alia privilegia, v. g. abſolutio à caſibus reſervatis, à cenſuris, commutatio votorum, &c. hinc ex hac parte differt Jubilæum ab Indulgentia plenaria.

387 Reſp. 2. Indulgentiam partialem eſſe illam, quæ non abſolutè, ſed cum aliqua additione determinante remiſſionem ad partem pœnæ conceditur juxta cauſæ exigentiam, vel Prælati poteſtatem, vel voluntatem. Iſtas autem indulgentias ſolent Summi Pontifices appellare variis nominibus v. g. quadragenam, ſeptenam, carenam, remiſſionem tertiæ partis peccatorum, &c. vel dies quinquaginta, centum, mille, &c. ſuper quas differentias diſputant Theologi, ad quas pœnas ſe extendant, nempe an ad tempus quo immorandum eſt in Purgatorio: an ad aliud.

Et communis ſententia Theologorum cum Seraph. *d. 20. cit. q. 2.* eſt quod intelligatur tempus à ſacris Canonibus præſcriptum pro peccatis, juxta judicium Eccleſiæ, quæ ſupplet ex Theſauro Chriſti quidquid pœnæ remanet luendum: ſic ergo per unam carenam v. g. indulgentiæ remittitur tanta pœna Purgatorii, quanta ex vi illius pœnitentiæ comparari poterat: Et quia in recipientibus datur inæqualis diſpoſitio, & modus, hinc etiam inæqualis eſt fructus, qui percipitur ex tali indulgentia. Quadragena igitur eſt indulgentia quadraginta dierum: ſeptena ſeptem dierum: carena utramque complectitur, nempe jejunium quadraginta dierum, & ſeptenam aliam pœnitentiam. *Vide Suar. cit. ſect. 5.*

Q. 4. *Quotuplex ſit indulgentia conceſſa in ordine* 388
ad homines? Certum autem eſt, quod ſubjectum capax indulgentiæ eſt ſolus homo baptizatus, & in ordine ad ipſius utilitatem conceſſa: unde quæritur, *Quotuplex ſit cum tali reſpectu?* Reſp. communiter diſtingui indulgentiam in perſonalem, in localem, & realem: Perſonalis eſt, quæ certæ perſonæ conceſſa eſt, ut quocumque pergat, illam ſecum defert: Localis, qui uni certo loco pio conceditur: Realis eſt, quæ non conceditur in gratia alicujus loci immobilis, ſed alicujus rei mobilis, ut eſt imago aliqua, Agnus Dei, Roſarium, corona, & ſimilia, quibus proinde cenſetur inhærere talis favor, & cum eis quaſi deferri, & per eas hominibus communicari.

Primi generis ſunt indulgentiæ conceſſæ à ſummo Pontifice alicui homini, eſt v. g. Indulgentia plenaria in articulo mortis: 2. generis ſunt conceſſæ hominibus viſitantibus tales Eccleſias, vel loca pia, de quibus vide Suar. *d. 52. ſect. 1.* 3. generis ſunt indulgentiæ conceſſæ v. g. calculis, imaginibus, roſariis, tunc enim deputantur, ut inſtrumenta pia ad opera ſancta exercenda, & efficiuntur veluti ſacramentalia, etiamſi non ſint antecedenter benedicta.

Q. 5. *An per idem opus poſſint adquiri plures indul-* 389
gentiæ, v. g. quis viſitans Eccleſiam, & habens roſarium privilegiatum, concedens Indulgentias ſtationum Romæ omnes, & eodem opere ſimul lucrari poſſit? Aliqui Doctores cum Gabriele, & Corduba affirmative reſpondent, eo quod Pontifex non diſtinguit: ſed communior eſt negativa, quia unaquæque indulgentia exigit propriam cauſam, ſed unica non poteſt proportionari tanto multiplici privilegio, & eo maxime loquendo de Indulgentiis plenariis, ſicut habetur expreſſum in regulis Cancellariæ, & noviſſime à S. Congreg. eſt declaratum. *Vide Suar. ſect. 8.*

Q. 6. *Qualis diſpoſitio requiratur in ſuſcipiente?* 390
Aliqui DD. ut Soto, Altiſiod. Caiet. dicunt requiri ſedulam preparationem animi, & ſollicitudinem ad ſatisfaciendum per propria opera pro peccatis ſuis, ita ut ſi quis non habeat animum unquam exercendi opera pœnalia, & nimis negligens ſit, non lucrabitur indulgentiam: Alii ex oppoſito probabiliùs contrarium docent, ut D. Thomas, Suarez *ſect. 9.* dicuntque ſufficere implere quod ordinat Pontifex in Bulla; ſic enim adeſt juſta, & ſufficiens cauſa, &c. Addimus ſecundùm communiorem ſententiam DD. quando in Bulla non apponitur facultas applicandi indulgentias etiam defunctis, exiſtimari debent conceſſæ tantùm pro vivis: quia ſic ſonant verba.

Q. 7. *An ad lucrandam indulgentiam prærequiratur* 391
Confeſſio ſacramentalis? Reſp. 1. negativè, quando

Bulla concedit ind lgentiam contritis solùm: quando verò addit contritis, & confessis, secundùm securiorem opinionem requiritur confessio sacramentalis, etiamsi nullum lethale peccatum adsit: & ratio est, quia Pontifex exigit istam pœnitentiam ut dispositionem ad ipsam indulgentiam, quam postulat respectu omnium peccatorum præcedentium: ita etiam Suarez *d.1. s.4.* cui consonat doctrina Seraph. *d. 20. quæst. ult. Comp.* Alii tamen, & plures Theologi docent oppositum, nempe non esse necessariam confessionem, nisi cum adest lethale peccatum, nec contritio, sed tantum attritio: Sic Palud Gers. Canonistæ, & Navar. quod etiam est probabile.

QUÆSTIO V.

De suffragio Indulgentiarum pro defunctis.

392 QUæritur primò: *An animæ defunctorum sint capaces fructus Indulgentiarum, & quomodo?* Ratio dubitandi est, quia summo Pontifici data est potestas ligandi, & solvendi super terram, ergo virtus clavium solum extenditur ad homines viventes super terram. Resp. tamen cum communi Theologorum, & definitum est de fide à Sixto IV. indulgentiarum fructus posse applicari, & prodesse defunctis: fundatur hæc sententia in perpetua Ecclesiæ traditione: tum in illo articulo de Communione Sanctorum, ut supra dictum est: tum quia thesaurus satisfactionum Christi, & Sanctorum extenditur etiam ad mortuos. Seraph. Doct. *d.20.p.2.a.2.q.5. & 6. & Comp.Theol. l.7.c.6.* cum D. Thoma, aliisque Theologis tractat hanc quæstionem dicens, quod thesaurus Ecclesiæ dicit duo: scilicet communicationem bonorum, & Ecclesiæ judiciariam potestatem: hæc verò est per modum absolutionis, & judicii in subditos, quales sunt soli viatores, ideo secundùm hanc non non habet directam potestatem in mortuos: habet tamen secundùm primam, scilicet communicationem fructus indulgentiarum per modum suffragii: est enim id valdè consentaneum divinæ pietati, à qua non sunt exclusæ illæ animæ: nec officit illa clausula (super terram) nam respondet S.Bon. *ibid. ad 1. & 2.* quod, ly, super terram, si intelligitur de potestate Pontificis, loquitur de potestate judiciaria: vel etiam quia refertur ad actum solvendi, non ad objectum, idest quod actus solvendi fiat super terram, non verò res, pro qua, vel per quam fit solutio, cum satisfactiones Christi, & Sanctorum, per quas, seu ex quibus fit solutio, jam non sunt super terram, sed in acceptatione divina, ergo necessarium non est, ut persona, aut reatus, pro quibus fit solutio, sit super terram: Resp. 3. ly, super terram, extendi ad illas animas, quæ adhuc sunt super terram, scilicet extra Cœlum, imò etiam super terram, vel in terra, & dum erant in via meruerunt suffragari, cum nondum sint in termino, ideò etiam admittenda est aliqua potestas judiciaria in Vicario Christi in animas purgantes: sic *q.5. in fine.*

Et hinc sequitur, quod summus Pontifex potest concedere indulgentias pro defunctis non auctoritativè, & per modum judicii, sed per modum tantum suffragii: Ratio est quia quisque fidelis de suis operibus potest suffragari illis animabus, ergo multò magis Pontifex de thesauro Ecclesiæ, quem habet in sua potestate: sic enim tollit impedimentum, quod detinet illas animas concedendo indulgencias vivis in ordine ad ipsas suffragandas.

Et si quæras: *Qualis differentia sit inter suffragium, & absolutionem?* Resp. ex Seraph. doctrina differre non in quantitate effectus, vel in ejus infallibilitate, sed in modo causandi moraliter illum effectum: nempe quando indulgentia est per modum absolutionis, & judex, qui eam concedit proximè, & immediatè remittit pœnam tanquam minister Dei, & judex locum tenens ejus: quando verò est solùm per modum suffragii, concedens non remittit pœnam, sed offert Deo pretium equivalens, ut ipse remittat. Unde fit (ait S. Bon. *cit. a.1.q.2.ad1.*) ut in utraque intercedat ratio justitiæ, sed diverso modo, nam primo modo intercedit justitia vindicativa ex parte absolventis: 2. modo per modum æquivalentis commutationis fundatæ in pacto, & promissione divina: unde licèt hæc indulgentia non sit actus jurisdictionis in subditos, est tamen actus potestatis jurisdictionis ad distribuenda bona communia, sicque includitur in definitione indulgentiæ. 393

Dices: Per indulgentiam per modum suffragii non propriè remittitur pœna, sed tantùm offertur pretium, ob quod Deus remittit, sed indulgentia est essentialiter remissio pœnæ, ergo non est propriè indulgentia, cum conceditur posse applicari illis animabus, sed conceditur tantum id, quo obtineri potest remissio: Et hinc aliqui Theologi cum Seraph. Doct. *d.20.p.2.a.2.q.5. in Comp. & q.3.* vocant hanc indulgentiam non absolutè, & simpliciter, sed secundùm quid, idest cum illo addito, per modum suffragii. Resp. tamen, quod his non obstantibus, potest vocari talis indulgentia, & vera relaxatio pœnarum, quia includit talis concessio remissionem pœnæ modo virtuali, & morali, quatenus continet æquivalentem solutionem, ad quam in genere causæ formalis sequitur expulsio alterius pœnæ: seù reatus ejus, & hoc sat est.

Dices: Talem concessionem, seu indulgentiam per modum suffragii nihil differre à suffragiis privatis fidelium, quæ sunt oblata per modum suffragii, sed ista non possunt dici indulgentiæ, ergo, &c. Resp. neg. majorem, & paritatem: Ratio est, quia indulgentia, & solutio fit per actum jurisdictionis, quæ ad indulgentiam est necessaria: non sic suffragia privata, ob idque istà nec simpliciter, nec secundùm quid possunt vocari indulgentia: sic S. Bon. *d. 20. quæst. 3. art. 1. & Comp. Theol. l.7. cap.6.*

Q. 2. *Quales conditiones requirantur ad valorem indulgentiæ pro defunctis?* Quæstio hæc potest loqui de conditionibus requisitis primò in viventibus lucrantibus indulgentias pro defunctis: & 2. in ipsis defunctis. Resp. ad primam partem primò requiri in lucrante indulgentiam gratiam sanctificantem, quando summus Pontifex id exprimit, scilicet concedens contritis, vel confessis, &c. 2. requiritur, ut opus fiat intentione lucrandi indulgentiam pro defunctis: 3. non est necesse, ut tale opus impositum ad lucrandam indulgentiam, licèt sit pœnale, & satisfactorium, offeratur pro defuncto: Ratio est, quia ad lucrandam indulgentiam sufficit, ut illud opus sit pium, & sanctum, & ad cultum Dei pertinens: Excipe tamen Sacrificium Missæ, cui cum conceditur pro defuncto oblatæ liberatio unius animæ, debet etiam 394

ipsa

ipsa offerri pro defuncto, nisi tamen aliud exprimeret Bulla: 4. quando Pontifex non exprimit se velle contritionem, vel confessionem in lucrante indulgentiam, est in quæstione, an requiratur gratia in ipso lucrante: in qua duplex opinio circumfertur, & utraque probabilis, aliis negantibus necessariam esse gratiam, aliis affirmantibus, & hæc est securior, estque Seraph. Doct. *l.4.d.45.a.2.q.2.* Ratio ejus est, quia opus formam recipit à proximo operante: tum quia existens in peccato mortali non est membrum vivum Ecclesiæ, ergo nullam habet connexionem cum ea, nec cum illo qui mortuus est in gratia, ergo ei non potest præbere id, quod non habet, nec potest pro se. Excipe tamen Sacrificium Missæ, quod est opus Dei: item & quando malus operatur, v. g. dat eleemosynam ad imperium justi: vel quando datur eleemosyna justo, ut oret pro defunctis, tunc enim valent ratione doni charitatis homini conjunctæ.

Dices: Licèt faciens opus pium non sit in gratia, recipiens tamen ex charitate, & cum merito est in gratia, sicuti sunt animæ Purgatorii, ergo id sufficit. Resp. S.Bon. neg.conseq.verum quidem est, quod defunctorum est suffragia recipere, sed prius tamen illa Deus debet acceptare: sed Deus non acceptat, nisi præces bonorum: hinc, &c. R. ad 2. partem: communis sententia est, quod ex parte recipientis requiritur status gratiæ, & baptismus præcedens: ideoque licèt pro Cathecumenis possint offerri suffragia privata, non tamen publica Ecclesiæ, ut Sacrificium Missæ; quia de his, qui foris sunt, nihil ad nos: Adest tamen probabilis opinio opposita. Vide Suar. *d.52.s.4.* requiritur item indigentia suffragii, ut in superioribus dictum est.

395 Q. 3. *Utrum ad concessionem indulgentiæ necessaria sit aliqua causa finalis, quæ moveat concedentem, & qualis causa, & qualiter proportionata ad finem obtinendum?* Resp. primò. Certum esse, quod in concessione indulgentiæ semper adest finis intrinsecus, & motivum sanctum, quod est liberatio proximi à miseria: unde quæritur, an etiam finis extrinsecus requiratur, v. g. utilitas communis, & justitia legalis: quibus resp. Seraph. Doct. *d.20. p.2. art.2. quæst.4. & 5. ad ult.* quod in dispensando thesaurum Ecclesiæ summus Pontifex debet primò respicere finem intrinsecum, qui est honor, & gloria Dei, & Sanctorum, & sublevatio proximi à miseria: secundò debet respicere ad communem utilitatem Ecclesiæ, & rectam justitiam, prudentiamque, ideo sicut Christus vult ita misereri, ut etiam suam justitiam conservet intactam, sic & ejus Vicarius; qui cum non sit constitutus Dominus, sed solùm dispensator sui thesauri, & non dissipator, debet prudenter dispensare ex causa rationabili; potestas enim data est Ecclesiæ in ædificationem, & non in destructionem: sed concessio indulgentiarum facta solùm propter se ipsam, & suum effectum sine alia causa esset in destructionem, & perniciem fidelium, ergo, &c. Prob. minor. quia homines nec in hac vita, neque in Purgatorio, si Pontifex distribueret totum thesaurum, timerent pœnas, cum scirent, se justè, & sanctè posse illis liberaliter condonari. Præterea, Deus ipse est quidem infinitè misericors, & liberalis, sed tamen servat ordinem justitiæ, ideo non statim liberat à miseria, nisi interveniente ordine justitiæ: unde quatenus est summus Legislator, & judex non statim liberat: ut supremus Dominus potest quidem omnes liberare à miseria, sed cum interventu justitiæ: sic & Summus Pontifex multò minus debet, & potest dispensare totum thesaurum, sed paulatim, & discretè: Sic. S. Bonav. *cit. quæst. 5.* Addit Seraph. Doct. ibidem *quæst.4.* quod ut plurimum indulgentiæ conceduntur non præcisè actibus internis, sed ipsis conjunctis actibus eternis, ex quibus maximè redundat major gloria Dei, & utilitas Ecclesiæ: sic enim talia opera sunt merè voluntaria, taxabilia, & pœnalia.

Resp. 2. Seraph. Doct. *d.20. quæst. ult.* quod ad hoc ut valeat indulgentia, requiritur duplex conditio: Prima ex parte donantis; 2. ex parte recipientis, & utraque est duplex: Ex parte donantis requiritur potestas, & honesta, rationabilisque causa: nam indulgentia data sine causa credenda est nullius valoris; ex parte recipientis requiritur confessio cum vera contritione, & fides cum devotione vera: Concludit igitur S.Doct. quod secundùm proportionem causæ, ob quam concessa est indulgentia, etiam recipitur, & secundùm quod magis, vel minus ad ipsam accedit, etiam major, vel minor indulgentia datur. Nec per hoc fit ulla deceptio, quia à fidelibus debet semper supponi debita potestas, & causa in concedente, & sic ad ipsam lucrandam accedere cum vera devotione, quia ejus devotio non potest vacua omninò remanere. Addunt hîc Theologi cum Seraph. Doct. *q.5. cit.* quod ad constituendam veram causam, & rationabilem maximè conducunt effectus, qui ex tam libera concessione redundant in beneficium spirituale, & utilitatem communem, & maximè in Dei gloriam: nam hinc maximè excitantur fideles, & promptiores redduntur ad frequentiam Sacramentorum, ad opera pietatis varia exercenda, ad frequentiam orationum, quibus placatur Deus: unde incomparabiliter opus ad lucrandam indulgentiam est nobilius, & Deo charius, quàm cætera opera sine tali intentione: Sic etiam Suar. *d.49. sect.5. & d.54. sect.3. & seq.* 396

DISPUTATIO

DISPVTATIO X.

De judicio particulari, & universali, & de statu animarum damnatarum.

397 DE Resurrectione Beatorum satis plura tradidimus in tract. de visione beatifica: nunc sequentes vestigia Seraph. Doct. & pro complemento hujus Cursus Theologici superest, ut aliqua breviter differamus de judicio, & de statu damnatorum: ordo autem doctrinæ exigeret tractatum de adventu, & persecutione Antichristi: de conflagratione mundi futura ante judicium, & resurrectione generali: sed nos brevitati consulentes remittimus Lectorem ad Seraph. Doct. *l.4. d* 47. *qui & in Opusc. Comp. Theol. l.7. cap.7. & deinceps*, fusè de istis agit: solum de judicio aliqua breviter dicturi.

QUÆSTIO I.

Solvuntur aliqua dubia de judicio particulari, & universali.

398 CErtum est datam fuisse Christo, ut homini, & Deo potestatem judiciariam, quod & explicavimus in 3. libro agentes de Christo: nunc verò.

Q.1. *An ultra judicium universale, detur particulare faciendum in morte cujuslibet hominis, & qualiter?* Resp. certum esse de fide, statutum esse (ut ait Apostolus Hæbr.9.) omnibus hominibus semel mori, & post hoc esse judicium: hocque judicium fit à Christo, non quidem quasi ipse sit è Cœlis descensurus ad locum mortis, vel anima feratur personaliter ad præsentiam Christi in Cœlo: sic enim esset in continuo motu, & necesse esset, ut reperiretur simul in pluribus locis; sed ut notat Suarez *t.2. in 3. p. d.52. sect.2.* spiritualiter id est faciendum: nam moribundus in ultimo instanti vitæ intellectualiter elevatur ad audiendam sententiam judicis: in quo puncto videt bona, & mala gesta; videt & Angelum custodem, & Dæmonem, & intellectualiter, non personaliter Christum ferentem sententiam, post quod instans statim, & immediatè invenitur in loco, vel salutis, vel pœnæ, ad quem destinatur à judice: & in hoc sensu verificantur varia dicta S. Script. loquentia de adventu Christi ad judicium hoc particulare.

399 Q.2. *An futurum sit judicium universale, in quo Christus sit supremus judex?* Resp. id esse de fide, & habetur in Symbolo fidei, quod probat Seraph. Doct. *l.4. d.43. & 48* Rationes autem, seu congruentiæ de hoc judicio variæ à Doctoribus afferuntur, quæ omnes nituntur divinæ justitiæ: & licèt justitia Dei secundùm se non indigeat nostro testimonio, vel cognitione; tamen quia ad honorem Dei pertinet, ut seipsam in omnibus; & perfectè manifestet, ideo multa operatur ad ejus manifestationem, & hoc potissimum præstare voluit in die judicii: cur autem in postremum diem reservaverit, optimè declarat S.Thom. *q.59. a.6.* & cum eo Seraph. Doct. plurimis locis, præcipuè *l.4. d.21. p.1. a.3. q.2. & Comp. Theol. l.7.* dicens: quia opera hominum quodammodo manent post eorum mortem vel in aliorum existimatione, & fama, vel in effectibus, qui varii, & multiplices sunt: hinc est, quod licèt Deus in cujusque morte judicet actiones, considerando eas secundùm se, oportet tamen, ut de eis faciat publicum, & universale judicium, & constet tam de ipsis actionibus, quàm de omnibus eorum nocumentis, ac fructibus, & circumstantiis facientibus non solum ad cognitionem naturalem ipsarum, & ad augmentum vel gloriæ, vel pœnæ tam accidentalis, quam essentialis: tum etiam quia tale judicium spectat ad rectam gubernationem universalem Christi, &c. Vide Suarez *d.53. sect.1. & seq.* ubi explicat locum judici futuri, &c.

Q.3. *Quomodo Christus judex videbitur à malis, & bonis?* Resp. Seraph. Doct. *d.48. a.1. q.2. & 3.* quòd mali non poterunt videre Christi divinitatem ob improportionem intellectus cum tali objecto, sed tantum humanitatem in forma terribilis judicis, ob idque cum confusione, & pœna: Boni autem videbunt & humanitatem, & divinitatem, cum gaudio, & jucunditate.

Q.4. *An hora judicii sit nota?* Resp. S. Bon. esse notam Trinitati, & Christo: probabileque est etiam notam esse aliquibus, vel omnibus Angelis. *Vide S. Bon. cit. q.4.*

Q.5. *An solus Christus erit judex, an etiam Apostoli, & Angeli? & quinam sint judicandi, & quomodo?* Resp. S.Bon. *d.47. & 48. a.1.* quod judiciaria potestas residet tantum penes Christum ut Deum, & hominem: sed quia ex S.Script. habemus, Apostolos, aliosque judicaturos cum Christo, ut id intelligatur, notat Seraph. Doct. *loc. cit. & in Opusc. Comp. Theol. l.7. c.17. & 18.* Quòd quinque sunt modi judicandi. Primus est principalis auctoritatis, quo judicabit tota Trinitas: 2. est secundæ, vel minus principalis auctoritatis, quo judicabit Christus, ut homo: 3. est accessoriæ dignitatis, quo judicabunt Apostoli, & viri eminentioris perfectionis, qui cum judice eminentiùs sedebunt, & judicabunt, tanquam meliùs scientes leges, & consuetudines regni Dei, quibus implendis, & sciendis operam dederunt: 4. est approbationis, quo judicabunt omnes Sancti, & Angeli, nempe istorum erit culpam judicandorum manifestare, quod maximè fiet per comparationem; & hoc modo etiam mali dicuntur judicaturi secundùm illud Matth. 12. Ideo & Ninivitæ judices vestri erunt. 400

401 Resp. S. Bon. 1. omnes homines, & Angelos convocandos esse in die judicii, ut præsentes adsint: Sic Matth. c. 25. Congregabuntur ante eum omnes gentes: & ad Rom. 14. & 2. Cor. c. 5. Omnes stabimus ante tribunal Christi: ubi omnes judicabuntur, & mali condemnabuntur, boni præmiabuntur.

Dices ex Joan. c. 3. & 5 assignari aliquos, qui non judicabuntur, dicitur enim. Qui credit in eum non judicatur, & alibi: Qui non credit jam judicatus est. Et Psal. 1. Non resurgent impii in judicio; ergo. R. S. Bon. *d. 47. art. 1. q. 3. & Comp. Theol. l. 7. c. 19.* quod judicium potest sumi tribus modis. 1. communiter. 2. propriè. 3. appropriatè. Primò modo judicium dicitur collatio manifesta meriti ad præmium, & hoc modo omnes judicabuntur, quia omnes convenient, & de omnibus Christus retribuet secundùm merita. 2. modo propriè est discussio meritorum, & prolatio cum quadam discussione, & sententiæ definitione, & hoc 2. modo non omnes judicabuntur. 3. modo appropriatè dicitur judicium condemnationis, judicabuntur enim sic mali solùm, quod judicium incipit in præsenti per executionem in infidelibus, & per expoliationem in Dæmonibus, & consumabitur in futuro: unde in judicium non iterabitur, sed consumabitur: ut autem id rectè intelligatur, notat S. Bon. ex D. Greg. quod in judicio erunt quatuor ordines: Quidam enim judicabuntur, & damnabuntur, ut quorum merita damnabilia permixta sunt aliquibus bonis, sicut illi, qui habuerunt fidem sine operibus: quidam judicabuntur, & salvabuntur, ut quorum merita bona permixta sunt aliquibus malis venialibus: Quidam non judicabuntur, & damnabuntur, ut qui caruerunt fidem, & de istis dicitur: Qui non credit jam judicatus est: Infideles enim, quia non fuerunt cives civitatis Dei, tamquam hostes sine ulla meritorum discussione, & audientia punientur; ideò licet judicandi sine judicio retributionis, non tamen judicio disceptationis: Quidam verò non judicabuntur, sed judicabunt, & salvabuntur, quorum merita sunt impermixta malis, quorum merita non discutientur an bona, an mala sint, sed eorum præeminentia omnibus manifestabitur, & ut contra malos appareat justa sententia damnationis. Idem & proportionaliter dicendum de parvulis mortuis sine baptismo: de qua materia vide Suarez *sect. 6.* ubi doctissimè disserit quid futurum sit de parvulis.

Circa sententiam ferendam à Christo in bonos, & malos. *Vid. S. Bon. in Comp. loc. cit.* Post judicium consequetur innovatio mundi, quam fusè, & doctè tractat Seraph. D. *l. 4. d. 48. art. 2. & in Comp. Theol. l. 7. cap. 20. & Suar. d. 58* ad quos remitto lectorem, sunt enim omnia facilia, & valdè moralia, scituque digna.

Q. 6. *An Reprobi comparebunt in judicio cum suis deformitatibus?* Resp. Seraph. Doct. *d. 44. p. 1. q. ult.* quod electi comparebunt in omnibus, & per omnia reformati, & pulcherrimi in suis corporibus sicuti habuerunt ex primaria generatione, in quo apparet sententia, & justitia mirabilis Dei sapientia, quia scit omnia eodem modo separare, sicut ante fecit: Justitia, ut sicut qui meruit in corpore pulchro, remuneretur in sua pulchritudine; sicque qui in turpi peccavit, in ejus turpitudine cruciari debet, nec debet auferri, sed potiùs firmari.

QVÆSTIO II.

De Inferno, & pœnis Damnatorum disseruntur aliqua dubia.

Sicut patet divina potentia in creando, sapientia 402 in gubernando, clementia in reparando (*ait S. Bon. in Comp. Theol. l. 7. c. 21.*) sic patebit Divina justitia in puniendo: Dignum enim est, ut non remaneat decus culpæ sine decore justitiæ: Hinc de Inferno, & pœnis erit præsens quæstio.

Quæritur ergo primò: *An detur Infernus*: Refert Seraph. Doct. *l. 4. dist. 44. p. 2. q. 1. & 2.* errorem dicentium, non dari locum aliquem suppliciis nocentium destinatum: quem secuti sunt sectarii nostrorum temporum: Sed veritas Catholica est extare Infernum, qui est locus destinatus Dæmonibus, & damnatis omnibus, & probatur ex pluribus locis Sacræ Scripturæ allatis à P. Gaud. *tract. 4. de Angelis, dist. 8. q. 10. & 11.* Ratio autem est, quia ut mundus decoretur suis antithesis, sicut bonis redduntur præmia æterna, sic & malis æterna supplicia: Tum quia necessarium est servare ordinem justitiæ, ut scilicet unicuique reddatur secundùm merita sua, cum ventum fuerit ad judicium: Peccator enim cum peccat, peccat contra bonum æternum, & infinitum, & ex hac parte dignus est æterno supplicio: & dum permanet in peccato suo, peccat in suo æterno, idest peccandi proposito, & dum decesserit, non est ampliùs locus meriti, ac per hoc nec remissionis pœnæ; ideò semper est culpa, & quia culpa ordinatur ad pœnam, ideò debet semper esse in pœna: Et huic assertioni concordant Scriptura, & SS. PP. concordat & denominatio Inferni, quia infra jacet: concordat & ratio; sicut enim perfecta est distantia inter statum damnatorum, & beatorum, sic & locus à loco; ergo sicut locus beatorum est supremus, sic & statui damnatorum locus debetur infimus etiam secundùm corpora.

Q. 2. *Cur pœna peccato inflicta sit æterna, cum* 403 *peccatum fuerit transitorium?* Resp. S. Bon. *in Comp. Theol. lib. 7. cap. 21.* quod justè peccato mortali, licèt si transitorium, debetur pœna æterna. 1. quia homo peccavit in æterno, ut supra dictum est, ergo punietur in æterno Dei. 2. quia materia ignis infernalis est æterna, sicut & peccati macula, ideò & pœna. 3. quia peccatum est contra infinitum, ergo & pœna debet esse infinita non acerbitate, sed duratione. 4. quia homo perimit in se bonum, quod posset esse æternum, ideò meritò incurrit perpetuum malum. 5. quia mala voluntas reproborum perpetuò est mala, quia vellent se semper esse in malo, ergo, &c. 6. quia in infinitum errat rationabilis anima præponens bonum creatum increato. 7. quia damnatus numquam pœnitebit de malo perpetrato. 8. quia peccatum à vita æterna separat, ideò mortem perpetuam peccator incurrit. *Vid. ibid. S. Bon.*

Q. 3. *An in Inferno sit verus ignis, & quomodo* 404 *torquere possit spiritus?* Primæ parti quæsiti notat S. Bon. *dist. 44 part. 2 art. 2.* quod licèt nullibi in Sacra Scriptura sit expressum in Inferno esse verum ignem corporalem (posset enim exponi de igne metaphorico, sicut aliqui dixerunt debere intelligi textus dictantes in Inferno esse ignem, sicut & hi- nunc aliqui Lutherani) attamen cum omnes SS. PP. & Theologi unanimi consensu asserant, hunc

ignem

ignem esse verum, & corporeum, ita etiam & ipse probabiliùs hanc sententiam sustinet (licèt malè à Vasq. *d.* 243. *c* 6 citetur ad oppositum) ratio autem est, quia cum multi textus S. Script. doceant damnatos torqueri igne, ideò de vero igne corporeo debent exponi, cum non adsit ulla repugnantia, vel inconveniens aliquod occurrat in tali assertione: tum etiam quia est inconveniens, ut damnati, qui averterunt se à Deo per conversionem ad commutabile bonum, & hoc non solùm per animam, sed etiam per corpus, etiam per aliquod corporeum torqueantur, sed inter corpora ignis est calidissimus, & valde activus, ergo est magis conveniens tale instrumentum: sic ait S. Bon. in Comp. Theol. *l.* 7. *c.* 21. ratione aversionis à Deo meritò puniuntur carentia visionis, & ratione conversionis pœna materiali incendii, ut verificetur illud Sap. 11. Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.

An verò ille ignis sit ejusdem speciei cum nostro, an diversæ speciei, dubium est: probabiliùs tamen est dicere esse ejusdem speciei licèt adsit aliqua diversitas accidentalis in effectibus: Ratio D. Bon. est, quia cum Script. Sacra nobis dicter in inferno ignem, nec nos agnoscamus alium ignem præter istum, quem præ manibus habemus, ideo etiam ad eandem speciem pertinere dicendum est.

405 Objic. 1. D. Damascen. dicere, damnatos tradendos esse in ignem æternum non materialem, qualis est apud nos, sed qualem Deus novit, ergo non est ejusdem naturæ cum nostro. Resp. S. Bon. D. Damasc. ponere differentiam non in forma specifica, sed in proprietatibus, & operationibus consequentibus.

Objic. 2. Ignis ille non extinguitur sicut noster, ergo differunt specie; extinguibile enim, & corruptibile differt specie ab inextinguibili, & incorruptibili. Resp. S. Bon. neg. conseq. nec vera est illa maxima in omnibus, sed solùm quando corruptibilitas, & incorruptibilitas proveniunt à diversis principiis, ut sunt cœlestia, & elementaria corpora: Sic *l.* 2. *d.* 27. *a.* 1. *q.* 3. *ad* 4. ex opposito corpora nostra sunt corruptibilia; corpora damnatorum sunt incorruptibilia: tum etiam quia inextinguibilitas potest igni inesse per artem, ut fit in ignibus sepultis, & subterraneis absque materia combustibili etiam.

Objic. 3. Lux est de substantia ignis, veluti ejus proprietas, sed ignis infernalis caret luce, ut dicitur Job. c. 18. ergo, &c. Resp. S. Bon. neg. quod omninò lux absit ab illo igne; nam fert secum aliquam lucem minimam, quæ tamen magis impedit, quàm adjuvet visum, ut patet in sulphure, & pice: unde in inferno est aliquid luminis, quo damnati videre possunt unde doleant, & non unde lætentur, sic *in Comp. Theol. cit.*

Dices: Ignis ille aget in corpora, ergo corpora patientur, sed omnis passio magis facta abjicit à substantia, & consumit, ergo & consumet corpora damnatorum. R. S. Bon. *d.* 4 . *a.* 2. *q.* 1. quod in inferno est verus ignis, & ab illo patientur corpora, passione tamen afflictiva, non abjectiva; quod etiam in aliquibus corporibus, & ignibus in terra videtur verificari, ut in Salamandra, & in igne Ætnæ: Ratio est, quia ex parte agentis ignis data est virtus à Deo ad inflammandum, & torquendum, non ad consumendum; & ex parte corporis data est ei natura possibilis ad patiendum, non ad deficiendum, sic convenienter adjuvante divina justitia.

Dices: Ignis corporeus non potest agere in spiritum, cum non adsit inter ipsa contrarietas, nec in anima ab igne possit generari similitudo, ergo, &c. R. S. Bon. *d* 44 *p.* 2. *a.* 2. *q.* 2. *& Comp. Theol. l.* 7. *c.* 21. concedendo de igne naturaliter operante; negando de igne, quod elevatur ad esse instrumentum divinæ justitiæ, qualis est iste: Addit S. D. *ibid. l.* 4. quod in hac actione, & passione ignis, & animæ, duo sunt ibi per ordinem naturæ, & duo per ordinem divinæ justitiæ: quod enim ignis animæ indissolubiliter alligetur, & anima absorbeatur, & recludatur ut in carcere, divinæ justitiæ est, ad quam spectat malefactorem in carcere recludere: quod iterum anima refugiat ignis calorem, qui per naturam nocere non potest, & trepidat timore, ubi timere non deberet, hoc est divinæ justitiæ, quæ facit trepidare peccatores immittendo terrorem, & horrorem ejus rei, qua per naturam superiores sunt: & sic ordinante divina justitia potest spiritus pati passione animali ab igne verè agente, & ab ipso verè præsenti immutari naturali potentia ignis, & animæ: & hinc redundat in animam intensissimus dolor tum per passionem, tum per apprehensionem: *Vide ibid. S. Bon.* ubi fusè, & philosophicè, & theologicè solvit hanc molestam quæstionem, à qua tollitur omnis dubitatio ex suppositione, quod ignis operetur, ut instrumentum divinæ justitiæ elevatum; & hoc tum propter potentiam divinæ manus ipsum ignem moventis, & elevantis ad tantam virtutem; tum propter sensibilitatem patientis: tum propter immediationem conjunctionis, cum includatur anima veluti in carcere in illo igne. Addit S. Bon. *in Comp. Theol. cit.* quod ignis infernalis non omnes æqualiter cruciat, sed ab eodem igne alii plus, alii minus cruciantur ad proportionem peccatorum, sicut ab eodem igne aliter uritur palea, aliter lignum.

Q. 4. *An puniens in inferno sit solus ignis, an verè* 407
sint alia pœnæ? Resp. S. Bon. *d.* 44. *d.* 2. *a.* 1. *q.* 2. *& Comp. Theol. l. cit.* ultra ignem etiam concurrere ad torquendum damnatos alias multipliciter pœnas: erunt enim ibi cum calore ignis frigus intensissimum, stridor rigoris, tenebræ, fumus, lachrymæ, scilicet non corporales, sed dolor interior, mærores, aspectus dæmonum, clamor improperii, ariditas, sitis, fames canina, fætor sulphuris, & omnium aliorum immundorum odorum, vermis conscientiæ, vincula, carcer, timor, dolor, pudor, invidia, rancor, & desperatio, ablatioque spei omnis salutis, proterva phantasia, demens concupiscentia, & furor insatiabilissimus: Ipsum etiam esse, & vivere, quod omnis creatura appetit, erit eis pœna, quia quærent mortem naturalem, & non invenient: de quo vide S. Bon. *l.* 4 *d.* 50. *p.* 1. *a.* 1. *&* 2. *& p.* 2. *a.* 1. *per tot.* ubi probat damnatos carere omni operatione animæ tam in cognoscendo, quàm in memorando, & in desiderando, quæ posset eis inservire ad lætitiam, sed habere omnes alios actus valentes eis esse ad cruciatum, & pœnam: sic justè ordinante divina justitia, ut in eis propter deordinationem rationis, & voluntatis insit pœna universalis, quæ consistit in afflictione varia, acerba, & cætera.

Q. 5. *An electi, & damnati mutò se cognoscant?* 408
R. S. Bon. *d.* 50. *p.* 2. *a.* 1. *q.* 3. quod consideratio, cognitioque gloriæ beatorum damnatis est maxima pœna, & è contra consideratio pœnæ reproborum electis est gaudium, quia illi considerant gloriam sub ratione amissionis, isti pœnam sub

ratione divinæ ultionis juxta illud Psal. 57. Lætabitur justus, cum viderit vindictam: Beati ergo, cum eorum gloria semper maneat, & post judicium erit copiosior, & nunc, & tunc vident pœnam damnatorum in Deo, & in speculo æterno, ideo non est eis in pœnam, nec afflictiva, sed quia justa optimè, & dignè inflicta, ob idque ad decorem divinæ justitiæ, hinc & de ipsa lætantur. E contra reproborum pœna post judicium intendetur, adeo ut beatorum gloriam non licebit eis considerare, nec ab eis auxilium petere; sed totaliter absorbebuntur à pœnis, eruntque in perpetua desperatione, memores omnium suorum peccatorum, ut de omnibus continuè torqueantur in æternum.

409 Hic superesset agere de resurrectione, & gloria beatorum, sed quia de hac materia sat dictum est in lib. 1. in disp. de visione beata Dei, ne actum agamus, finem facimus huic cursui Theologico, in quo Majestatem Dei sub ænigmate fidei velatam exhibuimus: solumque discoperta à nobis videbitur, quando facies ejus sine velamine ostendetur in alia vita. Hoc autem erit (ait Seraph. D. in fine lib. 4. sent.) quando Deus erit ita conspicuus, ut videatur ab altero in altero: videatur in semetipso: videatur in creaturis omnibus: videatur etiam per corpora in omni corpore, quocumque fuerint spiritualis corporis oculi acie perveniente directi: tunc videbimus, amabimus, laudabimus: tunc apparebit Christus vita nostra, & nos apparebimus cum ipso in gloria: ad quam perducat nos Pontifex, & Præcursor noster Jesus Christus Filius Dei, & B. Mariæ Dominæ, & adjutricis nostræ, sua pia misericordia, cui est benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Quarti Libri sententiarum, & totius Cursus Theologici Seraphici finis ad gloriam totius SS. Trinitatis, & Domini nostri Jesu Christi reparatoris, & Salvatoris, B. Virginis, Seraph. P. S. Francisci, & Doctoris item eximii S. Bonaventuræ.

Quæ omnia edita à me, tum in hoc Cursu, tum in cæteris libris libenter, & toto animo, cordeque humili judicio S Romanæ Ecclesiæ Matris piissimæ subjicio. Explicit Feria 3. Pentecostes hujus anni 168 ., qui est meæ ætatis septuagesimus ternus, religionis verò quinquagesimus sextus, Parmæ tempore Comitiorum Provincialium. Interim humanissimè Lector tibi paro Compendiosum Manuale, seu Summulam omnium Casuum conscientiæ magis practicabilium, quam excerptam è pœnu Seraphicæ doctrinæ, ne aliquid desit, spectans ad Theologiam, tum Scholasticam, tum moralem hujus Seraphici Doctoris, in lucem proferam, si vita mihi superetit: Faxit Deus, ut totum cedat ad Dei gloriam, & animarum utilitatem.

Finis Libri quarti.

TABULA

TABULA GENERALIS RERVM NOTABILIVM,

Quæ in hoc tertio libro sententiarum continentur, in quo numerus citatus est marginalis.

A

B

C

Dolor

N

O

P

Q

R

S

F I N I S.



TABULA GENERALIS OMNIUM RERUM

Notabilium, quæ continentur in hac quarta parte hujus curſus Theologici, in qua numerus erit marginalis.

A

B

C

D

E

non

Q

R

S

F I N I S.

AVCTOR LECTORI.

EN humanissime Lector quot errores typographicos, & istis plurimos crassissimos, & indignissimos tibi corrigendos in hoc primo tomo expono. In istos, excurrens hūc meum cursum Theologicum, lacerumq; reperiens tot mendis in prima parte, flens, & cum rubore maximo incidi, non quidem meos, vel mihi, nec correctori tribuendos, sed infidelitati, vel veriùs inscitiæ, incuriæue ipsorum Typographorū, quibus primorum foliorum correctio ab amanuensi, & correctore demandata fuit sed ab ipsis furtim, & infideliter oblita, oscitanter omissa. Erores autem ferè omnes secundæ, tertiæ, & quartæ partis omitto; sunt n pauci, & à quocunque rectè intelligente facile emendabiles: Corrector n. ex deprauatione primi Tomi, vel partis ocularior factus, maiori cum Studio, & diligentia impressioni ipsorum astitit. Tua igitur beneuolentia, & charitate, vbi illa inter legendum notaueris, eadem tu noueris emendare: Vale.

ERRATA PRIMÆ PARTIS	CORRIGE
In Epist. ad Lectorē ante med: Theologicorū	Theologicam
fol. p. col 2. lin. 23. commodi	commodè
fol 2. col 2. lin 17. eorum	cum
ibid. lin 60. importate	importans
fol. 3. col p. lin. 51. vt patet	vt pateat
ibid. col 2. lin. 21. eleuata	eleuatam
fol. 7. col. p. Lin. 20. & tamen est obiecti arti & si	ea tamen est natura obiecti certi, vt si
ibid. lin. 27. quoad assensum	quod ad assensum
fol. 11. col. p. lin. 35. animæ	animi
ibid. lin. 36. misticè	mysticæ
ibid. col. 2. lin. 41. precipere	præcipuæ
fol. 12. col. 2. lin. vlt. abens	sed ens
fol. 23. col. 2. lin. 45. liguat	liquat
ibid. lin. 69. traditur	traduntur
fol. 31. col. 2. lin. 43. Omnipotentiam	Omnipotentia
fol. 32. col. 2. lin. 22. ipsos	ipso
fol. 38. col. p. lin. 4. formali	formalia
fol. 41. col. 2. lin. 43. incoactiue	inchoatiuè
fol. 44. col. 2. lin. 27. Bartol.	Bassol
fol. 50. col p. lin. vlt. auctori	acutiori
fol. 55. col. 2. lin. 6. Verbum non ipsam	Verbum non esse ipsam
fol. 56. col. p. lin. 4. rem	non
ibid. lin. 50. concausa	concausæ
ibid. lin. 56. formalis Dei	formalis Dei similitudo
fol. 57. col. p. lin. 28. speciei	specie
ibid. lin. 33. specie	species
ibid. col 2. lin. 58. hæc	nec
fol. 58. col p. lin. 19. speciei	specie
ibid. lin. 20. repræsentatiui	repræsentatiua
ibid. lin. 63. non	nos
fol. 63. col p. lin. 68. susceptibilem	susceptionem
fol. 65. col. p. lin. 1. nam	non

ibid.

ibid. col. 2. lin. 13. intellectui	intellectus
fol. 66. col p. lin. 27. lib. 4	lib. 3.
ibid. col. p. lin. 50. respectiuum	respectuum
fol 67. col. p. lin. 52. non vocat	deleatur totum
fol. 69. col. p. lin. vlt. d. 14.	adde l. 3. d. 14.
fol. 76. col. p. lin. 6. vt	est
ibid. col. 2. lin. 4. derficientem	perficientem
fol. 81. col. 2. lin. 12., & 13. vt in sequenti conclusione probabitur	deleatur totum

quia fuit omissa ab impressore, in qua probabiliter probabatur in Beata Virgine visio clara Dei non consummata per totum tempus viæ: de qua potest videri doctissimus Thomas Frances Hispanus in Tomo de Conceptione immaculata B. Virginis, & Vega in Theologia Mariana.

fol. 82. col. p. lin. 20. conclusione	cognitione
ibid. lin. 54. pedem	pedum
ibid. col. 2. lin. 52. alium	alias
fol. 84. col. p. lin. 2. enim	non
fol. 85. col. p. lin. 30. erit	est
fol. 88. col. p. lin. 58. enim	non
ibid. col. 2. lin. 6. est	ea
ibid. lin. 20. Ideas	Idea
fol. 91. col. 2. lin. 5. effectuum	effectiui
fol. 93. col. 2. lin. 47. Potentialem	Potentiale
fol. 97. col. p. lin. 34. illos perficit, & transmutat	sicq. perficitur, & transmutatur
fol. 98. col. p. lin. 15. generationem	penes rationem
fol. 99. col. p. lin. 54. vt relatiuum esse inxcatum	vt relatum ad esse increatum
fol. 100. col. 2. lin. 6. commutator	commentator
fol. 101. col. p. lin. 9. contradistinguuntur	contradistinguitur
fol. 102. col. 2. lin. 48. resoluat	resoluatur
ibid. lin. 49. proposito	propositio
ibid. lin. 51. productum	prædicatum
ibid. col. 2. lin. 20. succedens	succedentes
fol. 104. col. p. lin. 52. cum	eius
ibid. lin. 56. reducatur	reducitur
ibid. lin. 61. tempore	tempora
ibid. col. 2. lin. 6. rerum.	verum
fol. 106. col p. lin. 62. sed	seu
fol. 108. col. 2. lin. 45. accordat	accommodat
fol. 109. col. p. lin. 42. initelligibiles	inintelligibilem
fol. 110. col. 2. lin. 60. neque	negando
fol. 116. col. p. lin. 35. Eminentissimus	Eminentissimis
fol. 117. col. p. lin. 49. sequitur	seque
ibid. lin. 54. & 55. suppositionem	suppositionem Decreti:
fol. 118. col. p. lin. 42. existentia	scientia
ibid. col. 2. lin. 8. & communis	est communis
ibid. lin. 22. scientia	scientiæ
fol. 119. col. p. lin. 31. ex p. 1. 2.	qu 1. & 2.
fol. 124. col. p. lin. 60. denominante	determinante
fol. 127. col. p. lin. 19. abelle	subelle
fol. 131. col. p. lin. 33. veri	vere
fol. 134. col. p. lin. 28. si	sit
ibid. lin. 68. multiplicati	mutabilitati
fol. 137. col. 2. lin. 8. maigiore	rigidiores
ibid. lin. 29. retusæ	intusæ
fol. 138. col. p. lin. 45. tamen dependet	tamen non dependet
fol. 140. col. p. lin. 48. auersionem	ad auersionem
ibid. col. 2. lin. 63. causam	causa
fol. 144. col p. lin. 6. inefficacem	efficacem
fol. 148. col. p. lin. 29. ad	à
fol. 150. col. p. lin. 59. cœlitus	volitus
ibid. col. 2. lin. 66. præfinitos	præfiniti
fol. 151. col. p. lin. 44. actu	actus
ibid. col. 2. lin. 59. negat	non negat
fol. 153. col. p. lin. 13. prouidentiæ	prudentiæ
ibid. lin. 46. ostenta	ostensa
ibid. lin. 61. tormosissito	formalissime
fol. 155. col. p. lin. 2. affectiuam	effectiuam
ibid. col. 2. lin. 30. cibum	cibus

ibid.

ibid. lin. 68. intentione	intensione
fol. 156. col. 2. lin. 24. compossibilia	impossibilia
ibid. lin. 59. sem	se, &
fol. 157. col. 2. lin. 10. materni	maternis
ibid. lin. 32. concertum	concursum
fol. 159. col. 2. lin. 21. gratiam	gradatim
ibid. lin. 45. ad	a
fol. 161. col. p. lin. 5. beatificale	beatificabile
ibid. lin. 49. possum	passum
fol. 163. col. p. lin. 31. sua	seù
ibid. lin. 61. nostræ voluntatis	& contingentia nostræ voluntatis
ibid. lin. 62. deserui	destrui
fol. 164. col. 2. lin. 48. aliquis	aliqui
fol. 165. col. 2. lin. 31. ipsum effectum	ipse effectus
ibid. lin. 32. & modum	modus
fol. 166. col. p. lin 34. pes	per
ibid. lin. 46. se	si
fol. 169. col. p. lin. 11. naturæ	nostræ
ibid. lin. 63. ipsi offert	ipsi se offert
fol. 170. col. p. lin. 27. est	es
ibid. lin. 48. solutione	solutionem
ibid. col. 2. lin. 13. cetum	certum
ibid. lin. 60. transitiui	transitui
fol. 172. col. p. lin. 54. saluandam	saluandum
ibid. col. 2. lin. 12. loquendo de Christianis pāruulis plures saluantur: loquendo de solis Christianis	loquendo de massa Christianorum adultorum, & paruulorum simul plures saluantur: loquendo de solis adultis Christianis, aliqui censent plures saluari, alij è contra Vide
fol. 172. col. 2. lin. 30. prædeterminationem	Prædestinationem
fol. 173. col. p. lin. 44. congrua	incongrua
ibid. col 2. lin. 31. requiritur	reacquiritur
fol. 174. col. p. lin. 29. eleuatione	electione
ibid. col. 2. lin. 66. pluribus	puris
fol. 175. In titulo deleatur qu. 2. de Diuina Prouidentia	& apponatur qu. VI. de Prædestinatione
ibid. col. 2. lin. 54. executione	executiua
fol. 178. col. p. lin. 21. hic	hi
fol. 179. col. 2. lin. 65. iuxtam	iustam
fol. 181. col. 2. lin. 19. friula	friola
fol. 182. col. p. lin. 19. ex	&
ibid. col. 2. lin. 23. ad	at
fol. 183. col. p. lin. 8. damnatum	damnatam
ibid. lin. 9. 66.	46
ibid. lin. 58. extraxisse	pertraxisse
ibid. col. 2. lin. 7. posset	potest
ibid. lin. 19. amplectectentur	amplectantur
ibid. lin. 50. possit	possit velle
fol. 184. col. p. lin. 21. vt	est
ibid. lin. vlt. allucinatum	hallucinantur
ibid. col. 2. lin. 3. certam	creatam
ibid. lin. 51. pararet	parauit
ibid. lin. 53. repugnarent	pugnarent
fol. 185. col. 2. lin. 9. si dicatur	si dicatur secundum
fol. 186. col. p. lin. 48. germini	germinati
fol. 188. col. 2. lin. 51. prædeterminationis	prædestinationis
fol. 189. col. p. lin. 55. vltior	vlterior
fol. 191. col. p. lin. 37. summa	summa germanitas
ibid. col. 2. lin. 30. originem	originum
ibid. lin. 64. impactibilis	impossibilis
ibid. lin. 69. voluntate	realiter
ibid. lin. 23. non generat, sed spirat ∴ lege ∴	quia innascibilis, & inspirabilis generat, & spirat secunda quia genita, & inspirabilis est, non generat, sed spirat: tertia
fol. 193. col p. lin. 10. licet intelligamus	licet vt intelligamus
ibid. col. 2. lin. 36. positiua	passiua
ibid. lin. 66. processiuos	positiuos
fol. 195. col. 2. lin. 38. terminis	terminus

fol.

fol. 196. col. p. lin. 24. otionem	distinctionem
ibid. lin. 30. & consequenter	& consequens
ibid. lin. 32. essentiam	essentiarum
fol. 197. col. p. lin. 4. deferent	differunt
fol. 198. col. p. lin. 4. producet	producere
ibid. lin. 43. distinctum	distinctionem
ibid. lin. 46. e	&
fol. 201. col. 2. lin. 27. quod certum esse	certum esse
ibid. lin. 31. alium dictionem, qua	alium personalem: quo
fol. 204. col. p. lin. 5. intelligentiam	intelligentem
ibid. lin. 15. & 16. deleatur	*vt in supposito importat habitudinē ipsius actus intelligendi*
ibid. lin. 48. concessit	Conceptio
ibid. col. 2. lin. 32. si Spiritus Sanctus procederet à Filio	Si Spiritus sanctus non procederet à Filio
ibid. lin. 55. consistit	constituit
fol. 205. col. p. lin. 52. producatus	producatur
ibid. col. 2. lin. 5. naturaliter	necessario
fol. 206. col. p. lin. 48. vt	&
ibid. col. 2. lin. 2. determinatiue	determinante
ibid. lin. 41. quo	quos
fol. 207. col. p. lin. 15. amore	amor
ibid. lin. 55. Spiritus Sanctus ad Patrem	adde post ly & Spiritus Sanctus *nec inde sequitur obconuenientiam, quam habet Spiritus Sanctus ad*
ibid. col. 2. lin. 6. formarum	formalitatum
fol. 212. col. p. lin. 61. insoluant	inuoluant
ibid. col. 2. lin. 24. quid	quod
ibid. lin. 55. irresoluit	inuoluit
fol. 213. col. 2. lin. 46. personalitatis	personalizatæ
fol. 216. col. 2. lin. 35. irresoluant	inuoluant
fol. 221. col. 2. lin. 5. imputatur	importatur
fol. 224. col. 2. lin. 41. quando	quomodo
fol. 225. col. 2. lin. 24. & 25. vel quod	sed si
ibid. lin. 34. communi est generationis	communis est generationi
fol. 228. col. 2. lin. 63. Spiritus Sanctus	Spiritui Sancto
fol. 230. col. 2. lin. 61. secundariumque	& secundarium, &
fol. 232. col. p. lin. 23. amplificatum	artificiatum
ibid. col. 2. lin. 14. imitas	imitans
ibid. lin. 15. vt sit	secunda, vt sit
fol. 233. col. p. lin. 61. cum ratione	ratione
fol. 234. col. p. lin. 21. adoptionis	adaptationis
ibid. lin. 55. conueniunt	deleatur
fol. 236. col. p. lin. 5. Spiritus	Spiritu
fol. 236. col. p. lin. 36. respondetur	respondetur secundo
ibid. col. 2. lin. 53. in fide	deleatur
fol. 237. col. p. lin. 37. & 38. Spiritus Sanctus	Spiritu Sancto
fol. 238. col. p. lin. 12. matrimium	mastrium
ibid. col. 2. lin. 56. à duobus	sic
fol. 243. col. p. lin. 22. respond.	res per
ibid. lin. 28. disterminata	determinata
ibid. lin. 5. possessiua	positiua
fol. 241. col. p. lin. 5. præcedit	procedit
ibid. col. 2. lin. 33. alius	illius
fol. 245. col. p. lin. 57. distinctio	distincto
ibid. lin. 58. mutua	mutua, &
fol. 246. col. 2. lin. 54. secundus	secundas
fol. 247. col. 2. lin. 58. non relatio	non vt relatio
fol. 253. col. 2. lin. 62. producentibus	producuntur
fol. 254. col. p. lin. 75. concretas	concreatas

IN TOMO SECVNDO

fol. 127. col. 2. lin. 50. merenti	mouenti
fol. 132. col. p. lin. 32. imperfectionem	impermixtionem
fol. 203. col. p. lin. 12. & naturalis addatur	materia proxima est ablutio actiua, & passiua
ibid. col. 2. lin. 36. retunderet	retenderetur

FINIS.